




FORTVNII LICETI GENVENSIS

PHILOSOPHI, AC MEDICI

Olim Pisis, nunc in Patauino Lyceo Philosophiam

Prima hora pomeridiana primo loco docentis

DE HIS, QVI DIV VIVVNT SINE ALIMENTO

Libri Quatuor;

In quibus diuturnæ Inediæ obseruationes, opiniones, & caussæ summa cum diligentia explicantur;

AC OPORTVNE

De alimento, de alendi functione, de nutriendo corpore, de fame, de siti, de calore natiuo, de humido radicali, de temperamento, de excrementorum vsu, de colliquamentis, de metalli, veneni, medicamenti, misti, ac elementi cuiuslibet habitudine ad alendum corpus, de ecstasi, de siderum, dæmonum, & consuetudinis viribus in Inedia, de proprietatibus occultis, & de quamplurimis alijs scitu dignissimis exactissime disseritur;

Multa item Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni, Plinij, Celsi, & aliorum principum autorum obscurissima theoremata illustrantur.

Cum gemino indice, altero librorum, & capitum, altero rerum notabilium locupletissimo.

Ad Amplissimum Senatorem Venetum

ANDREAM MAVROCENVM.



PATAVII. M DC XII.

Apud Petrum Bertellium.

FORTVNII LICETI GENVENSIS

[illegible]

Olim Pisis, nunc in Patauino Lyceo Philosophi

[illegible]

DE HIS, QVI DIV VIVVNT SINE ALIMENTO

Libri Quatuor,

In quibus [illegible]

[illegible]

ACCEDVNT

[illegible]

Multa item Hippocratis, Platonis, Aristotelis, [illegible] principum autorum [illegible]

[illegible]

Ad Illustrissimum Senatorem Venetum ANDREAM MAVROCENVM.



PATAVII. M DC XII.

Apud Petrum Bertellium.

ANDREAE MAVROCENO

Amplissimo Senatori Veneto

FORTVNIVS LICETVS
S. P. D.



Apienter Xenophon (Andrea Maurocene) formam Optimi Principis, qui ad imperandum alijs antecelleret, à tribus fontibus profluere constituit, à genere, ingenio, educatione; Heroicum igitur illum habitum in Venetorum animis herentem, quo priuatam etiam vitam degentes viri principes ab omnibus merito habemini, non aliunde ortum arbitrabor. Certe si in toto terrarum orbe, & quacunque cæli conuexitas vergit, Italia rectrix viris præcipue, ac mulieribus creditur præstare nobilibus, quid censeamus de Venetum sanguine, qui ex illibato, delibatoque totius Italiæ flore clarissimum genus duxit? altam generis huius dignitatem, & excellentiam tantifaciunt omnes, vt iam exteri Principes vel maximi Veneta gaudeant nobilitate donari; quin etiam Reges opulentissimi postulatis vltro, acceptisque patricijs matronis in vxores voluerint Veneta prolis fecunditate beari. Sed & ingenium Venetum ad egregia omnia tum pacis, tum belli facinora cui non videatur aptissimum? ex Venetis enim iam plane constat in maximis animis, & in præstantissimis ingenijs existere libertatis, & imperij semina, seu germina potius quam cupiditates; immo vero libertatem, imperiumque non in casu sita temporibus gubernari, sed innixa virtutibus prudentia, & sapientia regi. Quæ demum educatio Venetæ comparanda? hinc summi viri, qui in maxima celebritate, atque in oculis omnium virtute præstantes gloriam ea laude petere consueuere, quæ nec obruitur hominum interitu, nec obliuione posteritatis extinguitur. In tanta claritate, qua in rebus humanis sublimius nihil duco, Illustrissima est gens tua Maurocena, de qua nihil à summa laude seiunctum commemorari posse videtur; de cuius laudibus omnium fama consentiens tamdiu clara vagabitur, dum memoria manebit rerum Venetarum; ex ea enim stirpe omni æuo prodiere plurimi, qui præter verum decus nihil in vita cogitantes animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato vitam egere. Nimirum in genere Mauroceno senes virtute præditi cum vitijs bellum gerunt immortale, vt graues decet, fortesque ciues, de Republica benesentientes, ac benemeritos; apud quos esse plane viuere sit, non cum ijs, quibuscum præclare agitur si sint simulachra virtutis, sed cum perfectis hominibus, pleneque sapientibus; quorum propte-

rea principe in Republica magna semper extitit laus, & autoritas. Iuuenes autem Mauroceni à vitijs declinantes virtutis iter arripiunt; quippe vt optima hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior gloria virtutis, rerumque gestarum; ita vicissim iuuenes huic gloriæ dedecori esse nefas arbitrati, & hæreditarias virtutes quamplurimas, & quammaximas proinde nauiter excolentes, non solum in eo genere laudis, in quo maiores suos præstitisse cognoscunt, excellere student; sed etiam ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, aliquam suam glorioso conatu addere contendunt. Maurocena iuuentus in domicilio virtutum nata, & alta, quæ multitudine illustrium exemplorum ad gloriam vndique vrgetur, intra calcatam ab alijs honorum aream se continebit? Tot inter præclara inclytæ familiæ lumina proprijs dotibus mire spectabilem tute nobis offers (Illustrissime Andrea) quem vitantem quæcunque vulgo placent cum summa admiratione omnes summis honoribus dignum existimant; quem consuetudine beneficentiæ illius lautioris, & splendidioris, ac viro forti, & claro dignissimæ paratissimum, exercitatissimumque ad bene de multis promerendum nouimus; à quo nihil summi viri proprium abest, quod adesse, nihil vicissim adest, quod abesse deberet. Ea siquidem vitæ integritate, iudicij grauitate, ingenij præstantia, & cum ceteris disciplinis omnibus, tum sacra Theologia, naturali, moralique Philosophia, Eloquentia vero præsertim pollere Te Serenissimæ Reipublicæ Venetę compertum est, vt non solum in summis, & arduis negocijs Te consulto, & moderatore libentissime, felicissimeque vti consueuerit; verum etiam ex innumeris alta sapientia claris Te vnum olim elegerit, qui rerum à Venetis gloriose gestarum historiam perpetuis famæ annalibus insereres: Tu vero (mirum dictu) & sublimibus, frequentibus, assiduisque Vrbis Magistratibus numquam deficiens, & Musarum studijs sedulo inuigilans simul Rempublicam pręclare gessisti, & pręclara Reipublicæ gesta conscripsisti. Opus materia heroica ingens, & quo nullum repetiri possit maius: opus facundia fecundę tuę mentis admirabile: opus ingenij, prudentiæ, consilijque luminibus incomparabile. Norunt id plures viri præstantissimi, quibus apud te aliquando tua scripta legere concessum fuit; noscemus propediem omnes, qui cupidissime tantorum annalium editionem expectantes eorum partem prælo mox subijciendam audimus. Te igitur (Amplissime Senator) scribenda facientem pariter & legenda scribentem iure ac merito inter viros incomparabiles & miratur nostra, & suspiciet posterior ętas. Gloriosum itaque semper mihi duxero Te singularem uenerari patronum, cuius numquam non fuit eximiæ voluntatis erga me omni plane officiorum genere declarata propensio; sed superioribus annis mirifice, quum tua potissimum opera ab excelso Senatu Veneto in Patauinorum Doctorum numerum cooptatus alteram e primarijs Philosophiæ cathedris obtinui: Quo summo beneficio illud effecisti, vt nihil in me reperiri, aut à me proficisci valeat vnquam, quod ipso iure tibi non debeatur. Quum ergo iampridem animum, immo me totum tibi dediderim, multarum vigiliarum opus hoc *De his, qui diu viuunt sine alimento* nouissime pro viribus ingenij mei absolu

tum

rum Tibi consecro musteum, quin & feruidum adhuc mentis meæ partum; tenellum quidem, ac nudum, & maternæ imbecillitatis culpa fortassis haud vndique perfectum; sed generoso tamen e Peripati semine prognatum, atq; adeo Tibi Musarum studiosissimo, in ijsque colendis plurimo futurum non ingratum; quum Musis omnia, quę ad ipsas pertinent, gratissima esse consueuerint. Eam spero à tuo nomine lucem mutuabitur, qua ceu nobili tegmine circundatus & inuidorum aciem perstringat, & proborum hominum mentes in se tui luminis splendore conuertat. Ipsum interim sub tuo patrocinio inuulgo perpetuum syncerae meæ erga Te obseruantiæ testimonium. Vale maximum Reipublicæ decus, & præsidium meum.

Patauij. Calendis Augusti. **MDCXII.**

Iosephi Lisij Cherensis Art. ac Med. Doct.
In D. Fortunij Liceti Libros
De his, qui diu viuunt sine alimento.

Abdita Aristotelis sin verbis pandere sensa,
Seu iuuat internas rerum reserare latebras,
Palma tibi est totis, Fortuni, debita terris.
Testis virtutis tantæ est Alphæa Minerua,
Quæ colit Euganeos testis celeberrima Pallas;
Hæc, atque hæc nam te multos fouere per annos.
At modo vulgatis Anima, Vitaque libellis
Ieiuni tandem adijciens monumenta laboris
Maior opus magnum ipse audes, ausoque potiris.
Dumque agis vt per te venis humentibus ardor
Non struat insidias, cessetque incendere membra,
Vtque humor possit vitam retinere cadentem,
Illum te præfers, à cuius pendeat ore
Immenso quidquid vitam traducit in orbe.

Odoardus Tasilius Neuerensis Medicus
C. V.
Fortunio Liceto vulganti Libros
De his, qui diu viuunt sine alimento.

Vt sitis exuerit furias, rabiesque famesque
Edomitæ iaceant, nec iam grassentur in artus,
Natiuo at succo abstineant, parcantque calori
Pandis, & vt discant ipsæ ieiunia ferre.
Hæc tam mirifice loqueris, sic flaua loquenti
Pallas adest, vt dum mortales despicis escas.
Euadas mensa dignus considere Diuum.

Caroli Engrandi Belgæ Audomarensis Philosophi, ac Medici
Ad Lectorem.

Vix audita sophis loquens vetustis,
Vt quis muneribus carens Lyæi,
Et dono Cereris queat per annos
Multos ducere tempora ad senectam
Præfulgens Lygurum iubar Licetus
Sic promit, trutinaque opiniones
Librat composita recentiorum,
Vt ni tangat amor tui Liceti
Te, ipsam tu nequeas amare vitam.

Martij Dorenети Burdegalensis Philosophi in libros
De his, qui diu viuunt sine alimento
Perill. & Excellentiss. D. Fortunij Liceti
Epigramma.

Limina naturæ irrumpit Fortunius, & quod
Lynceos oculos fugit Aristotelis.
Luce videt, nescis diuina, an luce Lycei;
Quod, quæ non norit, sæpe docere potest.
Viuenti haud altam non lemmate disserit unq
Vitam posse diu ducier, atque probat.
Quid mirum præstat si non audita Licetus?
Dux huic & Sophia est, dux huic ipse Deus.
Macte vir ingenij, sacras, artesque profanas
Nam doctus, linguis clarus, & eloquio.
Perge age, iam Pataui gens nobilis vndique plaudit,
Doctrinæ insuetam pande Licete viam.

Theodori Pomelii I. V. D. ad Lectorem Epigramma.

Disce nouum Lector vitæ genus, improba nullo
Quam reparat victu mox reditura fames.
Multa hic ingenijs non explorata priorum
Admiranda leges non caritura fide.
Scilicet à prima referuntur origine causæ,
Naturæque patent abdita consilia.
Quin te Licetus iam iam cœnare parantem,
Dum legitur, memorem non sinet esse dapis:
Tanta viri virtus, vacui miracula ventris
Ridentem vt vincat pagina docta famem.

Faustini

Faustini Moisesi Vtinensis De libro perill. & Excellentiss. viri Fortunij Liceti De his, qui diu sine alimento viuunt.

LEgerat hunc libri titulum Liberque, Cerésque,
Bella mihi rursus bella mouentur, ait.
Tùm, quantum est, poscunt iurare in fœdera Cælum,
Atque agitant omnes seditione Deos.
Huic, atque huic Pallas glaucis arrisit ocellis:
Quo ruitis, dixit; proicite arma manu.
Ipsa volo, ipsa volo, hoc titulo sine munere vestro
Fortuni nomen VIVERE POSSE DIV.

Eiusdem de eodem ad eundem.

QVa ratione doces quis multos exigat annos,
Quamuis non vllas mittat in ora dapes.
Idque probas adeo, vt tandem meliora professi
Ingluuiem edones corripuisse velint.
O felix studij; potes hac eludere morsus
Temporis, hac tutus durat ab arte labor.
Tempus edat lapides, integras sorbeat vrbes,
E libris sumet NVLLA ALIMENTA tuis.

Eiusdem de eodem ad eundem.

DVm mentem fero per tuas tabellas,
Queis nos mirifice erudis famere,
Et nil non oculis, Licete, lustro,
Princeps, & Pater esuritionum
Ex imis fieri æstuo medullis:
At dum me magis esurire credo,
Et dum me magis esurire malo
Vsque ac vsque inhians tuo labori
Sensi me denuo librum vorasse.

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM
In hoc Volumine contentorum.

Libri Primi Capita sexdecim.

Libri secundi Capita CCXXII.

Libri

De caussis

Libri quarti Capita centum quinque.

Vt nix

Vt calo-

Finis Index Capitum.

INDEX

Alphabeticus rerum omnium scitu digniorum, quæ in hoc opere continentur, in quo primus numerus librum significat, secundus pagellam, tertius columna.

A

Actus

anima

Arbor

Bruta

Calor

cicuta

I

N

plantæ

Q

Quali-

Rubi-

Sitis

T

Varia-

	Erratum.	Correctio.
171.1.21	obtinuisset	obtinuisse
172.1.54	Deus tutelaris	Deum tutelarem
172.2.23	mulriplex	multiplex
172.2.vlt.	euidentse: Qun	euidentes: Quum
176.1.38	agre	agere
181.1.11	concessam	concessum
181.1.57	nuticatinnem	nutricatinnem
181.2.20	sunt quam	sunt aliud quam
181.2.29	aninal	animal
183.1.29	rubor	robur
183.1.59	quo	quæ
184.1.22	abstiaeant	abstineat
184.2.49	venterieulum	ventriculum
186.1.50	multoties	plerunque
186.2.39	ob	ab
189.1.36	coniunctorum	coniunctorum
189.1.50	ab	ob
190.2.31	recipisse	recepisse
190.2.26	fecibus	fæcibus *& ita semper.*
191.1.58	parres:	partes
192.1.31	etras	etiam
193.2.18	caussa referẽda videtur	caussam retulerunt
194.1.28	pella	puella
194.1.52	ingerantur	ingeratur
196.1.5	Consuetudines	Consuetudinis
196.1.38	partiuque	partuique
197.1.13	afferans	afferens
197.1.16	obteẽtia	obtinentia
198.2.9	innuxia, & alimẽta	innoxia alimenta

In III. Lib.	Erratum	Correctio
3.1.25	auimalia	animalia
6.1.1	subuertatur	conuertatur
11.1.30	menulæ	merulæ
17.2.55	scilicet	scilicet
20.2.45	diuiurnum	diuturnum
51.1.8	quod	quid
51.1.14	differentiæ	differentia
53.1.2	superis	superius
53.1.46	alienatioue	alienatione
55.1.30	cõmentijs	commentitijs
56.2.50	natricatu	nutricatu
58.2.26	indigenciadiutius	indigentia diutius

In IV. Lib.	Erratum	Correctio
61.1.25	expetendas	expendendas
62.2.51	nnitrum	nostrum
69.2.37	historiam;	historiam
71.1.50	transiliuit alioquin	transiliuit; alioquin
71.2.3	clectum	electum
73.1.1	finitur ab vniuersa Medicorũ schola	*dele omnia*
73.2.34	arbicæque	arabicæque
74.2.vlt.	transmitantur	transmutantur
77.2.31	sibimctipsis	sibimetipsis
77.2.59	vito	viro
79.2.vlt.	Ψυχρότροφου	Ψυχρότροφοι
80.1.11	Ψυχρότρφ ε	Ψυχρότροφα
80.2.vlt.	proprijs. sic	proprijs; sic
85.1.3	taque	atque
93.2.32	ptobare	probare
97.1.2	vcrti	verti
97.1.27	mis um	missum
99.1.19	essc	esse.
101.2.vlt.	aduenieus	aduenieus
103.1.14	quiescenti	quiescenti
104.2.36	vs	vt
105.2.9	fecuunditatem	fecunditatem
111.1.2	iudigentiæ	indigentiæ
111.2.30	sentientes	sentientes
116.2.23	ealidam	calidam
116.2.40	SLlud	Illud
116.2.41	seu	visu
126.2.36	superbos.	superbos
126.2.37	tantummodo,	tantummodo;
131.1.36	alætur	alatur
135.1.42	di camns	dicamus
136.2.7	Palatinus	Palatinis
140.2.34	omnibas	omnibus
141.1.61	stro. quem manu.	stro, quem manus
144.1.1	ocietor	ocietur
144.1.16	Galeuus	Galenus
151.1.49	intercapediuem.	intercapedinem;
152.1.25	agaut	agant
152.2.41	adsciticio	adsciticio;
154.2.24	ealor	calor
157.1.11	Cap. XCIII.	Cap. XCVII.
157.1.43	j ono	mino
157.1.44	cmoperante	cooperante

REGISTRVM.

abcdef ABCDEFGHIKLMNOPQR.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo.

Omnia sunt terna præter a,& R., quæ sunt duerna,& O o sesquifolium.



Sumptibus Petri Bertellij Bibliopolæ Patauini.
Vicetiæ, Typis Francisci Grossi duo Libri priores
Patauij prælo Gasparis Criuellarij duo posteriores.
Annuentibus Superioribus. M. DC. XII.

Ego F. Paulus Rocca S. T. D. Prouincialis Bohæmiæ, ac Regens Theologus in Collegio Patauino Carmelitarum, diligenter perlegi duos priores libros operis, cui titulus est, De his qui diu viuunt sine alimento *perillustris, ac Excellentissimi Domini Fortunij Liceti Genuensis, nec in illis inueni quicquam vel rectæ fidei repugnans, vel morum probitati contrarium; quinimmo dignos existimo, ob doctrinæ nitorem, & multiplicem eorum eruditionem, qui typis excudantur.*

Datum in Carmelo Patauij die 12. Nouembris anno 1611.

F. Paulus Rocca Prouincialis Bohæmiæ, & Regens Carmeli Patauij.


Stante suprascripta attestatione R. P. Inquisitor Patauij concedit quod imprimantur.

F. Zaccaria Inquisitor Patauinus manu propria.

Imprimantur. Octauius Liuellus pro Serenissima Republica Veneta.

Attentis suprascriptis attestationibus, & concessionibus, conceditur vt imprimantur Vincentiæ.

F. Camillus Sanctus Angelus Inquisitor Vicentiæ.



FORTVNII LICETI GENVENSIS

IN SVOS QVATVOR LIBROS

De his, qui diu viuunt sine alimento

Ad optimum quemque Sapientiæ Studiosum

PRÆFATIO.





Mplissimum, feracissimumque Naturæ campum gnaro cultu olim scrutati, omnique magnæ Parentis gaza, quæ maxima fuit, inde potiti maiores illi disciplinarum conditores, etsi ad quamplurium abditorum euentuum caussas inuestigandas feliciter stilum aptauerint, multorum tamen admirabilium peculiaria principia (quicquid caussandum videatur) intacta reliquere; quorum e magno aceruo illud nunc nobis occurrit, in quo explicando iuniores plurimi, iidemque viri acerrimo iudicio præditi, non mediocriter insudarunt, viuentium scilicet nostratium multa, præsertimque hominum genus, non modo menses, verum etiam annos integros absque cibo, potuque viuere: Tantum autem studium recentioribus indagandæ simul atque illustrandæ tam diuturnæ abstinentiæ fuit, vt præclarissimas de ipsa sententias litterarum memoriæ commendauerint; quas omnes mihi complectendi cupiditas incessit: Laudabile profecto esset nostrum eruditissimis viris in adeo graui disquisitione obsequium; sed laudabilior fuerit, atque vtilior nouus in hoc arduo theoremate labor. Non ergo parui momenti scopum, leuem, humilem mihi propono in hoc opere, sed egregium, arduum, in tota contemplatione Naturæ maxime mirum, & ostento persimilem. Exercuit autem omnium mentes mortalium, ac præsertim magnorum desideria Principum hoc argumentum; Quæ res me quoque superioribus annis Libros de Vita scribentem ad huius admirabilis effectus caussas acri studio perquirendas adeo excitauit, vt quædam non importuno eius voluminis in loco placita de proposito inuulgauerim: Nihilominus post omnium conatus obscura tamen adhuc res est, ac digna quam nouis lucubrationibus, resumpta de integro speculatione, toto ingenio declarare nitamur. Quoniam vero aliorum dogmata expendere ad cuiusque argumenti elucidationem haud parum conferre nouimus; siquidem illarum examine assuescit mens verum à falso distinguere; propterea de hoc admirabili Ieiunio post allatas ex grauissimis auctoribus historias, aliorum placita examinare decreuimus, inde quid nobis in mentem venerit promulgaturi, ac demum, si quæ nostris decretis negocium facessent, obiectiones euersuri; vniuersam proinde Tractationem in quatuor libros diuidentes, & vbique methodo, ac doctrina summorum Sapientiæ Procerum,

 Aristo-

Aristotelis, Hippocratis, Galeniquæ insistentes, nimirum enitidis eorum fontibus indicio, arbitratuque nostro quantum, quoque modo videbitur, haurientes, in hac nobili quæstione iucundam, fructuosamque meditationem nos habituros esse confidimus. Arduam prouinciam, fateor, & viribus meis imparem aggredior; at vero vel à Platone in Timæo monitus Deum Optimum toto corde precabor vt ea in præsenti contemplatione mihi aperiat, quæ vera sint, nostrisque omnium votis plene satisfaciant: Tu ergo Dei Patris æterna Sapientia IESV, qui supra naturæ cardines olim sacrosancto tuo quadragesimali Ieiunio qua ratione voluntatem à peccatorum sordibus purgaremus illustri exemplo nobis demonstrasti, eisdem nunc tam diuturnæ mortalium abstinentiæ latentes reserando caußas Clemens viam ostende, qua mentem a densioribus huius ignorantiæ tenebris in fulgentissimum veritatis, & Sapientiæ lumen perducere possimus; quod tibi autori gloriæ sit, mihi scripturo saluti, cunctisque lecturis iucunditati pariter, ac emolumento. Diuinæ igitur Clementiæ confidentes ad rem audacter iam aggrediamur.





FORTVNII LICETI GENVENSIS

De his, qui diu viuunt sine alimento

LIBER PRIMVS,

In quo ex probatissimis autoribus afferuntur obseruationes eorum, qui vltra biduum ab omni cibo, potuque abstinuere.

Abstinentiæ variæ intra septimam diem conclusæ. Caput Primum.



IV multumque viuere posse homines citra vllum alimentorum vsum, & nostra ætate compertum habemus, & superiori tempestate obseruatum multis in locis sæpenumero fuisse literarum memoriæ prodiderunt grauissimi scriptores: Diatritariorum enim Medicorum sectam priscis temporibus ægrotos promiscue omnes triduano ieiunio detinere consueuisse autor est Galenus. Saram bene valentem, quin & vniuersam Iudæorum gentem sub Assuero Rege triduum ab omni cibo, potuque abstinuisse monent sacræ paginæ. Consimili abstinentia olim claruisse Hierardum Sagredum Venetum auita non modo nobilitate, sed etiam propria sanctitate illustrissimum narrat in eius Vita Villegas. Insuper e Plutarcho nouimus in opusculo De his, qui sero a numine puniuntur, *Solensem virum fuisse, nomine Thespesium, qui de sublimi loco in ceruicem delapsus, ictu absque vulnere accepto mortuus est, tertiaque post die sub ipsam funerationem reuixit*; nempe quum ex loco altiori caderet, timoris vehementia mente motus, quasi cadauer, ab alienatus iacuit; ac tandem passione metus dissoluta, intermissam gubernationem corporis denuo assumpsit animus adeo vt mox recuperatis viribus Thespesius ad se reuersus reuiuiscere visus fuerit: cuius rei caussam infra ex Aristotele habebimus. Sabini vxorem necis mariti accepto nuncio lamentantem & eiulantem, humoque deiectam, tres dies, ac totidem noctes sine cibo exegisse autor est Plutarchus Opusculo Amatorio ad calcem. At vero Simplicius ex Eudemo refert quum Diuinum sacrificium ab Atheniensi populo ageretur, homines aliquot in subterraneo specu conuiuium facientes ebrios euasisse, qui vna cum seruis quatuor dies dormierunt. Cornelius autem Nepos Atticum ad quintam vsq; diem sine vllo alimentorum vsu viuisse in extrema illius Vita testatur. Apud Moschouitas etiam inualuisse morem, quo plerique in ea gente die sabbathi, & Dominico cibum capiant, sequentibus quinque diebus ab alimēto prorsus abstinentes, relatu Sigismundi ad eos populos Legati Cæsarei asserit Cardanus. Latinorum vero Hippocrates ille Cornelius Celsus quamplures memorat ex antiquis Medicis, qui sæpe quinto die, sæpe sexto ægrotis suis alimentum dare incipiebant; tantumque ieiunium ipse vel in Asia, vel in Aegypto cœli rationem sustinere posse fatetur. Cardanus alibi Leonardum Pistoriensem nominat, qui sensim eo se traduxerat, vt semel tantum in hebdomada cibum sumeret. Virum Illustrem melancholicum ad septem dies sine alimento peruenisse obseruatur a Schenckio. Ac vt prætercam quæ de Orphei summi vatis iterum amissam coniugem ab inferis frustra repetentis P. Naso dulcissime cecinit inquiens.

Abstinentia trium dierum. *8. Meth. cap. 6. 10. meth. c. 6.* *Thob. c. 3.* *Esth. c. 4.* *Mira historia Thespesij.* *Cap. 4. de somn. & vigil. c. 4.* *4. Diet.* *4. physic. tex. com. 92.* *5. Diet.* *8. De rer. var. c. 43.* *6. Diet.* *Lib. 3. cap. 4.* *11. de subtil. rer.* *7. Diet.* *Lib. 1. obser. med. 253.* *10. Metamorph.*

Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arguerat; septem tamen ille diebus
Squallidus in ripa Cereris sine munere sedit,
Cura, dolorq; animi, lachrymaque alimenta fuere.
Esse Deos Erebi crudeles questus in altam
Se recipit Rhodopen......

Ea tamen, quæ de proposito Bartholomeus Anulus ad calcem Pictæ Poeseos conscripsit poeta vna, & historicus, omittere non debeo; ait itaque

Viuus humum subijt, qui foderat ante sepulchrum
Ipse sibi, ingenti mole superposita.
Viuus & ad manes descendit, vt Amphiaraus;
Hicque horas centum & septuaginta fuit;
Horas, quas potuit tantum numerare, dies non;
Nullum namque vident infera regna diem.
Hebdomadem durauit agens tellure sub alta,
Lucis, somni expers, aeris, atque cibi.
Ergo quid interea fecit? bibit, & bibit vndam,
Quæ refluebat eo, fluxerat vnde prius.
At postquam superis iam lux octaua refulsit,
Ac egesta cauo chasmate terra fuit,
Crediderant quem pridem homines periisse, repente
Alter vt Alcides ad superos rediit.
Viribus integris, sensu, & sermone valenti,
Sanus ad extremos vixit & inde dies.
Quid mirum inferius potuit si excedere regnis?
Vt iubet infera lex, ederat ore nihil.
Quam nisi dicta esset violasse Proserpina legem,
Ad superos salua lege reuersa foret.
Porro ne quis & hoc fictum putet esse, ego vidi
Scriptor; quid visu certius esse potest?

Tlanius & gestam quiuis intelligat vt rem,
Citra figmentum sic habet historia,

Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ad Nonas Februarias Franciscus Pelusius Lugdunensis φρεατορύκτης senex sexagenarius dum in colle Diui Sebastiani in Villa Ludouici Dheirai puteum foderet altum pedes quadraginta, egesta terra desuper irruenti ad profunditatem triginta quinque pedum, oppressus est fossor viuus, qui incumbenti periculo, quod forte præsens habuit, tabulatum opposuit, sub quo reclinatus, & à cadenti mole protectus, aeris, & spiritus aliquantum retinuit, quo septem dies, noctesque vixit sine cibo, & somno, sola vrina epota (quam certum est non alere, quum sit purum excrementum) *stomachum roborans* (vel potius consulens vrgenti siti) *& omnis doloris expers, atque adeo mæstitiæ; quin etiam spei plenus (quam in solum Deum collocarat) identidem auxilium sibi saluo inclamans, sed à nemine auditus; quum tamen ipse superiorum motus, strepitus, & verba audiret, horasque sonantes numeraret: Post septimum deinde diem quum ipsi iam conclamato pararetur pheretrum, effossusque esset magna ex parte puteus, repente audita est vox eius de profundo elamantis; quamprimum sequutus est pauor, ac si spiritus exauditus esset subterraneus, mox clamore perseuerante mista spes, & accelerata effossio, donec viuus, & valens, hausto prius vini calice, per funem eductus est, viribus adeo integris vt ad se tollendum neque se ligari passus sit, neque aliena ope vti voluerit; sensu vero adeo sano, vt etiam iocabundus, crumenaque prompta, et pecunia numerata diceret se cum benignis hospitibus diuersatum, apud quos ne teruncium quidem septem dies impendisset: & mox ad opus est reuersus, superstes adhuc quum hæc scriberem.* Sic ad verbum Anulus. Cui abstinentiæ consimilem infra legemus duarum mulierum ex Dione Cassio, quæ in terræmotu sepultæ viuæ diu sine cibo & potu, lac tamen pueris exhibentes seruatæ fuerẽ; quamuis alteram illarum Xiphilinus Guilielmi Blā ci versione dicat non solum puerum, verum etiam semetipsam lacte suo sustentasse.

Vrinam non alere. *Cap 14.*

Abstinentiæ à septimo ad decimum diem extensa. Cap. II.

Hippocrates præterea libello suo de Principijs, haud ita bene de Carnibus inscripto, fatetur hominem septem dies in abstinentia viuere posse; quin & aliquos nihil edentes, nihilque bibentes vltra septimam seruari viuos; quos tamen ferè omnes mox necessario morituros existimat, etiamsi alimenta post septimam assumere conentur, quia intestinum omne viscus nutricatui dicatum, præsertimque ventriculus tamdiu ieiunus exsiccatur, concrescitq; adeo, & riget, vt distendi nequaquam possit, ac deuorato alimento locum dare; quod apertè videbimus infra in abstinente Confolentanea. Hieronymus item Mercurialis inter magni nominis Medicos nostro sæculo numeratus asserit posse hominem septem totos dies sine cibo viuere; idque narratum sibi, & olim factitasse, & nunc Græcorum monachos facere, qui sæpe & septem, atque

3. Dier.

pluribus diebus absque vllo cibo viuant, neque fame crucientur, ob id ἄσιτοι appellati. Posthius quoque apud Brasauolam scribit se collegam habuisse in philosophicis studijs Philippum Riminaldum, quem bis per quatuor integros dies, & noctes nihil penitus cibi, vel potus accepisse viderit, bisque per octo dierum spatiũ absque vllo penitus alimento vixisse se asseuerantem audiuerit virum fide dignissimum, tanta quum in abstinentia omnibus vitæ munijs assiduè se functũ fuisse testaretur. *1. de vic. acut. com. 44.*

Eiusdem quoque notæ sunt illa, quæ fabulis immiscuit P. Naso de nonæ diei ieiunio Clytiæ Phœbum perdite depereuntis, quæ *4. metam. 9. Dier.*

. . . . sub Ioue nocte, dieque
Sedit humo nuda, nudis incompta capillis;
Perque nouem luces expers vndæque, cibique,
Rore mero, lachrymisque suis ieiunia pauit;
Nec se mouit humo; tantum spectabat euntis
Ora Dei, vultusque suos flectebat ad illum.

quam certum est neque lachrymis ali potuisse, quæ sunt mera excrementa nutriendo penitus inepta; neq; rore, tum quia minimus vel in hiantem, apertamque Clytiæ bucculam cadere potuisset alimoniæ haudquaquam sufficiens; tum quia mistum est imperfectum extra nutrimentorum aream, quemadmodum infra commodiori loco latius apparebit. At vero procul à fabulis Citesius Medicus insignis in aureo de Abstinente Confolentanea tractatu quamplura esse librorum testimonia scribit de frequenti, & integra P. Alchantaræ monachi Hispaniensis abstinentia, eaque in octo, & plures dies per singulos menses sponte porrecta. Isocratem si minimum Rhetorem ab alijs quatuor, ab alijs nouem dies cibo abstinuisse accepit Plutarchus, meminitque in opusculo de vita decem Rhetorum inscripto. Diram famem, qua die quarto Gaddus interijt Comitis Vgolini filius; quinto, & sexto tres Gaddi fratres obiere; decimo tãdem miserrimus omnium pater in carcere Pisano, a fame propterea infami nomine appellato, necatus est, miro affectu Lectoribus, ut solet, ob oculos ponit Danthes Alighetius. Auicennas autem quendam refert a potu libræ olei violacei, in quo cera, uel adeps dissoluta fuerat, donec in emplastri formam coiuisset, diebus decem comedere non desiderasse. Audio nũc anno a Christo nato MDCXI. Brixiæ Virginem Deo sacram uterinis affectibus obnoxiam sæpenumero ad instar mortuæ totos decem dies iacere sine motu, ac sensu, & ferè sine respiratione, nullum eo temporis tractu alimentorum genus admittentem. Huic obseruationem consimilem refert Beniuenius de quadam moniali Montis Cælij, quæ præfocatione uteri laborans ad decimum diem sola panis bucella uitam traduxit.

Lachrymas non alere. *Rorem nõ alere. Lib. 2. cap. 42.* *10. Dier.* *Infern. cant 33.* *l. 1. f. 3. doct. 5. c. 3.* *De abd. c. 108.*

Abstinentiæ à decimo ad vigesimum diem protensa. Cap. III.

Commemorant præstantes Medici, Ioubertus, & Sylvius, Auenioni suo æuo fuisse hominem sexagenarium, qui raro admodum comederet, ac per maxima interualla, nimirum quinque, sex, decem, & plurium dierum. Plurium legere fas est assiue- *1. decad. 2. parad. consil. ad morsus famem. 11. Dier.*

seuerantem quædam animalia, & pecudes quoque in Aphrica quarto die bibere, homini non ante diem septimam lethalem esse inediam; durasse tamen & vltra vndecimum plerosque. Plato etiam *Erum Pamphilium* scribit *inter eos, qui in acie ceciderant*, metu consternatum *decem diebus veluti mortuum iacuisse, biduoque post quam inde sublatus esset cum cadaueribus rogo impositum*, ui caloris metu excusso, spirituque a corde ad partes exteriores reuocato, quasi ad vitam rediisse, visumque adstantibus *reuixisse, ac mira quædam tempore putatæ mortis visa narrasse*; spectra uidelicet ob metum mortis in somno imaginationi oblata, & altius infixa; vnde mens falsam mortis opinionem hauriens Pamphilio ea postmodū falsa narranti vera proferre se persuadebat; non secus atque dormientibus plerumque mulierculis nocturnæ somniorum imagines adeo alte in phantasiam recipiuntur, vt vigilantes postea illas narrent asseuerando veras fuisse visiones sibi cælitus immissas: illud tamen verum, certumque est, toto eo interstitio duodecim dierum sine cibo, potuque Pamphilium dormiuisse: cuius sane loci explicationem ab Aristotele confirmatam vidimus alicubi afferente in hanc sententiam. *Iam autem facta fuit imaginatio quibusdam, qui animi defectum fortiter passi sunt; hoc igitur aliquam habet dubitationem: si enim contingat dormire eum, qui animo defecit, continget vtique somnium esse, & ipsum phantasma: multa autem sunt, quę dicunt qui vehementer animo defecerunt, & qui visi sunt mortui esse; de quibus omnibus eandem esse rationē existimandum est.* Hæc Aristoteles, quæ ipsum iurarem in explicationem historię Pamphilij protulisse. Quæ sane interpretatio consimili narratio ni optime congruit, quam apud Plutarchum legimus de Thespesio solensi, qui de sublimi cadens metu consternatus tres dies ad instar mortui iacuisse supra obseruatus est. Horatius Augenius in hoc almo Lyceo paucis ab hinc annis primarius, idemque disertissimus Medicinæ professor, in opere suo de sanguinis missione rusticam mulierem se vidisse testatur, quæ optimo habitu prædita, nono mense in vtero habens, ventriculi exulceratione laborans, diebus viginti sine cibo, potuque permanserit; qua sæuiente morbo tandem oppressa, de mortuæ dissecto utero extractum viuum fuisse puerum, qui Augenio cōsultore ad fontem sacri Baptismatis Fortunatus nomine fuit appellatus viuens postea multo tempore.

Margin notes: 2. Dier. 10. de Republ. Vide infr. Lib. 2. cap. 370. — Platonis locus explicatur. — Cur anicu quædoque visiones sentiant. — Arist. explicatio historia Platonica. Lib. de somn. & vig. c. 4. — Dier. — Cap. 1. — L. 4. c. 15. — 10. Dier.

Abstinentiæ ad mensem producta. Cap. IIII.

Matthæus autem Gradius in sua praxi mirabilem refert abstinentiæ historiam scribens vidisse se, curasseque fęminam, quę tribus annis a quouis cibo assumpto statim euomere cogebatur totum ingestum, a vomitu in grauissima corruens symptomata, vnde sola sanguinis missione leuaretur, quam primo semel in hebdomada, deinde bis, deinceps alternis diebus repetere oportebat, semper ad semilibram, per plures mē-ses assidue cibum totum reuomens; immo verò postea omni a cibo abstinens, solo modico vino quotidie semel exhibito decimamseptimam diē transegit; deinde ad vigesimam septimam simpliciter absque omni alimento vixit, tunc semel tantum singulis octo dieb. ducto ex vena sanguine: quam historiam etiam apud Ioan. Schenckium legimus ad verbum ex Gradij Practica transcriptam, huc nobis etiam ex Gradio ad maiorē propositi fidem transferendam: ait ergo Gradius, *Vidi casum mirabilem hic Papiæ in femina quadā, qui adeo mirabilis est casus, vt vix audeam eum narrare, propter quasi incredulitatem communis credulitatis; sed quia ego solus non vidi, immo pars maior Doctorum Collegij Papiæ sæpius vidit, breuius narrabo historiam. Durauit ista mulier tribus annis, etiam adhuc viuit, quæ semper, quum sumebat cibum, etsi delectissimum cuiuscunque ordinis cibi, infra octauam vnius horæ cum maxima anxietate stomachi euomebat cibum cum modica portione humorū aquosorum, & totum; ita quod maior multo erat quantitas eius, quod euomebatur semper, quam quod sumebatur; postea stabat anxiata cum dolore clamoso & æstuoso circa stomachum, ita vt esset expediens eam impetuose mouere, quasi vt furiosa vel phreuetica esset; & aliquoties syncopizabat, iacens vt mortua per mediam horam & vltra, neque aliunde diuersiones factæ iuuabant sufficienter, tandem post quatuor, vel quinque horas ultra alleuabatur, sed ordinata sibi phlebotomia & facta de vncijs sex sanguinis de communi dextri lateris, alleuiabatur quoad hęc accidētia; ita quod quātumque vomitus semper fieret post cibum, vt dictū est; accidentia tamen de distortionibus stomachi & reliqua minuebantur, & quoad intentionem eorū, & quoad tempus durationis, vnde fuit expediens, quod singula hebdomada phlebotomaretur, & non sufficiebat phlebotomia duarum, vel trium vnciarum, ad iuuamentum inducendū; immo expediebat extrahi, vt dictum est, vsque ad sex, vel septem: Postea in tantū inualuit ægritudo, quod fuit expediens iudicio infirmæ & cuiusdam medici consentientis, licet ego non senserim, vt bis in hebdomade phlebotomaretur; & ita continuauit per sex vel octo menses tantam quantitatem sanguinis extrahendo pro vice, et continue cibum euomendo; alias videbatur stare in continuis accidentibus post cibum, de quibus dictum est. Tandem quod amplius mihi narrauit Domina alia præsente infirma, & ita barbitonsor sacro mihi fidem fecit, quod etiā per duos menses continuos phlebotomauit eam tribus diebus in hebdomada, vt alternatim singulis diebus semper extrahendo ad quantitatem sanguinis septem, vel octo vnciarum pro singula vice, & quod amplius est, vixit decem & septem diebus absque omni cibo & potu, præterquam sumendo modicum vini vernacini singula die; postea stetit per futuras decem dies vsq; ad vigesimam septimā simpliciter sine cibo aliquo; verum est, quod nunc vt dixit barbitonsor phlebotomatur de octo dieb. in octo diebus, & tardando procedit: Verū hoc videtur de mirabilib. naturæ, & de extraneationibus, quæ contingunt in natura, de quibus dicit Auerr. septimo Colliget, c. de cura cancri,*

Margin notes: Capit. 5. part. 2. — 3. Obseru. medic. 53 — 27. Dier.

quod ficut in natura fiunt monſtra, ita & in Medicina monſtruoſitates apparent; de quib. multa refert Rabbi Moy. par. 24. ſuorum aphoriſmorũ. Sed mira biliſſimum mihi videtur, quod iſta domina ſemper viſa fuerit eiuſdem bonæ habitudinis, & læta & iucunda, quum tamen nihil de cibo retineret, ſaltem ſenſibile; & timuiſſem dici mendacem, neque hiſtoriam narraſſem, niſi interueniſſet auctoritas, & potentia multorum præſtantiſſimorum doctorum, qui hunc caſum frequentiſſime viderunt. Et ex iuuamento in caſu non poſſum arguere niſi cauſſam vomitus pro parte, & nocumentorum pro maxima parte habuiſſe dependentiam ab euaporatione facta à toto ad os ſtomachi propter commotionem contingentem in maſſa humorali, ex nocumento primum concomitato ſtomacho ex vomitu. Conſimilem narrat abſtinentiam Martinus Stainpeiff libro ſeptimo, cauſſa trigeſima ſexta ſui operis de modo ſtudendi in medicina, quemadmodum no-
3. obſer. medic. 53 tauit etiam Schenckius immediate ſubdens narratæ hiſtoriæ, *Anno ſalutis post Virginis partum M D X I. ego Martinus Stainpeiff artium & Medicinæ Profeſſor, in veritate quaſi conſimilem caſum habui caſui ſupradicto, etiam in quadam honeſtiſſima femina in Vienna ciuitate, tamen poſt multa remedia, nullum ita efficax fuit, ſicut balneum ſulphureum thermarum, quod huic adductum fuit de thermis, in quo ſe dicta femina certis diebus, ad ſeptuaginta horas balneauit, & ſic releuata fuit, & ſi in balneo ſulphureo vero dicta femina ſtetiſſet, credo citius illi profuiſſet.* Ceterum ſimillimam propoſitis, ſed ob temporis diuturnitatem longe admirabiliorem abſtinentiam videbimus
Cap. 7. infra in femina Patauina, cuius hiſtoriam nouiſſime habui ab egregio Medico, qui eam ægrotantem multos menſes tractauit: His menſtruis abſtinentijs nunc eam attexere lubet, cuius meminit Plutarchus ſub Cleombroti perſona in opuſculo de oraculorum defectu aſſerens, *Verum quando in medium propoſita eſt cratera fabularum ſermonibus permiſtarum, neque temere in æquiores auditores incidere liceat, vbi hæ narrationes veluti peregrinum nomiſma examinari poſſint; non grauate vobis barbari hominis narrationem largiar; quem hominem multis ipſe erroribus, indicique mercede ampla perſoluta apud rubrum mare ſemel quotannis hominum congreſſui ſe exhibentem, reliquum tempus (vt ipſe aiebat) cum vagis Nymphis & Genijs degentem, ægre demum inueni, ab eoque comiter ad colloquium ſum admiſſus: Formoſiſſimus iſte hominum, quos ego quidem viderim, erat, & ab omni perpetuum morbo ſecurus viue-*
30. dier. *bat, ſingulis menſibus ſemel fructu herbæ cuiuſdam medicato & amaro veſcens: multis vtebatur linguis, mecum autem Dorice maximam partem loquutus eſt, ſermone non multum à carmine ac cantu differente: loquente autem ipſo ſuauis odor locum obtinebat, ore ipſius ſuauiſſime fragrante: Is quum totum tempus in cognitione ac conſideratione rerum conſumeret, vno die quotannis afflatu ad vaticinandum agebatur, & ad mare ſe conferens futura prædicebat; accedebant autem eo Principes & Regum ſcribæ, eoque audito diſcedebant. Hic ergo diuinationem Genijs acceptam ferebat.* Ex Car- 11. de ſub tilit.
dano habemus iuuenem quendam Scotum, pilo rubeum, habitu bilioſum, Clemente Septimo Pontifice Maximo vndecim diebus in cuſtodia ſine cibo detentum, qui aliquando in eadem abſtinentia vſque ad vigeſimam, & vſque ad trigeſimam diem perſeuerans miraculi præmium ſumpſerit. Feminam pariter, quæ ſine cibo dies quandoque viginti tranſmiſerit, ſæpe vero & triginta, Tract. 3.
in Germania vixiſſe retulit Magnus Albertus libro de animalibus ſeptimo. cap. 3.

Abſtinentiæ à primo ad tertium menſem productæ. Cap. V.

SAcroſanctum Redemptoris Domini Ieiunium in deſerto ad quadrageſimam diẽ productum pio cordis affectu venerandum eſt potius, quam humanis abſtinentijs vlla ratione attexendum. Diuus autem Auguſtinus quum Caſulano reſcriberet, temporibus ſuis quẽdam quadraginta diebus ſine cibo vixiſſe affirmauit. Totidem dies Moyſem ieiunaſſe conſtat e ſacra pagina. Alium quoque Venetijs totos quadraginta dies integro ieiunio abſoluiſſe, atque a plurimis rei huius experimentum factum fuiſſe, teſtimonio Petrarchæ recenſuit Eborenſis. Pythagoram teſtatur ex Dicearcho Diogenes abſque alimento identidem quadrageſimam diem ſuſtinuiſſe. Ludouici Pij Imperatoris cibum quadragenariũ in ægritudine ſolum fuiſſe Domini corpus narrat Aimonius. Genuæ vulgatiſsima eſt abſtinentia Beatæ Catherinæ Adurnæ, quæ ſacro tempore Aduentus, & Quadrageſimę a cibo ſemper abſtinens per interualla cyathum aquæ cum aceto, & ſale trito bibebat incolumis; cui bonæ valetudini fortaſsis eo genere potus haud minus quam ſiti conſulebat, nimirum ad ſedandam ſitis moleſtiam aquæ potum cum táullo aceti faucibus indulgens, & exorientes inde cruditates, flatuſque ſalis vſu diſcutiens, de priſtina ſanitate non decedebat. Magnus Albertus virum melancholicum in Germania Federico Secundo regnante, ſe vidiſſe teſtatur apud Colonienſes, & diligenter obſeruaſſe, qui clauſus arcto in loco, & cuſtoditus, ſaluiſque ſignaculis, ſine cibo per ſeptem hebdomadas quotidie ſemel, aut alternis diebus biberet hauſtum vnum (vt ipſe ait) aquæ limpidæ frigidę, nihil a lud potans: fidemque facit ſe hoc obſeruaſſe, ac diligenter probaſſe ſignacula, quibus abſtinens ille clauſus fuerat; audiſſeque a veridicis eum virum ſæpe quinque, ſæpe quatuor hebdomadas ita ieiunare conſueuiſſe. Nõ ſolum autẽ ex Plutarcho in Sympoſiacis id Ariſtoteli autori adſcribente, verum etiam ex Athænęo in Dipnoſophiſtis cuique ſatis conſtare poteſt Timonis auiam, ſiue amitam, ſiue (vt alij maluere) nutricem quotannis vrſarum more bimeſtre tẽpus in Ciliciæ ſpeluncis abſque vllo alimento ſemianimem delituiſſe, vt ſola reſpiratione viuere, & ægre dignoſceretur. Eloquentiſsimus, idemque doctiſsimus Fernelius in Pathologia *Mulierem* (inquit) *vidi grauidam, cui tuberculo duro, eoque*

Epiſt. 86. 40. dier.

Exo. c. 34

7. de anim. cit. 50. dier.

Lib. 8. c. 9 2. Menſium.

Cap. 147.

Lib. 6. c. 8

que ingenti ita os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attacto ventriculi ore, mox remearet, atque redderetur: sic astantium omnium iudicio nihil cibi, potusue bimestri vel conatu maximo ea vorauit: tandem morbo, desipientia febreque confecta decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit. Sed & Medina in suæ Paræneseos libro secundo affirmat hominem quendam toto trimestri spacio nihil penitus assumpsisse alimoniæ.

Cap. 7. 3. Mens.

Ieiunium populorum Lucomoriæ ad quinque menses quotannis mire productum. Cap. VI.

Franciscus Citesius Medicus eximius in opusculo suo de Abstinente Consolentanea Lucomoriæ populos in Sarmatia testatur quotannis mense Nouembri vi frigoris obrigescere, ac mortuorum instar iacere (quod & ab vterino affectu Brixianæ virgini; & a metu, animique deliquio, & somno Ero Pamphilio; & a frigore hiberno, vel etiam ab vteri præfocatione periodica Timenis auræ contigisse dudum obseruauimus) ac non ante finem mensis Aprilis aeris tepidiore aura ijs calorem in corporis centro tandiu cõplutum foras euocari, & inde membra rursum vigere, atque ad pristinas operationes redire; toto quinque mensium tempore nedum alimento non vti, aut nutriri, sed veluti mortuos iacere, imò vere mortuos ab omnib. vicinis existimari; viuere tamen, quia inchoante hieme ab intenso frigore ijs tum calor per vniuersum corporis habitum diffusus ad intima viscera propellitur; fixo interim cuiq; parti, primigenioque calore ab assueta continentis aeris inclementia parum, aut nihil passo; quod satis est ad vitæ custodiam: tum e cerebro per nares expressa pituita sensim cogitur, & gelu indurata narium meatus patentes obstruit inimico frigori, alioquin ad cerebrum non sine vltima vitæ ruina illapsuro: tum corrugata cuti omnes alij minores pori corporis gelido aeri clauduntur, alioquin cõcentratum calorem extincturo; quod infortunium ijs in ea gente accidit, qui pellium amictu, alijsque ingenijs à se frigiditatis sobolem torporem illum arcere studuerint; nam statim qua data porta per nares in cerebrum, & cor gelidus aer irrumpens calorem vitæ necessarium penitus extinguit, ac veram ijs mortem affert, qui vmbratilem illam effugere tentarunt: Postea vero tepescente aere circa finem Aprilis cutis meatus omnes Lucomoris iacentibus aperiuntur, dissoluiturque pituitea glacies, & pedetentim redditur membris omnibus calor à corde influens, & cum calore spiritus, ac vigor adeo ut qui ad instar mortuorum iacebant omnes denuo reuiuiscere videantur, qui toto quinque mensium interuallo torpentes nihil penitus alimenti assumunt Lucomori. Sed admirabilem hanc narrationem a Citesio citatis verbis audiamus, quo dictis maior fides adhibeatur; ait ergo Vir egregius ad calcem sui libelli *Id omni exceptione maius est, Henrico etiam tertio in Polonia agenti a Principibus fide dignissimis testatum. Aderant quamplurimi Galliæ proceres, senatores, &c. Aderant & aulæ Medici, inter quos D. Ioan. Piduxius primicerius noster & Decanus, non artis medicæ solum, sed totius etiam naturalis historiæ scientia clarissimus, Illustriss. Principis Ludou. Gonzagæ Niuernensis Ducis valetudines tunc regere solitus, sed & ipsi Regi consilij copiam præbere, a quo id primum didicimus. Relatum est ab Alex. Guagnino Veronensi pedituum in arce Vitebska finitima Moschouiæ præfecto, in sua Moschouiæ descriptione. Quosdam igitur populos refert, Lucomoriam Vlterioris Sarmatiæ regionem incolentes, quotannis 27. mensis Nouembris die, velut hirundines & ranas, præ intenso brumali frigore mori (siue potius obrigescere) Postea redeunte vere 24. Aprilis die, eos denuo reuiuiscere. Ipsos autem hoc modo commercia cum Grustintzijs & Sperponomotzus populis sibi vicinis habere: Quum iam futuram mortem sibi imminere sentiunt, tunc merces suas certis in locis deponunt, quas Grustintzi, & Sperponomotzi, suis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiscentes, illas merces, si æqua commutatione sibi placuerint, pro suis accipiunt; sin minus iustæ fuerint, a Grustintzijs et Sperponomotzus suas repetunt, vnde lites & bella hac de caussa inter eos sæpissime oriri dicuntur. Ceterũ per soporem illum non extinguitur innatus horum corporum (alioqui huic aeri assuetorum, geluque, vt loquitur Alb. Crantzius, recoctorũ) calor; quia is, omnibus poris, meatibus, ductibusq; frigore communientibus & obseratis, circa viscera colligitur, atque hac veluti antiperistasi, seipso, in proximum ver, auctior & vegetior efficitur. Periclitaretur inter omnes corporis partes maxime cerebrum, multis usque amplis foraminibus, narium præsertim patens, nisi dum rigere incipiunt, tenuis illis & aquea pituita e naribus stillaret, quæ (ex relatu eiusdem D. Piduxij) profluens non minus congelatur, quam sputum ipsum, quod Sigismundus ab Herbestein frigore concrescere testatur, antequam terram attingat: Sic noua subinde descendente, subinde concrescente ad terram vsque eodem plane modo ea pituita producitur, quo apud nos per ipsam hiemem pendula e protectis stillicidia; vnde naribus obturatis cerebrum aeris inclementiæ minus peruium & penetrabile est: Nam si quis aduersus hanc aeris iniuriam tum pellium amictu, tum curruum mole instructior, stiriam istam vi diuellere tentet, statim irrumpente, qua data porta, in cerebrum aere frigidiore, natiuus eius calor extinguitur, iacentesque æternum pereunt Lucomori: sin tempestatis serenioris leni aura detur frui, fusa illa pituita, sensim calor redit ossibus, redit suis membris vigor & sensus, idemque, qui prius inerat, functionum omnium ordo.* Huius autem adeo longi, admirabilisque tum torporis, tum etiam ieiunij nil mirum sit nullam nos præter hanc a scriptoribus habere memoriam; quippe nec ante Alexan. Guagninum vllus accuratam nobis prodidit Moschouiæ, Lucomoriæve descriptionem; nec post illum nouissime scribentem recentior ullus aut de proposito scripsit, aut nobis sua scripta transmisit. Sed & consimilem historiam ex Damasceno habebimus infra suo loco.

Hist. Moschou.

Cap. 14.

Cap. 2. Cap. 3. Cap. 4.

5. Mens.

Absti-

Abstinentia octimestris in muliere Patauina. Cap. VII.

DVm huic meditationi operam impẽderem e Pisano Lyceo in Patauinum ad Physiologiam profitendam traductus inuulgatum audio apud omnes almi huius Peripati Doctores mulieris cuiusdam indigenæ octimestre ieiuniũ, quæ varijs conflictata morbis sæpenumero nutrimenta omnia renuens ad plures dies, iterumque ad alimentorum vsum rediens, tandem omnium magna cum admiratione octo integros menses ieiuna vixerit ab omni penitus alimento abstinens; quæ inde nono mense ad consuetum alimẽtorum vsum reuersa, pristinæque sanitati restituta in multos annos vixerit incolumis: Qua de re amplissimum mihi testimonium fecere Medici, qui ei curandæ interfuere; quique tam longæ abstinentiæ non solum historiam, sed etiam disquisitionem scriptis dudum se commendasse mihi retulere. O vtinam hæc monumenta, vnde fortasse in obscurissimo argumento aliquid lucis ad rei veritatem internoscendam habere potuissemus; aut vnam saltem huius historiam ieiunij, quam cum alijs hic describeremus exacte, nobis videre contigisset. Verum enim vero quando minutum rei factum habere non licuit, summam, compendiumq; veritatis publica vallatum fama, testimonioq; fere omnium Patauinæ Scholę Doctorum hic lubentes apponimus, quod æqui bonique faciant studiosi. Hæc dum prælo subdere iam aggrederemur, ab Alexandro Vigontia Medico clarissimo totius historiæ seriem habuimus, e cuius exactissima enarratione manuscripta cõpendium facti excipere, ac dictis ita libuit attexere. Virgo ætatis annum agens decimum octauũ, colore optimo, habitu corporis laudabili, nõ obesa, sed bene carnosa, viuida tamẽ, & agilis ob matris recentem obitum ingenti mærore vexata a Nat. Domini anno MDXCVIII. sub occasum caniculæ incidit in febrem biliosam potius quam pituitosam; quæ dudum non ita vehemens ineunte mense octobris exacerbata fuit, oborto in sinistro brachio tumore, qui remedijs cedens dolorem in parte reliquit per vices ad articulos defluentem; cui sinistri hipochondrij grauis obstructio, & oris ventriculi durities adiungitur comes: Nullis præsidijs cedens malum sinistro brachio motum adimit, & quatuor menses integros miseram torquet, intacto coloris decore, habitusque corporei nitore: initio decembris ab ore ventriculi vniuerso abdomini iam communicata duritie exoritur alimentorum omnium tam solidæ, quam liquidæ substantiæ vomitus adeo pertinax, vt nullum non superarit præsidiorum genus; in quo sensim diminuebatur retentionis tempus, nã eo deuentum est vt prope finem mensis illico ab ingestione totum alimentum reijceretur antequam ad ventriculi fundum perueniret. Cœpit exinde uirgo cuncta prorsus auersari nutrimenta, immo & ad simplicem eduliorum imaginationẽ nauseabunda stomacho subuerti. Medicamenta nihilominus (mirum dictu) facile ingerebat, retinebat, tempestiue aluo reddebat: oua vicissim, carnes, & alia quæuis edulia si ui deglutire niteretur, æsophagum hæc uix ingressa tanto impetu repellebantur, ut qua data porta per nares etiam turpiter erumperent. Ægra proinde iam tædio affecta non raro per unam, & alteram diem à cibo & potu penitus abstinuit, quamuis ardenti siti cruciaretur Tantali uitam agens infelicem. *Quanquam vero* subdit citatis uerbis uir egregius *fabulosum videatur vitam seruari posse dum nihil alimenti ad ventriculum descendit, experientia tamen contrarium demonstrauit: quod autem ne minimum quidem nutrimenti per æsophagum in stomachum descenderet, id euidentissime fidem facit, quoniã per hæc tempora omnes desiderata sunt excretiones naturales; aluus nihil in posterum reddidit; per vesicam lotium non emanauit amplius; impositi clysteres absque vlla fæcali materia egrediebantur; in infima abdominis parte, vbi serosi excrementi adest receptaculum, nullum pondus, nulla obseruata fuit grauitas, nullus ad tactum tumor: transit vnus, transit alter lunaris circuitus, semper sumus ad idem; virgo sine cibo non tantũ vita fruitur, sed ad aspectum ipsam diceres omnino sanam; seruatur adhuc viuidus color, vt antea, neque vlla ferme superuenit macies, tametsi præter vomitum, omnes alia relatæ præternaturam affectiones illam male torqueant,* febris, anxietas, difficultas respirandi, cardialgia. Ab assumpto puluere uomitus, & alui deiectio heterogenei, & ignoti cuiusdam humoris primum subsequitur: deinde uero uomitus oblongi uermis uiuentis: inde per tres mẽses integros quotidie, aut altero quoque die magna uis sanguinis, nempe ad libræ pondus, aluo reddebatur sine dolore: sanguis floridus primum erumpebat, mox aquosus, & nigricãs quibusdam ueluti carnis frustulis ad nucis magnitudinẽ accedentibus refertus: qui demum, exficcata iam aluo, uomitu eijciebatur; interim patiens uigente bruma paralysi brachij soluta uisionem amittit maxima ex parte: Ab hinc delirium, seu desipientiam induit, amens ac cæca totum octimestre abstinet sæpissime catalepsi tentata; quin & secta uena in animi deliquium incidens maximũ Medico negotium facessit nescienti quomodo uires collapsas instauraret. *Dum hæc fiunt,* subnectit uir eruditus ad uerbum, *quod spacio octo mensium nunquam successerat, cibum capit, neque vomitu tentatur, pari successu semel, atque iterum nutritur, neque imposterum ventriculi expultrix amplius fuit irritata; infra biduum reddidit vrinam in sufficienti quantitate, aluus adhuc immota perseuerat, tertia die fæces sponte egrediuntur, altera hebdomada resipuit; ad meliorem statum redigitur, febris tamen semper adest. At primis Augusti diebus circa festum Sancti Laurentij misera denuo uomitu tentatur, qui eodem prorsus modo inuasit hac secunda vice, ac fecerat prima; per nonnullos siquidem dies cibus in ventriculo aliquam habet quietem, retentionis tempus in dies imminuitur, vsquequo ad id ventum sit, vt alimentum nec etiam totũ æsophagum peruadat, crassioris liquidiorisve extiterit*

uerit substantia; in posterum nulla redduntur excrementa, vrina supprimitur; elabitur mensis; ecce sanguis uno eodemque tempore per vomitum, & per secessum erumpit in multa quantitate, primo simplex, deinde impurus, mox loco sanguinis ore reijcitur humor ater graueolens, posterius aquosum quid tenue multis frustulis pinguedinis refertissimum, & per interualla carunculis glandulosis; tandem multo iam tempore translacto vomebatur quotidie aqua tenuis, clara, pinguedine affluens; aluo reddebatur aqua obscuri coloris, odoris expers, non sine frustulis pinguedinis. *Accessere plures viri eruditissimi, & quotquot fere in vrbe aderant Medicinæ studiosi ad hæc inspicienda; cuncti stupore pleni abiere. Per tot rerum discrimina virgo adhuc est satis boni habitus, viuidus faciei color ex parte euanuit, vere tamen emaciata vocari non potest; quotidie surgit, per totam discurrit domum frequentissime congelatione tentatur. Quarta octobris die illi secta fuit vena in talo, vigesima eiusdem mensis ægram corripit desipientia; & quod successit in priori mentis alienatione, euenit idem in hac secunda, oblatum cibum assumit, & ventriculus amplectitur, apparet vrina, & alui excrementum.* Ita ergo puella semel octo menses integros sine cibo potuque vixit, deinde alimentorum vsum repetens post plures die iterum bimestrem fere duxit abstinentiam.

Abstinentia puellæ Tuscæ ad sextum decimum mensem protracta. Cap. VIII.

SEd & dum Pisis publice Philosophiam colerem, longe admirabiliorem abstinentiã obseruare potui; Puella fuit nomine Maria in Etruriæ ora occidentali, siue in agro Lunensi rusticis e parentibus orta, cuius vulgatum ieiunium anno Domini M DCIII. Serenīs. Christina Magnadux incomparabilis prudentiæ Princeps in primis est admirata, deinde tam arcani operis caussas nobili, haud minus quam ardenti desiderio dignoscere cupiens, eam a parentibus acceptam, seu potius vna cum matre ipsi ægrotæ abstinenti deseruitura Pisis translatam Medicis, Philosophis, atque Theologis in Academia tunc ex ordine profitentibus considerandam, & contrectandam tradidit, sub solertissimi viri custodia, illorum iudicium de admirabili hoc ieiunio postulans: Puellam animaduertimus omnes nondum vlli viro nuptam, ætatis annum decimum quartum agentem, iugiter contabescentem, cuius omnes virtutes prostratæ misere languebant, crura contracta, veluti cõuulsa retinentem, somnolentam, & taciturnam; audiuimusque a matre illam ruri degentem cæpisse post magnum quendam metum omne genus alimenti fastidire, ac solo simplicis aquæ potu iam quindecim fere menses absque vllo cibo vitam duxisse, omnium præter quam lotij, excrementorum expertem: His ita intellectis, variæ fuere sapientissimorum Virorum de tam diuturnæ abstinentiæ caussa opiniones, nemine alteri consentiente. Ceterum ipsa post ieiunium decimi sexti mensis appetere, atque alimenta clandestine assumere cœpit custodes metuens; qua de re infra commodiori loco: sed ex alimentorum vsu salubriorem constitutionem corporis adeo est adepta, vt intermissa tandiu vitæ, ac domesticæ, rusticæque rei opera obire potuerit, & parentibus, patrioque ruri restituta plures annos comedens, ac bibens vixerit incolumis. Lib. 2. capit. 169.

Abstinentiæ ad duos annos producta. Cap. IX.

COelius Rhodiginus in libris lectionũ antiquarũ scribit Memorabile esse quod in recentiore obseruatu historia est, fuisse quendam, qui biennium continuum nihil prorsum vel comederit, vel biberit. Apud Conciliatorem Apponensis quoque in Stendal Saxoniæ Monialis quædam integrum consimiliter biennium vixit absque cibo. Pogius item Florentinus inter elegantes suas facetias hoc serium ponit, quendam sibi innotuisse, qui per biennium vixerit a cibo abstinens, anno Pontificatus Nicolai Papæ Quinti; fuit enim Eugenio Quarto Pontifice Gallus quidam nomine Iacobus, qui in aula Romana Amanuensis erat; is graui affectus valetudine quum in patriam rediisset, Hierosolymitanam peregrinationem vouit; inde itaque Romam Nicolao Quinto Pontifice reuersus, magna eorum admiratione, qui rem inspexerunt, dum obseruaretur, nec bibere, nec edere vnquam inuentus est; iureque iurando affirmauit se iam biennium ita vixisse. At de puella duodecenni, quæ iam biennium perstat sine cibo, & potu viuens ad Confluentem Vigennæ anno salutis Millesimo sexcentesimo primo relatione Citesij elegantissimum hoc habemus D. N. Rapini Irenarchi testimonium,

Lib. 13. cap. 24.

differ. 112

Quam varia exercent hominum miracula mentes,
Quorum consistui non ratio vlla potest!
Ecce valens, & a ultra duos iam Virgo per annos.
Vitam agitat nullo freta, vel vsa cibo.
Obseruata Magistratu, & vicinia ab omni,
Qua fluit exiguo iuncta Vigenna Goro.
Iam ieiuna famem tolerat sine fraude biennem,
Et tam præclusis faucibus arcta gula est.
Mireris nullum suspenso a pectore ventrem;
Mireris nullas inde, vel inde vices.
Et nihil excernit, stricta vt nil excipit aluo,
Vtraque ab vtraque parte pudenda latent.
Illa tamen sentit, loquitur, videt, ambulat, audit;
Quod nos intentis vidimus ipsi oculis.
Aut magico fallax in corpore spiritus errat;
Aut pasta exili lampade flamma subest;
Aut docet ostento, natura potentior, isto,
Maiorem humanis legibus esse Deum.

Abstinentia ad tres annos protensa. Cap. X.

CEterum quum hæc eadem puella tertium ad annum abstinentiam produxerit, egregiũ Medicum Franciscum Citesium ad huius admirabilis euentus meditationem inuitauit, edito libello ab eius nomine Abstinens Consolentanea cogno-

cognominato, in quo vniuersam historiæ feriem *Clarissimo Viro M. Vidard in Præsidiali Pictonum curia cognitori Regio* luculenter describens, *Puellam* (inquit) *trienali iam inedia celebrem, quam in tuo Comitatu videre mihi licuit, Vir Clarissime, hic exhibeo, non arte, aut dæmonis astu, vel impulsu (ne quisquam lamiam incuset, aut strigem) sed natura progredientem: certe is ego non sum, qui Naturæ legibus, quæ supra naturam sunt, censere velim: sed neque naturali ratione constantia illico ad* θεῖον τι, *tutissimum inscitiæ asylum, referre possum: Non enim his carceribus premenda puto hominum ingenia, vt ad singulos Lunæ defectus, vt illi sub Perseo Macedones, inhorrescant: sed sapientiæ arcem adeundam interdum illis cum Diuino Vate iudico per ancillas, id est naturales disciplinas, quæ summi Opificis Maiestatem, & miram prouidentiam apertius testantur, quam attonitus quiuis ignauorum hominum stupor. Quod igitur veteres fecisse video, vt summa ope niterentur, ne quid profuturum sæculis diu lateret, historiam recentem adhuc, & præsentem, quæ tot rerum per vnam gulam quotidie transenatium luxuriam, terræ, marisque vastatricem, palam damnat, in lucem sub tuo patrocinio emitto, vir integerrime, vt qui eius es testis oculatus, rem memoria dignam occultam esse non patiaris: sed vt inter iudicem, caussidicumque medius, veras litium caussas, facundo ore, fecundoque pectore, ipse omnis affectus expers, quotidie depromis, & ipsissimam veritatem nudam, & sine vllo verborum lenocinio coram exhibes; sic tu mihi erga æquiorem lectorem proxeneta hanc ei historiam (siquidem supra vulgum sapere videatur) palam fieri, & apertam esse tua insuper autoritate iubeas. Vale. Pictauis. Calend. Februar. M D C I I.* Post hæc autem in opusculi narratione historiam accurate promulgans idem Citesius *In ora Pictonica* (inquit) *à tribus ferme annis exemplum est in omnium oculis puella Confolentanea, quæ ab eo tempore vitam etiamnum sine alimento trahere pergit; puella est nata quatuordecim annos, aut circiter, Ioanna Balam nomine, patre Ioanne Balam fabro ferrario, matre Laurentia Chambella, statura pro ætate iusta, moribus subrusticis, Confolento Vrbe in Lemouicum, & Pictonum confinio ad Vigennam orienda, quæ quum vndecimo ætatis suæ anno febre continua circa decimum tertium Calendas Martij Anni Millesimi quingentesimi nonagesimi noni esset correpta, tum grauissimis alijs symptomatis, tum assiduo in primis vomitu per viginti dies conflictata est: febre quoquomodo remittente, obmutuit, & totos viginti quatuor dies sine voce deinceps hæsit: reddita postea voce, quamquam delirij plena, omnium infra caput partium motus, & sensus torpere, & hebescere cœpit, adeo vt ipse quoque œsophagus (cibi, potusque in ventriculum via) resolutus vim suam cathelcticam amiserit, neque hactenus persuaderi puella potuerit vt cibum sumere vellet, ne quidem pellecta familiaribus huic ætati condimentorum, & fructuum fugacium illecebris: restitutus tamen, & confirmatus est artuũ motus post sex fere menses, præter quã altera coxendice, à qua adhuc subdifficilis est incessus: sola deglutiendi impotentia remansit; vnde & summum omnium esculentorum, & potulentorum odium puella concepit: interim ei, res mira, vniuersum abdomen sensim emarcescere, & tabescere adeo visum est, vt ab imis costis ad pubem vsque nihil pristini aqualiculi superfuerit; sola ibi nunc à sterno pendula mucronata cartilago, non aliter quã suggrunda, quæ extra perpendiculum stillicidia ejicit, supra antiquam ventris regionem extat, à qua & notharum costarum appendicibus superna cutis non mediocrem tensionis, & diuulsionis sensum patitur, ex ipso etiam puella conquestu; inde omnes musculos, intestina, viscera, & reliquas ventris partes atrophia consumptas, & contractas patet, vt detractas putes: saltem sola illarum fibra, & stamina restant; carnosa omnis, quæ spacia illarum infarcit, substantia perijt: cetera corporis partes multo minus exhaustæ apparent; nam & pectus amplum, & vbera turgidula, brachia, & crura modice torosa, facies rotundula, sed fusca, labia rubella, lingua quidem contractior, expeditus tamen sermo, caput pilis longissimis contectum; crescunt enim illi & pili, & vngues, immo totum ipsum corpus: nulla sui parte excrementa procedunt, non aluo fæces, non vesica lotium, non vtero menstruum; non est sua sorde caput obsitum, quod vt in externa cuti, sic in ipsis sensuum organis suam integritatẽ testatur; neque (præter tenuem sputationem, & nonnullas lachrymas) vllum aut auribus cerumen, aut naribus mucus, aut habitu sudor erumpit: quinimmo vniuersa fere corporis cutis frigida, & sicca tangentibus apparet, vixque vllo motu incalescit (si alas, & cordi vicinas partes exceperis) etiamsi in rem familiarem operam omnem conferat, obsonium e foro petat, pauimenti sordes euerrat, colum trahat, fusum rotet, stamina pollice ducat, atque in alijs huiusmodi ministerijs tota sit, nec vlla sensus, aut motus partes desint.* Sed tabes illa imi ventris mira viro doctissimo, dudum etiam ab acutissimo Columbo notata fuit in Cardinali Campegio, cui ad hipochondria redacta erant omnia intestina; & propterea cauitas inferior abdominis intestinis destituta, & spina detecta erat; quamobrem Medico epigastrium Cardinalis attrectanti magnæ arteriæ motum, & simul dura vertebrarum corpora persentire licebat. Ceterum ad abstinentem Confolentaneam reuertentes apud Citesium de illa & aliud Antonij Fayi testimonium legimus his versiculis,

Absque cibo viuis, potuque, Balama, palamque
Haud hominem solo viuere pane probas.
Hinc volitas hominum fama victura per ora,
Fama, quæ vita sit mage longa breui.
Numinis illud habes vix cuiquam munere noto;
Hoc Citesi donat musa diserta tibi;
Absque cibo qui te viuam dum tradit, egentem
Consequitur vitam nullius ipse cibi.

Amplius autem memoriæ proditum reperit Langius in annalibus, *Paschali summo Pontifice, ac Lothario Imperatore, puellam duodecim annos natam, post assumptum sacrosanctum Domini corpus, primum decem menses panem abhorruisse; deinde integro triennio ab omni cibo, & potu abstinuisse:* Sed & in Gallorum chronicis ab Vrspergensi Abbate aliud huic simile habemus exemplum, nẽpe

Prou. 16.

Historia iterum Citesij Confolentaneæ.

Anat. lib. 16.

salutis anno Millesimo tercentesimo vigesimo secundo in agro Tullensi puellam fuisse duodecimum annum haud superantem, quæ triennium post assumptam sacratissimam Hostiam vixit nullo alio vel potu, vel cibo ingesto, & post id tempus ad consuetam viuendi normam rediisse. Gu- pisc. lielmus autem Rondeletius nouum adiecit exemplum triennalis abstinētiæ dum *Puellam* (inquit) *annos tres in Gallia Narbonensi omnes audiuimus, vidimus multi nullo præter aerem cibo, potuque vitam salubriter traduxisse.*

Historia puellæ Spirensis quadriennium abstinentis. Cap. XI.

SImon autem Portius Philosophus egregius in opusculo de puella Germanica Paulo Tertio Pontifici Maximo dicato, a Ioann. Baptista Gellio etrusca lingua inuulgato huiusmodi historiam admirabilis abstinentię promulgauit; *Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimoprimo, vel circiter, Germaniæ ad Rhenum prope vrbē Spiræ, Nemetis, & Neomegi nomine olim nuncupata, in quodam pago, cui nomen Rodt, orta est* (inquit) *ex matre nomine Barbara, & Petro agricola eius viro puella Margarita nuncupata; quæ ab ortu statim exiguo lacte vesci cœpit, longeque minus haurire lactis quam eius ætatis infantes vulgo consueuerint; eaque parsimonia semper vsa est toto eo tempore, quo lacte fuit enutrita: immo vero interim etiam non raro duos, tresque dies integros ieiuna transigebat: ablactata postea exili adeo cibo, & potu nutriebatur, vt omnes de tanta frugalitate summopere mirarentur, existimantes fieri non posse vt victu adeo parco viueret; sæpenumero enim ternos, quaternosue dies abstinere ab omnibus alimentis visa est; ac post ieiunium huiusmodi parcissime cibari: nihilominus eo tempore crescebat ad ætatis congruentiam, quamuis esset aliquantulum gracilis, & pallidiuscula; ceterum sana, benigna, perhumana, & hilaris; talisque vita eius ad septimum annum perducta est: qua ætate in febrem lapsa a morbo conualuit nullis alus præsidijs, quam abstinentia ab omni cibo, potuque: sanitati restituta multo magis abstinere comperta est quam ante morbum, talique victu ad annum ætatis decimum peruenit semper interim crescens ad normam ætatis: eo etiam tempore alio morbo denuo corripitur, à quo itidem sola inedia euasit nihil omnino ingerens tota ægritudine, postea conualescens de pristini alimenti mensura multum detraxit, potumque omnino intermisit, inquiens se non sitire; atque ita sine potu, paucissimo cibo contenta sex menses traduxit: ab hinc cœpit omninò quoque cibum interponere, nihil penitus alimenti assumens. Qua de re increbescente fama, tanquam de portento supra naturæ leges admirabili, cœperunt ad puellam visendam pergere vndique hominum multi, speciatimque plurimi Germaniæ Principes: immo & Ferdinandus Romanorum Rex Caroli Quinti Imperatoris frater quum Spiræ degeret, cupiens abstinentem videre, ipsam accersiri iussit, quæ vltro sibi à genitoribus adducta est, quam Rex intuens gratiosam aspectu, & periucundam sermone, de simulatione ieiunij dubitans, dimissis puellæ parentibus ruri ad proprios lares, insigni viro Gherardo Bocoldeano Medico* Equi hac de re historiā inuulgasse dicitur epistola escusa Moguntiæ anno MDXL. quā diu frustra desideraui, *illam custodiendam tradidit, omnem rei veritatem sic detecturus: duxit ipsam Medicus ad vxorem suam; cui, & duabus gnatis, omnibusque domesticis edixit abstinentem obseruarent diligentissime, nunquam diu, noctuve solam relinquerent, vt certo comperiri posset verène abstineret, an mūdum falleret: constitit eam quadraginta diebus nihil omnino aut cibi, aut potus ingessisse: interim vero Medico eam sæpius ad comedendum inuitanti respondit se non indigere alimentis: quin & ad mensam introducta, & varia eduliorum genera olfacere coacta, iisque comedendis persuadenti dicebat se odorem quidem percipere, sed cibis non indigere; multumque stimulata esus fatebatur se tunc nutrimenti nullius indigam, sperare tamen tempus venturum, quo vesceretur: demumque à Medico stillam aquæ, aut vini coacta in stomachum dare, mox liquorem haustum euomebat cum aliquantulo phlegmatis ob magnam visceris alterationem ab insuetis ingestis de ventriculi tunica extensa: illis autem quadraginta diebus abstinens omnibus carere superfluitatibus comperta est, præter quàm aliquando plorans lachrymulas exiles, & raras emittebat; rogata causam fletus, cupere se ad parentes regredi respondebat, quippe domi suæ cum virginibus socijs maxime recreabatur; quum apud Medicum in custodia clausa valde pateretur, namque propinquorum relatu libera perspiratione aeris adeo delectabatur, vt sæpenumero sub dio dormire vellet: certus itaq; testimonio Medici sui Rex Ferdinandus in huiusmodi abstinentia nihil subesse fraudis, puellam vere sine cibo, potuque degentem parentibus muneratam restituit; quæ non multo post domi suæ appetitum recuperans, cœpit, etsi parce, iterum comedere ac bibere; atque ita vixit, viuitque ad vsquè tempora nostra comedens, & bibens.* Ioannes Langius quoque In epist. medic. Medicus illustris eandem historiam texuit; quam ad maiorem propositi fidem breuibus afferre placuit: *A partu Deiparæ Virginis* (inquit) *anno supra mille quingentos quadragesimosecundo, dum Ferdinandus Romanorum Rex, vna cum sacri Romani Imperij proceribus ad comitia à Carolo Imperatore Spiræ indicta aduenisset, tum fama de triennali puellæ inedia, quæ in pago, cui nomen Rodt, à Spira imperiali ciuitate in littore Rheni sita duo miliaria Spirensis Diœcesis distante nata, passim increbuerat; quæ dum primum capitis dolore, ventrisque torminibus affligeretur, nec quicquā anilia muliercularum medicamenta conferrent, cœpit plus cibum quam potum fastidire, doloreque neruorum in brachijs, & cruribus robur relaxari; quod edocta ab anu quadam radicum & herbarum decocti fomentatione fertur recuperasse, sed vna cibi potusque desiderium omne amisisse, adeo vt quamuis ab incredulis varijs obsoniorum illecebris, & bellarijs, quibus vita puerilis oblectatur, attentaretur; frustra quidem, nec parentum precibus adigi potuerit, vt quicquam esculenti, aut potus vel primis labijs saltem degustaret: quam inediam quum vltra bienniū*

susti-

sustinuisset, nihil excrementorum, nec per aluum aut per vesicam excreuit; ad nomen tamen matris, & suorum desiderio absens illachrymabat; pituitæ mucos per nares abunde emungebat, nec suæ auribus sordes deerant: Rex itaque eiusque à Consilijs proceres tam diuturni omnis alimoniæ fastidij admiratione commoti, veriti quoque ne quid fraudis subesset, ut olim in Augusta Vindelicorum Vrbe, & nuper in Angliaanus, prætextu religionis, solertis etiam ingenij viros deceperat; Rex inquam Ferdinandus puellulam, nullius fraudis consciam, Spiram accersitam, nouis indutam vestibus, Medico suo, & alteri cuidam suorum à cubiculis, Viris spectatæ fidei nocturno, diurnoque tempore in eorum ædibus obseruandam dedit: verum quum nihil fraudis in ea deprehenderetur, cuncta quoque dictis corresponderent, Rex pro sua genuina clementia, & liberalitate, puellæ misertus, eam virgineo mundo decoratam parentibus reddidit: Quam vidimus & nos duodecim annos natam, iusto corporis pro ætate habitu, coma flauescente, fuscam, oculis cæsijs, facie non illiberali; quod ad animi affectus attinet, taciturnam, benignam, & mitis ingenij puellam, parentibus morigeram; ob exhaustas ieiunio vires desidem, & somnolentam; venter compressior, nec quicquam circa præcordia vitij quod tactu deprehendi posset, protuberabat; attamen corpus pustulis de phlegmate scatebat.

Abstinentiæ à quarto ad duodecimum annum deductæ. Cap. XII.

7. annor. SEd Innocentio Pontifice Octauo eius nominis Perusiæ Palumba Interranensis annos viginti nata fuisse traditur, quæ sumpto adorando Redemptoris Domini corpore nullius alterius alimenti munere septem annos vixit: id quod summus ille Pontifex, re quæsita diligenter, inspexit. Immo vero & Leuinus Hulsius pulcherrimam de proposito retulit historiam, *Quis (inquit) crederet per rerum naturam fieri posse, vt homo totum septennium sine cibo, & potu viueret; atqui experientia docuit anno Millesimo quingentesimo octoagesimoquarto in pago quodam Schmidvveiller dicto prope lautram Cæsaris vixisse virginem quandã nomine Catherinam circiter viginti septem annos natam, filiam Cõradi Binders, & Catherinæ Vvaldmeriæ vxoris eius, quæ integro, & continuo septennio ne tantillum cibi, aut potus per gulam immittere potuit; nec quicquam excrementorum, aut sudoris emisit, & nihilominus rosea, viuida, bene constituta, formosaque facie fuit, viuidis, & vigentibus oculis, vt qui recta valetudine sunt præditi; vocem quoque placidam, sonoramque satis emisit, & articulate, vt ab omnibus intelligi posset, loquuta est; prout Illustrissimi Principis, ac D.D. Ioannis Casimiri Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Boioariæ Legati ad eam rem explorandam missi Celsitudini suæ domum reuersi retulerunt.* Eandem historiam paucis complexus est Schenckius asserens. *In Palatinatu, pago qui Schmitvveiler appellatur, puellam quandam Victoris filiam, nomine Catherinam, septem annos sine cibo, & potu exegisse, cuius exa-*

Lib. 3. obser. med. c.

men, & vniuersa historia, Magistratus decreto Anno Millesimo quingentesimo quinquagesimosexto germanice scripto ad plenum Heydelbergæ publicato, extat. Hanc eandem iuuenem Citesius monuit ad vsque decimum annum sua etiam tempestate perseuerare sine cibo, potu, somno, & excrementis. 10. ann. *Celeberrima omnium est (inquit) historia Catharinæ cuiusdam in Colbergensi solo sine vllo cibo, & potu integrum septennium traduxisse comperta: Ea iussu Illustr. Ioan. Casimiri Comitis Palatini, ab Henrico Smetio (nunc professore Heidelbergensi) & Ioan. Iac. Theod. Medicis 24. Nouemb. 1584. diligenter obseruata, adhibitis etiam postea quatuor matronis, quæ ab eius latere ne quidem noctu discederent, facile ita se habere rem vnicuique persuasit: Post triennium historia hæc Gallice translata est, Francofurti apud Ioan. Vnechelum excusa anno 1587. & in appendice monitus lector puellam adhuc in hac abstinentia perseuerare sine cibo, potu, somno, excrementis.* 12 ann. Pogius autem se legisse ait de puella, quæ vixit à cibo abstinens per duodecim annos, tempore Lotharij Imperatoris, Anno Domini tercentesimo vigesimosecundo supra millesimum.

Abstinentiæ vltra duodecim annos longissime productæ varia exempla. Cap. XIII.

APud Eborensem *Nicolaus Heluetius Vndeluardensis, post susceptos ex coniuge quinque liberos, quum haud longe ab oppido solitariam vitam ageret, peracto decimoquinto anno sine vllo* 15. ann. *cibo, potuq; decessit; veraque inuenta fuerunt, quæ prædicebat futura; vitaque prorsus austera fidem faciebat nihil ab eo de cibi, & potus abstinentia fingi; & tamen Constantiensis Episcopus, in cuius Diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum locum, vbi Nicolaus erat, diligenter perquisiuit, inuentaq. palã litteris mandauit; qui vt ea de re certior fieret, sub Obedientiæ imperio recusantem parum cibi sumere coegit; ob quam rem triduum grauiter dolore stomachi laborauit; id quod ipse vereri se ante monuerat: Nec vero Episcopo illi tantum, verum multis quoque Principibus Germanicis, Gallis, atque Italis, qui eo profecti sunt, res hæc explorata fuit: Nos pariter cum his loquuti, qui eum viderunt, ac sermones vna seruerunt, rem extra ambiguum ponimus; præsertim quod hac de cibi abstinentia diligentius quæsitum est; de qua ipse parce loquebatur, remque non miraculo, sed naturæ tribuebat.* Petrus Apponensis in commentarijs problematum Aristotelis *mulierem quandam iuuenem in Normandia reperiri nouit à fidedignis, quæ suo sæculo iam trigenaria per decem, & octo annos non comedit:* 18. ann. nescio quo spiritu ducti egregij Viri annorum loco dies legere maluerint, quum Apponensem habeamus apertissimis verbis de annis, non de diebus hoc in 20. ann. loco tractantem. Sed & alibi Rogerius Bacconius Lib. 2. magic. disq. q. 21. Anglicanam puellam narrat viginti annis nihil comedisse, relatu Delrij. Ceterũ aliam feminam Germanam memorat Ioan Boccacius, quæ triginta annorum ieiunio clara nostrorũ abstinentium

numerum

Dist. 111 numerum adaugeat. Idem vero Apponensis in suo Conciliatore aliam mulierem itidem Normandicam audiuisse se scribit à fideli socio Ioanne de Corceo Normandiæ, alijsque multis, quæ
36. an. per spacium trigintasex annorum nihil assumpsit, cui ad libitum ex ore, ac e naribus sanguis effluebat. Rondeletius, Ioubertus, & Hermolaus minime certe Barbarus asserunt Romæ sacerdotem
40. an. quendam annos quadraginta sola aeris inspiratione vixisse, & ex Leonis Pontificis Maximi custodia ieiunium illius absque vlla fraude compertum fuisse. Philosophus Epimenides Cretensis genere, Gnoso oriundus, vt cum Theopompo, & Laertio, alijsque plurimis Rauisius in officina putauit; uel Phæsto natus, ut cum Strabone, ac Plutarcho
Dial. 2. de poet. hist. alij iudicarunt, referente Lilio Gyraldo; Epimenides inquam missus à Patre ad ouem rure deducendam, siue, vt malunt alij, ad ouium custodiā, æstu meridiano diuertit in specū, ubi captus somno
47. an. annos quadraginta Pausaniæ, quadraginta
50. an. 57 septem Eudemo, quinquaginta Plutarcho, & Ra-
77. an. uisio Textori, quinquaginta septem Laertio, se-
Lib. an seni sit gerē da resp. ptuaginta septem Gyraldo perpetuos obdormiuit; qui & in uigilia usque adeo temperantiam, &
Lib. 1. de vit philos. In conuiu. & in lib. de facie in orb. Lunæ. Laer. supra. ieiunium coluit, ut Plutarchus asseueret illum re ipsa ostendisse exiguo admodum fomento naturam sustentare animal, si nutrimentum uel oliuæ quantitate sumat. In sacris paginis habemus Decio Cæsare imperante apud Ephesios in Asia septem uiros Christifideles ob metum sęuissimi Tyranni, sic disponente Deo, extra urbem in antrum aufugisse, ibique sine ullo alimentorum usu ad usque tempora Theodosij secundi dormiuisse,
200. an. somno simul, & ieiunio in annum fere ducentesimum productis; unde septem Dormientes uulgo nuncupati, & ad perpetuam admirabilis huius somni memoriam ab Ecclesia sub hoc nomine uenerati.

Abstinentiæ diuturnæ incerto temporis spacio admetita. Cap. XIV.

CErta fuere hactenus enumeratorum ieiuniorum tempora; sed alia quoque suppetunt diuturnæ abstinentiæ probatissimis ex autoribus exempla, in quibus præfinita durationis mensura
Exemp. 1. non habetur; nam L. Catilinam à C. Sallustio Crispo nouimus patientem inediæ supra quamcuiquam credibile est. Alibi etiam legimus De-
2. metrium Chidonium virum græcum abstinentia
3. singulari quamplurimos dies perstitisse ieiunum.
2. disq. mag. q. 21 Delrius ex Gyraldo, Gyraldus autem ex M. Da-
2. dial. de poet. hist. masceno scribit Damasceni tempore in Germania defessum rusticum sub fœni tumulo per totum autumnum, sequentemque hiemem continue dormiuisse, donec fœno depasto experrectus est ueluti semimortuus, totusque extra se positus, fereque mente abalienatus inuentus est: putareque asserit eundem Damascenum, idque multis etiam rationibus comprobare nitium, quod quum pluribus animantibus datum sit à natura vt pluribus mensibus sine cibo, & potu, & alijs naturæ necessarijs dormiant, idem etiam contingere posse homini: cuius Damasceni placitum Germanus amplectitur Agrippa. Eunapius Sardia-
nus Porphyrij vitam describens illum ait in Lili- 4.
bæo Siciliæ promontorio dudum iacuisse in suspirijs viuentem, inedia se macerantem, cibique nihil admittentem, prætereaque humanum consortium, & accessum penitus declinantem.
Apollonium Thyaneum diutinam inediam fer- 5.
re consueuisse præter veteres plurimos admonet 6. 3. dial. de poet. hist.
inter recentiores insignis Medicus Citesius. Herodoto (relatu Gyraldi) sagittæ ab Apolline receptę beneficio Abaris ad Hyperboreos usq; nil comedens euolasse dicitur: Rauisio autem idem Abaris per totum orbem terræ sagittam circumtulisse scribitur nihil omnino comedens. Olympiodorus Platonicus in commento ad Phædo-
nem Platonis visum Aristoteli ait esse hominem, 6.
qui donec vixit, neque manducauit unquam, ne-
que dormiuit. Gemma lib. 1. cosmocrit. referente 7.
Delrio multorum annorum agnoscit naturalem Cap. 6. 2. disq. mag. q. 21
inediam. Huc ea fortasse pertinent, quæ de nonnullis gentibus suauissime Lucretius lib. v. 8.

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Quum tamen his posset sine rebus vita manere;
Vt fama'st aliquas etiam nunc viuere gentes:
At bene non poterat puro sine pectore vini.

Cap. 166. Lib. 3. c. 24.

Ceterum hoc Lucretij placitum latius infra commodiori loco explicabitur. Ex Dione autem Cassio Nicæo in Vita Neruæ Traiani Cæsaris habemus *dum Antiochia Traianus ipse ageret, atrum & funestum motum terræ accidisse, qui vicinis vrbibus, atque populis cladem etiam attulit, quamquā ipsa Antiochia insigni, ac publica strage vastata fuit: nam diutius noctu & interdiu terra contremuit; tunc vita dubij, & pauore consternati miseri tanto malo remedium, aut effugium inuenire non poterant; oblasi tectorum casu passim moriebantur: & quanquam fornices, & concamerata, atque vacua loca, prout casus adegerat, tum peristylia, pensilesque horti, intercedente ligno à morte quosdam seruassent, hi tamen omnes durante motu, fame, & inedia, priusquam opem quisquam ferre posset, con-*
fecti fuere: Desinente tremore quidam ruinas ascen 9. 10.
derunt, tunc mulieris vox, & infantis vagitus auditus est; matrem, & filium ruina oppresserant, mirandumque fuit quopacto alendo puero lac suffice-
re potuerit: sed & mater, & filius, quos eodem la- Xiphil in Dio: epi. in Traiano versione Guili. Blanci.
cte sustentatos alij referūt, *terra incolumes educti sunt: Dum vero accuratius protrita cadauera, & collapsas domos rimarentur, alter infans inuentus est, qui matris mortuæ vbera adhuc sugeret:* quæ
tamen recens mortua putanda est; nam lac in 11.
frigido cadauere densatur, & cogitur, suctui- 12.
que redditur ineptum. Cœlius Rhodiginus visam quoque in Hispania puellam ex grauissimorum testimonio virorum protulit, quæ comede-

Marginal note (beside the earthquake passage): Mirum in terræmotu Antiochię

ret nihil; ac haustu tantum aquæ vitam confoueret, & annum iam ageret secundum ac vigesimum, ætatisne, an abstinentiæ, non aperit. Rondeletius præterea puellam se vidis-
1. De pisc. c. 13. se testatur, quæ nullo præter aerem cibo ad decimum ætatis annum peruenerit, ac demum grandis facta nupserit, & felicem prolem sustulerit; putamus autem nos eam soboli operam dedisse non nisi cibis assuetam, qui haud quaquam nouimus quo tempore abstinere cœ-
4. Phys. c. 1. 97. perit. Aristoteles sua tempestate narrat in Sardo apud Heroas quosdam ab antiquo tempore, vt Poemata narrant, etiam tum dormire; quorum historiam fusius explicat Simplicius ex Alexandro admoniens nouem illos esse filios Herculis ex Thestiæ filiabus susceptos, qui Heroes dicti apud Sardos longissimo somno imputribus, & integris corporibus permanebant; adstipulaturque simplicio Themistius, & Auerroes, qui hos dormientes longissimo tempore fortasse illos esse asserit, quorum meminit in Alcorano Mahometes; ac sane mirum foret Herculis filios adusque Mahometis tempora vitam, licet in somno, & ieiunio protraxisse. Holaus autem Magnus, & Paullus Diaconus, quibus tertium socium adiungit Methodium Gyraldus, litterarum monimentis tradidere *In vltimis Germaniæ regionibus ad Aquilonem, in ora Maris Oceani, in antro sub eminenti ru-*
1. Histor. septentr. 1. Histor. Ingabard. 2. Dialog. de part. hist. *pe excauato longum somnum sopitos, dormire ab hominum incolarum memoria quinque, siue vt alij malunt septem viros; quos quilibet intueri potest integro corpore, sanos, bona, liberalique facie, antiquo Christianorum Romanorum more vestitos, indumentisque nulla ex parte læsis: ignotum qui sint, & quando speluncam ingressi fuerint. Hos quum audax quidam exuere tentasset, siue vt alij dicunt, vnius eorum manum comburere, vt ipsum excitaret à somno; illi repente sacrilegam sideratam, & arefactam fuisse cum toto brachio manum: Gentibus illis Gothiæ Septentrionalis idololatris Euangelium oportuna tempore prædicaturos dormientes eos ibi à Deo summo seruari præsumi-*
Cap. 4. *tur.* Ioseph etiam Quercetanus Iatrochymicus insignis in sectione secunda sui Diætetici Polyhistorici (quod opus typis excussum primo fuit Anno Domini Millesimo sexcentesimo sexto) duas refert admirandi annui ieiunij nouissimas obseruationes his notis; *Opponitur quidem hic esset locus difficillimæ quæstioni enodandæ, an scilicet perstare quis diu possit, & viuere citra alimenti, aut potus, cibique assumptionem: cuius solutionem, rationesque alio reijcimus. Afferam huc tantum quæ mihi Constans vidisse contigit ante annos sex; & quæ de re noua, & parum visitata breuiter dici possunt, explicabo. Illic enim suscepto in illos tractus itinere vidi puellam trecentos, aut quatuor annos natam, quæ iam sinec cibo, ac potu per sesquiannum perstiterat. Mirabantur omnes tam stupendum casum, multique sibi persuadebant aliter fieri non posse quin alimenta clam pasceretur. Ibi vero ego ventriculum, hipochondria, mesenterij, & inferioris abdominis regionem attrectans, dimoui illos de sinistra opinione aperte docens in illo abdomine vsque adeo depresso, & instar marmorei lapidis indurato nihil colligi posse, quum nihil in illas partes traijci, nec influere queat. Subijt me quoque non leuis tam nouæ, ac stupendæ rei admiratio, qui vita perstare posset in organis illis naturalibus omnibus facultatibus, ac functionibus destitutis.* Et multis interpositis, quæ suo loco, & afferentur, & expendentur infra, sub- Videli 2. c. 215. & 216.
nectit deinde vir egregius; *Eandem puellam aliquot post menses, quum per eandem vrbem transirem, in eodem statu comperi; ita vt per integrum annum me aliquando præsente, & inuisente talis perstiterit. Referebat illa melancholicum temperamentum, taciturna admodum, vt ne verbum quidem vnquam vel vix loqueretur, pendente semper capite, reliquis membris, vt brachijs, & cruribus mouere nesciis; quod scilicet aereo tantum, & spiritali cibo fruens, non crassiore, quo crassiores, & solidiores partes firmantur, ad motum corporis esset impotens. At (quod me magis in admirationem rapuit) ab eo tempore, quo mihi visa est, intellexi illam crenisse incedere etiam, & tandem naturalem edendi, ac bibendi appetitum recepisse, &c.* ac paullo post aliam hoic attexit historiam dicens, *Agitur iam quoque tertius, aut quartus annus, ex quo aliam vidi puellam, octodecim annos aut circiter natam, temperamento quoque melancholico, quæ citra cibum & potum supra triennium vixerat. Illa sensim primo panis, deinde ciborum aliorum omnium appetitum, vel fructuum etiam amiserat, ad aliquod tempus iusculis nutrita, paulatim etiam vsum illorum remisit. Tandem aliquot cochlearia vini aqua diluti ei oblata sunt, donec & vsum illius prorsus etiam respueret, non ferente potum stomacho, ex dolore & cruciatu, quem illic perferebat: ita vt ad extremum citra vllius rei ingestionem hac inedia aliquot dies durauerit, dein & hebdomadas, ac tandem integrum annum, quo citra vllius alimenti vsum, quam aere viuebat valetudine integra. Puella hæc (quæ Apollonia Chreer nuncupabatur) nata erat in quodam pago, seu oppidulo Galz dicto ditionis Bernensis, inter reliquas Heluetiorum potentissimæ. Senatus Bernensis summa prudentia ac sapientia præditus, accepta inaudita fama, iussit Bernam & matrem & filiam adduci; quas in Xenodochio vrbis collocari, & ibi obseruari à custodibus voluit, num mater filiæ aliquid clam porrigeret, ne quid fraudis subesset. Cui rei quum per aliquot dies accurate inuigilatum esset, cognitum tandem vere fuit, & certissime, illam citra vllam alimenti ingestionem viuere. Tanti miraculi rumor statim totam Heluetiam, longiusque permasit. Tunc ego Soloduri eram cum illustrissimo ac sapientissimo viro D. de Sillery Galliæ Procancellario.* Et paucis interpositis. *Hic igitur illustr. Dominus adeo stupendæ rei fama perculsus optauit vt Bernam quinque tantum milliaribus Soloduro distantem, me conferrem, vt ex teste oculato rei veritatem*

veritatem certius cognosceret. Historiam quoq;
30. hanc admirabilẽ de prodigiosa Apollonię Schreierę virginis in agro Bernensi abstinẽtia, siue inedia descriptam esse à Paulo Lentulo, additus consimilibus narrationibus retulit Schenckius in suo Medicarum obseruationum uolumine: Qui & Iacobi Zuuingeri testimonio eodem in libro asserit
31. *Herculem Saxoniam Medicum egregium Patauij se præsente nauasse operam religiosæ virgini, quæ iam annis triginta, vel quadraginta assidua vomendi violentia exagitata nunquam deglusierit tantillum panis, aliusve cibi, quin mox illud, prout assumpserit, reiecerit; nullo corporis, aut faciei damno, vt mirum sit vnde, quum nihil retineat, sibi victum paret. Medicus Lusitanus, senex septuagenarius, febri continente grauissima Aucnione correptus soporatus & fere apoplecticus factus decimoquarto die, ad multos dies sine cibo & potu vitam ducens, sine voce, & sensibus omnibus destitutus, tanquam mortuus iacens, & à medicis pro deplorato relictus (in queis & ipse ascitus eram) tandem sensim naturæ ope reuocatus, post bimestre tempus, & eo amplius conualuit, integræque sanitati restitutus fuit. Erat autem senex temperamento frigido & humido, pituitosus, & excrementis abundans, carnosus, vorax, & parum in victu cautus.* Vt ex Valleriola libro sexto, obseruat. 7.
32. notauit etiam Schenckius libro primo, obseruat.
33. *Vide lib. 2. c. 191.* med. 111. Denique vero Genuenses Medici quãplures, ijdemque solertissimi, doctissimique uiri amplissimam mihi fecere fidem obseruasse se Anno Dominicæ Natiuitatis Millesimo sexcentesimo primo iuuenem quandam Pedemontanam uiginti duos circiter annos natam, vigilem, hilarem, agilem, quæ iussu Excellentissimi Principis Auriæ Genuam translata, sub arctissima custodia per duos fere menses habita, nihil omnino præter aquam ingerens, vinumve dilutissimum ori abluendo hauriens, famam, quæ de suo plurium annorum ieiunio dudum percrebuerat, certis experimentis mirifice comprobauit.

Difficultatem negotij nos retrahere non debere à proposito.
Cap. XV.

HÆc ea sunt, quæ nobis præsentis contemplationis argumentum præbent, quod est accurata indagine perscrutari caussas ueras, & proprias tam diuturnæ abstinentiæ. A quarum inquisitione Philosophum, cuius est in abdita, & in ardua niti, summumque ad ueræ, solidæque gloriæ fastigium inhiare, retrahere non debet Cittesiani Poetæ de Abstinente Consolentanea carmen inuulgatum, scilicet,

Sit natura hominum paucis contenta, famemque
Esca leuet tenuis, paruaque pocla sitim;
Non tamen his prorsus valet illa carere, nec vlli
Ieiuno semper corpore vita manet.
Vnde puella igitur tam longo tempore vitam
Nullis fulta cibis, & sine fraude trahit?
Contendant Physici à caussam potest alme. Pau
lemon,
Naturæque opifex reddere, nemo potest.

quum etenim uel Aristotele autore humanus intellectus, Diuinæ haud expers naturæ, ille sit, cuius est ad instar Protei omnia fieri; certe Poetis omnibus, ac singulis Proteo cunctarum rerum scientiam, ac Diuinitatem haud minus, immo uero longe magis quam Palæmoni concedentibus, nescio cur humanæ menti caussæ diuturni huius ieiunij sint imperscrutabiles. Ceterum & aduersante musa pro me respondeat obiectis uersiculis suauissimo carmine Lucretius. *3. de ana. t. 18. 3. de gen. an. c. 3.* *Lib. 1.*

Nec me animi fallit quam sint obscura; sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca.....

Et post Lucretium ab eo edoctus P. Maro *3. Georg.*

Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit.....
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor......

Atque his consentanea concinens Sophocles

Musarum exagitat me validus furor:
Nec cura mihi nunc, quam Lyra, quemmodi
Est quidquam......

Summis itaque his uiris iter ad sublimia sternentibus, nos quoque hac in ardua contemplatione, Diuino bene fauente Numine, totos ingenij neruos haud penitus frustra intenturos esse speramus; ac forte noster etiam

Hic liber humani dum tollit corporis escam,
Ingenio poterit plenior esse cibus.

Et quidem si hoc opus, quod in apertum referre audeo, non uideatur artificio alicui tale, ut in arce poni possit, quasi illa Minerua Phidiæ; tale tamen materia est, ut ex eadem officina exisse uideatur.

Cur ante omnia oporteat nos aliorum dogmata de proposito expendere.
Cap. XVI.

SEd quando alienas de proposito sententias primum expendere tum multis nominibus alijs operæ pretium est, tum ea potissimum de caussa id nunc efficiendum est mihi, qui ea tempestate scribo, in qua passim multæ opiniones meis contrariæ placitis in mentes hominum irrepserunt; quæ proprijs inuentis locum non dabunt, nisi prius de animi fundo eradicentur; ijs autem euulsis, iam facile cuique mea cogitata persuasum me esse confido; quin & auide à quouis ingenuo arripienda spero; ea est humanis animis ueri naturaliter inserta cupiditas, licet ad falsa deuius, idemque latens eos non raro error adducat; *In præf.*

B 2 eat;


FORTVNII LICETI GENVENSIS

IN SECVNDVM LIBRVM

De his, qui diu viuunt sine alimento

PRAEFATIO,

Qua omnes aliorum opiniones examinandæ breui catalogo numerantur.



DIVTVRNAE huius Abstinentiæ caußas antiqui Sapientiæ proceres litterarum memoriæ non commendarunt, quod alijs argumentis, quæ prisca ætate studiosorum Reipublicæ magis intererant, totos se tradendos esse existimauerint: non, vt aliqui censent, quod res noua hæc sit antiquioribus ignota, vel ob raritatem non obseruata, vt morbi plerique, testimonio Platonis, Plinij, ac Celsi; & præter morbos alia multa, quæ noua emergunt semper in natura rerum: namque vt demus quæ in vita mortales inuenere, nec ab vno cuncta reperta esse, nec in lucem simul omnia prodijsse; sed hæc vna ætate, illa alia, vt dies, & rerum conditio tulit; in horum censu longas abstinentias itidem reponendas esse non dabimus, qui supra & inter vetustiores Athænenm, Plutarchum, Democritum, Plinium, Platonem, Aristotelem, Olympiodorum, & vetustissimum omniũ Hippocratem diuturna ieiunia obseruasse vidimus, & infra etiam apertius comperiemus. Verum quacumque de caußa seniores naturam huius admirabilis euentus non aperuerint; illud tamen constat recentiorum plurimos huic argumento sedulam dedisse operam, & (vt in obscuris accidit) varias in sententias abijsse, ac eas breui nimis rationum munimento vallasse, vt in arduæ rei contemplatione maiorem claritatem studiosi postulent. Porro Argenterius, & Rondeletius opinantur Abstinentes propositos ali aere inspirato; Manardi, & Augenij sectatores exhalatione per aerem sparsa; sapientissimus Costæus aqua epota; nonnulli alij vino; Magnus Albertus, quem sequitur Portius, Joubertus, & alij plurimi, pituita intra corpus antea congesta; Cardanus melancholico succo; Bonamicus colliquamento pinguedinis, & solidarum partium; alij menstruo sanguine benigno ab aluo materna comportato; Brasauolus putat hoc ieiunum eße fabulosum scriptorum commentum; Haruetus cum fictam versutiam eorum, qui se abstinentes simulant; tum supra naturæ vires Diuinæ virtutis opus, purumque miraculum; Diogenes Laertius, & Demetrius ad Angelos confugiunt; alij cum vulgo ad cadauera, quæ moueantur; Iamblichus ad Cacodæ-

3. de Rep. Lib. 26. cap. 1. Lib. 1. in præf.

monas; Apponensis & Rogerius Bacconius ad astrorum virtutes; alij ad sympathiam; alij ad indiuidualem proprietatem; Abulensis ad Ecstasim; Posthius ad Catapho-ram; Benedictus, & Montuus ad constipationem cutis; Citesius ad viscerum con-strictionem; Langius ad tabem, siue atrophiam, siue ad stuporem ventriculi; Quercetanus ad naturalium viscorum petrificationem alij ad pharmacum famem, sitimque depellens; Valleriola demum ad consuetudinem. Quæ sententiæ non si-ne magno emolumento, vt spero, ad veritatis indaginem, nobis sigillatim sunt expendendæ. Quando ergo contentiosæ, rixosæque altercationes verius quam dispu-tationes a doctiorum exercitationibus iure facesserint, & litterariæ quæstiones iam ex præcepto Aristotelis à claris autoribus beneuole, amiceque tractari cœperint, vt vnius gratia veritatis instituta disputatio fuisse videatur; Lectorem obsecratum cupio vt eiusdem veritatis amore percitum me cum viris doctissimis amicissime agere sibi per-suadeat, detque mihi veniam, & boni consulat, si cum Platone modo aliquo, & paul-latim adeo fortium virorum sermones conuulsero, ne me veluti patricidam aliquem fieri putet, dum sapientum virorum, quos animi mei patres appello, idemque veneror, axiomata necesse est propulsantibus rationibus acriter examinare; sed velut indagato-rem veritatis accipiat, & tueatur.

1. de cælo. t. 101.

In sophi-sta.

FORTV-

FORTVNII LICETI GENVENSIS

De his, qui diu viuunt sine alimento

LIBER SECVNDVS,

In quo examinantur Sapientum Virorum opiniones de natura, & caussis tam diuturni Ieiunij.

Prima opinio Argenterij, & aliorum existimantium Abstinentes nostros nutriri aere inspirato. Cap. I.



Rgenterius, inter iuniores medicos magni nominis auctor, in commentarijs ad Hippocratis aphorismos ita de proposito philosophatur, *Igitur* (inquit) *calor, qui à natura, primisque nostris principijs, singulis partibus, & vniuerso corpori est inditus, sua vi, qua reliquis qualitatibus, quibus temperatur, constatq; nostra hac corporea moles, præpollet, perpetua quadam actione in qualitates passiuas, & totam ipsam substantiam agit, ita profectò, vt paullatim depascendo tandem humorem nostri corporis digerat, & absumat; quo quidem consumpto, illius etiam sequitur extinctio, & compositi viuentis dissolutio, & mors; id quod citissime fieret ob vehementem illius vim, nisi Natura subsidium inuenisset, quo quantum fieri potest, consumptam ab eo substantiam restitueret; vocaturque materia hac, quæ pro dissipata reponitur, nutrimentum; quod triplici natura constat, vt tres substantiæ, quæ dissoluuntur, aerea, humida, & solida; vocatum autem id, quod restituit aeream substantiam, spiritus; id autem, quod resarcit humoralem, quæ dissoluitur, substantiam, potus; materia vero, quæ substantiam à solidioribus partibus dissolutam restituit, cibus nominatur: Porro vnumquodque corpus humanum triplici hac materia eget ad restaurationem, nisi morbi vi quadam calor perinde debilitatus fuerit, vt solam aeream substantiam dissoluere possit; tunc enim solo aere viuitur, qui simplex non est, sed ex alijs elementis compositus, & propterea non ineptus ad leuissimam nutritionem: Est hac ratio cur puella Germanica nostro tempore, & alij nonnulli antea integros annos sine cibo, & potu vixerint.* [1. aphor. com. 1.]

[7. de pisc. c.13.] Rondeletius Argenterio manus dat apertissime decernens Ieiunantes commemoratos inspirato aere nutritos fuisse.

[2. de cur. gen. c.4.] Vidus senior eandem sententiam videtur amplexari statuens contineri corpus nostrum triplici genere partium, solidis, succis, & spiritibus; solidas partes maxime refici à cibo, sicut succos à potu, & spiritus ab aere, quanquam omnes ab omnibus recreentur.

Laurentius quoque nostra ætate anatomicus celeberrimus huic placito assentitur alicubi dicens, *Quam fugax sit animantis cuiusque viuacitas, & triplicis substantiæ perennis fiat effluxus, Natura sui diligens respiratione, & nutricatu animalium corpora conseruare studet, respiratione spirituosa, nutricatu carnosa, & solida substantia reficitur; hinc triplex alimentum, aer, cibus, potus.* [Anat. 15. q. 25.]

Hanc sententiam mutuati videntur viri Clarissimi à Conciliatore almæ huius vrbis iubare splendidissimo, qui eam sic ex Galeno refert, *Virtutis substantia* (inquit) *complctur per spiritum, per carniformem substantiam, & per solida; ex similibus enim vnicuique speciei virtutem operari oportet; spiritui quidem per respirationem, & transpirationem, & sanguinis euaporationem; generi solidorum per cibum solidum; sicut generi carnosarum specierum per naturam mediam humidorum, & solidorum corporum: Prior autem nutritionis modus visus est spiritus saltem per introductionem aeris vaporiferi odorabilis: itaque odor alimentando etiam habet curare, & non tantum alterando. Nutrire quoque est dupliciter, vno quidem modo proprie, vt alimentum sui operans materia; vel metaphorice, ceu agens sui qualitate alterando, & confortando, ad quod nutritio tandem sequitur vera: id autem nutritione indiget, quod resoluitur, & deperditur, huiusmodi autem substantia triplex nostra existit, spiritus, substantia carniformis, & solida spermatica.* [Diff. 155. 11. Meth. c.3.] Ex Galeno mox affert primo vtilitatem anhelitus secundam esse cibare spiritum animalem; deinde spiritum irrigari, & nutriri per respirationem, & exhibitionem, quæ ex retiformi est replicatio; deinceps aerem externum nutrire, & augumentare spiritum vitalem, & animalem. Galeno adiungit Alexandrum, & Nicolaum Peripateticum vtrumque in Problem. asserentem aerem inspiratum cedere in nutrimentum spiritus, & calo- [7 De vsu part. c. 8. & 9. 8. De vsu par. c.1. 11. Meth. cap.3. 3. art. medic. c.2.]

ris na-

ris naturalis, quia (inquit) scire oportet conseruationem caloris fieri per aerem, non, vt quidam putant, ad sui refrigerationem; immo ad nutrimentum; in paruis enim animalibus paruus est calor, ideoque per corporis poros sufficiens aer ingredi potest ad eius nutrimentum. Ac tandem admonet Conciliator aerem hunc, quo spiritus aluntur, non esse corpus simplex, elementumque purum, sed mistum, & minime sincerum, atque impurum.

Cicero huic placito consensisse videtur alicubi decernens *in pulmonibus inesse raritatem quandam, & assimilem spongiis mollitudinem, ad hauriendum spiritum aptissimam; qui tum se contrahunt aspirantes, tum in respiratu dilatant, vt frequenter ducatur spiritus animalis, quo maxime aluntur animantes.* 2. de nat. Deor.

Theophrastus non vno in loco hanc sententiā profitetur; non solum enim alicubi aeri vim tribuit alendi absolute; sed etiam alibi terram ait effodi ab Agricolis vt subingrediatur aer ad radices plantæ, quo postea nutritur; sane si aer concrescere potest in alimentum plantæ, quis eum neget in animalis nutrimentum longe mollius, atque tenuius densari posse? 5. de caus. c. 8. 3. de cau. c. 14.

Galenus plerunque aere fatetur ali spirituosā corporis substantiam, vt videre est cum in libris de vsu partium, tum quoque in opere de vtilitate respirationis apertissime. 9. de vs. par. c. 8. & 9. Cap. 5.

Hippocratem ipsum hæc opinio fautorem habet aliquando afferentem, *Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & alia respiratio: Principium alimenti & humidi, & sicci, os, gula, venter; Verum antiquius, & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus;* quo loci claram habet mentionem Hippocrates triplicis alimenti, sicci, humidi, & aeris inspirati. Alibi vero in eandem sententiam scribit, *Corpora omnia tum hominum, tum reliquorum quoque animantium à triplici nutrimento sustentantur; horum autem nutrimentorū nomina hæc sunt, cibus, potus, spiritus; ac spiritus quidem, qui in corporibus sunt, flatus vocantur, qui vero extra corpora ex fluunt, aer, qui sane maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt & autor, & dominus; sed speciatim altionis autor, & refrigerij dominus.* Lib. de alimento. Lib. de flatib.

Olimpiodorus in commentario ad Phædonem Platonis refert Aristotelem dicentem se vidisse hominem, qui ab omni alio alimento abstineret, & aere solummodo, ac sole viueret.

Platonicorum e familia plures huic opinioni suffragari videntur apertissime dum statuunt alicubi amplissimas esse terræ plagas, in quibus homines viuant solo aere.

Adstipulatur etiam huic placito vulgatus ille rumor de Chamęleone, qui referente Plinio celsus hianti semper ore solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento, circa caprificos ferus, innoxius alioqui. Audio Chamæleoni adiungi à viris Doctissimis viperulas quas ex aluo materna eductas, & intra phialam vitream, vel imperuiam aeri ad multos mēses absque vllius alimenti propinatu prædicant, testanturque se vidisse plures tum mole, tum pondere auctas; quod citra nutricatum ijs contingere non potuit; at ibi solo aere ali quiuisse cuique compertum esse. Lib. 8. c. 33.

Scaliger acutissimus Chamæleonis loco tū Canem leuem apud Indos cum Cardano ex aere viuentem ponit, tum quoque Indicam illam Apodem, vulgo Manucodiatam, & Paradisi auem incolis appellatam, quia primum ex incompertis locis decidua, Mahumetanis sacrificuli Paradiso missam esse Molucarum Regi olim idiotis persuaserunt. Et perpetua in aere vita est (inquit) nec terram vnquam nisi mortua contingit, quo tempore diutissime incorrupta seruatur: hæc non culicibus, aut huiusmodi insectis alitur, vt passeres, & hirundines (superiorem enim incolit aeris regionem, in qua animalia nulla nota nobis, quibus ali queat) sed (addit Ctesius) aere solo, aut vapore ex insulis illis Molucis aromaticum odorem vndecunque spirantibus elato: Aere solo, & puro vesci ideo negat Cardanus, quia nimis sit tenuis; sed obijcit ille qui dedit ipsi aerem pro cibo, dare etiā potuisse aeream concretionem ad cibum. Addit Scaliger Manucodiatam carere lingua, vt pedibus; non leue argumentum illi deesse gustandi sensum, cui non inest sensus illius organum; quare nec cibo vtetur, qui obiectum gustatus esse dicitur. Exer. 180. De subtil. Exer. 228. 229. Manucodiata cur dicta sit auis Paradisi.

Hæc omnia non parum Argenterij & Rondeletij opinionem confirmare videntur, qui abstinentes nostros aere nutriri audacter affirmauerunt: ceteri enim etsi aerem in alimentum cedere confiteantur, nemo tamen solo aere nutriri hominem ad multos menses, & annos asseuerare ausus est: Quare propria hæc esse videtur in proposito Argenterij, & Rondeletij sententia.

Expenditur allata opinio demonstrando primum caloris actionem in humorem non esse continuam; eaque ingi, non ideo assiduam esse debere nutricationem. Cap. II.

QVibus hac in re, quando longe ab Aristotele, atque a ratione dissentiunt, subscribere non possumus. Illud autem in primis non accipimus ab Argenterio, Calorem naturalem perpetua quadam actione in humorem, & substantiam nostram ita incumbere, vt iugiter illum absumens hanc depascatur; reuera nanque id tunc solum efficit calor, quando vsque adeo viget, ut robur habeat supra uires humoris: Verum quoniam fieri sæpenumero potest, ut in uiuente animali calori languido humidi magna manus adiuncta sit; uel etiam ut humori tanta uis insit resistendi, quanta calori uirtus inest agendi; propterea necessarium non est calorem in nobis iugiter humorem absumere, in quibus multoties experimur calorem ab humoris exūdanti copia suffocari; quæ omnia fusius infra commodiori loco explicabuntur. Calor quādo humorem absumat, & quādonā. Cur calor aliquando subsistit humorem non depascatur. Lib. 3. c. 18 19. & seq.

Neque uero illud recipere ualemus, nisi assidue in locum absumptæ substantiæ actione caloris noua portio alimentorum usu apponatur, fore ut breui temporis interuallo uiuens moriatur; quia calor hic noster mitis est, minimeque uehemens;

quin

quin & imbecillus adeo esse potest, vt nō nisi post multam temporis intercapedinem tantillum humoris, ac substantiæ nostræ depascatur: quapropter etiam sine intermissione vlla operante calore, nullaque in locum absumptæ materiei substantia reposita, necessarium non est illico vitam mori cedere, sed potest diuturno etiam tempore viui.

Spiritus in animali aereos non esse, sed igneos.
Cap. III.

Accipio quidem ab Hippocrate 6. Epid. 7. & à Galeno 1. de diff. febr. c. 1. tres in nobis reperiri substantias, spiritus, humores, partes solidas, quæ illi continentia, contenta, & impetum facientia vocabantur: Accipio consimiliter hæc omnia sigillatim caloris actione consumi, & dissipari posse; Ceterum non accipio spiritus esse aereæ naturæ; at illos reor ad igneam substantiam longe magis quam ad aeream referendos esse; sunt enim vel Hippocratis decreto lib. de Princip. calidissimi omnium, quæcunque sunt in viuente animali. Ac certe si tria hæc referenda sint ad elementa, iam solida membra fuerint à prædominio terrea, humores vero simul aerei & aquei, spiritus autem ignei: Etenim hoc apparet ex harum substantiarum temperamento, & natura elementorum qualitatibus correspondente; quippe temperamento sunt spiritus calidi & sicci, substantia tenuissimi, apprime ignem referentes; humores autem humiditate diffluunt alias cum calore coniuncta, vt in sanguine, ac bile flaua; alias vero cum frigiditate, vt in pituita, & melancholia; solidæ partes omnium maxime siccitate consistunt. Porro vt inter humores vulgo igni flaua bilis proportione responder, aeri sanguis, aquæ pituita, melancholia terræ; ita collatis cum bile spiritibus, nemini dubium censeo illos magis ad ignem accedere, bilem vero ad aerem; tanto enim bilis corpulentior est spiritibus, quanto ignis aere tenuior; neque humore caret omnino bilis, quo minime constat ignis, naturam in siccitate obtinens; nemine non agnoscente spiritus longe magis ab humore abesse, quam bilem flauam, quæ species humoris est. Præterea quemadmodum in vniuerso extrema sunt ignis, ac terra, quæ inuicem associantur medio duplicem naturam sortito, aere nimirum, & aqua; ita in humano corpore, viuenteque animali spirituosam substantiam solidis partibus coniungere, conciliareque dicuntur humores; nam sublatis humoribus, nulli iam supersint spiritus in membris; quod in euacuatione magna humorum quomodocunque siue à natura, siue ab arte facta sæpenumero experiuntur, & obseruant Medici.

Spirituosa itaque substantia in nobis, atque adeo in corpore viuentis animalis, ignea est, non aerea, vt accipit Argenterius.

Humores proprie non ali. Cap. IV.

Deinde vero longe minus accipio humores, ac spiritus posse nutriri, ad quodcunque referantur elementum; etsi quoquopacto eorum aliqua ex parte consum, ptorum instaurationi consulere gestiat natura viuentis; nam proprie aluntur Aristoteli, & Medicis non nisi veræ partes viuentis, & substantiæ animatæ; si quidem nihil alitur quod non viuat: Spiritus autem, & humores non esse animatos, nec veras viuentis partes, immo neque præditos esse naturalibus facultatibus, inter quas prima est vis alendi, Argenterius obseruat ipsemet infra, & alibi sæpe: Id quod & ex rei natura sic de humoribus quidem primum, deinde verò seorsum de spiritibus demōstrare possumus. *2. de an. t. 34. 37* *2. aph. com 37.*


Sane quum nutricatio sit conuersio alimenti extrinsecus accedentis in substantiam nutriti ab anima eius, quod nutriri dicitur; quumque per eandem transmutationem eiusdem subiecti ab eodem agente fiat altio, & auctio; si quidem alimentum ab anima vegetali ministerio caloris conuersum in substantiam viuentis sua quantitate auget, suaque substantia nutrit Aristoteli; patere, cuique possit quod alitur, debere vi suæ formæ, ministerio sui caloris, conuertere alimentum, quo nutriri, & augeri dicitur, in sui substantiam: modo humores nihil horum efficiunt; quoniam sanguinis massa in venis, & corde contenta nihil prorsus sibi adueniens conuertit in sui naturam; sed tum cibus, tum potus omnis, qui possit in sanguinem verti, hanc sui transmutationem haud patitur à sanguine præexistente in corpore, sed a virtute, ac forma specifica, quæ est anima residens Medicis quidem plerisque in Hepate, Philosophis vero in Corde: Quum itaque humor nullus possit chyli substantiam vertere in sui naturam; sed chylus vniuersus, qui est portio esculentorum, potulentorumque alimentaris ab excremento repurgata, mutetur in humores a propria forma Iecoris, vel Cordis, iam vere non dicamus humores posse nutriri. *Nutricatio quid sit.* *2. de an. t. 46 & sequenti.*

Deinceps nutricationis fabricam apud Medicos omnes vulgatissimam nemo ibit infitias, quod cunque scilicet in nobis alitur, primo alimentum sibi attrahere, attractum continere, contentum coquere, ad demum coctionem non passa excrementa expellere, antequam in sui naturam purgatum alimentum uertat: ceterum quis humoribus adscripserit uires attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi? Non ergo uere nutriuntur humores. *Nutricationis fun ctio vi ad ministratur.*

Sed potius eorum absumptorum instaurationi dicendum est consuluisse naturam iterata similium generatione, ac genitorum præexistentibus aggregatione: Ita ergo ex potu, & chylo non aluntur humores, sed generantur: sic ex uaporibus à terræ frigore condensatis gigni fluminum aquas, non ali dixeris: Quo sensu uon inepte accipias dictum Hippocratis alicubi de cordis uentriculis, *Hi fontes* (ait) *sunt humanæ naturæ, & hinc flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur.* *Quomodo restaurentur humores sine alitione.* *Lib. de Corde.*

Spiritus in viuentis corpore non nutriri. Cap. V.

Non aliter de spiritibus sentiendum est; nam siue dicamus partem sanguinis subtiliorem solum, siue etiam aeris inspirati portionem puriorem



rem in ſpiritum tranſmutari poſſe; quia tamen ſpiritus præexiſtens in uiuentis corpore ille non eſt, qui ſua forma conuertat aerem, aut ſanguinē in ſui naturam; plane dicere non poteris aere ſpiritus ali: Et reuera ſanguinis portio tenuior a forma Cordis, & Cerebri miniſterio proprij caloris uertitur aſsidue in nouum ſpiritum, qui præexiſtenti adiunctus reſtaurare dicitur deperditum, ſed citra nutricationem ullam præexiſtentis incolumis.

Deinde uero illud eſt in Medicorum ſcholis axioma, Nutricationem eſſe quando alimentum accedens corpori nutriendo prius illi adiungitur, & agglutinatur, deinde in eius naturam vertitur, quod peculiari vocabulo aſsimilationem appellant; vel ſaltem ſimul & apponitur, adnectiturque, & aſsimilatur: quando autem quid ſeorſum mutatur in aliquam ſubſtantiam, deinde alteri conſimili commiſcetur, atque confunditur, tale quid nutricationem non eſſe; at aggregationem potius, miſtionemque; modo ex alimentis chylus in ventriculo genitus prius in hepate vertitur in humorem, qui deinde in venas cum tota humorum maſſa commiſcendus effunditur: & ex tenuiori ſanguinis materia, ſi placet, addas etiam ex aere inſpirato, prius a calore cordis generatur ſpiritus, qui genitus deinde in arterias eum ſimili ſpiritu permiſcendus immittitur. Sic ergo conuerſio chyli in humores, & humorum, aerisque in ſpiritus, citra humorum, ac ſpirituum nutricationē, fieri conſueuit.

Deinceps vera nutricatio ſi, vt obſeruauimus, illi ſolum conuenit, quod poſsit attrahere ſibi conueniens alimentum, attractum continere, contentum coquere, ac in ſui naturam commutare, quæque inde ſuperſunt excrementa propellere; quomodo humores, & ſpiritus, quorum ſubſtantia fluxilis eſt, nullamq; obtinens conſiſtentiā, huiuſmodi functiones trahendi, retinendi, coquendi, expellendi obire poterunt? vere ſiquidem aerem pulmones attrahunt, non ſpiritus, & potum ſtomachus, non humores: retentioque, coctio alimenti, & excrementorum pulſio ſolidarum partium opus eſt, non ſpirituum.

21 art. med. 2. de ſom. & vig. c. 8. & ſequen tib. Sed & Argenterius qua ratione hic aſſerat ſpiritus aere nutriri, qui alibi ſæpe de ſpiritu in Galenum diſputans acerrime contendit ſpiritum nobis vnius tantum generis ineſſe ex ſanguine ortum virtute caloris ſolidarum partium, ac præcipue Cordis agentis in humidum?

Non ergo humores, nec ſpiritus influentes ali poſſe dicendum; ſed vere, ac proprie nutriuntur ſolummodo partes ſolidæ nuncupatæ, ſiue ſimilares fuerint tum ſpermaticæ, tum ſanguineæ; ſiue diſsimilares, quæ proprio vocabulo mēbra dicuntur; quando harum ſingulæ beneficio propriæ formæ, quæ anima eſt, ac miniſterio ſui temperamenti, & caloris attrahunt ſibi conuenientem alimentum, attractum retinent, retentum concoquunt, ipſum ab excrementis repurgando, coctumque ſibi agglutinant, aſsimilant, & in propriam ſubſtantiam conuertunt; quæ ſuperſunt excrementa omnia propellendo.

Spiritus non ali aere. Cap. VI.

Amplius demus in diſputationē ſpiritus quoquopacto poſſe nutriri, vt innuit Conciliator, metaphorice; non vere dicitur eos aere nutriri; quippe alimentum, quod nulla fere coctione indiget, qualis eſt aer vel Argenterij teſtimonio, ſimile ſic eſſe debet nutriendo corpori, vt immediate in eius ſubſtantiam tranſmutari valeat: ceterum aer cum ſpiritibus talem non habet ſocietatem naturæ, ac ſimilitudinem ſubſtantiæ; quum ſpiritus ſint corpora mixta ex quatuor elementis; aer autem ſimplex ſit elementum, ſiue purus, ſiue impurus accipiatur; haud enim poteſt vnicum elementum actione vnius agentis immediate in miſtum conuerti; quum miſtum omne fiat neceſſario ex plurium diſtinctorum vnione; quando miſti origo miſtio eſt, quæ Ariſtoteli reclamante nemine definitur eſſe miſcibilium alteratorum vnio. *Miſtio quid ſit. 1. de gen. t. 90.*

Præterea (ne ſit vllus refugij locus) eſto diſputationi aer miſtum corpus; haud erit plane miſtum perfectum ex quatuor elementis, ſed imperfectum ex duobus, vel tribus ad ſummum: quum autem duo, vel tria elementa nunquam poſsint actione vnius agentis in miſti perfecti naturam commutari, quod quatuor conſtat elementis, plane ſpiritus, qui miſta ſunt corpora perfecti generis, in ſui ſubſtantiam conuertere nequibunt aerem, ac proinde nec aere nutriri.

Inſuper & ſpiritus eſſe à prædominio igneos dudum oſtendimus; ſi ergo eos ali neceſſe eſt, & alimento ſimili, non certe aere, ſed ignea quadam ſubſtantia nutriri debebunt: Vere quidem plurimi ſtatim fieri videntur ſpiritus ex vino, aqua vitæ, non ex aere inſpirato in ſyncopi: Porro ſi ex aere fierēt, in animi deliquio ſatius eſſet aerem inſufflare in eos, & nares patientis, quam vinum, & odores, qui ſunt à prædominio ignei potius quam aerei, vel Ariſtotelis teſtimonio. *De ſo. & ſen. c. 2.*

Non aluntur itaque ſpiritus influentes aere inſpirato.

Aerem in miſto vincente non ali aere intrinſecus quomodocumque attracto. Cap. VII.

Sed fortaſſe nomine ſpiritus intelligunt viri doctiſsimi non influentem a Corde in totum corpus, ſed fixum cuique parti, qui reuera nihil aliud ſit quam portio aerea concurrens cum alijs elementis ad conſtitutionem cuiuſq; miſti, ac proinde cuiuſque particulæ viuentis; quum omnes animati partes & ſimilares, & diſsimilares miſtæ ſint ex quatuor elementis: Quaſi ſtatuant fieri hoc in noſtris abſtinentibus, quod calor inſitus eorum cuique ſit adeo exilis, vt agens in corporis ſubſtantiam, ſolum in miſto deſtruat, & reſoluat partes aereas, & ſpirituoſas, quæ minimam obtinent vim reſiſtendi; aqueas vero, ac terreas intenſioribus qualitatibus, ſolidiori, denſiorique natura præditas, & proinde magis renitentes, diſſolutionique contumaciores, intactas relinquens; neceſſitatem viuentibus ingerat refarciendi ſolum partes ſui

tes sui corporis aereas, & spiritosas: Profectò vbi tota pars ali debet, quia mista est, misto indiget alimento; sed vbi misti partem aeream solam nutriri oporteat, aere solo iam opus esse; ac proinde, si alimentum vltimum ac elaboratum rei nutriendæ simile debet esse, atque in locum deperditi accedere, illiusque officio fungi, belle nostros ab stinentes solius aeris indigos, eo nutriri oportere.

Quadruplex substantia, non tri plex, quæ corpus perstituit, constituit, quorum quæ vice calore dissipatur, assidue & restauratione indiget.

Quo sensu dogmata proposita si pronunciauere Viri Clarissimi, subtili quidem nos philosophia delectant, sed tamen vera doctrina non erudiunt. In primis enim falso dicitur corpus nostrum contineri triplici tantummodo substantia, quæ à calore dissipata sui restauratione indigeat; nam præter aerem, aquam, & terram, consimili ratione ignis est in misto, qui dissoluitur assidue, ac restauratione indiget in animanto ad vitæ diuturnitatem; immo longe magis quam cætera elementa, quia ignis est vinculum nectens animam corpori ex Aristotele, in quo nexu consistit ratio vitæ, vt alibi disputauimus.

De iuu. & senect. De respir. c. 4. & De vit. & mort. 2. lib. de vita.

Alioquin si non oporteret nutricatione restaurare portionem igneam, frustra vllum alimenti genus esset mistum perfectum ex quatuor elementis, sufficeretque illi tria, quibus tria consimilia in misto animato restauranda resarcirentur; quod omnem tollit Philosophiam.

Tum vero falso dicitur aerem in misto seorsum ab alijs elementis posse nutriri; namque nutritur proprie pars viuens qua viuens est, atque animata ex Aristotele; cæterum viuit, & anima pollet pars animati, quæ mista est secundum quod mista, non secundum quod simplex; quare vere nutritur oculus, & caro, & quælibet pars oculi, & carnis mista, non quæ aer, vel terra, vel ignis in carne, aliaque particula mista.

2. de. an. t. 37. & 48.

Posterius non vere dicas aerem in misto nutriri aere accedente, quia nutricatio est conuersio alimenti in substantiam rei nutriendæ; quæ quidem conuersio trasmutatio est secundum substantiam; quo fit vt alimentum post huiusmodi conuersionem amiserit naturam, speciemque pristinam, nec vllo pacto saluari possit Aristotelis decreto; quum ergo aer in aerem conuerti nequeat, plane aer in nobis existens attractus eo vel non poterit; quum quæuer, qui dicitur in ieiunio claris subire vices aereæ portionis in misto à calore consumptæ ad hoc vt restauret aerem deperditum, sui substantiam mutare non debeat, sed solummodo locum, ac transire integer de loco extra corpus in corpus ipsum; profectò ex Argenterij dogmate dici non posit spiritus, & aeream corporis nostri portionem aere ali.

1. de gen. t. 34.

Viterius apud Aristotelem non nisi aduenientè alimento fit augumentatio, quare & nutricatio; quia sunt idem re, solaque ratione differunt eidem Philosopho: aduenientis autem alimenti beneficio tum augumentatio, tum nutricatio fit vniuscuiusque particulæ viuentis secundum formam, non secundum materiam ex potissimum ratione, quia extrinsecus aduenients alimentum retinens eandem numero materiam transmutatur secundum formam; quippe suam alimentum exuit, & alienam induit, quæ scilicet præextiterat in eo, quod alitur, & augetur: Quum itaque aer externus ingrediens locum interni dissipati habitum, & eius vicem iam gerens in misto coniunctus cum cæteris elementis formam non mutet, propriamque sed eam retineat in viuente, quam prius obtinebat: sane confiteri cogunur nutricationem non ita fieri, vt nutriendi pars aerea consimilem sibi aerem ex alimento attrahat, ignea igneum, & ita de reliquis, vt putant Viri celeberrimi; ac multo minus aeream animati misti substantiam aere inspirato, vel quomodocunque intra corpus attracto nutriri.

1. de gen. t. 38. 2. de gen. t. 34. 1. de gen. t. 47. Nutricatio & augumentatio vnum sunt.

secund um form. non secun dum mat.

Adijciendum his est alimentum ante sui digestionem debere esse contrarium alendo corpori secundum qualitates, eidemque secundum substantiam dissimile; post concoctionem vero simile quidem in qualitatibus, non mutata dissimilitudine, sed diuersitate substantiæ; quod monet Aristoteles, secus enim alimentum concoctum non posset in substantiam nutriendi commutari; nam vndiquaque similis substantia non vertitur in similem, vt acqua in aquam, & aer in aerem non mutatur; sed aer aeri adiungi dicitur, & aqua aquæ admisceri: quum ergo nutritio sit mutatio aliorum in substantiam corporis nutriendi; necessario dicendum est mistum non ita nutriri misto, vt nutriendi pars aerea ad ionem eam trahat ex alimento, aquea aquam, & ita de ceteris, sed vt nutriendi quælibet pars mista conuertat in sui naturam alimenti partem mistam, sibi quidem in qualitatibus magis consimilem, attamen in essentia, & specie dissimilem. Itaque falso dicitur in abstinentibus solum nutriri aerem ex aere; nam dato disputationi alia debere aerem, hic ex non ante ali deberet, ob allatas rationes.

Alimentū quomodo sit simile, ac dissimi le, contrarium que.

1. de gen. t. 38.

Quomodo mistum misto alatur, & simile.

Ignem in misto non absumere aerem.

Cap. VII.

Præter hæc à veritate illud abesse videtur, nō parum, quod statutum est ignem in misto non mune caloris imbecilli nuncupatum absumere aerem, aquam, & terra eius actioni resistentibus, ob maiorem substantiæ consistentiam, & firmitudinem; falso enim adscribitur elementis in misto vis agendi; si quidem omne agens eatenus agit quatenus est actu ex Aristotele; quod est duorum agens omne dum operatur habere in se actu eam formam, quam tali actione tentat patienti communicare, seu eam naturam, in quam studet patiens conuertere: si ergo ignis in misto aerem absumere tentet, quum talis consumptio non sit aeris redactio ad nihil, nec mutatio in aquam, vel terram, vel mistum corpus, sed conuersio in ignem solum esse valeat plane in misto actu ignis integram ignis naturam retinens; quod passim negat Aristoteles, ea ratione dictus, quod secus aqua in ligno humectaret, ignis in eodem calefaceret. Non ergo in misto ignis aerem consumit, sed mista pars à prædominio ignea vere caloris nomine appellata, partem mistam prædominio vel aeream,

3. phy. t. 17. 8. phy. t. 31. Agens quomodo agat quatenus est actu.

2. de. ab. t. 97. & sequentib.

vel aqueam, vel terream, quæ humidum radicale, ac primigenium cognominatur.

1. de gen. t. 84. & sequentib.

Elementa in misto vt sint.

Quin elementa in misto coniuncta, & permista esse ait Aristoteles, & vsque adeo inuicem confusa, vt a quocunque calore patiatur misti substantia, seu externo, seu interno, seu valido, seu debili, semper omnia elementa necessarium sit affici, ac nunquam vnum alijs intactis labefactari posit.

Non ergo vsquam in animali vrget vsus reficiendi solam partem aeream; eoque vrgente, id non fit quia residuus aer in misto nutriri debeat; eique nutriendo aptus esse non potest aer externus inspiratus.

Partes animalis à prædominio aereas non ali aere inspirato. Cap. IX.

Verum quoniam interpretari quis posset Viros Clarissimos nomine aereæ substantiæ nostri corporis non intelligere aerem, qui est in misto quartum elementum à tribus alijs essentia diuersum; quippe in humano corpore sunt variæ partes, quæ omnes sigillatim mistæ sunt, attamen quia singularum non est idem temperamentum; aliæ nanque alijs calidiores, frigidioresue, sicciores, & humidiores existunt; proinde fieri vt aliæ dicantur à prædominio terreæ, aliæ aqueæ, aliæ aereæ, aliæ igneæ: profecto terreæ sunt ossa, ligamēta, cartilagines, tendines, atque id generis partes frigido, & sicco temperamento præditæ; aqueæ vero partes sunt oculi, cerebrum, glandulæ, aliæq; omnes frigidi, & humidi temperamenti; aereæ autem sunt carnes, adeps, pinguedo, sanguis, & halitus (si hæc omnia mereantur inter corporis partes connumerari) & si quæ sint aliæ temperaturam habentes calidam, & humidam; igneæ sunt cor, & spiritus feruidiores in corde geniti: modo calor cordis, atque spirituum diffusus in corpus vniuersum, si vigeat, omnes cuiusque naturæ partes depascitur; si debilis fuerit, molliores tantum absumit, cuiusmodi sunt aereæ; si adhuc debilior, intactis carnibus, adipes, ac pinguedinem; si summe debilis, in massa sanguinea solum eam partem consumit, quæ mistum est omnium à prædominio aereum; huiusmodi vero est sanguinis portio tenuior, & halituosa, nondum in spiritus feruidi naturam translata, sed adhuc permanens sub forma vaporis aerei; cui halituosæ sanguinis portioni reficiendæ natura vtitur aere hoc nostro crassiori, minimeque simplici, eum attrahendo intra corpus tum per tracheam vsu respirationis; tum per ostiola ceterarum arteriarum ad vniuersum corporis habitum insensili, & occulto hiatu patentia: sic tueri posse allata opinio quibusdam videtur.

Partium corporis substantiam non à solo calore consumi.

At vero neque ob id fieri vlla ratione poterit vt diu viuant sine consueto cibo abstinentes nostri; siquidem ante omnia & hic falso supponitur partes corporis nostri a solo calore natiuo, & interno deuastari; cōsumuntur enim & ab externo, qui plerunque viget; atque a motu cum animi) vnde in adagio est, spiritus tristis exsiccat ossa) tum etiam corporis; & à pluribus alijs extrinsecus occursantibus, quæ solidiores quoque partes macerent, atque absumant, nedum molliores.

2. de an. t. 47.

1. de gen. t. 32.

t. 35.

Ali, augeri, ac diminui aut omnes partes, aut nullas.

Subdere liceat, quum nutricatio in viuente ab augumento non re, sed ratione distinguatur, quod belle demonstrasse Aristotelem supra notauimus; sane idem prorsus de numero partium augendarum, & nutriendarum fore iudicium; quum ergo sensu percipiamus (inquit Aristoteles) eius, quod augetur, quamcunque partem auctam esse; similiter & in diminutione quamlibet decrescentis partem imminutam esse; quamcunque partem (mox inquit) etiam minimam, quæ sit veluti signum, & punctum sensibile: quomodo assentiemur dicentibus fieri posse, vt in abstinentibus consumantur, & alantur partes aereæ?

2. de an t. 14.

Deinceps idem Aristoteles alibi apertisime confitetur omnia vegetabilia augeri, diminui, & nutriri omnem in partem, non in aliquam sic, vt aliæ omnino à motu cessent augumenti, vel decrementi, & nutricationis.

Lib. 4. de vita, c. 11. Cap. 20.

Subiungas etsi non disipentur partes solidæ, & aqueæ in abstinentibus (vt hoc demus disputationi) falso tamen dicitur absolute non vrgere vsum alendi etiam solida membra; quandoquidem & alias, & infra commodiori loco demonstratur finem altionis non esse meram instaurationem deperditi, sed in crescentibus augumentum corporis, quod perspicuis verbis docuit nos Aristoteles.

3. de an. t. 59.

Consimiliter & illud falsum est vaporosam sanguinis substantiam aere nutriri; tum quia simpliciter ali non potest, quando supra ostendimus humores, ac spiritus non posse nutriri; tum quia si aleretur, aere certe nō nutriretur easdem ob caussas, propter quas ante monstrauimus nec simplex elementum posse in mistum corpus immediate mutari; nec impurum quantumuis aerem, aut etiam mistum imperfecti generis in mistum perfectum ex quatuor elementis constitutum; sanguinis enim portio uaporosa mistum perfectum est omnia in se continens elementa, etsi demus inter ea prædominari aerem.

Non ergo partes in nobis à prædominio aereæ nutriuntur aere inspirato.

Aerem hunc, quem inspiramus, non esse alendo corpori. Cap. X.

3. de an. t. 63. & 64.

2. de an. t. 120.

2. Phys. t. 94.

2. de an. t. 115 & t. 120.

Ceterum si & insuper ostēderimus aerem hūc inspiratum ex se non esse simpliciter alendo corpori, proposita funditus corruet opinio. Hac in re illud primum occurrit ex Aristotele, Alimētum, quum pertineat ad gustum, qui est tactus quidam, tangibile esse necesse est; modo aer tangibilis non est; quum minime omnium elementorum habeat sensibiles differentias eidem Aristoteli, cui tactus non percipit nisi tangibilium exuperantias, qui organum habet in tangibilium cōmensuratione, ac mediocritate positum.

2. de an. t. 101. 102.

Postea uero alimentum omne aliquem obtinet saporem, quum pertineat ad gustum, cuius obiectum nihil est nisi sapidum apud eundem Aristotelem; quo sensu quoque uerum est uulgatum adagium, Quod sapit nutrit, nutrire scilicet id solum, quod aliquem habeat saporem; aer autem

quum omnis omnino sit saporis expers, alimentum vere non esse statuendus est.

Tum animalium omnium alimentum quodlibet gustabile est, nempe gustui gratum; nanque Aristoteli cibum omnia capiunt animalia, vt quæ voluptatem ex cibo sentiant; at vero voluptas a cibi sapore generatur in gustum, quum itaque aer gustum non delectet, nec vlla ratione afficiat; iam non sit aer cibus, & alimentum.

2. de par. an. c. 17.

Vltra hæc eidem Aristoteli animalia omnia, tam sanguinea, quam exanguia, obtinent eam partem, quæ sapores sentire potest; ea vero lingua est: quum autem linguæ simpliciter duplex sit vsus, loquela, & saporis sensus; non omnibus ad locutionem data est lingua; data est autem omnibus ad gustum, atque saporem: si quod ergo animal a natura linguam obtinuit, id aere solo vesci non potest; sique id in usum fuerit, frustra iam sit in eo lingua; quod propter vulgatum de chamæleone commentum obiter afferre licuit.

Loc. c. — Lingua omnibus data cur sit.

Item si aer inspiratus alere potest, quidni multo magis lapides, & metalla in tenuissimum pollinem redacta nutriant? quidni longe magis quã aerem ea nutrire dicamus, quum vere mista sint, & non omnino saporis expertia? sed tamen haud alunt saxa, nec metalla; nec ergo nutriet aer.

Insuper viuentia non quocunque aluntur, sed eo tantum quod sibi familiare est, congeneræque naturæ: Verum quæso in qua re consistit huiusmodi nutrimenti, & nutriendi naturæ communio? an in communione materiæ? nihil magis; nam de ratione alimenti est, vt conuertatur in nutriendi substantiam; at secundum substantiam ea inuicem non transmutantur, nisi quæ gaudeant cõmunione materiæ decreto Aristotelis: Ceterum materia hæc non est prima illa communissima omnibus corporibus caducis; quippe non omnia cedunt in alimentum viuenti: Nec materia vltima, & proxima, quandoquidem alimur cibis diuersi generis: sed est materia quædam media inter proximam, & remotissimam: huius autem mediæ materiei duæ sunt primæ species, alia est materia misti, alia uero animati; sane quum non alimur quocunque misto, sed eo solum, quod est animatum, aut ad animatum quoquopacto referatur, seu tanquam pars, seu tanquam fructus, seu tanquam semen, seu alio quouis modo; procul dubio conuenientia necessario intercedens inter alimentum, & alendum corpus, nulla erit alia quam quod vtrumque obtineat materiam, quæ suapte natura sit in potentia proxima ad animam, & ad animatum generatim acceptum proxime referatur: Quo factum est vt in tanta rerum multitudine nihil quicquam nos alere possit, quod non etiam & ipsum alatur, sitque vita præditum; non enim lapides, aut metalla nobis alimenta sunt, quibus communicamus in materia misti simpliciter; nec ignis, vel terra, quibus communicamus in materia prima; sed stirpes duntaxat, & animalia, & vtrorumque tum fructus, tum semina, tum alia quæcunque ex ipsis prodiere vinum, lac, oleum, & omnia id generis; quibus communicamus in materia viuentis, & animati; quod pulchre notauit etiam Aristoteles inquiens, Quoniam nihil alitur non participans vita, iam animatum erit corpus quod alitur; & eatenus aletur, quatenus animatum est; quamobrem alimentum, quod altione transmutari debet in naturam alendi, ad animatum est, & non secundum accidens; nempe relationem, & habitudinem habet ad animatum, non quidem secundum dici vulgo nuncupatam, sed quam vocant secundum esse, quod est alimentum ad animatum esse, non dici; & huiusmodi habitudinem habeat non secundum accidens, verum secundum se, vt nimirum alimentum sit animatæ rei vel pars, vel effectus, quacunque ratione: itaque alimentum omne debet esse pars, vel fructus animati; & hoc non quia nostra vita, nosterque calor non nisi aliorum uita, & calore sustineri possit, ut existimauit Fernelius; quoniam ijs utimur, & alimur nonnisi uita functis, caloreque, qui uitæ sit comes, destitutis; sed quia materiam obtinent aptam induere immediate formã, & animam eius, quod alitur, in cuius substantiam commutari, eiusque formæ subijci per nutricationem ea oportet. Subdit Fernelius, quia neque corporis nostri substantia nonnisi illorum materia sustineri potest; sed hoc est quæsitum alijs uerbis repetere, non quæsiti caussam assignare; dum enim quærimus cur uiuis solis alamur, idipsum quærimus cur nostri corporis substantia non nisi uiuorum materia sustineatur; nam idem prorsus est Aristoteli aliquid nutriri aliquo, & alicuius substantiam conseruari, ac sustineri alicuius materia: sed hæc obiter. Quum itaque aer hic, quem inspiramus, proximam non habeat potentiam, seu immediate non sit dispositus ad induendam animam veluti sui formam, atq; ideo nequeat unius agentis actione in corpus uiuentis conuerti, cum quo solum communicat in materia prima omniũ remotissima a uiuentis natura; quæ ideo non est in proxima potentia ad animam; necessario concludere liceat neque abstinentes nostros, neque uiuens ullum posse aere nutriri.

Alimentum quomodo sit familiare alẽda substantię, & vnde natura cõsequatur. — 3. de gen. t. 1. — Quo mistos alamur. — Vid. lib. 4. cap. 3. 4. 5. & c. Metallis cur non alamur. — Alimentum spectes inspectas. — 2. de an. t. 40. — Alimentum vt se habeat ad animatũ ex Arist. — Cur alimentum debeat esse vel pars vel fructus rei animatæ. — 2. de abd. rer. cau. c. 7. — Fernelius notatur. — 2. de an. t. 47. & 48.

Addamus his receptissimum Aristotelis placitum, unumquodque scilicet ex ijsdem ali, ex quibus constat; quum itaque uiuentia cuncta nostratia mista sint perfecta ex quatuor elementis; fierique nulla ratione possit ut animatum corpus constet ex aere, & aqua solummodo inuicem mistis, eodem Aristotele demonstrante; profecto satis appareat nullum uiuens nutriri posse aere solo, nec simplici, nec misto; nam aquæ soli mistus erit in uaporem aer, qui possit inspirari; terræ nanque, aut igni mistus aer caligo est, ac exhalatio fumida respirationi tum ob crassitiem, tum ob calorem ineptissima; respiramus nanque ad refrigerium caloris insiti.

2. de gen. t. 50. — 8. hist. cap. 2. — 2. de gen. an. c. 11. — 2. de an. t. 91. — De sens. & sens. c. 5.

Sed quo relinquimus demonstrationes ab Aristotele in hoc proposito allatas in Pythagoricos? arguit igitur primo, Alimentũ omne, ut uertatur in substantiam nutriendi uiuentis, prius concoqui debet; quia oportet alẽdo fieri simile, cui dissimile est inconcoctum; coctione uero eatenus ei

Aerem nõ alere Arist. demonstrat. — 2. de an. t. 47.

C simi-

simile redditur, quatenus ab exerementis repurgatur: modo ex aere, quē inspiramus, nullum potest exerementi genus segregari, quum simplex sit, exerementa enim solis insunt mistis, ut fusius infra patebit. si forte dicas aeri admistam esse aquā; ea in aere non est excrementum, quod ipsum corpori alendo reddat dissimile; sed uicissim ex aere & aqua mistum nutriendo corpori est tanto similius, quanto minus simplex: quum ergo aer, siue purus, siue mistus aquæ, ita dissimilis sit corpori nutriendo, quod mistum est, ut nulla coctione possint ab eo exerementa segregari, & hac ratione fieri similis alendo corpori; plane consiteri necesse est nullum uiuens aere nutriri.

Cap. 27. Excremēta quibus insint.

Præterea uero arguit Aristoteles, Alimentum omne debet actione caloris, qua uertitur in corpus uiuentis, incrassari, & corpulentum fieri; Et eo magis, quo fuerit alendo corpore tenuius: Verum aer actione caloris tantum abest vt corpulentus fiat, quod raritatem potius, & maiorem longē tenuitatem adipiscatur: nullius ergo uiuentis aer est alimentum.

Aer calore non densatur, sed rarescit potius.

Amplius partes omnes animalis eo alimento nutriuntur, quod sugunt ex sibi insitis uenis capillaribus, quæ gradatim a maioribus illud ipsum attraxerunt ab hepate, atque à uentriculo, qui est commune quoquopacto totius alimenti promptuarium; quum itaque aer inspiratus non transeat ab ore in stomachum; liquido iam constet aerem non ingredi corpus, seu non inspirari ad nutriendas partes, ut alimenta cetera. Quæ Aristotelis rationes hic breuiter allatæ, infra commodiori loco fusius explicabuntur.

Cap. 26. & sequ.

Adijcienda his est autoritas, & ratio ab Hippocrate proposita, Alimentum omne ab animali assumptum intra corpus retineri debet, non iterum extra propelli; secus enim non conuersum in corporis substantiam haud alit; sed aer inspiratione per pulmones attractus, ubi æstum cordis temperauerit, atque ita cesserit in medelam feruoris, necessario per eandem uiam retroductus recurrit, atque reijcitur; aer itaque non cedit in alimentum humanæ naturæ.

Lib. de Corde.

Immo, subdit Hippocrates, *quomodo alimentum hominis sit ventus?* aerem venti nomine appellat more uetustiorum existimantium uenti naturam in solo aeris motu consistere.

Ventus quid veterib.

Non ergo ex rei natura, non est Aristotele, non ex Hippocrate dici possit aer uiuenti cedere in alimentum; quod est præcipuum allatæ opinionis fundamentum.

Potu non ali humores, sed partes solidas & creari spiritus.

Cap. XI.

A Veritate illud etiam non parum abest placitum, quo Viri egregij asserebant, quod bibendo liquidum ingurgitamus, id omne humores alere, non item partes solidas, nec in spiritus uerti; dudum enim ostendimus humores non ali: Vere quidem uinum, iuscula, & alia nutrimenta liquida omnia potu ingesta ui stomachi uertuntur in chylum, ex quo hepar humores gignit, aut sanguinem Cor, qua sanguinea massa, tum partes etiam solidæ nutriuntur, tum spiritus uitales appellati calore cordis celerrime quoque procreantur; quo factum est ut uino statim collapsæ uires in exolutione spirituum recreentur: Ac uere calor in humorem agens, necessario inde uapores attollit: sunt autem spiritus Argenterio uel ipsi uapores ui caloris e sanguinis massa excitati.

Cur in exolutione uino statim collapsæ uires recreentur.

Calor in humorem agens uapores attollit necessario.

Ad nutricationem metaphoricam non semper consequi veram: & Rondeletij difficilis assertio.

Cap. XII.

REcte uero illud à Conciliatore pronunciatū est, cibum tunc uere alere, quando sui materia operatur; hoc est, quando mutatur in corpus, quod alitur; mutatio enim hæc est passio, ac proinde operatio materiei permanentis; quando inquit sui materia operatur, seu uertitur in nutriendum corpus, ipsum restaurando, & augendo. Metaphoricę autem alere quicquid non sui materia uertitur in uiuentis substantiam, sed solum sui qualitate in corpus animati agat, ipsum alterando, & confortando (ut ipse ait) sed caute admodum accipiendum est quod mox subiungit, Ad hanc metaphoricam nutricationem tandem consequi ueram; quia scilicet quod prius sui qualitate refocillauit, recreauitque alterando, demū etiam sui substantia restauret, & augeat, uere nutriendo; id enim uerum est solum de nutrimento proprie nuncupato per os in uentriculum demisso; non autem de odoribus etiam alimentorum per nares ad cerebrum attractis, aut per arteriam, & pulmones ad cor delatis: hi enim sola sui qualitate labantes spiritus recreant, non item sua substantia in corpus uiuentis commutantur, ut infra suo loco demonstrabitur euidenter.

Cibus est sui materia operetur Aponensi.

Metaphorica nutricatioque.

c. 26. & s.q.

Sed & in Rondeletio illud nō mirari nequeo, quod homines abstinentes aere solo nutriri posse statuat, qui paullo ante homines absolute aqua nutriri non posse dixerat, ex qua pisces ali opinatur, quia hominibus inesset solidior substantia, quam piscibus, atque ideo solidioris indiga nutrimenti.

Atque his propositam sententiam de eo, quod esse abstinentes nostros inspirato aere nutriri, euertisse sit satis.

Soluuntur argumenta, quibus nititur prior opinio, nec primo non dari tria nutrimentorum genera, sed unicum ostenditur; nec ali omnia quæcunque diffluunt in viuente, & restauratione indigent. Cap. XIII.

NE tamē aliquid superfit, quod eā denuo pullulare faciat, age rationes, quibus ceu fundamētis innititur, modo discutiamus. Ad primū itaque

que argumentum concedimus vltro in humano corpore tres reperiri substātias, quæ caloris actione, addimus & alijs de caussis quamplurimis, consumuntur fere continue spiritus, humores, & membra: concedimus item vnumquodque horum trium naturæ opera instaurari; sed negamus instaurationem huiusmodi fieri per nutricationē interuentu triplicis alimenti diuersi; nā solæ partes solidæ, quæ viuentes sunt, & animatæ a natura id habent vt per nutricationem conuertendo sanguinem in sui substantiam suæ consumptioni consulant; sed humores, ac spiritus nullum genus obtinent alimenti, quo vere alantur conuertendo illud in sui naturam; verum humores vbi consumpti fuerint, à natura instaurantur per nouam similium generationem ex chylo in hepate, ac præexistentibus adiunctionem; sic etiam spiritus inopia tollitur nouorum spirituum generatione ex sanguinis massa in Corde: quamobrem verum non est, quicquid in nobis à calore dissipatur, omne id egere nutricationis; verum quidem est idipsum indigere instaurationis, sed restauratio alias fit per altionem, vt in partibus solidis; alias vero sine altione per nouam similis naturæ generationem: Quum itaque vnius generis substantia in nobis adiit, quæ per nutricationem instauratur; proinde vnum tantummodo genus alimenti reperitur, nimirum sanguis, quo nutriri partes omnes animalis axioma est apud Philosophos, & Medicos, receptum etiam, probatumque à Cōciliatore frequentissime.

Instaura- ... deper- ... i non ... per si ... altio- ... n.

Quare ad secundam rationem concedentes calorem exilem ob virium imbecillitatem, quandoque consumere solos spiritus, intactis humoribus, & partibus solidis; quandoque validiusculum destruere quoque humores; vt plurimum autem adeo pollere, vt etiam solidiorum membrorum substantiam depascatur; inficiamur membra refici solum cibo solidiori, humores potu, & spiritus aere; quando tria hæc omnia in corpore nostro ex eodem genere alimenti restaurantur, licet diuersimode; si enim loquamur de alimento antequam intra corpus ingeratur; id specie quidem longe multiplex, at genere duplex est, cibus, & potus: sed hęc duo intra corpus assumpta calore digeruntur, atque in vnam substantiam lacti persimilem, ac fere homogeneam nomine chyli donatam in ventriculo conuertuntur; chylus hic per mesenterij venas ad Iecur delatus in sanguinariam massam quatuor humores in se complectentem commutatur; geniti vero ab hepatis calore humores e chylo sub forma sanguinis indistincti feruntur in venas cum præexistentibus ibi humoribus permiscendi, & illorum inopiam leuaturi; atque ita restaurantur humores consumpti, non quidem per veterum humorum nutricationem ex potu, sed per nouorum ex toto chylo generationem ab hepate, ac veteribus aggregationem; totus enim chylus in humores vertitur, non ea pars sola, quæ ex potu est; Postea vero humores hi omnes in venis clausi per vniuersum corpus discurrentes restaurant ijdem tum partes solidas, tum etiam spiritus, sed longe uaria ratione; quia humores uere partium solidarum substantiam consumptam instaurant per nutricationem, ac sub ratione alimenti; quando solidæ partes attrahentes e sanguinis massa portionem humorum sibi conuenientem, illa proprio calore conuersa in sui ipsarum naturam vere nutriuntur: At humores ijdem reparandis spiritibus inseruiunt, non vt alimentum, sed ut materia generationis; nam Cordis calor in sanguinem agens inde suscitat vaporosam illam substantiam, quam spiritum appellamus; quæ adiuncta consimili naturæ in cordis sinibus, & in arterijs repertæ illam auget citra nutricationem per merum additamentum.

...menti ...gressus

...modo ...autem ...humo... ...ra.

Spiritus consumpti vt instaurentur sanguine non vt ex alimento.

Et, si placeat unicuique horum distinctū quid adscribere, quo instauretur, dic humores consumptos instaurari toto chylo, non solo potu; partes autem solidas refici sanguine, siue humorum parte densiori, crassiorive; spiritus deinum reparari eorundem humorum, sanguineæue massę portione tenuiori; Ceterum addito huiusmodi restaurationes non omnes fieri per allatas substantias sub ratione alimenti ministerio, ac interuentu nutricationis; sed humores e chylo reparari tanquam ex materia per generationem rei consimilis sibi adiungendæ; spiritus itidem ex tenuiore parte sanguinis restaurari ut ex materia per genesim rei cōgeneæ sibi copulandæ, eo modo prorsus, quo reparatur uinum in dolio, & aqua in mare interuentu fluminum; partes solidas tantummodo e sanguinis massa, seu ex humorum crassiori substantia refici ut ex alimento per nutricationem ab ipsismet conuerso in sui ipsarum naturam.

Aerem inspiratum non esse mistum, nec adeo vt sit alendo corpori.

Cap. XIV.

AD tertiam rationem respondemus negantes aera, quem inspiramus, esse mistum, non simplex elementum; & eapropter posse nutrire, si mistum quid esse concedatur: in primis enim aer uere mistus dici non potest; mistum nanque proprie illud corpus est, quod ex pluribus constituitur secundum minima inter se ita confusis, ut nullius eorum natura integra, sensibusque conspicua seruetur, sed coeant in unum compositum nouæ speciei, ac diuersæ ab elemento simplici, seu ab essentia pristina eorum, quæ commiscenda erant; ut fuse alicubi demonstrat Aristoteles: modo cuicunque simplici corpori si addas aliud corpus diuersæ naturæ, quod illud alteret, quidem, & ipsius puritatem labefactet, non tamen eius naturam, & essentiam mutet, haud propterea illud mistum appellare licebit, sed impurum, minimeque syncerum; aer itaque hic, quem inspiramus, licet illibatam, & synceram sui substantiam non obtineat ob admistionem uaporis, & exhalationis de aqua, & terra ascendentis; ijs tamen non

i de gen. t. 85 & sequent.

Elementū impurum quid à misto differat.

adeo mutatur, vt desinat esse aer, pristinamque speciem non retineat: quare proprie dicendus est impurus, & insyncerus cum Aristotele, non autem vere mistus, & non simplex cum Argenterio: Quum autem viuentia, quæ nutriuntur, sint mista proprie, non simplicia impura; nutrimentum vero congeneam debeat naturam obtinere cũ alendo corpore; profecto aer ex eo quod sit impurus, haud protinus naturam habet alimentarem.

1. Meteor. Cap. 4.

Immo & disputanti esto aer hic mistus, non erit sane corpus mistum ex omnibus elementis, quod mistum perfectum nuncupant; sed ex duobus, vel tribus ad summum; quum autem viuentia cuncta sint mista perfecta, si alimentum congeneum esse oportet ei, quod alitur; iam nullo viuenti erit alimento aer.

Neque prætereundum est, vel admittentes aerem hunc esse mistum perfectum ex quatuor elementis, non illi propterea tribuere alimenti naturam; quod pulchre obseruauit M. Albertus libello suo de nutrimento, & nutribili; ob rationes antea propositas; quibus & ea est adiungenda, quia si ex eo quod aer mistus esset, propterea nutrire valeret; iam necessario quodcunque mistum aleret: quid ergo non alimur auro, argento, lignorum vetustissimorum pollime, & alijs plerisque mistis? ceterum alere illud solummodo potest mistum perfectum, quod habet dispositiones propinquas ad induendam animam nutriendi sub ratione formæ; oportet enim alimentum in substantiam viuentis conuerti, atque vnico agente, vt notauit Albertus, & vna functione animatum fieri: quum autem dispositionem huiusmodi ad animam illa solum mista obtineant, quæ sunt vel partes, vel fructus animatorum, vt supra ostendimus; liquido iam constat aerem, & mista quomodocunque non sortiri naturam alimenti.

Cap. 1. Cap. 10.

Mistum quod sit alimentum

Cap. 10 Vide lib. 4 cap 3. & a. 5. & 6.

Explicantur allata dogmata Galeni de eo quod est spiritus aere nutriri.

Cap. XV.

GAlenus autem satis firmum his viris non est in locis allatis fundamentum; autoritati enim ex libris methodi primum propositæ respondeas Galeno ibi non dici spiritus ali aere, sed spiritus custodiri ex respiratione, ac transpiratione, & ex vapore, qui ex sanguine attollitur, nimirum quia in spiritibus duo sunt, quibus non seruatis spiritus superesse nequeunt; alterum est calor naturalis, veluti spirituum forma; alterum est substantia ipsa vaporosa, quæ illorum materia est: sane calor spirituum custoditur respiratione, ac transpiratione; non quia spiritus aere inspirato alantur; sic enim ad spirituum custodiam sola inspiratio per se primo conferret, non item exspiratio, quæ est altera pars totius respirationis; cui toti correspondet in vniuerso corporis ambitu transpiratio contenta in motu arteriarum ad cutim aerem suo modo attrahentium ad refrigerium, & expellentium attractum cum fuliginibus ad custodiam caloris spirituum, qui sunt in toto corpore dispersi; quum respiratio eadem ratione conferat ad custodiam caloris in cordis finibus contenti: Verum quia caloris ea natura est, Galeno passim animaduertente, vt breui destruatur, nisi ventiletur ea ratione iugiter, vt aere nouo temperetur illius æstus per inspirationem, & vetere per expirationem vtatur ad expellendas, vehendasque foras sibi noxias fuligines: Sed spirituum materia custoditur ex vapore a sanguinis massa eleuato cedente in locum materiæ spirituum consumptæ: Non ergo ex hoc Galeni placito recte colligitur spiritus ali aere; aliud enim est custodiri, & ali; quum illud sit hoc longe communius: quicquid enim alitur plane custoditur, at non protinus alitur quicquid custodiri dicitur.

11. meth. cap. 3.

Spirituũ forma, & materia qua.

Respiratio quomodo ad spirituum custodiam conferat.

Calor in[...] diget v[...] gere [...] ventila[...] tione.

Alijs Galeni locis in opere de vsu partium, & de vtilitate respirationis, vbi scribitur spiritus nutri, & cibari aere inspirato non difficile occurras asserendo Galenum ibi nutricationis, & cibationis nomine vti sub communiori vocabulo, & metaphorice ad significandum quodcunque adiumentum, quod ab inspirato aere spiritus acquirant: ergo spiritus quoquopacto fouentur aere, ideo illo nutriri dicuntur, qui tamen proprie non aluntur: nanque aer non vertitur in substantiam præexistentis spiritus, quod est alere; sed Galeno vertitur in nouos spiritus, quod est proprie generatio; quamuis hoc placitum nobis non accipiatur; nam spiritus sunt subtilior pars sanguinis, in quam aer nullo agente proxime commutari potest, potissimum in cerebro: sed vsus aeris remanentis post expirationem est tum attenuare spiritus, & ad instar vehiculi per cæcos neruorum meatus à cerebro in corporis membra omnia comportare; tum potius refrigerare calorem spiritibus innixum, ne nimis æstuans cito spiritus dissoluat; quæ conseruatio spirituum ab aere, si nutricatio appellanda est, profecto nihilominus æquiuoce nutritio erit, quam ea, quæ apud vulgus dicitur de ignis actione in combustibile; & quę apud Celsum vlceri, ac vulneri a medicamentis prouenit: quia ergo nutricationis, ac cibationis vocabula Medicis præsertim assumuntur in significatione minus propria, quia id omne cibare, ac nutrire spiritum asserunt, quod spiritum quomodocunque iuuat, custoditque: hoc sensu aer spiritum cibare, ac nutrire concedetur etiam a nobis; sed non ea est hæc nutricatio, qua de agimus: Non enim aer spirituum substantiam consumptam ceu proprium alimentum resarcit, sed solum præsentem custodit, & conseruat sine vera nutricatione, vt vel ex Galeno aperuimus.

Ani[...] vi[...] nen[...] pend[...] Ani[...] rans[...] corpor[...] nenu[...] vsu [...] ribu[...]

Lib. 1. cap. 45. Lib. 7. cap. 14 Lib. 1. cap. 1. 10.

Alo-

Alexandri, Nicolai, Ciceronis, ac Theophrasti dicta considerantur de eo quod est aerem alere spiritus, & calorem; & ad Aristotelis, ac Hippocratis censuram rediguntur. Cap. XVI.

2. probl. 68.

QVod autem posterius ex Alexandro affertur alicubi asseuerante aerem, qui naribus trahitur, extenuatum in Corde ad cerebrum ascendere per arterias, alimentumque offerre sese spiritui animali, parum nos turbat: tum quia problematica doctrina exoterica est, atque acroamaticis rationibus antehabitis longe inferior; tum quia tanta non est huius Alexandri autoritas, vt rationi comparanda, nedum sit præferenda; est enim problematum Autor Alexander non Aphrodisæus ille Peripateticorum antesignanus, vt vulgo creditur, sed Trallianus Medicus; quod Gaza etiam notauit, & ex allegato problemate facillime colligas, in quo autor animum hominis immortalem esse decernit, quo nihil ab Aphrodisæi hac in re impij opinione alienius: tum demum quia nomine alimenti nihil est quod dissuadeat Alexandrum intelexisse quodcunque emolumentum, quod ab aere spiritui prouenit, vt nuper animaduertimus: quo de emolumento nutricationis, salutisque nomine ab aere præterquam piscibus, ceteris omnibus prouenientem agit etiam Plutarchus 8. Sympos. quæ. 8. asserens e Pythagoræ dogmatibus, pisces neque communi spiritu aluntur, neque cognati cum nostro alimenti partem capiunt; sed qui reliqua omnia seruat, nutritque aer, ijs perniciosus est.

Problema tum autor est Alexander non Aphrodisæus, sed Trallianus.

Quod autem ex Nicolao Peripatetico mox adducitur, nimirum conseruationem caloris fieri per aerem, non ad sui refrigerationem, sed ad nutrimentum, probationis indiget; probatio vero non fit dicere in paruis animalibus paruum calorem ali aere per cutis poros ingrediente; nam paruus, & eorum calor aere temperatur, non vere alitur, vel Aristotele autore, cuius duo illustria loca non possum præterire, vt pateat Nicolaum non reuera Peripateticum esse, at nomine tantum; namque alicubi Aristoteles ait existimandum non esse respirationem fieri alimenti gratia, quasi calor internus alatur aere inspirato, qui ceu igni succenso veluti fomes per inspirationem adijciatur; absolutaque nutricatione foras, quæ supersunt, excrementa per expirationem detrudantur; fictitiumque esse calorem ex aere fieri, quem ex alimento, nimirum ex sanguine fieri conspicimus; caloris, & ignis interni nomine spiritum appellans. Deinde vero fusius ostendit Aristoteles viuentia multo calore prædita vti respiratione ad eum refrigerandum; exanguia vero, & respirationis expertia satis ambiente aere per cutis latentes meatus ad interna viscera intromisso id sortiri, vt calor intimus refrigeretur. Ciceronem arbitramur alimenti nomine vsum fuisse per metaphoram vsitatissimam ad significandum caloris refrigerium, dum ait animantes ali maxime spiritu inspirato: sic Medicorum Cicero Cornelius distantiori metaphora scribit vulnera suis medicamentis nutrienda esse, atque alibi diutissime alendum esse pus: sic Latinus Poeta eadem metaphora vtitur inquiens.

De resp. cap. 8. Calor internus non alitur aere inspirato Arist.

Cap. 11.

Lib. 5. cap. 8. Cap. 10. Vlcera, & pus quomodo nutriri dicantur à Celso.

1. Æneid,

„ *Quem si fata virum seruant, si vescitur aura*
„ *Ætheria.*

sic ante illum Græcus Achillis vmbram hæc loquentem asserit in Odyssea

„ *Nam non talis ei nunc sum defensor, ad altam*
„ *Qualis eram Troiam, supera qui vescerer aura.*

& alibi eodem libro

„ *Nil homine in terris infirmus ætheris aura*
„ *Vescitur, aut perreptat humum.* . . . . . .

Quod inde proponitur ex Theophrasto asserente aerem absolute nutrire, ac præsertim alere plantas, eiusdem generis est; quod enim aer plantas iuuat, eas nutrire dicitur; ac proinde agricolas recte defodere terram, vt etiam radicibus aer concedatur; alioqui non nisi per radices vero nutrimento quum plantæ gaudeant attracto, plurimæ tamen diutissime viuunt arbores, quibus nunquam ad radices terra defoditur: quin & ibi Theophrastus non aere solo ali plantas asserit, sed vaporoso quodam humore, qui ex permistione aeris cum terra emergit. Alteri autem placito, quo absolute aeri vim alendi concedere videtur, occurras (nisi fidem autoritati abrogare velis) animaduertendo Theophrastum hoc non ex propria mente asseuerasse, verum ex vulgari opinione, quum scribat aquæ demendam non esse vim alendi, quando aer quoque alere posse putatur; quod argumentum Rondeletius assumpsit; putatur quidem à vulgo, sed falso putatur, si de vera nutricatione agamus; metaphorice alere non diffitemur. Ceterum his omnibus autoritatibus, si sermo sit de proprie dicta nutricatione, præferendas esse duximus tum omnes rationes antea propositas, tum quoque vnam instar omnium maximam autoritatem Hippocratis decernentis aerem inspirari ad medelam feruoris Cordis; non autem ad alimentum vlla ratione, quum haud remaneat in corpore inspiratus aer, sed rursum per eandem viam extra reuertatur.

5. de caus. cap. 14.

2. de caus. cap. 8.

Lib. de Corde. Hippocr. aer non alit.

Hippocratis assertio de triplici alimento illustratur.

Cap. XVII.

QVod autem in oppositum affertur ex eodem Hippocrate primum in Opusculo de Alimento nullum nobis negocium facessit; non quidem quia cum Galeno confugiamus ad alium eius operis autorem; nam quisquis ille fuerit, siue Hippocrates, siue alius, vir certe fuit Hippocrate non inferior, quum opus sit Hippocrate dignissimum; sed quia putamus loco citato maxime confirmari aerem inspiratum non vere alere: quum enim paullo antea scripserit eodem in opere, *Alimentum, non alimentum; si nutrire non potest, nomen est alimentum, non opus: opus, & res est alimentum, non nomen:* nempe duo esse alimenti

Tex. 33. Censura lib de Alimento Hippocrati adscripti.

Duplex esse alimentum.

nomine donata; alterum est alimentum nomine tantum, non etiam re, ac opere; alterum vero est alimentum haud solo nomine, sed re, atque opere; primi generis alimentum est alimentum æquiuoce, quod nutrire non potest; secundi vero generis est proprie dictum alimentum, quod vere nutrit. Quæ vt explicentur, animaduertendum est alimenti absolute considerari munus esse conseruare substantiam viuentis, vt alicubi monet Aristoteles: ceterum substantiam viuentis, quæ potissime consistit in calore natiuo, & humido primigenio (agimus nunc de substantia viuentis vt mistum est, seu quantum ad corpus) cibus, & potus conseruat nutricatione conuersus in naturam corporis, atque auocando calorem à cita humoris consumptione, ac vulgo instaurando humorem antea consumptum, & proinde vterque alimentum est haud solo nomine, sed re, & opere: aer vero inspiratus, quia conserruat eandem viuentis substantiam, non quidem nutricatione conuersus in eius naturam, sed solum temperando æstum caloris natiui, atque ideo prohibendo ne celeriter absumatur humidum, iure dicitur alimentum non alimentum, seu alimentum nomine tantum, non re, atque opere, ac omnino alimentum æquiuoce cum cibo, & potu.

Alimentum æquiuoce.
Difficillimus locus Hippocratis explicatur.
Alimenti munus quod 2. de an. t. 47.
Alimentum non alimentum quid Hip.

Huius vtriusque alimenti, & nutrientis, & non nutrientis attractioni, & elaborationi dicata organa connumerans deinde Hippocrates asserit in hanc sententiam; *Pulmo contrarium corpori alimentum trahit, reliqua omnia idem. Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio. Principium alimenti & humidi, & sicci, os, gula, venter. Verum antiquius & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus.*

Quæ sigillatim expendenda sunt. Sane pulmo dicitur contrarium corpori alimentum trahere, quia trahit aerem sub ratione frigidi ad temperandum natiui caloris æstum; namque temperatio, & remissio excedentis cuiusque qualitatis fit aduentu contrarij, vt nos docuit Aristoteles: reliqua vero membra, vt os, gula, venter, trahunt alimentum idem, non corpori cõtrarium, quia scilicet cibum, ac potum attrahunt, qui quum vertendi sint in substantiam corporis, sunt ipsum idem corpus in potentia; sic sanguis est potentia caro, & os: atque id obtinent cibus, & potus ad aeris differentiam, qui propterea Hippocrati non vertitur in corporis naturam. Secus enim si existimasset Hippocrates aerem cedere in materiam spirituum, iam non dixisset ipsum esse alimentum contrarium corpori ad cibi, & potus, ac sanguinis differentiam; materia enim est potentia id quod fieri debet ex ipsa; quare vt cibus, ac potus, & omnino sanguis est potestate caro, & neruus, ita inspiratus aer esset potestate spiritus vitalis; vnde pulmo traheret non contrarium corpori alimentum, sed idem; quum spiritus corpori contrarius non sit, verum ad viuentis essentiam pertineat. Instrumenta vero deseruientia alimento spiritui, quod est æquiuoce alimentum, ac nomine tantum, non re, ac opere, quia non alit, sed caloris æstum temperat, sunt nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respirationi dicata, nimirum diaphragma, cor, & id generis. Organa vero ad alimentum humidum, & siccum, nimirum ad cibũ, & potum a natura instituta, ceu ad alimentum proprie dictum, quod nutrit reuera, duplicis generis existunt; alia deseruiunt animali maximè iam nato, & sunt os, gula, venter; aliud est antiquius instrumentum à primordijs generationis animalibus alimentum subministrans in aluo materna Vmbilicus. Sic igitur existimans Hippocrates ab aere pulmonibus attracto non vere generari spiritus, sed caloris æstum temperari; alias vero partes omnes ad se trahere sanguinem, seu cibum & potum, in sanguinem conuersos, vt nutriantur; sapienter scribit pulmonem trahere alimentum corpori contrarium, alia vero membra omnia idẽ; ac proinde nomen alimenti aeri, cibo, & potui æquiuoce conuenire: nam cibus, & potus vere quum nutriat, quia vertitur in substantiam eius quod alitur, alimentum est potentia viuens, licet concoctum dicatur uiuenti actu simile, inconcoctum vero actu dissimile, atque si placet actu contrarium; tamen est concoctum, & inconcoctum uterum alimentum & potentia idem quod alendum est: aer autem quia non uertitur in ullam substantiam ad corpus viuens pertinentem, sed solum caloris æstum temperat, quo temperato expellitur extra corpus, scite dicitur alimentum corpori contrarium; quo sensu & alibi scribit Hippocrates alimentum calidi frigidum esse.

Alimentum corpori contrarium cur aerem dicat Hip. 2. de cel. t. 37.
Alimentum idem corpori cur cibum, & potum dicat Hip.
Organa veri alimenti duorum sunt generum.
Lib. de Principijs

Non ergo ex Hippocratis mente abstinentes nostri aluntur aere inspirato; quum Hippocrati aer sit æquiuoce alimentum, quod non nutrit vere transiens in substantiam uiuentis, sed solum caloris feruorem temperat; vt etiam supra notauimus ex Aristotele.

Quod autem mox eidem Hippocrati affertur lib. de Flatibus *Animantium corpora triplici à nutrimento sustentari; nempe à cibo, potu, ac spiritu: Spiritum vero in corpore animalis contentum appellari flatum, extra corpus dispersum esse aerem, qui maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt, & autor, & dominus*; nihil magis Clarissimorum Virorum sententiam roborat; namque alimenti nomen & Hippocrates commune cibo, potui, & aeri secundum metaphoram, seu potius æquiuoce accipit, vt ipsemet lib. de Alimento explicauit; sustentantur enim animantium corpora cibo, & potu ueluti materiam deperditam quoquomodo resarcientibus, quando per nutricationem in corporis substantiam conuertuntur: Aer autem sustentat uiuentium corpora temperando caloris æstum, quo secus celeriter absumpto humido mors obreperet.

Nihil ergo fauet Hippocrates asserentibus ieiunio claros ali aere inspirato.

Olim-

Olimpiodori, & Platonicorum dogma de hominibus aere, ac radijs solaribus enutritis expenditur. Cap. XVIII.

QVod subinde apud Olimpidorum legitur de homine illo, quem Aristoteles ait se vidisse ab omni alio alimenti genere abstinentem, aere, ac sole tantummodo uiuentem, nobis Argenterij sententiam non persuadet; in primis enim quando in operibus quæ prostant Aristotelis tale quid reperire non liceat, Aristotelem hoc ueluti vulgi commentum potius quam proprium cogitatum protulisse putandum, quod homo ille aere, ac sole nutriretur; quum supra eum viderimus acriter aduersus Pythagoricos disputantem nihil posse aere ali: Solis nomine siue radios, qui accidentia sunt, siue aerem illustratum interpretemur, longe à Peripato abest eo nutriri hominem. Deinde vero quidam Aristoteles indicare uoluerit illum abstinentem omni alio nutrimento potuisse carere, quo per veram nutricationem conuerso in propriam substantiam consumpta corporis materia restauraretur; at emolumento ab aere inspirato, atque à solis tepore incolumen carere non potuisse quauis de causa; vt propterea ipsum ab omni alio alimento abstinentem aere solo, ac sole nutritum dixerit, perinde ac supra Celsum notauimus vlcera medicamentis nutriri assueuerit tem?

Solis radij accidentia sunt.

Vt Aris. dicere potuerit hominem solo aere, ac sole nutriri.

Quod autem à Platonicorum familia passim affertur de hominibus aere uiuentibus in terra æetherea, uel Platonis testimonio apologum est de Elisijs poetarum campis, merumque figmentum, haud secus atque fabula equi Rabicani, quem Areostus fingit ex flamina, & vento conceptum, sine vllius alterius alimenti usu, puro aere nutritum.

In Phædone.

Chamæleontem ac viperas non ali aere. Cap. XIX.

VVlgatus ille rumor, qui tum Plinio, tum alijs viris eruditis persuasit Chamæleonta nutriri aere inspirato, nos hic retardat paullisper; suspectum nobis fuit semper hoc assertum; si enim vere non alio quam aeris alimento nutriretur Chamæleo, mirum sane foret Aristotelem, qui de hoc animali exactissime disquirit, istud tam dignum memoria, tam rarum, tamque arcanum naturæ miraculum litteris non commendasse, aut vulgo notissimũ ignorasse: Mirabilius adhuc esset istud animal excrementa egerere (quod referente Cardano quidam asserunt) oporteret enim aerem condensari absque uehementi frigore, immo a blando, ac mitissimo calore in consistentiam fæcis, & excrementi: Mirabilissimum autem est ipsum habere linguam, ne dicam frustra; quorsùm enim afferas illi a Natura inditam esse linguam? non certe ad loquelam, quum inter muta reponatur animalia, cuiusmodi sunt lacertorum species, non item ad gustum, si aere alatur, qui & ingustabilis est Aristoteli, & citra usum linguæ respiratione hauritur, intra corpusque ingeritur.

2. hist. c. 11. 4. de part. 11.

9. de subtil.

2. de an. 9. c.

Verumenimuero cum à Scaligero, item quoq; Dalechampio, & plerisque alijs est obseruatum id animal, quamuis famẽ plures menses toleret, lingua tamen sesquipalmum longa exerta, & uibrata, muccoque oblita locustas, formicas, muscas, scarabeos, & alia insecta, quibus alatur, corripere, retinere, ad se adducere; peragit autem hanc insectorum venationem, siue rapinã linguæ ad hoc opus maxime opportunæ repentino, ac fere momentaneo iaculatu, & tractu; illam namque habuit a natura oblongam, in cacumine perforatam, ac lento quodam humore, quasi uisco repletam: Huiusmodi tamen venationem raro exercet, quicquid huius abstinentiæ caussa sit: Plinius autem propterea talem insectorum rapinam & rarissimam, & uelocissimam non animaduertens, censuit hoc animal aere nutriri, quem uidit illi ore patulo aliquando inspirari: eademque opinio apud eos quoque ante Plinium, & post eius tempora inualuit, quicunque nimis creduli, uel sensibus oscitanter, aut saltem non exquisite vsi fuere: Qui vero diligentius Chamæleonis naturam, & operationes inspexere, ijs longe aliter de illius alimento constitutum est; nam Theophrastus huic vulgi placito quasi fidem adimens asserit alicubi parum abesse quin pulmo totum Chamæleontis corpus impleat; ideoque dum auram captat, & consectatur audius, ea uiuere sola creditur. Autor voluminis, quod Hortus sanitatis inscribitur, ex uetustissima Leuitici glosa refert Chamæleonem esse animal dolosum, rapax, & ingluuiosum; & hoc non quia sæpe, ac multum comedat; sed quoniam ex raptu viuat, dolose aucupando insecta uolitantia, sed muscas præsertim, quas ingluuie magna citissime deuorat; inde bellissime vocari Chamæleonem, quasi patuum Leonem; nulla etenim alia in re Leoni similis esse potest præterquam in rapina, & ingluuie.

Exer. 96. artic. 4. Ar. in 1. li. 8. c. 33. Chamæleo quibus alatur.

De color. mutat.

De animal c. 28.

Vide nomen Chamæleonis.

Quod autem de viperis mox adducebatur, nẽpe certo experimento, eoque sæpius repetito compertum esse à viris Clarissimis viperulas, uel nuper natas, uel etiam ex aluo materna a Theriacæ confectoribus viuentes eductas nullo vnquam ciborum esui assuetas, & intra uitream phialam diligenter occlusas, vt neque ad eas externo aeri pateret aditus, post multos menses nedum viuas, & enutritas compertas fuisse; verum etiam (quod uix fidem inueniat) tum mole, tum pondere auctas; quum igitur incrementum non fiat sine altione; alio uiperulis ex nullo alio quam ex aere intra uas secum clauso inesse potuerit; plane confitendum esse aerem uiuentibus, atque adeo nostris etiam abstinentibus in alimentum concedere posse: hoc inquam argumentum non una ratione tollitur; in primis etenim plures nouimus uiros sapientes huic experimento fidem non adhibere; ego autem ne contrasentientium testimonium infitiari uidear, id tamen asseuero me libentissime uisurum huiusmodi obseruationem: Deinde uero si disputationi demus aere serpentes ali posse, id tamen haud concedemus propterea fieri ut homines itidem aere ualeant enutriri; siquidem uel ex

do-

doctrina Galeni pluribus in locis exarata videbimus infra commodiori loco aptum non esse ad alendos homines, quicquid alicui brutorum animalium cedere potest in alimentum. Deinceps autem viperas aere non ali apertissime inde liceat demonstrare cuique, quod alimentum & in consistentia, & in temperatura præsertim nutriendo corpori simile esse necesse est; quomodo ergo viperæ à prædominio terreæ, temperamentoque frigido, & sicco, solo aere nostrati, qui naturæ calidę, ac humidæ constituitur reclamante nemine, nutriri poterunt? Sed nedum viperas, serpentium genus vniuersum vti nutrimentis à prædominio terreis adeo persuasum, ac certum est, vt probationis indigere non videatur; cæno etenim, ex quo putrescente plerumque nascuntur, nata hæc eadem sæpissime nutriuntur. Denique vero viperulas in vase vitreo inclusas aere non ali ex eo conuincas necessario, quod si vas imperuium sit aeri, vt puta hermetico sigillo munitum; quum aer in alimentum viperæ transiens densari, cogique non parum oporteat, & proinde minorem longe locum quam prius sub forma aeris occupare; vt enim aqua vi subditi caloris in vapores, & aerem versa tanto ampliorem locum postulat, quãto sunt vapor, & aer tenuiores aqua; ob cuius loci amplioris penuriam disrumpuntur sæpenumero vasa Chymistis impetitionibus, nempe ignẽ ex humore vapores in multiplicata proportione celerrime gignentem moderari, temperareque nescientibus: ita sane aer concretus in sanguinẽ, aut humorem, quo alitur viperula tenuioris naturæ quam sit aqua, tanto minori loco cõtinebitur, quanto sanguis, & aqua fuerint aere crassiores; non ingrediente igitur intra phialam nouo aere, iam in vase fuerit necessario locus vacuus; aut ne detur, oportebit vasculum vel à semetipso, vel à natura vacuum fugiente diffringi; quorum illud fieri non posse omnibus est apertum; hoc autem experimento facto a viris egregijs non respondet: Non itaque aluntur aere viperulæ in vase aeri nõ peruio. Si vero phiala sit aeri peruia, tunc sane attrahentes viperulæ iugiter aerem, eo citra nutricatum & attolli possunt in ampliorem molem, & augeri etiam pondere, duplici ratione; prior est, quoniam vt cetera animalia, ita etiam viperæ ab ortu multa scatent humiditate, eaque crassa, & viscida, & fere concreta in vniuerso corporis habitu; ingrediens aer tepidus hanc liquans ceu niues in ampliorem molem attollit; vnde sensim corpus viperulæ augeri, ac potius tumefieri videtur; aucto etiam pondere, ob aeris accessum; nam &
4. cel. Aristotelis testimonio aeri propria inest grauitas,
1. 30. & ob quam vter inflatus exhausto est ponderosior:
39. altera est, quia citra permistionem cum pituita solus aer ingrediens corpusculum viperulæ potest illud ad instar vterculi tumidum, & grauiusculum reddere: Tale quid ab aqua ocimum perpeti
Cap. 84. videbimus infra. Quid ni etiam dicamus ab exili calore viperulæ in magnam humiditatum copiam, qua scatet eius corpusculum, agente multos excitari flatus, qui animalis corpus tumidum sine altione reddant? Sane augumentum proprie dictum a nutricatu est, at inflatio vt in uentre hydropis, & in pedibus cachectis Aristoteli citra nu 1. probl. 5
tricatum est: sique alitur viperula, certe aere non alitur, sed pituita ab aere liquata, & fusa, & ideo præparata vt ab exili calore insecti uerti possit in alimentum; unde incrementum molis, & ponderis ab aere si est non ut ab alimento est; qua de re Lib. 4.
infra etiam dabitur disserendi occasio, & explica- cap. 29.
bitur eadem theoria in ocimo. Cap. 84.

Canemleuem, & Manucodiatam apud Indos non ali aere. Cap. XX.

Scaligeri placitum de Caneleui, & Manucodiata, quæ bruta existimat apud Indos aere nutriri, non maiorem firmitatem Argentericæ sententiæ affert, quam argumenta superiora: Porro canisleuis animal pingue admodum, ac tardissimi motus est, non leue argumentum ipsi aerem non esse alimentum, qui substantia est tenuissima, & mobilissima; quo nomine Poetæ pernicissimum equum descriptum, eum uento genitum, & aere concinunt enutritum: sed quum raro admodum comedat Canis leuis, ut & Chamæleo; licet in terra degat, & in aere insectis quamplurimis refertissimo, quibus enutritur; uulgo persuasum est ipsum aere ali. Quod autem ultimo de Manucodiata proponitur, id uel exotericam expostulat à Scaligero subtilitatem: si etenim auis ea nunquã uisitur in hoc aere infimo, nisi mortua; profecto in aere illo supero, in quo uiuit, genita est: si ergo ibi materia est illa mista, ex qua exoritur, si sponte oritur, cur ibidem esse nequeat ex qua nutriatur? Amplius si ibi à Parentibus gignitur, & uiuit Manucodiata, quid prohibet alia etiam oriri tum semine, tum etiam sponte eodem loco insecta, & uiuere, quibus illa nutrimenti uice utatur? par est enim quemadmodum in media regione aeris ex uapore, ac exhalatione ascendentibus inuicem cõ- Manucodiata qua
mistis calore Solis non raro fiunt insecta ex pu- alatur in
tredine oriri solita, quæ cum pluuia decidunt; ita aere supre-
ex ijsdem primordijs in superiore aere sublatis uin- mo.
cente exhalatione uaporem fieri animalia Manu- Vnde oriã
codiatæ cibo, ac uictui deseruientia; quando & tur insecta, qua
illud ex Aristotele habemus inter fornacis flam- plucre cõ-
mas oriri, & uiuere animalia; quod tuetur & Sca stat.
liger. Animalia uero illa Manucodiatæ cibum 5. histor.
suppeditantia licet nobis nota non sint, non pro- cap. 19.
pterea tamen ibi non sunt: Oriuntur autem for- exerci. 94
tassis hæc insecta ex odorata exhalatione ab aromatibus subiectis scaturiente cum uaporibus, & aere commista; quod alimenti genus quum sit à prædominio calidum & siccum; proinde aues eo Cadauera
nutritæ post mortem diu manent incorruptæ; Manucodiatæ cur
quippe mater corruptionis, siue putredinis est hu- diu seruẽ
midi exundantia. Et sane Apodas istas aere puro tur impu-
non ali uere Cardanus ex Aristotele refert, quia tria.
purus aer non concrescat, scilicet à calore, seu coctionis opera: Scaliger autem studio contradi- de sen. &
cendi flagrans in Cardani uerbis rationem Aristo- sës. cap. 5.
telis impetit imprudens; & quidem non subtili Minerua

Minerua inquiens, qui dedit illi aerem pro cibo, dare potuisse concretionem aeris ad cibum: si enim de naturæ opifice loquitur, iam hic supra naturæ leges efficere potuisset ut Manucodiata nullo cibo incolumem totam uitam ageret; sed hoc modo quæsita soluere figmento simile esse, ac Philosophum non decere monuit Aristoteles: sin autem de naturali agente agamus infra Deum, planè id neque aerem ad cibum, neque aeream concretionem ad alimentum Apodi dare potuisset ob rationes dudum allatas.

8. phys. t. 33. 34.15.

Cap.10.

Quod autem Manucodiata Brasilica linguam non habeat, id suspectum est; habent si Apodes Moluccæ, cur & non Brasilicę, quæ in aere supero totam uitam degunt consimiliter? habere tamen poterunt occultam adeo ut sensum lateat; id enim supra ex Aristotele, cuius autoritati fidem abrogare Scaliger nefas esse duxerit, nouimus animalia cuncta linguam obtinere.

Manucodiata an sit absque lingua.

2. de part. an.c.17.

Sed esto in disputationem sine lingua; non certe ideo erit sine cibo; quinimmo nec sine gustu, haud sine cibo, quum plantæ nutriantur sine lingua, & præter plantas conchilia, & insectorum infima, mediæque inter plantas, & animalia naturæ Zoophita nuncupata: haud sine gustu, quæ uel obtinebunt linguę proportionale membrum; uel etiam sine ipso gustus in ore, ac palato seruari potest; quamuis enim Aristoteli saporis sensus in parte primore linguæ maxime sit exquisitus, minus in ceteris, non tamen infitiatur palatum, & alias oris partes gustandi sensu pollere; quod & suauissime cecinit Lucretius:

Gustus organum ad totum in linguam fo. le. 1. hist. c. 11. 2. de part. c 17. Lib.4.

Hac, queis sentimus succum, lingua, atque palato,
Plusculum habent in se rationis, plusque operæ.
Principio succum sentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquai
Si quis forte manu premere, exsiccareque cœpit.
Inde quod exprimimus per caulas omne palati
Diditur, & rara per plexa foramina linguæ.
Hæc vbi læuia sunt manantis corpora succi,
Suauiter attingunt, & suauiter omnia tractant.
Humida linguai circum sudantia templa.
At contra pungunt sensum, lacerantque coorta,
Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde voluptas est e succo in fine palati.
Cum vero deorsum per fauces præcipitauit,
Nulla voluptas est dum diditur omnis in artus.

Et ratio experientiæ adiuncta huic dogmati fidē facit apertissimam; constat enim homines quacunque de caussa truncos, & radicitus lingua extirpatos non omnino gustu carere, at obsoniorum saporem persentire.

Non est ergo vlla ex parte firma Argenterij sententia, & aliorum existimantium aerem, quem inspiramus, posse nutrire, atque ipso enutritos vixisse quicunque diuturno ieiunio celebres à scriptoribus commemorantur.

Secunda opinio Medici Clarissimi ex Augenio, & Manardo contendentis abstinentes nostros ali odoribus, & exhalatione aerem obsidente. Cap. XXI.

Memini me aliquando Medicum eximium audisse de proposita quæstione ex Augenij, & Manardi sententia differentem; quorum placitis & ipse de suo penu aliquot adiungebat pulchra theoremata institutæ nobis contemplationi haud parum profutura; ut propterea eius opinionem & hic expendere necessarium esse duxerimus.

3. epist. med.2. 18. epist. med.6.

Iugis est (dicebat) ex Aristotele de globi huius ex terra, & aqua coagmentati ascensus exhalationis cum fumidæ, tum vaporosæ; siquidem & perpetua est actio caloris astrorum, ac præsertim solis in eandem molem: Vtraque uero hæc exhalatio ab eodem calore genita ex diuersa materia (nam e terra surgit fumida, ex aqua uero vapor attollitur) duplex est in origine; sed orta statim commiscetur in vnam massam; quæ, si prædominium sit fumi, sursum petit, fumo vaporem velut onus sursum ferente; si uero vaporis sit excessus, fumum deprimit ad terras: hinc necessario fieri ut aeris vniuersa regio duplici hac exhalatione scateat semper, alias quidem in maiori copia, & alias in minori: huius rei certum illud esse argumentum, quod præter assiduum vtriusque exhalationis ascensum, fere semper in aere vigeant vēti, modo vehementiores, modo mitiores: Habet autem massa hæc consistentiam aliquando crassiusculam, ut sæpe uisum moueat, nimirum oriente, ac occidente Sole; plerunque tamen tenuior est, ut obtutum lateat; haud tamen adeo tenuia quin Solis nondum exorti, & dudum collapsi lumen reflectat satis viuidum in utroque crepusculo, & interdiu etiam in locum ubi radij non penetrant, quod & docuit nos Aristoteles. Sunt in ea exhalationum congerie quatuor elementa; quippe uapor mistum corpus est ex aere, & aqua; fumida exhalatio uero constat partibus cum terreis, tū etiam igneis: Sane vbi contingat fumidam exhalationi vaporosæ ad certam proportionis legem commisceri, nanciscitur illud mistum ex his consurgens euidentem saporem, & odorem; quod Aristotelem non latuit; sin autem non ita seruetur ad amussim æqualitas proportionis, massa essicitur minimi, atque insensilis odoris; vtcunque tamen odoris, & saporis participem eam esse necesse est; quum vtriusque in se caussas proximas obtineat, nimirum humidum cum sicco sapido permistum; ut notat alicubi Aristoteles.

3. meteo. c. 3 & 4. Semper de terra fumus exhalatio.

Crepusculis unde ortus. 2. de an. t. 60.

De sen. & sens. c 5

De sen. & sen. c. 5.

Ex huiusmodi exhalatio est ille halitus admirabilis, cuius haustu alebatur Timonis auia quotannis per duos menses in spelunca Ciliciæ; ac lymphantes illi apud Apuleium lib. de Mundo sine cibo, potuque uiuentes. Ceterum hæc massa prout in aere nacta fuerit aut frigiditatem, aut caliditatem, eamque uel maiorem, uel minorem, uertitur modo in nubes, niuem, aquam, grandinem, pruinam; modo in fulmina, cadentia sydera,

ta, ceteraque ignita; modo in rorem, mel, mannã, lac, ſanguinẽ, carnes, ranas, ſtelliones, & alia multa, quæ pluiſſe conſtat. Vnde non difficile ſit aſsignare cauſſam cur ieiunantes noſtri à conſueto cibo, & potu tandiu abſtineant: nimirum quia illis contigit Cordis calor in eo gradu, quo per inſpirationem una cum aere attracta portio exhalationis prædictæ conuertitur in ſanguinem, qui ad nutriẽda omnia membra in uniuerſum corpus diffunditur: ſi enim maſsa hæc in aere à calore cogi poteſt in ranas, in ſtelliones, in carnes, & in ſanguinem; cur id fieri nequeat in humano corpore, ut ab eodem gradu caloris ex eadem materia per inſpirationem intus attracta ſanguis gignatur, ex quo carnes, & aliæ partes omnes nutriantur? poſitis enim utrobique iiſdem principijs, par eſt fieri poſſe in microcoſmo quæcunque fieri conſueuere in mundo magno, ex Ariſtotelis doctrina: Antecedens multiplici autoritate, ac teſtimonio confirmatur; nam Liuius inter clariſsima huius vrbis lumina ſupremum, & Plinius aſſerunt pluiſſe carnes: Cicero cum Plinio non uno in loco refert pluiſſe ſanguinem, & lac: Sueſſanus & ipſe teſtatur ſe in patria uidiſse pluere ſanguinem: Magnus Albertus confirmat pluiſſe ſanguinem, carnes, & ranas; addere non ueretur etiam (mirum dictu) vitulum: Dalechampius in Plinij annotationibus admonet apud Athæneum lib. 8. ex Phinia, & Phylarcho piſcibus aliquãdo pluiſſe; Apud Euſtachium in Cherſoneſſo ranis toto triduo in numeris, vt incolis aufugiendum fuerit. Apud Diodorum 4. biblioth. in Vellaunijs erucarum numerum immenſum nocte una e cælo decidiſſe. Scaliger poſtremum admonet locuſtarum ſimillimam peſtem eam eſſe, quæ in Noruegiam incumbit e nubibus putridis; pluit (inquit) ab ijs beſtiola quadrupes, magnitudine ſoricis, pilo vario, *Lémer* nomen habet; depaſcitur locuſtarum more omnia virentia, conſumpto pabulo intereunt: corrupus, aer inficitur lue, vnde vertigine, ac regio morbo incolæ corripiuntur. Et quidem in hanc ſententiam inclinatum legimus Hippocratem, vbi ſcribit virtute ſolis in aerem tolli exhalationem e terra, & aqua, quæ ſimplicia ſunt; ſed ex mistis etiam corporibus, potiſsimum autem ex animalibus, & ex ipſiſmet hominibus: cur ergo ea non ſit mistum perfectum, & alendo corpori? præſertim quum ea ſit ſubſtantia viuentium, quæ reſtauranda eſt, rationi conſentire videtur, ſi rurſum corpus ingrediatur, alimentorum ceterorum tolli neceſsitatem, & vſum.

Plin. lib. 2. c. 56.

8 phy. t. 31.

3. dec. c. 3. 2. lib. c. 56.

De Diuinat. & in Topic.

Com. in 1. meteor.

Exer. 199 art. 3.

De aer. aq. & loc.

Inſuper à tepido calore aeris vaporoſa exhalatio ſi concreſcit in rorem, quo cicadas nutriri vetus eſt, & Ariſtotelis autoritate comprobatum; cur ergo a miti calore noſtrorum abſtinentium vapor hic inſpiratus in ſubſtantiam tenuioris ſanguinis rori perſimilem non condenſetur, qua nutriantur? profecto tale quid eo magis aptum erit alere membra, quo Medicis vulgatum eſt ſanguinem actu non nutrire partes, niſi e venis capillaribus effuſus ad inſtar roris ſuper ſolida fuerit inſperſus.

5. hiſt. c. 30.

Præterea mitis calor ambientis aſcendentem vaporem cogit in mannam, quæ optimum eſt homini alimentum: Vt quid ergo nequeant abſtinentes noſtri vaporem inſpiratum blando ſui calore in ſanguinem, mannæque conſimile nutrimentum commutare? Mannam quidem eſſe rorem de cælo cadentem Auicennas, Meſues, & plerique omnes tum Medici, tum Philoſophi conſitentur: Eam vero cedere in alimentum & experimento comprobatur quotidiano, & apertum habetur e ſacra pagina, vnde conſtat Hæbreorum gentem quadraginta annos in deſerto nullo alio cibo quam manna vixiſſe: miraculo quidem adſcribendum non ſolum tantam mannam ibi pluiſſe, quæ cibo quotidiano eſset tantæ multitudini; ſed etiam mannę huic extitiſſe omne delectamentum, ſcilicet omnem ſaporem cuiuſque rei a comedentibus illis expetitæ: ceterum naturalem illi mannæ, vt noſtrati, vim alendi extitiſſe putandum.

2. can. ca. 490.

De ſimpl. c. 8.

Numer. 8. 11.

Exod. c. 16.

Amplius apes ore legunt mel de floribus, & ſtirpium frondibus, quo aluntur, Ariſtotele autore, Plinio, Auicenna, Galeno, & alijs: ſiue autẽ mel ſit roris quædam ſpecies, quam apes legant, & ſibi ad cibum recondant euomentes abſque vlla mutatione id ipſum, quod legerant, in alueana; ſiue mel ſui vltimum complementum recipiat à calore apum; illud certo conſtat apes ex eo quod pluit ſolum, ac propterea ex aeris uapore in ſpeciem roris mutato alimentum ſibi parare: cur ergo & noſtri abſtinentes ab aereo vapore conſimili alimentum ſibi parare nequeant?

5. hiſt. c. 22.

Lib. 11. c. 13.

Lib. 2. c. 407.

3. de ali. fac. c. 39.

Sed ſi etiam pyrauſta, pennatum illud animal, quod Ariſtotelis obſeruatione oritur, & uiuit in ærarijs Cypri fornacibus nonniſi inter flammas, nullo alio veſci poteſt alimento quam exhalatione illa, ex qua originem traxit, quæ maſſa eſt quædam ex fumido, & uaporoſo halitu caloris opera e lignis viridibus educto, & in unum confuſo: quid prohibeat conſimiliter abſtinentes noſtros ali exhalatione inſpirato aeri commiſta?

5. hiſt. 19

Quin & Plutarchus auiculam Rhintacem in Perſia frequentem opimi, obæſique corporis celebrat eo quod ſolo vento, & rore nutriatur: uentus autem eſt fumida exhalatio, ros autem uaporoſa in Ariſtotelis diſciplina: quidni ergo abſtinentia clari utraque hac exhalatione aeri commiſta reſpirationis munere intrinſecus attracta nutriantur, vt Rhintace?

In vita Artaxer.

1. meteor.

Animal etiam illud Indiæ occidentalis, pinguiſsimo corpore, motuque pigerrimo, quod Canem leuem nominant, aere, roreque ueſcitur Cardano: quæ igitur quadrupedi obæſo alimentum ſuggerit aeris exhalatio in rorem concreta, cur & noſtris ieiunantibus in nutrimentum cedere non ualeat?

Manucodiata pariter in ſupremo aere non niſi uel hac exhalationum congerie hauſta immediate ueſcitur, uel ex animalibus ex eadẽ maſſa exortis; quid ergo impediat ieiunio celebratos ex eadem materia nutrimentum ſibi haurire, atque conficere?

Deinde

Deinde omne sapidum nutrit; vulgo enim tritum est, quod sapit nutrit; sed exhalatio tum vaporosa, tum fumosa inuicem mista saporem obtinet; itaque apta est alere: ipsam ergo aeri permistam respiratione attrahentes ieiunio admirandi, alimentum sibi hauriunt: sapidam vero esse huiusmodi exhalationem ex eo probes euidenter, quod in ea vi caloris permistum sit terreum siccum humido aqueo; in quo ex Aristotele cōsistit (De sen. & sens. c. 4) saporis essentia; est enim vapor humidū aqueum simul & aereum; exhalatio autem est siccum terreum, & calidum igneum eidem Aristoteli. (3. meteo c. 4.)

Addere liceat omne odorabile saporem habere ad aures Aristotelis; (De sen. & sen. c. 5.) quum ergo massa hæc odorem obtineat, quem produnt fulmina, mella, & alia id generis multa; certo iam patet exhalationem aeri perfusam sapidam esse. Deinceps huiusmodi exhalatio non est sine odore; odor autem nutrit, si nomine odoris accipiamus non puram qualitatem, quæ species est odorabilis, quam falso dicebant alere Pythagorici, quorum sententiā euertit Aristoteles; (Loc. cit.) sed corpus eiuscemodi qualitate prædictum, quod est exhalatio: & quidem odores ita in concreto sumptos alimentum corpori præbere triplici experimento comprobatur: vnum est, quod Plinio scribitur, Ad extremos fines Indiæ ab oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viuentē, & odore, quem naribus trahant; nullum illis cibum, nullumque potum; tantum radicum, florumque varios odores, syluestrium malorum, quę secum portant longiore itinere, ne desit olfactus; grauiore paullo odore haud difficulter exanimari: quæ sic ex Ficino interpretanda videntur; In calidis regionibus, odore plurimo vndique fragrātibus homines graciles corpore, & imbecillo floridacho solis odoribus vesci; quoniam ipsa natura loci tum herbarum, & frugum, atque pomorum succos ferme totos redigit in odores; tum corporum humanorum humores illic resoluit in spiritum; quod si verum est, quid vetat vaporibus tantum ali, quum simile simili nutriatur? Alterum experimentum desumitur ex eo quod Laertius de Abderita Democrito prodidit, qui quum iam ex senio deficeret, & proximus morti videretur, mærentem sororem quod ipse in celebritate Cereris moriturus Deæ vota exoluere nequiret, bono animo esse iussit, panesque calidos (adijciunt alij vas melle plenum) sibi quotidie afferre; hos igitur naribus quum admouisset, vitam se toto celebritatis tempore seruauit, eo autem trium dierum spacio transacto, quietissime, ac minimo dolore vitam conclusit centesimonono ætatis anno; de quo extat Diogenis Epigramma græcanicum sic Latio datum a viro doctissimo

(Lib. 7. c. 2. — In ampl. ira. c. 18 Astomorū historia interpretatur — Lib. 9.)

Quis nam tam sapiens visus qui tale patrarit
Vnquam, quale sciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præsentia fata dies, &
Illa recens cocti panis odore aluit.

Democrito adijciendus Homerus, cui malorum odore prorogatam aliquandiu vitam legimus.

Tertium experimentum quotidianum est in ijs, qui ob spirituum nimiam exolutionem animo deficiunt; odoribus enim solis, potissimum vini, statim vires assumunt pristinas, & mirifice restaurantur. Hæc omnia corroborat Hippocratis (Lib. de alimen.) autoritas alicubi scribentis, Quicunque veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum; quicunque adhuc velociori indigent, per olfactum; qui autem tardiore appositione opus habent, solido alimento vtantur. Cui sententiæ non parum & Lucretius adstipulari videtur dum concinit mellea (Lib. 4.) hæc metra

Denique in os salsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter; dilutaque contra
Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Vsque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur vndique partes:
Nec mora, nec requies inter datur vlla fluendi;
Perpetuo quoniam sentimus, & omnia semper
Cernere, odorari licet, & sentire sonorem.

Inde autem fit vt assidue respiremus, quia per olfactum quod trahimus alimentum exile nimis est, quod parum sustineat, nisi semper hauriatur, quod solidiori nutrimento commanducato, & epoto non accidit. Itaque colligebat doctissimus vir abstinentes nostros nutriri exhalationibus, & odoribus per aera vagantibus vna cum ipse inspiratis, & à miti cordis calore in sanguinem commutatis.

Examinatur proposita sententia; & primum ostenditur non esse in toto aere vaporem, ac exhalationem. Cap. XXII.

INgeniosa quidem, & ac[illegible]sa est mihi primum hæc opinio, ac plan[illegible]babilis: ceterum [illegible] allata dogmata conside[illegible]ti ab ijs discedendum esse persuasit tandem ratio multiplex: In primis enim etsi perpetua sit actio siderum in hunc mundum inferum; haud tamen semper e singula terræ plaga sursum tollitur exhalatio; vt vel sensus arguat falsi aerem nobis inspiratum refertum esse totum exhalatione; poris enim plerumque aer nobis inspiratur, qui visum falli non cogit; si enim vapor in aere sit, ac exhalatio, potissimum crassior, qualem rationi consentaneum esset eam existere, quæ miti calore in sanguinem, & alimentum concrescere debet; sane visus frequentissime deciperetur circa magnitudinem, & colorem visilis, organo illæso, medio puro, & obiecto in debita distantia; constat enim mane, ac sero solem sæpenumero conspici rubentem, & quam in meridie maiorem, nonnisi ob vapores rubri coloris in medio existentes. Postea si est semper in toto aere huiusmodi massa vtriusque exhalationis, quæ possit inspirata cedere in alimentum viuenti; cur nunquam hæc apud nos in aere infimo ab igne nostrati; & à reflexis radijs aerem inflammantibus accenditur in cometam, in stellam currentem, & alia meteora ignita? cur nunquam a frigore hy-

mis algentissimo non condensatur in nubes, niuē, grandinem, & pluuiam vt in aere supero, ac medio nuncupato? Deinceps illud & grauissimorum scriptorum, & incolarum testimonio compertissimum habemus in Aegypto aerem esse purissimum, ac nulla, vel minima exhalatione inquinatum, quum careat omnino pluuijs, & nubibus toto anno ea regio; siue calore solis validiori statum absumatur exhalatio de terra surgens, siue aliud quid in proposito asserendum sit, illud tamen certum est ob aeris perpetuam serenitatem, ac puritatem tum in Aegypto annuas Nili fluminis inundationes pluuiarum hiemalium vices adimplere, camposque fertiles efficere; tum præsertim Alexandriæ Ptolæmeum, & alios Mathematicarum proceres astrorum scientiam excoluisse ad summum; uel itaque in ægypto nulla est exhalatio, vel non tanta, vel non adeo crassa, quæ ab stinentibus alimento esse ualeat; quare ibi non poterunt abstinentes viuere: contra tamen vixisse barbarum ex Plutarcho notauimus, quin & in Aegypto præsertim aerem ad longum ieiunium accommodatum legimus apud Celsum.

Aegypto non pluitur, sed quid ibi vice pluuiæ.

De oraс. de fect.

Lib. 3. c. 4.

Exhalationem inspiratam vi caloris humani non posse cogi in sanguinem, & alimentum.

Cap. XXIII.

PRæterea non recipimus hic apud nos ascendentem exhalationem ita permistam esse ex uaporosa & fumida, vt in ea massa sit ratio misti perfecti, quod immediate in alimentum commutari valeat; nam ratio misti perfecti est ut in eo non solum reperiantur quatuor elementa, sed ut inuicem sint secundum minima adeo confusa vt quintum ex ijs resultans sit vnicum suppositum numero vnicam formam & speciem obtinens; quod nos docuit Aristoteles: verum fumida exhalatio de terræ sicco genita reperiens in aere infimo vaporem de humido terræ circunfuso procreatum, illum sursum defert velut onus absque eo quod illi secundum minima commisceatur, quem breui relinquit in media regione aeris ascendens ipsa libera posterius ad supremam; quæ omnia obserues in Aristotele: Ceterum id quod proxime caloris opera in sanguinem verti potest, ac nos alere, mistum perfectum esse oportet; quod antea demonstrauimus; non igitur alere potest ea massa. Tum vero huiusmodi massa ex vaporosa & fumida exhalatione hic apud nos esse non potest nisi corpus heterogeneum; non ergo poterit a calore in speciem sanguinis condensari; quippe caloris est heterogenea disgregare apud Aristotelem, non congregare. Amplius absolute verum non est exhalationem siue fumidam, siue va porosam a calore concrescere; semper enim condensatur a frigiditate actuali, quæ si mitis fuerit, qualis est aeris inferioris in nocte verna, vaporem densat in rorem; si acrior, vt eiusdem aeris in autumnali nocte, vaporem densat in pruinam; sed validissima frigiditas aeris medij condensat uaporem in nubes, niuem, aquam, & grandinem; eadē-

Ratio misti perfecti in quo consistat.

3. de gen. ad calcem.

1. meteor. cap. 11.

Caloris est heterogenea disgregare, non congregare 2. de gen. 8.

Exhalatio à calore non concrescit.

Roris, & pruinæ origo.

Meteororū ortus.

que cogit fumosam exhalationem, quæ apud nos ob tenuitatem aspectabilis non est, in eam consistentiam, quę in supero aere accensa conspicitur in formā trabis ardentis, capræ saltantis, astri currentis; non accensa vero in speciem foueæ, sanguinis, & hiatus; Quum itaque in corde nulla sit frigiditas, immo potius semper intensa caliditas; liquido iam constat exhalationem in cor inspiratam vlla ratione condensari non posse in alimentum.

Exhalationem non alere ieiunantes.

Cap. XXIV.

VLterius esto semper in toto aere nostro exhalatio, possitque vi caloris condensari, hoc certum est hyeme multo maiorem esse copiam vaporis, æstate vero exhalationis fumidæ; medio quodam modo sese habentibus autumno, & vere: quomodo ergo in tanta diuersitate materiæ ijdem abstinentes idem reperiunt toto anno alimentum? & si varium, quomodo & ipsorum nutricatio non variat? Postea cor si suas fuligines velut sibi noxias expellit in expiratione, quomodo ab ijs non læditur, quas calor solis senior de terra excussit, & an me familiares magis cordi, & corpori nostro sunt fumi ex terra educti, quam fumi e sanguine nostro procreati? sin minus, quomodo cor ad alimentum sibi, & alijs partibus de terra prodeuntes fuligines attrahit, proprias uero de sanguine, ac sui substantia eductas expellit? Itidem probabile non est caloris gradum illum, quo pollere dicitur cor abstinentium, facultatem habentem cogendi, ac uertendi exhalationem ex aere inspiratam in sanguinem & alimentum, verisimile inquam non est caloris gradum consistere in indiuisibili; sed potius maximam obtinere debet latitudinem; quum per multos annos plerisque ieiunium ducatur, & certum sit calorem nostrum assidue mutari, ac minui; quare in tanta latitudine opus est multos reperiri eodem gradu caloris ad longam temporis intercapedinem gaudentes: cur ergo, & hi similiter aerea exhalatione inspirata non aluntur, si eam in alimentum vertere possunt? cur semper in omni regione multi non viuunt abstinentes? an fortassis exhalationem inspiratam cor ad libitum in alimentum mutat? Nec omittendum est exhalationum hanc massam in aere multis excrementis, ac fæculentis partibus inquinatam esse; attolluntur nanque calore solis multi denique vapores e rebus putridis, immo & nubes, ac nebulas fætidas, quin & fulmina sursum spirare nouimus dum montes peragraremus vestigia supra nubium altitudinem mouentes; cur ergo e tam impuro alimento diu abstinentes enutriti nullum, uel exiguum admodum excrementum deijciebant? cur præsertim mulieribus menses non prodibant? cur in tanto vaporum aqueorum haustu nulli mingebant? apparens enim foret vapores aqueos hyeme vbertim attractos in aqueum excrementum, vel in sudorem velut in roris speciem quoad sui partem alendo ineptam condensari.

Adij-

Adiiciendum his est in æstate, quũ minimi sunt in aere vapores aquei, sed fere totus fumida exhalatione scateat, eaque impense calida; quomodo eius inspiratione ieiunantes nostri non suffocabantur? quomodo æstuanti cordi refrigerium afferre poterant? Præter hæc, si alebantur nostri abstinentes, suggerente corde omnibus corporis particulis per venas, & arterias genitum ex inspirata exhalatione sanguinem; cur plurimi eorum tabescebant? cur maxime circa ventrem imum? id quidem fieri non poterat ob alimenti penuriam, nunquam deficiente cordi exhalatione ab aere.

Sed & illud mirum est cur abstinentes nostri consuetum cibum, potumque fastidiant, aduersentur, abhorreant, quin ab eo assumpto discrucientur mirum in modum: Quilibet impune posset abstinere ficubus, vel piscibus, uel carnibus, alijsque plurimis edulijs; non tamen post multum temporis tractum aliquid horum iccirco fastidiet, aduersabitur, abhorrebit, neque ab eius esu lædetur: quum ergo abstinentes nostri plerique omnes cum ieiunio statim ab initio, & postea semper intermissa edulia fastidiant, & horreant, noxiaque sibi experiantur; sane quid aliud eius abstinentiæ caussa extabit, quam hausta exhalatio. Quin hanc opinionem funditus euertunt Lucomoriæ populi, quibus pituita concreta nares penitus occludebat respirationi; ut quotannis quinque mensium ieiunium ducentes mortuorum instar sine ulla respiratione, aperte commonstrent abstinentes non ali exhalatione inspirata. Lucomoris adijcienda est Timonis aula, quæ bimestri spacio quotannis in spelæa semianimis absque respiratione conspicua iacebat: idemque iudicium confirmat Erus ille Pamphilius, qui duodecim dies mortuus habitus, & rogo impositus vi caloris ad pristinum statum redijt. Ac ne alios recenseam ieiunantes, qui respiratione vacabant, nunc audio Brixiæ Virginem Deo sacram uterinis affectibus valde obnoxiam sæpenumero ueluti mortuam totos decem dies iacere sine cibo, potuque, ac citra respirationem penitus; de cuius passionibus Clarissimi huius Gymnasii Medici nouissime consulti fuere. Si ergo hystericæ mulieres, quod notat etiam Laurentius, absque respiratione multos dies agunt; certe diu sine alimento viuentes non aluntur omnes inspirata exhalatione.

Anat. q. 30.

Non omne sapidum alere. Cap. XXV.

MVlto minus, & illud placitum recipere possumus, quo constitutum est omne sapidum alere; insunt enim venenis proprij sapores; quum autem sapida sint venena, quis vnquam dixerit ea posse in alimentum cedere? poterunt quidem assumpta non obesse aliqua de caussa, sed alere non poterunt; qua de re infra suo loco fusius. Sic etiam medicamentis purgantibus experimur quotidie proprios inesse cum sapores, tum odores, cosque vehementes admodum; quæ tamen non alere certum est; nam ea sola vere nutriunt, quæ verti possunt in substantiam alendam, & proinde quæ à calore nostro pati, ac vinci possunt; quum ergo venena, & medicamenta nequeant à calore perpeti, nec superari, sed uicissim ab illis calor extinguatur, aut saltem labefactetur; iam liquido cõstet nec venena, nec medicamenta, quare nec omnia sapida, & odorata nutrire. Quid uenenis, & medicamentis moramur? nonne sapida sunt condimenta? quid sale ipso sapidius? sal tamen haud alit, & condimenta nutrimentis contraponuntur vel ipsi Galeno, & Aristoteli.

Venenis insunt proprij sapores.

Lib. 4. c. 7.

Quæ proprie alant.

Vide lib. 4. c. 9.

Condimenta non alere.

3. de alim. fac. c. 11.

2. de an. t. 28.

Odores non alere, quia non sunt mistorum species, prima ratio Aristotelis aduersus Pythagoricos explicatur. Cap. XXVI.

QVod autem posterius affertur, odores nutrimento viuẽtibus esse valere, Aristoteles pluribus rationibus alicubi conuellere studuit; quas libet hoc in loco explicare. In primis ergo quum uiuentia quæ aluntur omnia sint composita, hoc est mista perfecta, eaque à prædominio terrea, & aquea; quumque alantur ex ijs, ex quibus proxime constant, atque alimentis congeneæ naturæ; plane odores, quorum natura huiusmodi non est, uiuentibus alimento esse non poterunt. Ad cuius rationis euidentiam illud ante omnia sciendum est alimentorum uaria esse genera, nanque alia sunt ita dissimilia substantiæ alendæ, ut nonnisi post plures digestiones apta reddantur in uiuentis naturam commutari: sic panis, & alia quæcunque ore comeduntur, adeo redundant excrementis, ut opus sit ea calore uentriculi primo in chylum uerti, deinde ab hepate, & à corde in sanguinem, antequam transmutari ualeant in substantiam carnis, ossis, & aliarum partium: alia uero alimenta simillimam naturam alendo corpori sortita in alendi substantiam immediate sine alia mutatione ulla conuertuntur; huiusmodi est sanguis à matre fetui per umbilicum subministratus, & succus de terra suctus à stirpibus per radices; tale igitur alimentum, quod tot non indiget coctionibus, adeo simile nutriendo corpori esse debet, ut sit à prædominio tale, qualis est alenda substantia; quippe in eam facillime unica functione transmutari debet; facilis uero transitus non est nisi inter habentia symbolum Aristoteli. Quum itaque odores, qui alimentum corpori præstare posse dicuntur, non descendant ad uentriculum in chylum commutandi, sed facillima mutatione uerti consituantur in sanguinem à calore cordis, in quod cũ aere inspirato primum feruntur: quum autem sanguinis massa, in quam odores uerti putantur, mistũ corpus sit perfecti generis, in quo quatuor sunt elementa cum prædominio terræ, & aquæ; siquidem minima est in eo bilis flaua cum magna mole pituitæ, ac melancholiæ; plane oporteret odores consimilem obtinere naturam, esse nimirum mistos cum terræ, & aquæ prædominio: id tamen inficiatur Aristoteles inquiens eos esse simplices, non mistos; sunt quidem simplices, & non misti, cuiusmodi oportet esse alimentum multis nominibus; ac primum quia odoris essentia est qualitas, quum

De sens. & sen. c. 5.

Alimenti duo genera.

Inter habentia symbolum facilis est mutatio.

2. de gen. t. 25.

Sanguinis alimentarij tempories, seu mistura.

Odor est qualitas.

fit per se sensibilis; sensus enim per se non percipit substantiam, sed iudex est solius accidentis; accidens autem, & qualitas est simplex forma, non mistum corpus, cuiusmodi oportet esse alimentum: Quamuis enim qualitas hæc in exhalatione sit, exhalatio illi tamen non inest quatenus est odor, sed quatenus est accidens; nam odor esse potest absque illa exhalatione, vt in aquis; indiget quidem odor subiecto crassiori quam sit aer; quamobrem in aere postulat comitem exhalationem, in aqua vero eam non postulat; sed qualitas odoris, quæ in exhalatione residet, potest sibi similem qualitatem in substantiam aquæ generare citra exhalationis communicationem. At esto semper odori comes, ac subdita exhalatio, haud tamen ex his illud erit compositum, quod possit nos alere; nanque alimentum oportet esse mistum ex quatuor elementis, non solum compositum ex materia ex forma; secus enim simplici elemento nutriri possemus: verum odoris qualitas non miscetur cum exhalatione, sed illi vnitur ceu forma suæ materiæ; quocirca ex odore, ac exhalatione subiecta fiet corpus, non mistum, sed simplex, compositum tantum ex materia & forma. Sed inquies exhalationem illam esse corpus mistum ex elementis, & eam esse quæ nutriat: ceterum sic non odor vere nutriet, immo nec odoratum, sed purum odoris vehiculum: non odor, quia hic est pura qualitas, sensus etenim substantiam non pertingit; non odoratum corpus, quia odoratum quatenus odoratum, constitutum est ex odoris qualitate, veluti forma, & exhalatione, veluti ex materia, non mistum vera mistione, quæ dicitur vnio miscibilium alteratorum, atque ad minima diuisorum; sed merum odoris vehiculum nutriet exhalatio. Quod tamen odoris vehiculum neque habet conditiones ad alimentum necessario requisitas; in primis enim exhalatio, quæ odores per aera defert, non omnia continet elementa, sed tantum duo, terram nimirum, & ignem; quandoquidem fumosa est ab igneo calore genita de sicco terreo, quod monet Aristoteles alicubi scribens odorem esse fumosam euaporationem, quæ ab igne prodijt; quemadmodum enim externus ignis thuri admotus illius terream substantiam tenuando, & calfaciendo tentat in ignem vertere, ac in media sui functione semicorrupta terra, & semigenitus ignis halat in speciem odoris; ita in alijs plerisque odoratis internus calor, plerunque adiutus ab externa caliditate ambientis, sibi adiunctas partes terreas attenuare studens in ignem, anteaquam terram ex toto corruperit, & ignis formam perfecte genuerit, exhalationem odoriferam procreat, quæ mistum est im perfectum ex terra & igne: non ergo erit hoc alimentum, quod mistum perfectum ex quatuor elementis esse oportet. Deinde coniunctus etiam esto huic exhalationi fumidæ vapor ab eodem calore genitus ex eiusdem suppositi portione aquea; non tamen proinde fiet odorifera exhalatio mistum perfectum; quoniam vapor ob loci viciniam fumidæ quidem exhalationi adhæret, associaturque, addas quoque alligari, atque coniungi, non tamen ipsi admiscetur, cum eaque confunditur ad minima; sed perinde accidit exhalationi, quam spirant odorata, atque illi, quam terræ globus halare supra visus est, vt sursum vaporem ducat absque eo quod illi permisceatur in vnam veri misti naturam: Alimentum vero mistum perfectum esse necesse est, in quo singula elementa sint inuicem confusa, & permista secundum minima: non ergo alit, quod ex odoratis halat. Deinceps autem vtcunque mistus sit exhalationi fumidæ vapor in odore, semper illud quod vehit odores nunquam non erit corpus à prædominio fuliginosum, & fumidum, igneumque, vt docet Aristoteles; at uero viuentis alimentum esse oportet à prædominio potius vel terreum, si totum corpus, & partes eius integrales quoad molem consideres; vel aereum, & aqueum, si quidem corpus contempleris sub ratione viuentis; etenim vita in calido, & humido consistit; absolutoque nutrimentum partibus apponendum roris substantiam æmulatur; & radicalis humoris vicem gerere debet, cuius natura est aerea maxime: quum vicissim fuligines tanquam ineptas alendo corpori per expirationem manifeste, ac per transpirationem in pilos extra corpus propellat natura uiuentis, experta ijs in corpore manentibus caloris æstum augeri, & citius humidum inde absumi, cuius ex termino nutricatione quoquopacto consultum uoluit sagacissima: Exhalatio ergo deferens per aera odores haud potest uiuentibus alimento esse. Hæc omnia virtute continet prima ratio Aristotelis, qua demonstratur odores non alere.

Sensus sub stantiã nõ pertingit.

Odor esse potest citra exhalationem.

Odor ex aere quomodo in aquã migret.

Exhalatio nõ omnia in se conti net elementa.

De sen. & sen. c. 2.

Exhalatio nis odora tæ origo.

De sen. & sen. cap. 2. & 5.

Aliment[um] quoad [...] esse deb[et] à prædo[mi]nio ter[reum] aereum [&] aqueum.

Fuligin[es] cur à n[a]tura ex[pel]lantur.

Secunda ratio Aristotelis demonstrans odores non alere, quia per coctionem à calore non possint ex odoribus excrementa segregari.

Cap. XXVII.

RAtio uero secunda non paucioribus, nec minus grauibus & dogmatibus, qua plane demonstrat ibidem Aristoteles odorem non posse nutrire, secus ac senserint ante Aristotelem Pythagorici, & post eum plerique Medici, hæc est, quoniam alimenti, ac cibi rationem obtinet id solum, à quo per coctionem caloris ope segregantur excrementa; siue huiusmodi segregatio excrementorum fiat semper a calore interno, quod accidit in animalibus; siue ab externo, quod contingit in plantis: quum enim animalia sortita sint calorem multo uegetiorem calore plantarum, ut demonstrat alibi Aristoteles eo quia nobiliori anima perfruantur; perfecto calor in animalibus tanta ui pollet, ut ex se sufficiat assumptum alimentum coquere, & ab excrementis omnibus expurgare, sine ulla externi caloris opera; in plantis autem calor exiguus quum sit, ex se potis non est attractum radicibus alimentum ab excrementis per coctionem expurgare, sed indiget auxilio caloris ambientis; quocirca hyeme nulla producunt e plantis excrementa, non gümi, non liquores ulli, non lanugines, non exuuiæ tenues, quorum omnium uberrima est à stirpibus scaturigo in æstate, dum calor in aere

De resp. c. 9.

Vide libr. 3. c. 8.

Excrem[en]torum [se]gregati[o] semper [...] in d[...] ni: alim[en]ti à calo[re] interno.

aere viget; a quo aeris ambientis calore fieri præcipue coctionem alimenti stirpium illud optime doceat; quod eadem arbos fructus soli expositos maturat citius, ac melius quam eos, qui umbra tecti calore solis non gaudent; immo ficulneæ fructus æstate maturat, hyeme non maturat, quia exilis calor insitus plantæ externi caloris absentis auxilio destitutus concoquere nequit sue cum ad alendam fructuum substantiam transmissum, siue potius attractum, quem probe concoquit eo calore præsenti roboratus; est enim maturatio fructuum nihil aliud quam coctio alimenti, quod in se continent: Quamuis autem excrementa plantarum, & animalium in eo differant, vt illa fiant, seu potius ab alimentari succo separentur in coctione opera caloris interni ab externo foti; hæc vero vi solius interni caloris; conueniunt nihilominus in ceteris, nimirum quod fiant in ipso alendi corpore, non extra corpus; coctio enim fit in viuente; coctione autem solum fiunt, ac potius separantur excrementa ab utili parte alimenti; vere nanque non fiunt excrementa, quum prius non essent; sed quum prius essent partibus alimentarijs admista, caloris ope, cuium est heterogenea disgregare, ab illis coctione separantur.

Cur fructus umbra contecti tardius maturescant.

Maturatio fructuu quid sit.

Quo differat excrementũ stirpis, & animalis.

Excrementa coctione non fieri.

Absolute igitur quum in omni viuente nostrati, seu sit de animalium genere, seu de natura stirpium, alimentum omne antequam vertatur in substantiam nutriendi, necessario concoqui debeat a calore, qua coctione segregantur ab alimentari substantia partes omnes inutiles, ac excrementitiæ: quumque actio hæc in animalibus fiat a proprio eorum calore natiuo, qui in ipsis viget; in plantis autem a calore insito fiat roborato ab externa caliditate; planè alimentum omne tale necessario est, vt coquendum sit, & dum coquitur, ex eo fieri, ac prodire, separarique debeant superfluitates a calore vel existente in ipsis animantis, quæ aluntur, quod euenit animalibus; uel exteriori, quod accidit plantis: Ceterum ex odoribus actione caloris neque interni, neque externi vllum potest segregari excrementum nec sensile, nec insensile; ac proinde odor concoqui non valet; quare neque alere. Hac demonstratione collegisse necessario putat Aristoteles odorem non posse viuenti cedere in alimentum.

Omne alimentum, seu externum, seu internum concoqui debere, coctioneque ab excrementis purgari. Cap. XXVIII.

VErum ad eius exactiorem intelligentiam præstat nunc utrumque illius principium ex rei natura explicare. Porro alimentum omne concoqui debere, non solum de alimento externo, sed etiam de interno est intelligendum; sed potissimum de externo; quando nullum tale nutrimentum reperias, quod habeat substantiam penitus defæcatam ab omni excrementorum genere, ac propterea coqui non debeat ut ab excrementorum sordibus expurgetur: quid enim similius nostræ substantiæ, quid purius alimentum lacte materno, quod sanguis est in mammis elaboratus, ne dicam dealbatus? certe quilibet aperte uiderit lac similem magis naturæ nostræ substantiam obtinere, quam odores; quum sanguis extet eiusdem massæ, ex qua dudum membra nostra in utero formata fuere; si ergo puer nullo alio cibo, quam lacte nutritus; immo si fetus in utero eodem sanguine altus, quo nuper efformatus, ex eo alimento euidentia, & multa excrementa egerit; certe omni ex alimento excrementa prodire necesse est.

Quin etiam quum sanguis, & lac, omnium alimentorum substantiæ nostræ nutrimenta simillima, coctione indigeant, cuius beneficio fiant adhuc eidem substantiæ similiora, in quam uerti debent; quumque alimenta corpori nutriendo dissimilia sint non nisi ob excrementa; quippe alimenta inconcocta ex Aristoteli, decreto alendo contraria sunt, cui concocta similia constituuntur; coctione uero id solum fit, ut separentur excrementa ab alimenti parte, quæ potest in alendi substantiam commutari; proculdubio nutrimentum omne suapte natura, & potissimum extra corpus adhuc existens, non potest non esse tale, quod a calore coquendum sit ea ratione, vt dum coquitur, nutriendo corpori simile magis fiat quam antea esset, non nisi quia separantur ab eo excrementosæ partes corpori alendo inutiles, atque dissimiles.

Alimenta cur dissimilia sint alendo corpori

2 de an. t. 45.

Coctio quid alimentis præstet.

Odorem vi caloris ita concoqui non posse, vt ab excrementis dicatur expurgari quia simplicem, seu nutriendo corpori omnino dissimilem naturam obtineat.

Cap. XXIX.

ALterum uero principium Aristotelicæ demonstrationis paullo altiori eget disquisitione. Sane odor eiusmodi naturam non habet, quæ caloris vllius actione ulla excrementa emittat, inquit Aristoteles, quia simplex est; e simplici vero nullum excrementum segregari potest; quæ ita interpretabere; id, ex quo a calore possunt excrementa segregari, quum duplici natura constet, excrementitia nimirum, atque alimentaria, simplex esse non ualet, sed fuerit necessario mistum, uel compositum ex hac utraque materia, quarum altera id illi præstet ut alendo corpori sit dissimile, contrariumue; quæ proinde tollenda, tanquam superfluitas nutricationem impeditura; reliqua efficiat ut alimentum sit alendo corpori simile, quæ ideo seruanda est, atque in alendi substantiam commutanda. Ceterum odor simplicem in proposito naturam obtinuit, nulla ratione compositam, vel mistam ex hac duplici substantia, simili nimirum, ac dissimili, seu contraria nutriendo corpori; quia vniuersa odoris natura nutriendo contraria est, atque dissimilis; etenim odoris nomine vel intelligitur pura qua-

E simplici quomodo nullum prodeat excrementũ.

Odor quomodo sit simplex.

litas, vel fumosa exhalatio qualitatem deferens, vel compositum ex fumosa exhalatione ac vaporé; nihil enim aliud reperias, quod recte odorem nuncupes: De qualitate concedunt etiam luben tes quicunque odores alere putarunt, esse quid simplex, alendo corpori penitus dissimile, quod non coquatur, nec sit alimentum; quid enim substantiæ dissimilius quam accidens? quid acciden te simplicius? quomodo coquatur qualitas? aut qua ratione vertatur accidens in substantiam? Verum odoris nomine, cui vim alendi tribuunt, alij sumunt exhalationem fumidam; alij constitutum corpus ex fumida, & vaporosa: sed utrumque placitum seorsum expendamus. Fumida exhalatio tria secum in se continet, formam odoris, quæ est qualitas sensibilis, ignem, ac terram; est enim mistum imperfectum ex terra, & igne; siquidem oritur à calore agente in siccum terreũ Aristoteli; quum autem ignis in terram agat vt eam in ignem vertat; id uero assequatur sublatis de terræ materia tum frigiditate primario, tum consequenter densitate, duritie, grauitate, alijsque formis naturæ ignis aduersantibus; quia hoc ignis non potest momento perficere, oppositis terræ qualitatibus eius actioni reluctantibus; eo deuenit illa terra priusquam completam ignis naturam induat, ut fit medium quid inter ignem, ac terram, corpus nimirum ex duobus elementis refractis, puta ex terra semicorrupta, & igne semigenito coagmentatum; quod proprio vocabulo dicitur fumus, fuligo, siue fumosa exhalatio: Atuero trium propositorum qualitas non est excrementum, quia etsi non conuertatur in substantiam alendam, ideo excrementum non est, quia non est substantia, sed accidens; excrementa enim sunt corpora, & substantiæ, ac omnino partes integrales alimenti nondum cocti. Alioquin si foret qualitas excrementum, cuius tantum participatione fumida exhalatio diceretur dissimilis alẽdo corpori; quum in ea qualitate odoris essentia vniuersa, & forma, naturaque potissima contineatur; deseruiente odori exhalatione ad instar vehiculi; nulla ratione dici posset odorem alere; non enim tribuas excrementis uim nutriendi. Sed fortasse dixeris duorum alterum in fumida exhalatione statui excremẽtum, nempe uel ignẽ, uel terram: nihil minus a vero abest; quum enim viuentia sint mista perfecta ex quatuor elementis; sane fumida exhalatio non poterit esse similis alendo corpori ob ignis participationem, dissimilis ob portionem terream; nec ex aduerso similis ob terram, dissimilis ob ignem; sed utriusque ratione pariter dissimilis, ut simplex misto, uel ut mistum imperfecti generis perfecto: Non ergo in exhalatione fumida odorifera vllum reperias excrementum; quando excrementum pars est in alimento dissimilis alendo corpori associata cum simili; exhalatio vero hæc tota sit dissimilis, nec vllam sui partem similem obtineat nutriendo viventi. Eodemque argumento idipsum pateat in odore, qui dicitur esse concretum corpus ex fumida, & vaporosa exhalatione, quia vapor mistum est ex aqua & aere, perinde ac nuper ostendimus fumum esse mistum ex terra & igne; calor enim agens in aquam eam conuersurus in aerem, in medio suæ operationis antequam aqua ex toto corrupta sit, & aer omnino genitus, patiens illud ex aqua semicorrupta & aere semigenito vapor est: si ergo in odore tum fumidam, tum vaporosam exhalationem agnoscas, alimentum tamen, & excrementum non agnosces; non alimentum, quia nec vapor, nec fumus, nec aggregatum ex vtroque mistum est perfecti generis, cuiusmodi esse oportet alimentum, vt supra visum est: non excrementum, quia vapor tum ratione aquæ solius, tum ratione aeris pariter dissimilis est alendo corpori; quare non aer potius quam aqua in vapore dici poterit excrementum: Immo nec in toto cõposito ex vapore, ac fumo vllum reperias elementum dissimile præ ceteris alendo corpori.

Addo calorem in hæc mista imperfecta operando non separare alterum ab altero, vt excrementum ab alimento, sed unum in alterum mutare; nimirum agens in vaporem calor aerem ex aqua non separat, sed aquam conuertit in aerem; & agens in exhalationem fumidam ignem à terra non segregat, sed terram commutat in ignem; cuius ea ratio est, quia exhalatio quælibet quum ideo sit mistum imperfectum quia mediam naturam obtinet inter aquam & aerem, vel inter ignem ac terram; quumque originem habeat à calore agente uel in terram, vel in aquam vbi ad medium suæ actionis peruenerit, semicorrupta terra, vel aqua, & semigenito igne, uel aere; atque ob aliquam caussam ab agendo destiterit; profecto si denuo calor idem, uel alius actionem intermissam aggrediatur circa idem subiectum, quod exhalationis naturam induerit, nihil aliud efficere poterit quã quod ab initio fecisset, si suam functione haud intermisisset, sed ad exitum deduxisset; quum autẽ finis, ad quem tendit calor in terram operans, & in aquam, sit eas in ignem conuertere; sane redintegrata sua functione calor vbi ex terra fumum genuerit, hunc vertet in ignem; & ubi ex aqua vaporem creauerit, hunc in ignem pariter conuertet, vel in aerem immediate, quem vlteriori actione commutabit in ignem; nec ullo pacto in fumo ignem a terra, & in vapore aerem ab aqua segregare studebit; sed perinde ac si nunquam sui actionem intermiserit ignis cum terram in fumum vertet, fumum postea in ignem; tum aquã in vaporem mutabit, vaporem in aerem, & aerem in ignem, nihil vnquam separando. Ita ergo calor agens in odores, qui exhalatione nituntur, nullum ex illis excrementum segregare potest.

Quæ ratio quoque militat in exhalationum partibus integralibus, quas nuncupant quantitatiuas; nanque ignis vlteriori actione vertit omnes portiones terræ in fumum, & omnes portiones fumi in ignem; & consimiliter mutat omnes portiones aquæ in vaporem, cunctasque vaporis portiones in aerem, & omnes aeris particulas in ignem, nullo inde segregato corpore, qaod excrementi rationem habere valeat.

Odoris nomine quid intelligi possit.

Fumida exhalatio ex quibus naturis, & origo.

1. meteo. c. 4.

Excrementum quid sit.

Vaporis origo. & essentia.

Cur calor non separet elementa in mistis imperfectis

Ab

Ab odore vi caloris concoquentis nec tenue, nec crassum segregari excrementum.
Cap. XXX.

NEc prætereundum est actione caloris per coctionem ex alimento quolibet duo excrementorum genera necessario separari; quod passim cum Galeno canit Medicorum Chorus, scilicet excrementum tenue, atque crassum; plerique putant collatione facta vnius ad alterum illud esse tenue, hoc autem crassum: sed ratio subtilius quid suadere videtur; nempe alterum esse excrementum tenue, & alterum crassum, relatione habita ad succum alimentarium, a quo separantur, cuius consistentia est in mediocritate substantiæ constituta; siquidem quum in viuente alantur solæ partes solidæ, non spiritus, non humores, vt fuse antea demonstrauimus; quumque solidæ partes, quæ viuentes sunt, generatim habeant viuentis temperiem; quam dicimus esse calidam & humidam, quando vitam calido, & humido contineri iam vulgatum est apud omnes; quamuis in huius temperiei latitudine aliæ partes alijs sint magis, vel minus calidæ, vel humidæ; quo nomine aliæ viuentis partes dicuntur etiam frigidæ, aliæ siccæ; absolute tamen omnes calido natiuo, & humido radicali fruuntur, ac vitæ pollent temperamento; ac proinde mediocrem nactæ sunt consistentiam inter crasitiem, ac tenuitatem; siquidem viuentis temperamentum, ac præsertim humanum adeo ad calidum & humidum non vergit, quin sit mediocritati quam proximum, & ab omni excessu distantissimum; quum autem qualitates secundæ primas maxime consequantur; plane quod in primis ad mediocritatem proxime accesser, idipsum in secundis, ac præcipue quoad tenuitatem, atque crasitiem a mediocritate minimum recedet: si ergo alimentum alendæ parti consimile esse debet; iam oporteat ex eo segregari partes tum tenuiores, tum crasiores, velut excrementa nutriendæ naturæ disimilia, seruatis partibus mediocritatem habentibus in purum alimentum alendæ substantiæ consimile: Quoniam vero fieri non potest vt extra nos alimentu reperiatur, cui non insint partes tenuiores, & crasiores nostris partibus solidis; quumque fieri etiam nequeat vt eadem actione caloris tenues illæ partes incrassentur, & crassæ attenuentur ad mediocritatem; immo quum caloris propriu sit heterogenea mista disgregare; iam necessarium est in coctione qualibet alimenti ab alimentari succo duo excrementa separari, quorum alterum sit eo succo tenuius, alteru crasius: Quod si assumpta substantia ob aliquam aliam caussam in se nullam partem obtineat, quæ sit alendo corpori; profecto ea non coquitur, etsi à calore afficitur, qui in omnia operatur: ingesta inquã materia id certe non patitur; vt à se caloris opere vlla separentur excrementa, non crassa, non tenuia, nõ sensibilia, nõ sensum fugientia; siquidem inter excrementa crassa, & tenuia hoc discrimen reperias, quod aliquando tenue visus aciem fugit, quum crassum vbique visui pateat; namque in prima coctione, quæ fit in ventriculo, excrementum crassum, ac tenue vtrumque sensibile est, stercus, & vrina, siue mucus vna cum stercore labens ad intestina; in secunda item, quæ Medicis obitur in hepate, crassum ac tenue excrementum visibile est, melancholia, & flaua bilis, pituitaque in speciem ichoris; at in postrema coctione, quæ fit in membris crassum excrementum semper visui patet, pilus, vel sordes, tenue alterum halitus est insensilis apud Medicos appellatus: ceterum hic halitus visui quidem insensilis est, at vero non absolute insensilis; namque olfactu percipitur; sentimus enim corpora nonnulla spirare tetrum odorem, vt quibus alimento sunt allia, cæpe, atque id generis graueolentia; contra probo alimento altos toto corpore halare sentimus suauem odorem, alias quidem hebetem, nonnunquam vero etiam vehementiorem, vt de suo illo barbaro solitariam vitam in Ægypto degente asserit Plutarchus, quẽ dum loqueretur suauissimum ex ore spiritum emittere testatur. Nec præterire fas illud sit, quod ex humano corpore spirantes odores canibus, & anseribus notissimi sunt; illi nanque olfactu heros magis quam visu cognoscunt; anseres autem & supra canes hominis odorem sentiunt; qua de re pulchre Lucretius more suo

. . . . tum fissa ferarum
Vngula quo tulerit gressum, promissa canum vis
Ducit; & humanum longe præsentit odorem
Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Historia notissima est, capitolium, vrbe a Gallis capta, seruatum esse anserum voce; quare tum Plinius asserit, *Est & anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id temporis canum silentio proditis rebus; quamobrem cibaria anserum Censores in primis locant*; tum Liuius, *Galli nocte subinitere tanto silentio in summum euasere, vt non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent; anseres non sic fellere*: quamuis autem plerique putent anseres non olfactu, sed auditu tunc sensisse Gallos, nos tamen hac in re iuuat vni Lucretio summo Philosopho subscribere. Atque ita plane constet odores, si aliquod excrementum caloris actione a seipsis excuterent, hoc non posse olfactum latere, si visum fugiat, ergo & qui solo nutriatur odore, iam hic mirum in modum toto corpore, ac præsertim respiratione fragrabit; quare abstinentium nostrorum corpora vel ipsis Pantheris essent odoratiora; de quibus Magnus Albertus ait esse genus animaliũ vorax, quod a crapula in speluncam ingreditur ad longum somnum, a quo tandem exurgens emittit à se fumum boni odoris, quẽ animalia cetera gregatim insectari Plinius, & ante illum dixit Aristoteles: at vero ieiunãtes nostros odorem halare præter consuetum, seu vehementiorem fragrantiam post ieiunium spirare quam prius tum ipsi, tum ceteri homines emitterent, non respondet experimento. Non ergo ab odore inspirato actione caloris in corde segregantur odoratæ fuligines, & omnino excremẽta vlla, nec sensibilia, nec sensum fugientia, nec crassa, nec tenuia: quare odor non

Excrementum in omni collatione quomodo sit duplex, crassum, ac tenue, nulla eorum inter se facta collatione.

Cap. 4. & seq. lib. 2.

Partes viuentis omnes quo temperamento sint.

Qualitates secundæ primas consequi.

Calor non omnia coquit, qui in omnia operatur.

Prima coctionis & aliarum excrementa.

Excrementum insensile non absolute.

Lib. de oraculorum defectu.

Anser olfactu canem superat.

Lib. 4.

Lib. 10. c. 22.

Lib. 5.

Lib. 11 de anim. cap. 1.

Panthera odorem spirat post somnum.

22. de anim. probl. 14.

Vide lib. 4. c. 8.

erit

erit vlla ex parte alimentum. Itaque odor in substantiam alendam verti nequit, quum illi penitus dissimilis existat, non quidem ratione vllius excrementi, sed quia non est multum perfectum, cuiusmodi esse oportet quoduis alimentum: Ita ex puro medicamento, & ex veneno ingesto nullum calor separat excrementum; quoniam hæc dissimilia sunt corpori, non ob excrementorum participationem; sed ob propriam naturam; quippe neutrum illorum est aptum a calore vinci, quod est proprium veri alimenti; quum medicamenta calorem afficiant quoquopacto; venena vero ipsum corrumpant.

Cur ex medicamēto, veneno calor non segreget excrementum.

His fulget theorematibus secunda ratio Aristotelis demonstrans odores non alere, quia nullum ex ijs potest caloris opera in coctione segregari excrementum, necessario ab omni alimento in coctione segregandum.

Proprium alimenti est à calore vinci.

Tertia ratio Aristotelis ostendens odorem non alere, quia coctione à calore non incrassatur. Cap. XXXI.

EXinde vero tertiam his addit demonstrationem Aristoteles ad idem propositum, quia quum in viuente animali non alantur spiritus, neque humores, multoque minus partes aereæ in misto, quemadmodum supra demonstratum est, sed partes solidæ tantummodo, ac mistæ, quæ solæ viuunt in nobis; quumque alimentum debeat caloris ope conuerti in substantiam alendam, proculdubio quod nutrit omne à calore id perpeti necesse est, vt fiat crassius, & corpulentum magis quam sit humoris consistentia, nam partes omnes solidæ corpulentiam obtinent, crassitudinemque longe supra humorem, sed odor a calore tantum abest vt incrassetur, corpulentumque fiat, quod potius attenuetur; atque in spiritum insensilem, ignemque, seu halitum inspectabilem omnis exhalatio tum vaporosa, tum fumida conuertatur. Non ergo potest odor vlla ratione alere.

Cap. 5. & seq.

Cur aliment[um] à calore incrassetur.

Quarta ratio, quæ Aristoteles probat odorem non esse alendo corpori, quia non feratur ad membra nutrimentis dicata. Cap. XXXII.

QVarto loco monet Aristoteles destinata esse a natura in animalium corpore certa membra ijs omnibus excipiendis, quæcunque ingrediuntur corpus ad alendum, fauces, ventriculus, hepar, venę; huiusmodi vero membra sunt non solum in quibus alimenta elaborentur, sed potissimum a quibus alimentum trahunt alendæ partes vniuersæ; nam proxime trahunt exinanitæ partes omnes a venis, per venas posterius a iecore, per iecur deinde a stomacho, & faucibus, ubi fit indigentia sensus nomine famis, ac sitis: ceterum odor per fauces non transit ad stomachum, inde ad iecur, & venas lapsurus; uerum per nares irrepit ad organum olfactus, quod est in cerebro, a quo nec inanæ partes usquam alimentum quærunt, nec habēt animalia ut per ipsum appetant, ueluti per organū famis, ac sitis: Odor itaque non deseruit animalibus tanquam alimentum.

Hippoc. 5. de morb.

G. d. 3. de sipomm.

Arist. 3. de part. c. 3.

Quinto confirmat Aristoteles odorem non alere, quia nonnisi per accidens fertur in fontem alimenti. Cap. XXXIII.

QVintum argumentum superioribus attexendum illud est ex Aristotele, quia si odor simul cum aere inspirato ingrediatur per nares, & os ad tracheam, & ad pulmones, uel etiam ad cor, quod est fons, & officina sanguinis, quo alitur uniuersum corpus; haud tamen eo uadit tanquā odorabile; quando ibi non est organum odoratus; uerum odor in cor fertur per accidens, ac ex necessitate materiæ, eo modo prorsum quo una cum inspirato aere ingreditur ad cor uenenata qualitas in constitutione pestilenti, & quotidie caliditas, ac frigiditas aeri aduentitia; quarū nulla propterea uertitur in sanguinem, ac omnino in alimentū corporis. Odorabile igitur per se uere non alit.

Odor esse medicamentum, non alimentum, sexta ratione probatur. Cap. XXXIV.

DEnique uero quum sapor in alimento nutritiuo se habeat ad alenda membra non ueluti pars alimenti conuertenda in substantiam corporis nutriendi, sed ueluti condimentum suscitās appetitum ad amplectendum cibum, quod alibi dictum est; uerum quemadmodum se habet sapor in alimento ad alendum, ita se habet prorsus odorabile ad sanitatem; itaque odor non efficit, aut conseruat sanitatem quia conuertatur in substantiam corporis sani, aut sanitatem, substantiamue deperditam restituat; sed quia suo calore simul naturalem calorem collabētem erigit, frigiditatemque in cerebro, atque in corde noxiam corrigit, ac tollit. His omnibus acriter, ac necessario demonstrat Aristoteles aduersum Pythagoreorum decreta odorem non alere; quam sententiam alibi etiam professus fuerat.

Sapor vt se habeat ad nutriēdū corpus.

2. de an. t. 28.

Saporis, & odoris comparatio.

3. de an. t. 64.

Censura responsionum demonstrationibus Aristotelicis ab Argenterio allatarum. Cap. XXXV.

QVæ si paullo diligentius considerasset Argēterius, optime uidisset has rationes eo non solum, quod ipse proposuit, nimirum odorem, qui assurgit cum uapore semper à corporibus compositis, & non simplicibus, esse compositum: ac ex eo post nutricationem aliquid resultare excremētosum, quod tamen ob tenuitatem sensum nostrū fugiat multo magis quam uapor quem Galenus ponit esse excrementum tertiæ coctionis, & ex solidiore etiam alimento gigni: Corpulentumque id esse oportere alimentum, quod restituit id, quod est solidum, ac terrenum in partibus; at quod restaurat partem aeream, uaporosum, & aereum esse: Naturamque destinasse quidem instrumenta

Argēterij responsio ad Aristotelis primā rationem.

2. Aphor. com. 11.

ad 2.

ad 3.

ad 4.

menta

menta ad coctionem cibi, & potionis, quando illa maiorem elaborationem desiderant; sed vaporosum nutrimentum non habere opus illis instrumẽtis; quum à minimo quoque calore mutatio in eo fieri valeat: sed Argenterius ad pauca respiciens hoc in loco, nudumque corticem Aristotelicarum demonstrationum lambens de facili enunciauit allatas rationes esse nullius momenti, & a se adductis responsiunculis euerti: An vero res ita se habeat, neminem qui hæc omnia tum nobis in argumentorum Aristotelis explicationem, tum Argenterio in eorundem solutionem proposita fuere, non oscitanter legerit, recuso iudicem.

Non ergo possunt abstinentes nostri, neque vllus hominum inspirata exhalatione, aut odore solo nutriri.

Respondetur ad argumenta, quibus nititur sententia superior, ac primum ostenditur exhalationem de terra surgentem non vbique præsto fuisse abstinentibus; nec esse mistum. Cap. XXXVI.

ARgumenta vero superiorem sententiam cõfirmantia magna ex parte ingeniosa sunt potius quam vera; quæ si acrius expendantur, enodari poterunt. Quod enim primo afferebatur de inspiratione exhalationis vna cum aere soluetur, si concedentes calorem ab astris, ac cœlo quacũque ratione factum, productumve in aere inferno semper agere in globum terra & aqua constitutum; atque inde iugiter eleuare vaporosam, & fumidã exhalationem; audacter negauerimus propterea perpetuo vniuersam aeris regionem infimam sic ea exhalatione repleri; vt nihil aeris inspirare valeamus, cui non sit admista exhalatio; sensu enim percipimus plerunque nos viuere, ac spirare in aere puriori, & perquam defæcato ab omni extraneo, & aduentitio corpore: Quin & ratio suadet exhalationis tantam manum assidue non gigni, quanta necessaria esset ad hunc aerem nostrum vniuersum inspergendum; siquidem calor ambiẽtis terræ, vel aquæ partes intimas in exhalationẽ non conuertit, sed extimarum aliquas tantummodo; non enim lapides, quorum magna vis est in terræ superficie: ac longe a vero assumitur nullo tempore nullam partem aeris immunem esse à vẽtis; in nostro enim Musæo diligenter occluso nulli vnquam perflabunt venti; quibus plerũque sub dio etiam aerem omnino carere contingit; an ne dicendum non potuisse in cubiculo, & in aere trãquillo vllum abstinentem diu uiuere? sed uiuunt sine respiratione Lucumori, ac proinde sine inspirata exhalatione.

Ad secundum argumentum cõcedentes exhalationem vtramque simul ascendere, negamus tamen ambas coire in naturam misti; sed fumida vaporosam velut onus a se distinctum sursum defert in aeris regione media relinquendum; quod supra ex Aristotele ostendimus: Ac si contendas massam ex vtraque mistam appellari posse; nunquam vere mistum; nec mistum perfectum dici poterit, cuiusmodi est alimentum.

Cap. 23.

1. meteor. cap. 18.

Exhalationem odore tetro affectam esse, sapidam non esse. Cap. XXXVII.

TErtiæ rationi concedentes aliquando massã exhalationis habere, halareque odorem, sed fere semper tetrum, vt sulphureum, qualem spirãt nebulæ densiores, ac fulmina; existimamus eo tetro, ac fere venenato halitu Timonis amitam potius suffocationem passam, quam enutritam; iacebat enim semianimis, vt vix respirare cognosceretur: Id ipsum de Lymphaticis Apuleij, eos nempe à teterrimis illorum halituum odoribus pene suffocatos diu sine cibo, potuque iacuisse, non iis halitibus altos; quod vel ex ipso Apuleio colligas paullo post afferente se vidisse apud Hierapolim Phrygiæ ex terræ hiatu mortiferos halare halitus, quos anhelitu trahentes bestiæ contagione corruptæ capite circumacto interirent; quinimmo & homines propius eo loci accedere audentes semiuiuos esse: hæc ut ea ratione interpretaremur docuit nos Plinius inquiens alibi spiritus letales aut scrobibus emissos, aut ipso loci situ mortiferos inueniri: quam sententiam roborat item Galenus lib. 1. de tuend. ualet. statuens circa Sardeis talem esse locum, e quo spirantes halitus sint mortiferi. Nec prætereundum est de his, uelut de fabulis Apuleium agere, licet uera esse nihil impediat. Deinde uero uti negamus huiuscemodi massam exhalationis alere; ita non putamus eam in se ullũ habere saporem; neque arbitramur quemquam exhalationem istam unquam gustasse; sapor enim gustatiuæ partis passio est Aristoteli: quod autem affertur de insensili sapore, atque odore, mihi contradictionem implicat; quũ enim saporis, & odoris natura sit per se obiectum gustus, & olfactus, ac propterea per se sensibilis; profecto perinde est dicere saporem, & odorem insensilem, ac dicere sensile insensile; siue odorabile, & gustabile inodorabile, & ingustabile: Falsum & illud esse uidetur in proposito, massam exhalationum continere in se caussas proximas odoris, & saporis; nam siccum sapidum non habet; humidum etenim, ac siccum absolute sunt caussæ remotæ odoris, atque saporis, sunt autem proximæ causæ odoris, & saporis proprij alimentorum, de quibus nunc instituta est meditatio, quando humidum cum sicco lapido fuerit perfecte mistum, ac certis legibus, debitaque proportione, non utcunque adiunctum, quemadmodum est in massa exhalationis.

Lymphatici Apuleij

Lib. 2. c. 93.

De sen. & sen. ca. 1.

insensilis odor, ac sapor esse non potest.

Exhalatio non continet in se caussas proximas odoris, & saporis.

Exhalationem à calore non condensari. Cap. XXXVIII.

AD quartum argumentum concedentes in aere massam exhalationis concrescere in uaria meteororum genera; infitiamur primum illã à calore concrescere; semper enim à frigore condensatur; de nubibus quidem, aqua, niue, grandine, ac pruina dubium non est quin ex uaporosa exhalatione fiant a uigente frigore in medio aere coa-

cta;

cta: Idipsum autem euenire materiæ ignitarum impressionum, & apparentium in aere superno demonstrari potest, quamuis enim eo in loco nulla frigiditas reperiatur, ad eam tamen plagam de terra non ascendit exhalatio, quin transeat prius aeris mediam regionem, in qua repetiens forte fortuna impensam frigiditatem, tum haudquaquam potest quin ab ea condensetur magis, uel minus, prout ibi tum maiorem, uel minorem moram trahere cogitur ab adiuncto sibi uapore, cuius lentori adhærens implicata plerumque non ita facile ab eius consortio extricari ualet; tum quoque intensiorem, uel remissiorem frigiditatem comperit: non enim semper in toto aere medio, ac in singula eius portione uiget idem frigoris gradus: quę igitur exhalatio illuc transiens parum adeo cogitur ut crassitiem insensilem inde contraxerit, ea superum ad aerem delata in igneum elementum uertitur insensibiliter, uel repertæ ibi continuili exhalationi tenuiori coniungitur: quę uero ita coacta fuerit, ut sensibus conspicuam densitatem adepta sit, ea supremum in aerē scandens, si accendatur ardet in cometam, trabem, & huiusmodi alias figuras ignitas; si non inflammetur, sed siderum lumine illustratur solum, foueam, hiatumue, sanguinem, atque sexcentas alias imagines nobis efformabit; quæ omnes tandem ab oleuntur, calore rursum tenuata illa materia, & in igne conuersa.

Exhalationem in aere cogi non posse in sanguinem, carnem, & lac; quæ pluat postea.
Cap. XXXIX.

INsitiamur & illud, ex massa exhalationum de terra in aere gigni lac, sanguinem, & carnes; gigni quidem poterit substantia lacti similis, sanguinem referens, & carniformis, quia ui solis sublati uapores, exhalationesque de uarijs subiectis uarios colores obtinent, sed potissimum lacteum, & cruentum; cuiusmodi colorem aspicimus & in ea massa, quæ in supremo aere nobis effingit eum uiam a candore lacteam nuncupatam; tum sanguineum, atque purpuream, ut monet Aristoteles; & sæpissime prope terram oriente, ac occidente sole uapores cernimus in aere rubentes ad instar sāguinis, per quos & uisui sol apparet rubeus: hi uero uapores aliquando colorantur a radijs solaribus admissis, & repercussis, ut in Iride contingit; aliquando autem nullo solis ministerio ex se habent eiusmodi colores a materia, unde prodiere: neque enim a ratione abest de locis minio scatentibus uapores attolli rubros, qui frigore cōcreti sanguinem referāt pluuium: immo & ex his ascendētibus de terra niuibus oblita niues rubras effici non ab re prodidit Eustrathius nobilis interpres Homeri: sed & Homerus ipse rorem cruentum dicit, qui apud Troiam quādoque factus est: quid enim mirum ubi larga sanguinis copia effusa est, inde uapores attolli, qui frigore coacti sanguinem referant, unde prodiere? sic enim liceat obseruare uapores ui caloris ex aqua sublatos ad operculum lebetis frigore densari rursum in aquā

1. Meteo. c.6. & 10

eiusdem coloris: quando itaque uapores rubri aut candidi ascendentes de quacunque materia ui frigoris coguntur in aquam non mutato colore pristino, tunc uidetur lac, & sanguinem pluere: sin autem præter ruborem hi uapores maximū quoque obtinuerint lentorem, atque a frigiditate cogantur, tuc pluet ueluti carnium frustula: sed quæ uiuui colorem lactis, carnis, & sanguinis imponere uidentur; ea nec olfactui odorem, nec gustui saporem, nec igni, aut menti substantiam lactis, carnis, ac sanguinis imponere ualebunt; siquidem hæc omnia igne liquabuntur; quippe a frigore cōcreta; quum lac, sanguis, & caro igne non liquentur; sed priora duo a calore concrescant, postremum autem mollescat, non uere liquescat. Vt certo pateat quæ aliquando pluit, non fuisse carnes, nec sanguinem, nec lac, sed substantias istis solum colore, aut consistentia similes, in temperamento uero, ac in essentia, & præsertim in ratione alimenti dissimiles.

Quomodo contingat lac, & sanguinē pluere.

Pluere carnes.

Qua ratione potuerit animalia pluere, ac speciatim vitulum, pisces, ranas, atque lemmer.
Cap. XL.

QVod proponitur de uitulo, id arbitror ea ratione accidere potuisse, qua notat aliquando Aristoteles pluisse lapidem in fluuijs Aegos; non enim genitum in aere pluit; sed a magno uentorum flatu de montis uertice, uel quouis alio editiori loco auulsus, ac per aera uectus aliquandiu, tandem cessante uento recta deorsum cecidit more grauium; non alia ratione uitulum pascentē in altiori iugo magna uenti uis extollere, ferreq; longe per aera potuit, flatuq; remisso cadentē uitulū pluisse uisum. Id quod de piscibus innuit Plinius, *Quid* inquit *esse mirabilius potest aquis in cælo stantibus? At illa, ceu parum sit in tantam peruenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina: sæpe etiam lapides subuehunt portantes aliena pondera?* De ranis illud nobis maxime suspectum est eas in aere gigni, & pluere; quum enim sint animalia non paruipendendæ structuræ, ac magnitudinis, corpus namque obtinuere multis organis affabre conformatis constitutum; par est non nisi multo tempore absolui posse: uerum in aeris illa parte, ubi est exhalatio in ranam commutanda, non potest tandiu persistere agens illud, à quo rana conformari, & animari debet, quum aer assidue commoueatur, & alteretur, potissimum uero, ac uehementer agitetur imminente pluuia, & ea quā ranas pluet; siquidem ut plurimum magnis tempestatibus id accidit.

1. Meteo. cap. 8.

Lib. 31. c. 1.

Addere liceat in aere ex fumida, & uaporosa exhalatione haud gigni uiuentia nisi infimæ sortis, quæ non semine, sed solum putredine oriri queunt; uti sunt muscæ, pyrausta, & id generis alia; rana uero etsi possit ex putri oriri, quum nascatur etiam ex semine, & ouo, apud Aristotelem, mistū perfectius esse necesse est, quam quod oriatur ex sublata exhalatione; uerum ubi gignitur ex putri, oritur ex terra madefacta, & fimo scatente.

4. histo. cap. 9. 3. de gen. an. c. 3. Ranarum origo.

Præ-

Præterea quęcunque oriuntur ex putri suæ generationis efficientem obtinent calorem, immo simpliciter animalia cuncta calore procreantur; generatio enim functio est facultatis naturalis, ac omnino naturæ, quæ calore vbique vtitur ad operandum; vt vere vulgo dicatur velut in adagio frigidum non ingredi opera naturæ; per naturæ opera interim significãdo generationes viuentium, quin & omnes functiones uegetalis animæ, quæ sunt alere, augere, generare viuens, quod Aristoteli dicitur opus naturalissimum uiuentium, & vulgo naturæ perfectissimum: sed absolute (ut omittamus quæ semine propagantur) quæcunque gignuntur ex putri, ab efficiente calore producuntur; ceterum in aere pluuio nihil est caloris in actu, cuiusmodi esse oportet, à quo ranas exoriri decet: Non ergo exhalatio conuertitur in ranas; Idẽque iudicium esto de stellionibus, & alijs id generis; Apparent autem post pluuias, si magna sint hæc animalia, uel ui uentorum aliunde in eum locum delata; uel dissoluto cæni concreti tegumento, seu terræ rimis eluente imbre reclusis, patefacta, quæ prius sub terræ, aut luti crusta delitescebant: si vero exilia sint, nuperrime genita ex luto, cui solis calor aduenerit. Volitantia vero pluere possunt, cum mortua vi frigoris enecata; tum quoque viuentia vel impetu cadentis pluuiæ ad terram depulsa, vel plumis madefactis cadẽtia, quod metuens Icaro volaturo Dædalus genitor sic infit apud Ouidium

Vide libro 4. c. 9. Frigidum non ingrediatur opera naturæ.

2. De an. t. 34.

Stelliones ex pluui.

8. Metam.

. . . . medioque vt limite curras
Icare, ait, moneo; ne si demissior ibis,
Vnda grauet pennas; si celsior, ignis adurat;
Inter vtrunque vola.

Exerc. 199 Hoc ipsum dicere possumus de Lemmer Scaligeri, quod bestiolarum genus e nubibus putridis nõ gigni ex eo plane conijcias quia Noruegiæ incolas ante horum animalium exortum, & interitum aere vsos non insalubri monet vir acutissimus; rationi vero consentaneum erat eas gentes eandem luem contraxisse multo prius aere putridis vaporibus, seu nubibus referto, vnde gigni Lemmer potuere, atque postea contrahunt eodem inquinato vaporibus, in quos corruptione Lemmer abiere.

Hippocratis dogma illustratur de exhalatione vi solis attracta ex animalium corporibus. Cap. XLI.

De aer. aq. & loc.

QVod posterius adducitur ex Hippocrate alicubi asseuerante vi solis in aerem tolli exhalationem promiscue de omnibus corporibus cum simplicibus, tum etiam mistis, ac præsertim animalium, superiorem sententiam non firmat; siquidẽ ex animalium corpore vi caloris externi effluit halitus Hippocrati tum excrementitius, qui propterea non est alendo corpori abstinentium nostrorum; tum quoque aereus, & aqueus, cui nullæ fere sunt partes terreæ; calore nanque ambientis de animalium corporibus segregantur terreæ partes in sordes, aqueæ vero, & aereæ in halitus in ignem conuertendos: quare quod hac ratione vi caloris effluit ex animalibus mistum non est perfectum, ac propterea longe abest ab alimenti natura. Quinimmo & si mistum perfectum vi solis ex animalium corpore attolleretur, quum tamen haud statim corpus alendum ingrediatur, sed in aere diutius immoretur, in diuturna mora necessario a calore, à quo primum eductũ est, postea in ignem conuertitur, atque in elementa dissoluitur: secus enim eo permanente sub natura misti, quod alendi vim habeat, cur non omnes, aut saltem plurimi semper eo inspirato sine vllius alterius alimenti usu diu uiuere possemus?

Rorem non esse vaporem vi caloris concretum, nec alimentum cicadarum. Cap. XLII.

DE rore duo proponuntur, quæ recipere nequeo; quod gignatur a calore tepido aeris uaporem condensante; quodq; cicadis in alimentum cedat. Vapor enim a calore, quiuis ille fuerit, necessario tenuatur in aerem; concrescit autem in rorem non nisi à frigore; signum huius rei esto eui dentissimum, quia noctu concrescit, quo tempore absente Sole nullus calor est in aere nostrati, potissimum uerna constitutione, quando ros decidit: Equidem uerum est longe remissiorem esse aeris nocturni frigiditatem, quæ uerno tempore uaporem cogit in consistentiam roris, ea quæ hyberno eundem condensat in pruinam; quo sensu scriptum est Aristoteli uapores in pruinam condensari a frigore hyemali, hoc est intenso, quale uiget hyeme, aut in hyemalibus locis: in rorem uero con uerti a frigore non ita excedente, sed a magis temperato, magisq; ad teporem accedente; nunquam uerò à calore, quod gratis accipitur. Nec uerum est cicadas rore puro nutriri, nec Aristoteles id e suo penu refert, sed e rusticorum opinione iam inuulgata cum Menalea pastore eanentium

Rorem à frigore. nõ à calore fieri.

1. Meteor. c. 10. Pruina à frigo.

Dumq. thymo pascentur apes, dum rore cicadæ

quam uulgi opinionem & Ouidius sequutus de Clytie cecinit, quod

Perque nouem luces expers vndaque, cibique,
Rore mero, lachrymisque suis ieiunia pauit.

Sat enim erat poetæ uulgatam sententiam proponere, quod non decet Physiologum, si a ratione dissentiat. Hanc tamen sententiam a uero abesse illud potissimum doceat, quod cicadæ maxime uiuunt æstate, ac locis calidioribus, nec uernis diebus, uel autumnalibus ullæ uisuntur: ros autem æstate non cadit, a nimio calore dissipatis uaporibus; solumque oritur tempore, ac regione temperatæ frigiditatis, quod nuper adnotauimus ex Aristotele. Verum de cicadarum alimento postea suo loco fusius. Illud nunc sufficiat ad obiectum argumentum, Qua ratione uapor, & omnino exhalatio in aere non cogitur in rorem a calore uehementi, neque a calore debili ullo; quippe omnis calor est ultra tepidum; sed a frigido temperato proxime ad frigidum uergente; demus etiam disputationi a tepido; eadem plane ratione attractus uapor, seu exhalatio per inspirationem in cor, ubi uiget semper intensa caliditas ultra teporem, non

Cicadæ non aluntur.

Roris origo.

Cap. 86.

Omnis calor est ultra tepidum.

poterit

poterit ibi condensari vllo pacto in sanguinem, & alimentum.

Mannam non fieri ex vapore vi caloris densato in aere, nec solam alere posse ad Hebraica mannæ discrimen. Cap. XLIII.

DE Manna duo similiter suspecta nobis afferuntur, alterum est, quod eius origo sit in aere ex vaporibus a calore densatis; alterum est, quod sola sit alimentum ex se sufficiens ad vitæ custodiam. Quoad primum, non infitias ibo vaporosam exhalationem cedere in materiam mannæ; sed in eo dogmate aperte negabo vaporem hunc in mannam concrescere ministerio caloris; vaporum enim ea natura est, vt solo frigore densentur, calore nunquam; sed potius attenuentur, ac in aerem, aut ignem conuertantur: Argumentum huius rei hoc esto euidentissimum, tum quod Manna ipsa calore liquatur; calore autem liquabilia non esse nisi frigore concreta docet Aristoteles; tum quod in locis manna feracibus ea colligitur quotidie summo mane de arborum frondibus noctu genita, quo tempore in aere quoque æstiuo non calor vllus, sed frigiditas viget: Itaque a frigiditate aeris nocturni tepori proxima ros cogitur in mannam. Nec minus mihi suspectum est mannæ omnem materiam ex vapore, seu rore concreto inesse; in primis enim & ipsa inter meteora connumeranda fuisset Aristoteli. Deinde vero & illud habemus ab Auicenna, Mesue, quin & ab experimento mannam participem esse naturę, ac virtutum plantarum, ex quibus colligitur; quare non erit purum meteorum in aere genitum, sed mistū ex rore certi temperamenti, & humore quodam ex plantis nonnullis, super quas cadit, resudante: Quæ autem manna legitur super lapidibus, ac terra, illuc non immediate de cœlo, sed cecidit de stirpibus oculato experimento, ac testimonio Clusij, & Altomarij. Quin & Porta in sua Villa scribit a scriptoribus se accepisse, *Gallia locis quibusdam ex vulgari olea emanare manna vere melleum sapore, colore, & incorruptum durare. Manat e tenellis ramis, & stipitibus, & rimosis corticibus, vel etiam scalpello incisis, oliua nigricante, vel purpurascente, Nouembri mense, ingruente hiemis sæuitia: fecti s etiam maioribus truncis initio melle liquidior glutinosus latex emanabat, postea frigore densior euadebat non tam mel, quam manna præseferens.* Sed & ego ipse non semel oleas aliquot in rure meo de terra legi, quæ nigræ colore, ac semiexsiccatæ albo quasi saccaro respersæ gustui mannæ saporem communicarunt. Deinceps autem certo constat in Calabria mannam colligi e folijs ornis, & fraxinis tum frondibus adhærentem, tum e ramis, & caudice aut sponte resudantem ad instar gummi, aut incisione, ac expressione violenter eductam; quumque multæ aliæ sint ibi arbores inter ornos, & fraxinos, ex nulla tamen earum mannam colligi, vel educi argumento certissimo non esse mannam ex rore solum. Demum etiam vesperi obtecta linteis orno, & fraxino, ne noctu rorem admittat; mane tamen frondes manna diffluere, scaterque comperias. Alia his multa addit argumenta Doctissimus Costæus, & Altimarius; quibus liquido iam pateat nō esse mannam purum meteorum ex vaporibus condensatis in speciem roris, sed esse gummi plantarum, & e succo arborum fieri; cuius modi esse omnem mannam orientalem autor est Garzias ab Horto in opere de medicamentis Indiæ orientalis. Ceterum de manna, qua Deus olim pauit quadraginta annorum spacio Hæbreorum multitudinem in deserto Sin, non possum cum Vallesio conuenire vt eam existimem eiusdem speciei cum nostrate; nostra enim seruatur imputris ad multos menses; illa non seruabatur ad tertiam diem, sed altero, vel tertio mane scatebat vermibus, & computrescebat: nostra, quo tempore legitur, quotidie colligitur sine delectu dierum; illa die sabbathi nunquam cadebat; nostra æstate solum, atque anni tempore certo prouenit, quod Mesues adnotat; illa toto anno, singulaque nocte, præter eam, quæ est ante sabbathum, cadebat; nostra semper ijsdem locis prouenit, nec obseruatum est alicubi, quum antea non legeretur, postea collectam fuisse; illam eo tractu deserti Sin tunc solum pluere cœpit: nostra vnicum, eumque simplicem obtinet saporem dulcem, ac nauseam cientem; illa in se habebat omne delectamentum suauitatis: nostra non tam ante solis ortum, quam etiam meridie summo, & sub canis æstu colligitur Doctissimi Costæi animaduersione; illa quum sol incaluisset, liquescebat; nostra medicamentum est delectorum; illa purum alimentum præstabat hominibus more panis, quo nomine appellabatur in Israel. Neque verisimile est (quod Vallesio placuit) omnes in ea multitudine cacochymia laborasse, ac proinde principio mannam illis contulisse vt medicamentum, quod ipsi appellarent cibum leuissimum nauseam prouocantem; mox consuetudine redditum idoneum, atque suauem; Nam vicissim ab initio læti, ac gestientes manna vescebantur Hæbrei; deinde vero (quæ fuit semper natio peruicax, Deoque contumax) cęlestem panem fastidire cœpit appellans cibum leuissimum, & nauseam incutientem; quam eorum peruicaciam Deus vltus est in populum mittens ignitos serpentes, quibus vulnerati plurimi moriebantur: nostra quidem manna vere cibus leuissimus est, & nauseosus; quare si & illa eiusdem speciei, ac sortis extitisset, nec falso dixisset Israel se iam nauseare super illo cibo leuissimo, nec Deus propterea illos immissis colubris morte affecisset. At vero medicamētum, aut venenum consuetudine ulla cibum effici posse, longe minus arbitror probabile: oppositas enim habent inter se naturas alimentum, medicamentum, atque venenum: consuetudinis quidem vi possit medicamentum non alterare corpus, venenum non destruere uiuentis essentiam; sed in alimenti substantiam verti posse nō damus, existimantes utrumque a consuetis ingestum impune tandem cum excrementis pelli extra corpus. Quamuis autem de manna in proposito experimentis nō reluctabor; si quis tamen suo periculo

tentare

4. Meteor. c. 9.

Manna concussa effictione.

Materia non solus vapor, sed ros.

Lib 6. c. 5. Manna promanans ex olea.

Mãna magine e suo co stirpiũ esse, nō ex rore cœli.

Annot. in Mes.

Libro de Manna. Cap. 11.

Exod. c. 16

Hæbræa mãna specie differt à nostra.

Costa. in Mes.

Medicamentũ, & venenum ob consuetudinem non fieri alimentum.

tentare voluerit an sola manna nostrati diu viui queat, cum timeo ne assiduo mannæ solius vsu leuitas intestinorum, ac nimia deiectio internecioni dedat. Hæc quidem arbitratus is ego sum, qui nostrati mannæ vltro concedam exiguam eius quantitatem cum solito cibi genere manducatam esse alendo corpori, non quidem partibus eius medicamentosis in alimentum mutatis, id enim fieri non posse reor, sed a copia cibi, & potus innoxij obrutis, ac superatis ea ratione, qua circulatorem uidi repleto stomacho post crapulam impune venenatas carnes ingurgitasse, retunditur enim, ac hebetatur vis medicamenti, ac veneni etiam, quod pauca ingestum sit copia, ab vbertate alimenti, & interim si quę sunt in medicamento partes alimentariæ coctione ab excrementitijs purgatæ alimento sunt corpori; purgatorijs, ac noxijs velut ineptis ad alendum, ita inefficacibus ad mouendum, destruendumque corpus, postea cum excrementis à corpore pellendis: quæ vbi non hebetantur ita naturam subigunt, ut eam ab alimentitiarum partium coctione auertant; quare manna sola non alit, cum cibis alit. Sed hac de re infra latius.

Manna quomodo alat.

E medicamento. & veneno vt alimentum haberi possit.

Cap. 117. 219. & libro 4. c. 4.

Sic ergo nec manna fit ex uapore concreto caloris opera, nec sola potest hominibus in alimentum cedere: Quamobrem non necessario colligebatur uaporibus una cum aere inspiratis, & caloris ministerio in sanguinem concrescentibus sine alio vllo alimento diu abstinentes nostros posse nutriri.

Mel non esse purum rorem concretum, nec tale quid sine alio nutrimento diu posse hominem abstinentem alere. Cap. XLIV.

DE Melle hoc dicimus, ipsum non omnino e floribus de stirpium substantia puriori exsudare; quod belle demonstrat Aristoteles; nec omnino ad instar puri meteori de cœlo cadere, nilque aliud esse penitus quam rorem; verum substantiam quandam esse compositam è certa specie roris, & stirpium, florumque halitu, ac humore; quæ substantia plerunque pauca non nisi apum auxilio legitur, & ab earum calore elaborata uomitu deijcitur in aluearia cerea, cuius mistione (ceræ inquam) consistentiam, & lentorem nanciscatur euidentiorem: nonnunquam tamen adeo multus est huius & roris de cœlo prouentus, & humoris tenuissimi de stirpibus exitus, ut sine apum industria mel de plantis mane à rusticis colligatur: qua de re luculentum Galeni non desidero testimonium; *A plantis* (inquit) *& ab animalibus mel est secretum; & quidem mel oritur in plantarum folijs* (addere liceat, & floribus) *est autem neque succus earum, neque fructus, neque pars; sed eiusdem est cum rore generis; non tamen assidue, nec copiose, vt ille prouenit. Memini aliquando quum æstate super arborum, ac fruticum, herbarumque folia mel quamplurimũ fuisset repertum, agricolas velut ludentes cecinisse Iuppiter melle pluit; præcesserat autem nox* (*vt per æstatem*) *bene frigida* (*nam tum tempus anni æstiuũ erat*) *pridieque calida & sicca fuerat aeris temperies: peritis quidem naturę interpretibus videbatur halitus e terra & aquis à solis calore sublatos, ac deinde exacte tenuatos, ac coctos, à frigore secutæ noctis concretos coaluisse: apud nos vero raro id accidit, in monte autem Libano quotannis persæpe; itaque coria super terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas, ac fictilia melle implent, vocantque id mel roscidum, & aerium: proinde constat materiam, ex qua mel generatur, rori esse congenerẽ; uidetur autem & ex plãtis, in quarum folijs colligitur, boni, maliue quidpiam ipsi accedere: ideoque laudatissimum in locis mel gignitur, in quibus thymus, & aliæ quædam herbæ, ac frutices temperamento calidæ, & siccæ affatim proueniunt; tenuiorem enim est partium id mel, quod in huiusmodi plantis generatur.* Hęc ille; quibus aperte colligas melli materiam non esse e puro terræ, aquarumque halitu condensato in speciem roris; sed partim e rore, partim etiam ex halitu, tenuiorique humore stirpium; secus enim haud necesse foret mel aerium in monte Libano colligi excussis arboribus; nanque sternentes coria præcisis arboribus, ac extra locum arboribus consitum, uel etiam inter unam, & alteram plãtam sine illarum excussu, mel etiam colligerent; cadit enim ros etiam non super arbores: immo sane detractis arboribus uberiorem longe mellis prouentum haberent coloni; quippe roris, præsertimque uiscidiusculi non paruum tum stirpibus pertinaciter adhærere, tum per arborum rimas, ac poros intrinsecus ferri ad partes intimas, & medullam, uerisimile est. Deinde uero nil boni, maliue melli à plantis inesse posse uidetur, præter succi, uel halitus communicationem: nam stirpes solo contactu externo sine ullius substantiæ aut halituosæ, aut solidioris communicatu nullam bonitatem, malignitatemve ulli corporum impertiri posse uidentur: & eo minus tenuitatem partium, quam mel à plantis calidioribus non sortitur, nisi ab illis ebibito halitu, uel humore tenuiori, quo mellis consistentia tenuetur tum breui temporis tractu: plantis enim calor actu non inest, quo mel attenuent, sed in habitu solum: sic Aristoteles mel non refert inter pura meteora: sic Plato in Timæo perspicue mel reponit inter liquores, non quos de cælo pluat, sed quos e solo radicibus haustos plantæ destillent, ut gummi, pix, oleũ, balsamum, & id generis: sic Plinius ait *mel esse roridam quidem materiam, sed mutatam à fronde, atq; corruptam à succo florum* (eo modo scilicet quo miscibilia sese refrangendo se destruere dicuntur) *alteratamque in uterculis apum.* Sed & Aristoteles determinat mel esse à prædominio terreum: unde constat melli exortum esse non ex puro uaporo, qui naturam obtinet expertem terræ, sed ex succo etiam terreo a plantis communicato. Deinceps autem ex allatis a Galeno constat halitus aeri permistos melli gignendo materiam non suggerere nisi concrescant in substantiam rori congenerem, non concrescere autem nisi a frigore, illoque satis efflatu digno. His plane pateat cur apes aereo melle uescantur, nostri uero abstinentes ex halitu aereo alimentum sibi parare nequeunt: primo enim apes non inspirant, aliove modo rorem ore sumunt in-

ad-

5. Hist. 6. 22.

Mel sine apum industria de plantis collectum.

3. De alimen. fa. c. 39.

Mellis materia qua.

Lib. 11. c. 12.

4. Meteor. c. 7.

Mel terreum à prædominio.

adspectabilem aeri adhuc immistum, sed iam crassefactum noctis frigore super frondes, floresque lambunt; nostri vero ieiunantes viuunt nihil ore, linguave solidum, ac sensibilis consistentiæ lambentes: Insuper abstinentia clari nihil habent intra se frigiditatis intensæ, qua tenuiores halitus cum aere inspiratos condensent in sanguinem; im mo vero inspirati halitus in cor trahuntur, in quo vigens impensa caliditas eos potius tenuiores efficit, & in igneam fuliginem conuertit, quæ mox extra pellitur in expiratione.

Pyraustas non ali exhalatione illi consimili, quam inspirare dicuntur abstinentes, nec vtrisque idem esse posse genus alimenti. Cap. V L.

DE Pyrausta vero, quod animalium genus Aristoteles ait gigni, & viuere in medijs flammis cypricarum fornacum, quando hac de re fuse agimus in opere *de spontina viuentium generatione*, nunc breuiter dicimus huiusmodi bestiolas inter flamas habere materiam eiusdem generis pro alimento cum ea, ex qua primum genitę fuere; par est enim quibus origo est ex densioribus vtriusque generis exhalationibus vigore ignis de viridium lignorum strue, ac lapidum congerie scaturientibus; eisdem inde oportunum inesse alimentum; siquidem eadem est materia generationis, altionisque, vt pulchre monuit Aristoteles alicubi scribens, *Naturæ opus est alimentum genito præbere; cuique enim ex quo generatur, ex eo alimentum relinquitur:* Quemadmodum enim mortifera in Styge, atque alibi in venenatis siue fontibus, siue stagnis, aut fluminibus pisces viuunt ex materia venenata enutriti; quippe quibus in eiuscemodi aquis apta fuit materia ex qua orirentur, & efficax vis, per quam nascerentur; nihil præter naturæ ordinem est in ipsis etiam viuere nutritos eiusdem generis substantia; nam & in oliua quoque amara viuunt, ex eaque nutriuntur, qui in ipsa nascuntur vermes; & cauernæ, in quibus venenatis animalibus ortus est, illis salubre alimentum præbet, quod esset homini perniciosissimum; ita plane inter flamas aluntur pyraustæ halitibus innoxie, quibus primum constitutæ fuere; adeo referunt omnia suorum naturam principiorum: Ceterum abstinentes nostri, vt qui materia non constent, constitutiue sint ab initio eiusmodi, quę halitus fuerit in uisibilis, sed ex crassiore sanguine, viscidaque semi nis substantia; profecto nulla ratione vt pyraustæ tenuissimo halitu cum aere inspirato nutriri valebunt Neque omittas pyraustam e crassiissimo halitu facile nutriri; quippe maiorem non postulat in alimento naturę suæ proportionato consistentiā: at inuisibilis halitus inspiratus verti nequit abstinentibus in sanguinem, & alimentum nisi longe magis crassescat, densioremque substantiam acqui rat; quam tamen in humano corpore nō fortietur vnquam; quia in nobis, ac potissimum in corde, quo sedere dicitur, velut ad officinam præcipuam sanguinis, inspiratus halitus, nihil inest actuosæ

Eadem est materia generationis, & nutritionis.

frigiditatis, vnde condensetur; sed vicissim multum viuidissimæ caliditatis, unde amplius attenuetur.

Rhintacem vento, & aere, aut rore non ali. Cap. I V L.

DE auicula vero nomine Rhintace illud non ex propria sententia, neq; asseueranter Plutarchus ait, quod solo vento, & aere, seu rore nutriatur; sed vulgi opinione: quinimmo ex mente quorundam, respuente vel ipsa multitudine tam dirum mendacium; *Nascitur* (inquit ipse) *in Persis quadam parua auis, cui vacuum nihil superat, sed tota intus sumine, atque adipe plena; vento, atque rore nutriri quidam putant; nomen est et Rhintaces.* Hanc quidem vento, & rore non ali, sed alimento solidiore, nimirum insectis cum per aera volitantibus, tum per terram etiam reptantibus argumentum non leue est sumen, & adeps, quo tota est plena: latet autem hominem eam nutriri solidioribus escis, quia in aere volitans, aut etiam in carcere cōclusa venatur bestiolas nobis non animaduertentibus; si enim veteres captam auiculam diligentius obseruassent, illam venari muscas, & alia insecta, vt de Chamæleonte obseruatum est a iunioribus, plane comperijssent.

Canemleuem non ali rore. Cap. I I I L.

IDem esto iudicium de animali occidentalis Indiæ pinguissimo corpore, magnitudine leporis, pigerrimoque motu, nomine Canisleuis; ipsum nanque aere, ac rore nutriri falso statuunt Cardanus, & Scaliger; primo quia tam magnum, tam pigrum, tam pingue animal e rore solo sufficiens sibi alimentum parare non posse ideo constat, quia inter substantiam tenuissimam roris, & crassissimam alendi corporis ad minus adest proportio decupla, ut inter aerem, & aquam; si ergo ad restaurandam unam portionem adipis decem roris portionibus opus habet; quomodo illi ros sufficiens de cælo cadet, aut saltem tardissimo colligi, lambique poterit, one præsertim angustiore? memini pueros olim, vt ouum rore plenum in Sole sursum sponte volantem mirarentur, omni studio pluribus vasis noctu in viridario dispositis, mane vix tantillum roris habuisse, neque adhibita spongia multiplici ex herbis rore madidissimis tantum colligere potuisse, quo ouum replerent. Deinde fuse ostensum est antea rorem non alere. Deinceps autem non semper toto anno contingit rorem pluere, nō byeme, non autumno, non æstate, sed uerno, temperatoque tempore, locoque, vt docuit nos Aristoteles; Quare nouem mensibus anni sine rore; quo ale tur Canisleuis? certe uel nullo, uel insectis; quo genere victus uti & uerno tempore probabile est: atque hoc ideo maxime latere incolas, quia sit huiusmodi animal nocturnum, ut bubo, noctua, & uespertilio.

1. Meteo c. 11.

Mann-

Manucodiatam rore non pasci. Cap. XLI.

Exer. 219 art. 2. 3. de sub til. DE Manucodiata falso, & perperam id laudare uidetur in Cardano Scaliger, eam aere uictitare; quia uolantem homini nunquam uisam uerisimile sit tam alte agere, ut nostrum obtutum fugiat; qua in regione animalia nulla nota nobis, quibus ali queat: nam primo Cardanus apertissime illi nullum cibum esse putat alium quam cæli rorem; aerem uero eidem alimentum nõ esse ideo probat, quia longe tenuior sit, quã deceat auis esse alimentum: Deinde uoluntarium est assertum, in supero aere nõ esse animalia nota nobis; quid prohibet ibi esse pyraustas, muscas, & alia id generis? Deinceps cur non ibi sint animalia ignota nobis, quibus tamẽ alatur Manucodiata? Praterea & illud longe à ueritate abest in supero aere degentem auem rore nutriri; nusquam enim ros ibi reperitur; cuius origo est 3. Meteo. c. 11. in aere inferno apud nos ex Aristotelis decreto. Demum qua ratione ibi degit perpetuo, ac uiuit manucodiata, uerisimile iam sit alia eodem tractu reperiri animalia, quibus illa nutriatur.

Argumentum duci non posse à brutorum alimento ad nutrimentum hominis. Cap. XLII.

ADijciendum his est etsi demus disputationi brutorum animalium plurima uesci exhalationibus, non proinde fore ut homines quoque ualeant exhalatione nutriri; longe nanque alia est natura, temperiesque nostra ab illorum temperamento; alimẽtum autem proportionem, ac naturæ temperieique conuenientiam cum alendo corpore habere oportet; unde qua ratione coturnices elleboro, & sturni cicuta nutriuntur, quæ homines enecant; eadem plane statuas non iisdem protinus ali homines, quibus feras ali decernitur; quod pulchre Lib. 5. tetigit Lucretius,

Adiutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus, certis aliæ, atque aliæ res;
Nimirum quia multa modis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia mista
Sunt, ideo varijs variæ res rebus aluntur.

1. Hist. c. 1. Quinimmo & Aristoteles ipse aperte fatetur non uno in loco animalia differre ab inuicem cũ in plu-
8. Histor. c. 1. rimis alijs, tum potissimum in uictu, & alimento; ut quod uni uiuenti optimum est alimentum, alteri nutrimentum esse nullo modo queat: Hoc ipsum
2. De al. men. fac. c. 6. passim apud Galenum habeas asseuerantem suum cuique animantium generi cibum esse familiarem, asinis quidem, & equis paleam, & fœnum; coturnicibus elleborum; sturno cicutam; siquidem non proti-
3. De simpl. fac. capit. 2. nus si sturnum nutriat cicuta, nutriet & hominẽ;
Vide lib. 4. c. 6. neq; si coturnices nutrire ualeat ueratrum, consequens statim est ut etiam alat homines: uerum cicuta sturnos nõ modo enecat, ut nos, sed alit quoque: ac reuera medicinæ quędam extant nullo pacto nutriendis hominibus idoneæ, ueluti cicuta, quæ sturnos alit, nec in eis mortiferam uim exercet; in no-
3. De simpl. fac. c. 6. bis autem uitæ calorem extinguit; & ueratrum, quod tametsi coturnices pascat, hominem tamen
De ther. ad Pis. c. 4 strangulat: Quibus Galeni placitis non possum suauissima non addere carmina Lucretij

Quippe uidere licet pinguescere sæpe cicuta Lib. 5.
Barbigeras pecudes, homini quæ'st acre uenenum.
Barbigeras oleaster eo iuuat usque capellas,
Diffluat ambrosia quasi uero, & nectare tinctus. Lib. 6.
At nihil est homini frõde hac quod amarius extet.

Quare, iam nobis ultro disputationi cõcedentibus, alantur manucodiata, canisleuis, pyraustę, apes, cicadæ, aliaque id generis bruta rore, uel exhalatione aeri permista; profecto non inde colligas homini & hoc esse conueniens alimentum; quippe in uictu, & in alimento non conuenit homini cum hisce belluis ob maximam substantiæ, ac naturę diuersitatẽ.

Quo sensu uerum sit Quod sapit nutrit. Cap. L.

AD aliam rationem utrumque principium negamus, nempe omne sapidum alere, nec non & exhalationem aeri permistam sapidam esse; ad probationem prioris, ex uulgari sententia petitam, Quod sapit nutrit, occurras nomen sapidi communiter usurpari ad significandum id solum, cui iucũdus, ac suauis sapor inest, non item cui sapor ingratus, atq; molestus; sic odoris, olidiq; uocabulo simpliciter prolato bonum, gratumq; odorem significamus; ingratum uero cum detrahente particula tetrum odorem, ac male olidum appellamus: Quamobrem uulgo dicentes quod sapit alere, significamus quæ grata sunt gustui, iucundaque palato, nutrire belle, ut quę auide à natura expetantur, promptequę suscipiantur, arcteq; à stomacho amplectantur: non autem indicamus quæcunque quauis differentia saporum prædita fuerint, tam suauium, quã insuauium, in alimentum cedere: Immo uero quæ absolute alere possunt, si alicui qualibet de caussa fuerint insuauia nimis, ei non cedent in alimentũ, respuente natura concoquere, atque amplecti, quibus abhorret: Ad argumentum formaliter, si nomine sapidi significetur obtinens gratum saporem, concedentes omne sapidum alere, negamus exhalationem aeri permistam sapidam esse; ut mox ostendemus: si uero per sapidum intelligatur quocunq; sapore præditum, negamus audacter omne sapidum alere; siquidem uenena, & medicamenta omnia proprios obtinent sapores, nec tamen eorũ substantia cedit nobis in alimentum; immo sapidum est sal, quo tamen non alimur; sed nobis ad condimentum inseruit; non alit autem, quia mistum non est ex quatuor elementis, quod mistum perfectum nuncupant, cuiusmodi alendi corpus, ac uiuentis nutrimentum illi congeneum esse necesse est. Non ergo alit omne sapidum.

Alimenta quã do nõ alant.

Sal cur nõ alat.

Exhalationem aeri permistam non esse sapidam. Cap. LI.

SEd neque aeri permista exhalatio sapida esse potest; ad cuius asserti priorem confirmationem dicimus ex Aristotele quidem oriri sapores De sen. & sen. c. 4. per passionem humidi aquei à sicco terreo calidi- tate cooperante; sed hanc passionem monet Aristoteles esse condensationem; quare negamus in Saporum origo. exhalatione huiusmodi passionem, condensationemque fieri; non fieri autem dicimus, rum-

quia tale siccum habere debet consistentiam sensibilem, & condensare humidum ex Aristotelis decreto, quorum neutrum obserues in exhalatione ista, quæ omnem sensum latet; tum quia talis condensatio fit exacte permisto humido cum sicco virtute caloris; quæ mistio perfecta non est in exhalatione fumida, neque in aggregato illo ex fumida, & vaporosa; vt cumulate probauimus antea eo quod vapor in aere fumo associetur, vel alligetur, vt onus baiulo, non permisceatur. Ad secundam confirmationem primo notamus ex eo, quod fulgura, & nebulæ aliquando sulphureum spirent odorem, haud colligi posse aeri permistam exhalationem generatim odoris esse participem; nam vt multæ sunt species exhalationum specialissimæ pro varietate materiæ, vnde surgunt; ita inter illas aliquæ odorem obtinent certi generis, plurimæ vero sunt inodoræ penitus; nec abstinentes nostri exhalationem odoratam inspirare potuerunt, quin & alij sua tempestate viuentes odorẽ eundem sentirent in aere. Deinde vero negamus omne odoratum sapidũ esse, ac præsertim eo sapore prædıtum, qui proprius est alimenti; neque oppositum vsquam dixit Aristoteles; qui aliquando in duo genera distinxit odores, quorum alij essent odores ordinati secundum sapores ad alimentum; cuiusmodi est odor esculentorum, potulentorumque omnium; alij autem essent odores simpliciter, cuiusmodi sunt odores florum, & vnguentorum, qui nihil penitus faciunt ad alimentum; primi generis odor communis esse dicitur Aristoteli cunctis animalibus; secundum vero genus odorum proprium est vni homini, quod & Lucretio notatum est, dum cecinit

Cap. 23. — Exhalatio num mul ta species. — Non omne odoratum sapidum. — De sen. & sen. c. 5. — Odorum duo genera. — Lib. 6.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum; nam setigeris subus acre venenum'st,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.

sic ergo spirant odorem rosæ, violæ, cariophylli, vnguenta pretiosa, & alia multa, quæ tantum abest vt sint in alimenti genere, quod potius ab alimentis arcenda esse decernat vetus adagium,

Libro de sens. & sens. c. 5.

Quando lens decoquitur, non infundas vnguentũ,

& id, quia medicamentosam naturam obtinent, ac proinde alimento contrariam.

Exhalationem non esse odoriferam, & Astomos non esse, qui odoribus nutriantur, quicquid Ficinus senserit. Cap. LII.

AD aliud itidem argumentum inficiamur vtrumque principium, nimirum & exhalationem, quam iugiter vna cum aere inspiramus, esse odoriferam; & odores alere: maiorem illam sensus arguit; qui enim fieri possit vt naribus eam trahentes odorem non percipiamus? quomodove odoratum sit id, quod olfactus non percipit olere? minorem vero non satis muniunt quæ ad eius confirmationem afferuntur experimenta, & autoritates, Quod.n. primum ex Plinio affertur de Astomorũ gente, parum nos mouet; nam si quod ex Megasthene retulit Plinius verum & ipse arbitretur, iam desideres in Plinio maiorem constantiam, siue memoriam, qui alibi scribit solum Chamæleonem inter animalia nec cibo, nec potu ali. Ceterum de istiusmodi gente licet ex ijsdem autoribus, à quibus & Plinius, acceperit commentum hoc Aulus Gell. lib. 9. Attic. noct. c. 4. apud extremam Indiæ gentem esse corporibus hirtis, & autum ritu plumantibus, nullo cibatu vescentem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem; haud tamen propterea fidem meretur assertum; quia de proposito ne verbũ quidem nostrates Historiographi, vel nautæ, vel peregrini alij plures, qui longe magis quam veteres Indiæ partes omnes, & remotissima quæque loca lustrarunt, omniumque Indiæ populorum admirabilia curiosa satis diligentia litteris commendarũt: Ficini vero interpretatio tanquam ingeniosa suspicitur, sed tanquam vera non suscipitur; nam succi frugum vsque dum consistentiam obtinuerint, alendo sunt corpori; attenuati autem in odores reficiendis partibus solidioribus, quæ solæ in homine nutriuntur, protinus inepti sunt; quibus etiam alendis apti non sunt humores in spiritum conuersi; nam spiritus, qui caloris opera creantur ex humoribus, rationem agentis, & instrumenti obtinent in humano corpore ad functiones vitæ obeundas; nõ autem rationem materiæ, quam obtinet alimentũ, quod per nutricationem vertendum est in substantiam corporis, & induendũ forma viuentis: Quamobrem etiamsi demus in disputationem odores in spirituosam substantiam commutari, non propterea cesserint in alimentum corporis; hoc enim spiritibus non alitur, sed humoribus.

Lib. 7. c. 2. — L. 8. c. 33 — Corpus ... alo spiritibus, sed humorib.

Democritum, & Homerum odoribus vitam sibi prorogasse, ceu medicamentis, non ut alimentis. Cap. LIII.

QVod exinde proponitur de Abderitarum gloria Democrito, qui moribundus solo mellis, ac panis recens cocti, fortasis etiam mero madidi odore trium, vel quatuor dierum spacio vitam sibi prorogauerit; deque Homero, qui hoc idem præstiterit odore malorum; nec satis superiorem sententiam confirmat; quia vt fieri posse detur disputatio ni odore alimentorum aliquandiu vitam custodiri; sic fieri non posse dicam ut odore uaporis, & exhalationis, quo aer hic uniuersus assidue de terra inspergi dicitur, ad multos dies, menses, & annos abstinentium uitam conseruetur: nec difficile tollitur ex traditis alicubi ab Aristotele, nimirum quum uita calore natiuo nitatur connectente animã corpori, propterea in ultimo senio morte, quam citra uiolentiam, aut morbum ullum aduenientem naturalem nuncupant, moribundus Democritus marcescentem iam natiuum calorem corroborauit benigne, suauiterque calefacientibus odoribus, sciens optime similibus conseruari similia: sic ergo, non quia cesserint odores Democrito in alimentum; sed quia medicamenti ad instar calorem insitum emorientem aliquandiu fulcire, ac roborare potuerint, uitam illi prorogauerunt. Consimiliter de Homero dixeris; nisi quis contendat malorum odoribus inesse uim refrigerandi, ac proinde labantem ad exterminiũ calorem citius extinguẽdi: Hoc tamen

De sen & sen. c. 5.

tamen admisso placito, nec ideo cogimur asseuerare odoribus Homerum enutritum; interijt enim fortasse febri Poetarum pater, cui caloris æstum temperans frigidiusculus maiorum odor prohibuit ne tam cito calor consumpto humido euolaret vna cum vita: nunquam vero id credas, odorê, quia cedat in alimentum alicui vitam producere.

Animo delinquentes odoribus recreari non ut alimentis, sed ut medicamentis. Cap. LIV.

QVod vlterius proponitur de syncope correptis, itidem soluitur, quia bifariam posiumus animo delinquere, nempe vel ob caloris in Corde suffocationem, confluentibus eo ab vniuerso corporis habitu affatim spiritibus, & sanguine, vt in metu accidit; vel ob eiusdem caloris alium marcorem, seu exolutionem, abeunte vniuerso fere spiritu, & sanguine a cordis ventriculis per poros cutis in aera; vti contingit in lætitia vehementiori, & æstu ambientis; vel demum (addunt alij) ob caloris extinctionem à frigiditate quomodocunque cordi communicata: His omnibus mirifice conferunt odores, ac potissimum vini generosioris; non quia odores in sanguinem conuertantur, ac nutriant; sed quia calida exhalatione nituntur, quæ in suffocatione caloris suo calore, suaque tenuitate, copiam spirituum, & sanguinis, cordis calidum obruentem discutit, dispergit, rarefacit, attenuat; & hac ratione cor à suffocatione liberâs influere spiritus denuo cogit ad partes alias; vnde ad consuetas operationes, pristinamque sanitatem redimus. In exolutione vero marcescens calor inopia spirituum laborans aliquantisper souetur a simili caliditate vaporis, exhalationisve odoriferæ; à qua refocillatus calor tum veteres spiritus ad corporis circunferentiam fluxos ad centrum reuocat; tum nouos gignit spiritus de sanguinis ea portione, quæ viuente animali necessario est in cordis ventriculis, vt monet Hippocrates inquiens *hominem mori, vbi resiccati fuerint cordis ventriculi, quos appellat fontes humana natura, vnde flumina prodeunt,* venæ scilicet, vel arteriæ, *quibus totum corpus irrigatur*. In extinctione caloris consimiliter odores merito exhalationis calidiusculæ tum frigiditatem lædentem tollere, tum etiam poterunt calorem cadentem extollere, ipsoque vegetiori facto, ac roborato syncopê, animiq; deliquiû curare. His ergo constat apertissime animi defectui odores medelam præbere, non sui substantia nutrimentum, sed sui qualitate medicamentum exhibendo; quod alicubi obseruat Aristoteles, ratioque dictat: Odoribus enim delinquentes animo statim exurgunt, ac restaurantur; quum in tam breui temporis tractu, fere momentaneo, haudquaquam potuerit exhalatio à calore debilissimo, ac fere mortuo in sanguinem, ac spiritum verti, nedum & in sanguinem, ac spiritum versa in alimentum cedere; actionis etenim celeritas vbique vim arguit agentis. Adijcimus & eos, qui ob assiduas meditationes, & curas cerebri spirituum, quos animales vocant, inopia laborant, odoribus recreari, non quia odorum exhalatio cedat in locum spirituum; sed quia calor cerebri, spiritibus cõsumptis, languet; languidus autem à calore odoriferæ exhalationis roboratur velut a qualitate cõgenea; roboratus illico tum nouos spiritus procreat; tum veteres ab alijs corporis partibus ad se trahit; caloris enim duo hæc propria sunt, attrahere, ac spiritus procreare, qui sunt de natura vaporis, & exhalationis.

Animi de liquiũque triplex, & quae ratione fiat.

Odor quomodo suffocatione delinquentes iuuat.

Odor vt exolutis succurrat.

Libro de Corde.

Extinctionis caloris ut occurrant odores.

De sen. & sen. c. 5.

Actionis celeritas vim arguit agentis.

Cur contingat ita fu. & con

[illegible]

Caloris duo sunt opera.

Hippocratis dogma vulgatum de celeri nutritatione per odoratum illustratur. Cap. LV.

QVod posterius ex Hippoc affertur asseuerante, *Quicunque celeri appositione opus habent, humidum medicamentum ad resumendas vires optimum; quicunque vero celeriori, per olfactum. J; quibuscunque uero opus est tardiori appositione, solido alimento;* id inquam Hippocrateum dogma nos magis confirmat in propositis; nã & Galenus monet hic agere Hippocratem, non de sanis hominibus, sed de recreandis e morbo; sane recreandi è morbo sunt tum conualescentes, tum animo delinquentes; conualescentes autem vel a morbo diuturno conualescunt, vel a breui; qui à morbo longo conualescunt, longo tempore sunt extenuati; qui a breui, breui; verum ex eodem Hippocr. *quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet; quæ vero breui, breuiter*: De his ergo tribus hominum generibus reficiendis loco allegato loquitur Hippoc. conualescentes à morbo breui appellans eos qui celeri appositione opus habent; quibus recte dicit humidum medicamẽtum ad resumẽdas vires optimum esse; quamuis n. hoc humidum medicamen sit (Galeno interprete) vinum, & quodcunq; genus liquidi alimenti; hoc ipsum quia prædictis recreãdis confert potius ut medicamentum, quam ut alimentum, scite ab Hipp. dicitur medicamentum; quippe alimenti est conseruare vires; at vires deperditas restaurare id opus est medicamenti: quamobrem si res eadem potent vires cum ualidas, & præsentes conseruare; tũ imbecillas, & deperditas instaurare, ac recreare, ea ipsa illud efficiet ut alimentum, hoc autem ut medicamentum. Animo delinquentes vocat nunc eos Hipp. qui adhuc celeriori appositione opus habêt, indigent. n. appositione spirituum in Corde ij, qui bus uel consumpti, uel effluxi fuere spiritus a corde; ipsos autem animo defectos per olfactum reassumere vires ait Hipp. nimirum odoribus, non con uersis in naturam spirituum, ut obijcitur, sub ratio ne alimenti; sed itidem sub ratione medicamenti fouentibus, ac roborantibus emorientem calorem cordis, qui uegetior factus ab odorum caliditate suaui, sibique familiari, & nouos de sanguine creat spiritus, & veteres aliunde ad se allicit, atqui ita ui res assumit quam celeriter. Conualescentes demũ à morbo chronico dicit Hipp. eos, quibus opus est tardiori appositione, quam prudêter parari scribit solido alimento; tardius enim calor omnis, nedum debilis ob morbum præteritum, uincit alimentum solidum, & apponit solidis partibus, quam humidum. Ceterum in his utitur nomine alimenti dedita opera Hippocrates, tum ne quis putaret uires instaurandas esse puro medicamento, cui nulla uis esset alimentaria, in

Libro de alim.

2. aph. 18.

2. Aph. 7.

De alim.

Celeri appositione indigentes qui sint Hippocrati.

Alimentũ vt à medicamento dif ferat in fi. ne. sui ope ra.

Alimentũ vt medica menti opera fit.

Celeriori appositione qui opus habeant.

Tardiori appositione qui opus habeant.

hoc triplici statu reficiendorum; tum præsertim vt insinuaret gradum inter hæc tria reficientia; nanq; nulli dubium existimans Hippocrates quæ per olfactum assumuntur nullam habere alimenti rationem, sed esse pura medicamenta, de illis agens nec medicamenti, nec alimenti nomen dedit, vt pote rei satis euidenti, ac per se notæ viro sapienti: at videns conualescentes à morbo breui reassumere vires potionibus, quibus inest vis alendi, quum hæ id munus obeant, quod medicamenti proprium est, recte illas vocauit medicamenta: sed postmodum considerans conualescentes a morbo longiori lente reficiendos esse, lentam autem refectionem à celeri differre in eo potissimum, quod hæc euidenter vires instaurat protinus, illa sensim, & occulte admodum, vt quotidie potius hesternas conseruare instar alimenti, quam adaugere more medicamenti videatur, consulto medicus, qui est artifex sensatus, medicamentum, quod videtur munus alimenti proprium obire, quodque quammaxime ad alimenti officium accedit; adderet logicus etiam, quod materialiter alimentū est, alimenti nomine designat.

Cur, & quando prope mare ambulantes salsum ore sentiant, & amarum saporem quos prope absinthij succus agitatur.
Cap. L V I.

Quamuis autem Lucretius postremo loco existimet à cunctis rebus continenter effluere corpuscula, quibus earum rerum natura constet; atque ideo censeat propter mare ambulantes ore salsuginem sentire, ac amarorem illos, qui adstent miscentibus absinthij succum; id tamen cautius accipiendum est; nempe ex rebus aliquando effluunt solæ tenues exhalationes, aliquando vero præter has, & crassiusculæ, ac solidæ rerum partes; fane quando res immotæ manent, ex ijs solæ diffluunt exhalationes quæ vt sępenumero uel bene, uel male olent, ita nunquam sapidæ sunt, ob caussas antea propositas: si uero quauis de caussa contingat res concuti, & agitari, præsertim motu concitatiori, eæque sint substantia fluxili, ac facili dissipabili; ex ijs agitatis motus violentia efferuntur portiones consistentiores, quæ saporem continere sint aptæ: sic ambulantes prope mare tranquillum, & in mari nauigantes olfactu quidem plerumque pelagi odorem sentiunt; ore uero nullum saporem percipiunt: at uero si mare agitetur, & a uentis, uel alia de caussa tenuissimę illius portiunculæ in aera inspergantur, quod frequentissime fit illisis undis uehementioribus ad scopulos, & ad littora, tunc maris aspergine madidus aer ore attractus salsum saporem conciliare sensui potest; quod nos non raro in Patria obseruauimus, & quilibet obseruare potest, nimirum quantumuis obseruetur circa mare tranquillum odorem quidem sentiet, salsuginem non sentiet; at ambulans, moratusque prope mare, cuius aspergine ob motum concitatiorem aer repleatur, & odorem, & salsum maris saporem sentiet. Idipsum de absinthij succo dicendum, si quis quiescentem succum tota die intueatur proxime, nunquam amarorem gustu percipiet; sin autem prope succum agitatum manserit, sublatas agitatione liquoris teterrimi particulas una cum aere inspirato attrahens ore amaritudinem sentiet; extolluntur autem particulæ succi dum agitatur, ac prę sertim si calidus agitetur; quod & non obscure Lucretius innuit asserens amarorem percipi non uiso absinthij succo, sed inspicientibus succum illum misceri, & agitari; hoc aut fieri consueuit à pharmacopęis in eo calente. Non ergo est sola exhalatio, quæ maris, & absinthij saporem in os circunstantium deferre potest; sed ipsa substantia ob agitationem in tenuissimas aspergines in aerem proiecta. Quare uel uiro doctissimo hac in re subscribere non possum, alijs ue eum eo existimantibus odores alere, nostrosque abstinentes nutriri exhalatione per ambientem aerem dispersa, beneficioque respirationis una cum aere ad cor attracta, ibique in sanguinem conuersa.

Tertia opinio Doctissimi Costæi præceptoris existimantis abstinentes nostros aqua enutritos. Cap. L V I I.

AD sapientissimū Pręceptorem transeo Ioannem Costęum, uirum tum nobilitate generis eximium, tum probitate, ac sapientia incomparabilem: Ipse in eruditissimis Disquisitionibus Physiologicis, & in doctissimo uolumine de Potu in morbis non uno in loco statuit Germanicam puellam, unam ex nostris abstinentibus quadriennium solo simplicis aquæ potu uixisse, illi aqua in alimentum cedente; huiusque placiti ueritatem eo niti putat, quo aquæ interdicere nefas sit uim alendi; primum enim humidum tenue, quo calor partium omnium corporis nostri sustinetur, consimili humido instaurandum est; aquoso proinde alimento esse opus. Deinde uero an aquę insit uis alendi discendum est ab experimento, non modo hominum, ut ex historijs proponitur, sed & stirpium, & aquatilium animalium, quorum tam multa genera non alio, quam aqua apertum est nutriri. Deinceps autem eorum, quæ uiuunt, uita tum calore ut proximo animę instrumento, tum humore ut caloris pabulo, seruatur, ita ut eo consumpto, calor quoque, & cum ipso uita extinguatur; uita ergo ab humore est, humor uero est aqua; potest igitur aqua uiui. Nutriri etiam quum hæc corpora necesse sit; nutritio autem ex ijs fit, ex quibus constamus; nostra uero corpora constituat, non terreū tantum, sed simul etiam aqueum; quomodo sine aquei repositione nutriri possit? reponitur autem aqueum non nisi ab aqua. Huc uero id pertinet, quod alicubi Galenus ait, *Cibo, quicquid siccioris substātiæ effluxit, restitui; potu quicquid humidioris; atque ita ad pristinam symmetriam ambo reduci:* & quod Aristoteles, Quia aqua in omnibus etiam ficcis alimentum est, ob id aquas crudas, & frigidas uel sterilitatem, uel fœmineum partum facere: Et quod alibi, pisces omnino potum assumere, non potus, sed cibi gratia. Adde & quod aliquando

Lib. 4. c. 3. & 1. Libro 1. c. 15.
1 De ui vale...
4. Dip... an. c. ...
3 de part. c. 8.

De diæta. aliquando Hippocrates, constitui quidem tum animalia reliqua, tum hominem ex igne, & aqua; sed nutriri aqua, moueri igne; cum aqua quidem terram quoque, cum qua globum vnum facit, intelligens, sicuti cum igne aerem; nutritionem tamen aquæ præcipue tribuens: Quod & commune philosophorum, & medicorum placitum docet, quo, quum calore, & humore constet vita, nutriri calorem humore consensus est omnium, ita vt nutritio vniuersim recidat in humorem, atque ideo in aquam. Verum aquam vere alere, obseruatio illa plane docet, quam pluribus explicat autor librorum de morbis, *Lib. 4.* si quis alimentis, quæ quotidie sumuntur, excrementa, quæ aluo excernuntur, comparet, hæc depræhendet illis ad æquilibrium respondere: Quid igitur illud est, quo alimur, si quod solidum in alimentis erat, excernitur? humida profecto pars eorum, quæ sumimus, atque adeo ipsamet aqua. Confirmant hoc etiam plantæ, quas vel crassissimas, & quammaximas, vt sine aquæ irrigatione, irrorationeque non viuere, ita sine terræ imminutione & augeri, & diutissime persistere apertum est; vt propterea non maioris admirationis esse debeat, aquam in verum & hominis, & aliorum animalium recipi alimentum. Quid? Hęc si quem non moueant; at illud certe debet persuadere, quod Ferdinandi Imperatoris iussu ætate nostra in puella Germanica Spiræ à grauissimis viris & obseruatum, & memoriæ commendatum est, cui per annos aliquot ex sola aqua victus fuit. Hęc *3. Probl. 25.* obseruasse Aristotelem arbitrandum, quum alimentum nullum alere nisi dilutum pronunciauit. Aqua vero hæc vulgaris, qua in potu vtimur, terreni aliquid obtinet, à calore nostro secundum sui partes tenuiores aeream, & igneam naturam acquirit, ex quo fit mistum corpus nutritioni aptum. Subnectere liceat aquæ vulgari caloris quoque aliquid inesse, quum haud percipiatur extreme frigida, neq; epota veneno sit, vt sunt frigida in summo; remissio enim frigiditatis non nisi à contraria *4. Meteor. c. 2.* fit caliditate: sic Aristoteles aquam dicēs exiguum habere calorem, illum ab ea prorsus non tollit: sed neque ipsi deesse siccitatis aliquid illud docet, quod in aqua omni aliquid tandem residet terrenum: non sola igitur frigiditas, & humiditas inest aquæ, verum præterea caliditas, & siccitas; ita vt *De sen. & sen. c. 5.* ex Aristotelis quoque sententia, qui alimentum ait esse oportere compositum, aqua verum præbere alimentum possit: Sic idem quum pisces aliquos *8. hist. c. 2.* ex sola aqua nutriri alicubi scribit, non de simplici, sed, vt explicuimus, commista intelligit. Sic Theophrastus olitoribus ad irrigādos hortos eam curam esse ait, vt fimo aquam commisceant, quod non simplex, sed terrenæ substantiæ, naturæque particeps ad alimentum venit. At vero ipsum *3 de vict. acut. t. 19 & 20.* etiam Hippocratem vim vere nutriendi aquæ nō detraxisse aperte docemur ubi de mulsa agens ait solam epotam multo potentiorem esse aqua, nisi aluum perturbet; quæ verba quum de vera per mulsam nutritione dici Galenus non neget; quod tamen aqua aliquam nutriendi vim habeat,co euenire ait, quod corporis ventriculi ariditas irrigatur; vt diu qui aquam bibunt magis durent quam qui nihil assumunt; de qua interpretatione mirari profecto licet; si enim in comparatione, quam autor ille mulsæ ad veram nutritionem, aquæ autem ad corporis ventriculi irrigationē referas; quomodo altera alteram sine homonymiæ fallacia superiorem dixeris? si vtranque ad vnam irrigationem conferas, à veritate abest mulsam, quæ desiccantis ob mel facultatis est, præferre aquæ; quod si ad ueram nutritionem, fateberis etiam aquam vere nutrire, vt vere nutrit mulsa, licet ea minus. Hippocrati hac in re manus dedisse more suo videtur Cel- *Libro 2. c. 18.* sus alicubi scribens aquam omnium potulentorum esse imbecillimam, non ad vehendum; nam tenuitate nulli cedit, sed ad alendum. Ita ergo sub exemplo puellæ Germanicæ putat sapientissimus Præceptor abstinentes nostros nutriri aqua.

Proposita sententia consideratur, ac primum ostenditur ex autoritate Platonis, Aristotelis, Hippocratis, Galeni, & Auicennæ aquam non alere. Cap. LVIII.

DOleo, & vehementer doleo hac in re mentem eam contigisse mihi, quę subtilissimis semper uenerandi præceptoris rationibus non pareat: Quando tamen ab eo didici libere, ac ingenue philosophari, argumenta referam, quibus in aliam sententiam abire cogor. In primis itaque non recipio aquam viuenti cedere posse in alimentum pręsertim si sola sumatur. Huic enim dogmati apertissime suffragantur Philosophiæ, ac Medicinæ proceres vnanimi consensu Plato, Aristoteles, Hippocrates, Galenus, Auicennas haud semel asseuerantes aquam hanc nostram, quam bibimus, non cedere in alimentum, nec verti caloris ope in substantiam viuentis; sed inseruire tum ad refrigerandum ęstum caloris interni tum quoque instar *Aqua bibita vsus.* vehiculi ad ferendum verum alimentum per venas in vniuersum corpus ad singulas corporis particulas enutriendas: sic enim Plato in Timæo scribit id corpus, quod aquam nominamus, quando in solidam concrescit materiam, lapidem, ac terram fieri; at si nutrire debeat, concrescere ipsam oportet in corpus animatum, quod est mistum perfectum, non simplex, ut terra, neque mistum imperfectum, cuiusmodi est lapis. Sic Aristoteles inquit *De sens. et sen. c. 5.* aquam solam, quę non sit pars misti perfecti, non alere, quia uerti nequit in corpulentiam viuentis: *2. De gen. t. 50.* & alibi monet nutrimentum uniuscuiusque uiuentis mistum esse corpus ex multis elementis, non unum solum ex elementis; quia quęcunque uidentur uno solo nutriri; ut aqua plantæ, multis nutriuntur; mista est enim aquæ terra; ideo agricolę tentant, quum miscuerint, irrigare; huiusmodi uero miscela siue sit aquę cum fimo, siue potius terrę fossio, permistioque cum stercore, inde tamen constat misti rationem, quæ alimento necessaria dicitur, Aristoteli haud constitui in aqua sola, quæ nullo adiecto apud nos non reperiatur simplex; sed in mistura terræ cum aqua, seu etiam fimo, quā agricolæ perficiunt. Sic Hippocrates Aquam,

Lib. de Cœlo. quæ nobis in potu est, alimentum corpori præbere negat inquiens, Quomodo enim hominis alimentum sit aqua cruda? quocumque addit, quia in potu pars aquæ delata ad cordis capsulam reseruatur ad excretionem; hæc enim maxime cederet in alimentum; quum sanguis vltimam alimenti formã *4. De vsu par. c. 5.* recipiat in corde. Sic etiam Galenus pluribus in lo*3. de vict. acut. 17.* cis aquæ vim interdixit alendi statuens ea nullam particulam ali posse, ac eius vsum in animalibus ex Hippocrate ait nullum esse alium quam deducere alimentum per venas ad instar vehiculi. Sic *1. Can. f. 2. doct. 1. cap. 16.* demum (ne plures adducam) Auicennas aquam solam inter elementa ingredi scribitur in eo quod *3. Can. f. 30. tract. 1. c. 1.* comeditur, & bibitur, non ideo vt nutriat, sed quia nutrimẽtum penetrare facit, & eius rectificat substantiam; non alere autem aquam ea ratione probat, quia ita simplex est, vt proxime in sanguinem conuerti nequeat, quo aluntur partes omnes.

Aquam vi caloris non crassescere, ideoque verti non posse in alendi substantiam. Cap. LIX.

His autoritatibus quamplures adiungi possunt rationes tum generatim demonstrantes aquam non alere; tum speciatim ostendentes vnius aquæ potu abstinentes nostros non enutriri. In primis enim omne alimentum, quum verti debeat in substantiam viuentis, quæ solida est, & crassa, non fluida, si fluxile fuerit, necessario debet à calore natiuo per coctionem solidescere, atque incrassari; quum ergo aquæ nostratis natura ita fluida sit, vt actione caloris attenuetur semper, *4 Meteor. c 4. & 7. De sens et sens. c. 4. 2. De gen. an. c. 2.* nunquam densitatem, crassitudinemque nanciscatur, autore Aristotele non vno in loco, confirmantibus experientia, & ratione multiplici ex Aristotele desumpta; quoniam primo idem secundum idem non potest esse causa contrariorum; modo calor agens in aquam nostratem hanc sensilem con*Idem vi nequeat esse causa contrariorum.* cretam, vt puta in glaciem, aut niuem, eam plane dissoluit; calor inquam non solum externus a sole, aut igne prodiens; verum etiam internus animalium, nix enim, & glacies deuorata in stomacho liquescit vi caloris natiui: ergo idem calor agens in eandem aquam fluentem, eam non coget in sanguinem, aut partium solidarum substantiam.

Incrassatio quomodo fiat. Deinde vero incrassatio fit consistente sicco, & abeunte humido; ceterum in aqua nihil est sicci, a quo possit humidum abire, quum tota sit humida; ergo aqua sola crassescere non potest. Sed & experimento cuique fiet apertissimum aquam nostram sensibilem igni, ardentique Soli admotam ab eo vniuersam in uapores dissolui. Non itaque aqua *Alimentum quo coctio ne digeratur.* sola hæc nostra, quam bibimus, viuentibus alimento esse valet. Amplius omne alimentum antequam vertatur in substantiam viuentis, ipsumque *4 Meteor. c 4.* nutriat, ab eius calore natiuo concoqui debet eo genere coctionis, quæ species sit quædam elixationis, quod Aristoteles edocet, omnesque Medici re*Assatio qua differat ab elixatione.* cipiunt, & ratio persuadet; quoniam eo differt assatio ab elixatione, quod illa est coctio a calidita- te sicca, & aliena; hæc vero ab humida, & propria; calor autem viuentis alimenta concoquens, non siccus, sed humidus est: modo elixatio terminat humiditatem rei coquendæ, illiusque substantiam cogit, quæ fluxilis erat, cum in artificialibus orga- *Calor viuentis humidus. Loc cit.* nis, tum in naturalibus, ut notat Aristoteles; quũ ergo aquæ humiditas fluida, & interminata, opere caloris humidi nequeat in artificialibus instrumentis terminari, atque densari; quod quilibet ad libitum poterit experiri; iam colligas aquam neque a natiuo calore viuentis elixari, aut concoqui posse; ac proinde non subire vices alimenti. Quum itaque alimenta, quibus viuentia nostratia nutriri dicuntur, talia esse debeant, quæ a calore humido incrassari valeant, tum quia opera caloris natiui, qui humidus est, conuertenda sunt in substantiam partium nutriendarum, quæ crassæ sunt, ac solidæ; tum etiam quia prius eiusdem caloris ministerio coquenda sunt non semel, in stomacho nimirum, in hepate, corde, ac venis, & in partibus vniuersis, quæ nutriendæ sunt, coctio autem huiusmodi fiat crassando; quumque huiusmodi calore humido aqua condensari nequeat; licet enim a calore sicco exolutis partibus tenuioribus admota igni aqua aliquo pacto crassescere videatur in assatione; id tamen haudquaquam patitur in elixatione, cuiusmodi est illa coctio, quæ fit in viuentibus a calore alimentum concoquente: Quinimmo dicas neque a *A quo calore condensetur, & an vere crassescat aqua.* calore sicco vere aquam incrassari, nam exolutis partibus tenuioribus aquæ, perseuerante ignis actione, tota demum aqua in uapores ita dissoluitur, vt vere a nullo calore aqua cogi valeat, quæ solum à frigore concrescat: siquidem axioma est Aristotelicum, Quæcunque à frigore concrescũt, ea calore colliquari; quæ uero calore coguntur, frigore dissolui; quum ergo aqua concreta nullo frigore dissolui queat, sed adhuc magis concrescat; iam necessarium fit eam calore non cogi; & propterea non coqui, atque iccirco non esse alimentum uiuentibus. Neque tamen in assatione a calore sicco actionem suam interrumpente, ubi partes aquæ tenuiores dissipatæ fuerint, putes aquam incrassari; quippe calor is dum partes aquę tenues in halitus dissoluit simul crassiores attenuat; quocirca idem in tota coctione tenor in aquæ consistentia spectatur, nec unquam crassior euadit. Quum ergo aqua ui caloris concoquentis crassescere nulla ratione ualeat; nullam propterea in se obtinebit alimenti rationem.

Aquam coctione non fieri similem alendo corpori, vt decet alimentum. Cap. LX.

Rursus autem aliunde sumpto principio demonstrare liceat aquam uiuentibus alimento non esse; quandoquidem omne alimentum caloris concoquentis opera fit similius naturæ nutriendæ quam antea foret, decreto Aristotelis a Medicorum schola recepto; sed aqua calori agenti subdita id necessario patitur, quod si permistum sibi aliquid habuerit alienum, eo repurgetur; quippe caloris est heterogenea disgregare apud Aristotelem; quocirca fiet per coctionem a calore aqua simpli- *2. De ... c. 45.* *2. De gen. c. 8.*

simplicior, & propterea viuenti, cuius natura est mista, longe dissimilior; sin autem aqua nihil habuerit sibi admistum, caloris actione in vaporem conuertetur, ac omnino in substātiam tenuiorem, & iccirco magis adhuc dissimilem alendo corpori: Non est ergo aqua vere alimentum. Vlterius coctione alimentum redditur alendo corpori similius non nisi quia caloris opera segregantur a nutrimento excrementa, quæ sunt partes impuriores eius, quod assumitur, alendo ineptæ: sed calore agente in aquam ab ea secernuntur non nisi vapores, & flatus, qui sunt de aeris natura, euolantes ideo in aera; & partes terreæ in fundo vasis residentes ad instar limi: sic autem segregatis in coctura vi caloris ab aqua nostrati partibus aereis, ac terreis, tātum abest vt aqua nostra, cui nihil ignis inest, ope caloris in alimentum vertatur, & coctionis ministerio fiat similior nutriendo corpori quam prius, quod vicissim quæ quoquopacto mista prius erat, simplicior effecta, viuenti corpori, quod mistum est, reddita longe sit dissimilior: Non ergo vere aqua viuentibus est alimento. Præterea sunt omnia viuentia subcælestia in genere misti perfecti ex quatuor elementis ita inuicem confusis, vt quælibet animati particula sensilis, quantumuis paruæ magnitudinis, mistum perfectum sit constans consimiliter ex quatuor elementis; elementa vero in viuente diuisim considerata nullam obtineant vim nutrientem; quod inde quoque appareat, quia vis nutriens facultas est animæ, quæ actus est corporis organici, ac misti perfecti: Quod itaque per se primo alitur in viuentibus est mistum perfectum, & animatum; mistoque perfecto, & animato in eo quod tale est, soli competit vere nutricatio: ceterum illud, cui competit alimenti ratio, tale oportet esse, vt actione vnius caloris proxime verti queat in substantiā misti perfecti, & animati: Quum ergo vnicum agens vertere nequeat vnum solum elementum in mistum perfectum ex omnibus elementis præexistentibus coagmentatum; liquido plane constat aquam solam potu haustam opera caloris interni cedere non posse in alimentum viuentium.

Aquam non esse tale mistum, quale oportet esse alimentum. Cap. LXI.

TVm vero quoniam alimentum in substantiā viuentis, cuius forma est anima, vnius opera caloris conuerti debet; necessarium proculdubio est in eo dispositiones prævias ad animam reperiri; quum autem natura in pangendis rebus vbique ordine miro ab imperfectioribus sensim ad perfectiora progrediatur; certe à simplicibus elementis ad animata non transibit, nisi per mista inanima; & non ex quocunque misto inanimo animatum proxime constituet, sed ex eo solum, quod fuerit inter inanimata mista perfectius; quippe in eo reperiuntur dispositiones sine quibus anima illi nō associaretur; dispositiones autem hæ ipsum reddunt omnium mistorum vita carentium perfectissimum; sunt quidem istæ conditiones, vt primo sit non simplex elementum, neque purum, neque impurum; quia ex elemento simplici, seu puro, seu impuro, si vnicum fuerit, immediate nascetur vel aliud elementum simplex, vel ad summum mistorum imperfectorum aliquod, vt ex terra fumus, ex aqua vapor: si vero fuerit multiplex; immo etiam sint omnia, ex illis proxime fiet mistum inanime: Deinde necesse est corpus vnica functione animandum, esse mistum, non quidem imperfectum; nā ex eo fiet vel simplex elementum, vel ad summum mistum inanime; vt ex vapore aqua, seu aer, vel nubes, vel grando; ex fumida exhalatione ignis, seu terra, vel ardens cometa: Deinceps oportet corpus in viuentis substantiam conuertendum esse mistum perfectum, non quidem quodcunque, nam e quolibet misto perfecto, in quo sint omnia elementa, non oritur, nec alitur viuens; non enim ex auro, aut alio quouis perfecto misto (si aurum sit mistum perfecti generis) gignatur, vel nutriatur viuens: Denique opus est corpus immediate conuertendum in substantiam viuentis esse mistum in genere perfectorum inanimatorum natura sua perfectissimum, quod proximam adeo potentiam obtineat ad induendam essentiam viuentis, vt inter ipsum, & viuens nihil omnino mediū viuenti similius reperiatur; siquidem natura in suis functionibus obeundis, non saltantium, sed gradatim progredientium incessum imitatur; ceterum aqua hæc nostra, quam bibimus, simplex est elementum, quamuis impurū quoquopacto, haud tamen mistum corpus est e pluribus elementis, neque perfectum, neque imperfectum; quoniam eo distat elementum, etiam impurum, a corpore misto vel imperfecto, quod in elemento natura corporis simplicis sensibus conspicua est; in misto autem natura elementi non est sensibus apparens: sane in vapore haudquaquam sentias nec substantiam, nec accidentia propria vel aquę vel aeris seorsum; & in fumo, seu exhalatione fumida non sentias naturam ignis, nec terræ, at solum naturam ab elemento vtroque diuersam, ex vtroque coagmentatam: idem multo euidentius iudicium est de misto perfecto, vt pote in quo magis affecta, subactaque fuit cuiusque elementi substātia; quippe à pluribus contrarijs passa: quis etenim sensu agnoscet in homine, aut in planta, aut in auro aquam, vel aerem, vel aliud simplex elementum? certe nec lynceis pollens oculis: in aqua tamen, atque in alijs elementis seorsum acceptis, quantumuis impuris agnoscit semper sensus naturam simplicis elementi, quia illud extraneum alterat solum extrinsecus leuiter, atque remittit accidentia simplicis, immutata substantia ipsius, & seruata natura interna suarum proprietatum; sed in misto longe alia est natura, & essentia tum substantiæ, tum accidentium, atque esset in simplicium quolibet: Quum igitur alimentum immediate debeat in substantiam viuentem commutari, in quā proxime verti non potest vnicum elementum, siue purum, siue impurum; quum aqua nostra, quam bibimus, vnicum sit elementum; profecto illa, siue syncera potetur, siue non syncera, viuentibus alimento esse nequibit.

Vnico ex elemento quid oriri possit.

Vide lib. 4 cap. 3. 4. 5. & 6.

Mistum quod proxime vertitur in substantiā viuentis quale sit.

Elementū impurum à misto quid differat.

Cur in misto perfecto magis sensum latēt elementa quam in imperfecto

Vlterius

Vlterius esto aqua mistum, vel in ea mistum, quomodocunque corpus insideat; plane hoc non erit mistum perfecti generis omnia in se continēs elementa; sed imperfectum mistum ex duobus, vel tribus ad summum; quomodo enim fit ignis in aqua, quam bibimus? certe si multus, sensu percipe retur; quod experimento non respondet; quia potamus frigidam, aut non calidam: sin autem paucus ignis in aqua esse dicatur, quid ni statim extinguatur? Verumenimuero mistum imperfectum proxime conuerti non valet in substantiam viuentem; aqua igitur nostra, in qua non omnia insunt elementa, viuenti cedere non potest in alimētum. Quin etiam disputationi si detur hæc aqua omnibus elementis prædita esse in genere misti perfecti, quis tamen vnquam dixerit eam esse in illo genere perfectiorem auro, metallicisque ceteris, & succis terræ concretis, & plerisque alijs mistis inanimatis, quæ nutrimentum viuentibus præbere nequeunt? quis aquam dicet, viuentium naturæ omnibus mistis non alentibus magis congeneremi? Si ergo mista quamplura viuenti magis familiaria, magisque congenea, perfectioneque mistionis aquam longe superantia viuentibus alimento esse nequeunt, in eorumque substantiam verti non possunt; plane ab aqua tollere vim omnem alendi necesse est.

In aqua non est ignis.

Aquam esse vehiculum alimenti, & propterea non alimentum. Cap. LXII.

INsuper autem illud interest ex natura rei inter alimentum, & alimenti vehiculum discriminis, quod alimentum in partium solidarum substantiam conuertendum crassitudinem habere oportet, mistum corpus esse necesse est, sapidumque, vt attrahi valeat ab alendis partibus, quæ nil nisi familiare, seu dulce, sibique suaue attrahunt: contra vehiculum, quo possit alimentum crassius attenuare, ac deducere per angustissimis, & capillares venulas, tenuissimum esse decet; quo autem valeat æque trahi tanquam ductor alimenti ab omnibus partibus, nullius saporis esse necesse est. Si ergo aqua aliqua esset alendo corpori apta, ea certe bibenda esset crassior, mista ex pluribus, sapidior quantum fieri posset; quippe oppositomodo se habens vehiculi conditiones obtinet alimento contrarias: Ceterum Hippocrati, Galeno, & experimento crassiores aquæ, magisque mistæ, minusue synceræ, quæ cito non alterantur, morbosæ sunt, nec alimoniæ deseruiūt; siquidem & piscem in aqua pura diutius à pharmacopola contentum ideo mortuum reperi post tres annos, quia oblitus esset famulus aquam mutare sordidam, & veterem in puram & nouam, vt singulis hebdomadis dudum consueuerat: ex aduerso autem aqua illa, quæ cito calefit, ac cito refrigeratur, tenuissimaque ideo est, nulliusque saporis particeps, proindeque simplici elemento proxima, propiorque longe quam misto, nutricationi, & salubritati quam maxime inseruire comperta est experimento, medicorumque Principibus decernitur. Vnde necessario colligas aquam potu haustam nutricationi deseruire ceu purum alimenti vehiculum, non autem veluti partem alimenti. His addenda essent argumenta alia quamplura, quibus aperte conuincitur abstinentes nostros aqua epota non fuisse nutritos; verum hac de re infra commodiori loco.

Alimenti & vehiculi discrimen.

Vehiculi natura.

Hippo. & Galen. 5. aph. 26.

Satisfit rationibus, quibus nititur allata sententia, primoque decernitur cur abstinentium aliquot aquam potarent; & quonam potabili, siue humido instauretur humidum radicale. Cap. LXIII.

SEd rationes, quibus sapientissimi viri doctrina refulget, vt acutissimæ sunt, ita occasionem nobis tribuunt rem intimius disquirendi; vnde cogimur diligentius inspecto problemate à Venerando præceptore vel inuiti discedere. Quod enim primo affertur, puellam Germanicam quaternos annos aquæ solius potione vsam uixisse; quamuis hoc non consentiat apud omnes; quippe tum Langius, tum Portius, tum quoque alij plures, qui de puella Spirensi diligenter scripsere, illam æque cibo, potuque omni abstinuisse testantur: attamen concedamus illam aquæ potione vsam, immo si placeat etiam demus ipsam eo potu necessario usā, vt non sine uitæ discrimine aquæ haustus ei potuisset interdici; haud ego propterea uideo concludendum esse aquam ei cessisse in alimentum; sic enim & hanc, & alios abstinentes etiam ab aquæ potu (quibus tamen inerat respiratio) neque sine respiratione uiuere potuisse certum est, vt consimili ratione dicere possis aere inspirato enutritos fuisse; quod tamen falsum esse antea demonstrauimus. Non ergo ulli abstinenti aqua fuit necessaria ad alimentum, sicuti nec respiratio, sed alium ob vsum, nimirum ad meram humectationem, ac refrigerationem faucium, linguæ, uiscerumque, à motu, respiratione, alijsue de caussis nimis quam par esset calefactorum, arefactorumque; ut abstinentes nostri eo potu consulant siti, non quæ est indigentia cibi, & alimenti, sed quæ est refrigerij, & humiditatis ueluti medicamenti cupiditas; quod infra patebit latius ex Aristotele. Quod autem inde adducitur humidum tenue, quo calor partium corporis sustinetur, consimili humido instaurandum esse, atque ideo aquoso alimento, maiorem speculationem postulat: In primis enim dicimus ad consumptionē humidi huius calorē quoque ipso innixum abiumi; quumque uita non humore solo, sed etiam calore contineatur, icccirco alimentis, quorum usus, ac finis est conseruare diu ni tam animatorum ex Aristotele, instaurandum esse tum humidum, tum etiam calidum; si uero instauratio hæc alimento consimili fieri debeat; iam id simul calidum & humidum esse oportet, cuiusmodi reuera est sanguis, quo proprie partes omnes aluntur; quum ergo aqua humida quidem sit, non autem calida, sed frigida; ipsa plane sola inepta fuerit ad alendum. Deinceps humidum id, quo calor naturalis omnium partium corporis sustinetur, medicis humidum radicale uocatur, quod non temue,

Vid. lib. 4. c. 48. & seq.

Alimentum vsus 2. De an. t. 47.

Alimento instauratur calidum & humidum.

Humidū radicale quale sit. nue, neque aquosum est, sed crassum, & pingue, vti monet Aristoteles: si hoc itaque simili debet instaurari, aqua iam sola id muneris obire nequibit, quæ humidorum omnium tenuissima est, minimeque pinguis; de humidis loquor consistentibus, vt aer excludatur, qui aqua tenuior est. *De long. et br. vit. c. 3. & 4.* Postea vero humor hic radicalis instaurandus alimentis mistum corpus est ex quatuor elementis, de genere mistorum perfectiorum, quod ne dum calorem, sed animam quoque, veluti sui formam, sustinet in viuente; si sane hunc simili alimento instaurare voluero, aqua id efficere non potero, quæ simplex est elementum, licet impurum; Et, si contendat quis eam inter mista reponere, certe inter imperfecta ipsam collocabit, ac omnino extra eorum genus, quæ obtinentia dispositiones vltimas ad animam immediate possunt animari, cuiusmodi sunt succi mistorum inter nonuiuentia perfectissimorum. *Aqua ut humidorū omnium tenuissima sit.* Posterius quæ ratione consumptum humidum sui restaurationem postulat in viuente; quum æque ac humidum continenter etiam absumantur partes terreæ; equidem harum quoque defectui consulendum erit: quum ergo aqua sola similis adeo non sit solidiori partium substantiæ, vt in eam conuerti valeat; profecto nihil solidi assumens puella ieiunans, vt aqua non vtitur ad instauranda solida, sic nec ea vtetur ad instaurandum humidum; quippe Aristoteli nutriuntur omnes partes etiam minimę, non aliquæ tantum in viuentium corpore. *2. de gen. c. 35. Partes omnes ali, nō aliquas tātum.*

Aqua nec plantas ali, nec aquatilia. *Cap. LXIV.*

Tertiæ rationi ductæ ab experimento stirpiū, & animalium aquatilium clare occurrit Aristoteles primum quidem aliquando negans plantas aqua sola nutriri; negationis duplicem rationem afferens, à signo, & à priori; à priori quidem quia plantis non cedit in alimentum aqua sola, sed radicibus, velut ore, sugunt stirpes aquam terræ permistam, succum nimirum lutulentū, in quo eui denter ceteris elementis prædominantur terra, & aqua; huiusmodi namque simile est earum naturæ, quæ parum obtinuit aerei, & ignei: A signo autem, qua nutriturı agricolæ plantas, non irrigant simpliciter eas aqua, sed prius miscent; miscent quidem terræ fossione contritæ fimum, cui multæ sunt partes igneæ, aereæque; huic vero misturæ ex terra, & fimo aquam insuper addunt irrigantes, qua non solum veluti glutine admiscetur exactius terra cum fimo in vnum mistum perfecti generis alendæ plantæ idoneum; sed etiam veluti vehiculo aptum redditur hoc alimentum ad ingredienda cæca radicum tenuissimarum foramina: Id quod ex Theophrasto recte admonet infra Præceptor; & suauiter admodum cecinit Lucretius, *2. de gen. c. 50. Cur aqua sola stirpes non alat.*

Lib. 1. *Quippe etiam vesci e terra mortalia sæcla,*
Nec prorsū arboribus summos frundescere ramos
Posse, nisi a terris paullatim quisque cibetur.
& alibi
Lib. 2. *Sic tempestiuis ex imbribus humida tellus*
Vertit se primum in frundes .....

Deinde vero quod aquatilibus de animalibus itidem proponitur ex Aristotele dissoluitur alicubi decernente ex iisdem ali aquatilia, ex quibus primum genita fuere; si quid commune hoc est omnibus viuentibus, vt eandem habeant materiam in generationem, & in alimentum; quum itaque duplex viuentibus sit ortus, aut per propagationem e semine, aut per spontinam generationem ex putri; sane quibus origo est a semine, iis uictus est e pisci- bus minoribus in aquatilium genere, aliisque cibis de genere mistorum, uti est semen, unde prodiere; quibus autem generatio est e putri materia, ex eadem substantia mistum illis conueniens suggeritur alimentum: Quemadmodum ergo ex pinguium excrementorum congerie in aquæ superficie supernatante oriuntur, & aluntur herbæ, quod infra latius apparebit; ita plane in eisdem aquis ex crassioribus fęcibus ad fundum subsidentibus asserimus quotidie gigni, & ali vermes, pisces, & multa id generis uiuentia, quæ aquatilibus alimento sint. Immo etiam nutriantur cænoso illo excremento, ex quo exorta fuere, misto alentur aquatilia, non aqua sola, nec pura, nec impura; non enim habet aquæ speciem, ut quæ impura bibitur, id ex quo gigni, & enutriri hæc animalia putamus, sed limi; qua de re uberrime posterius. *8 hist. c. 2. 3. de gen. anim. cap. 11. Viuentis origo duplex. Vide lib. 4 cap. 13. Herba in superficie aquæ nascens. Cap. 24. & 96. Cap. 96.*

Vitam non seruari calore vt animæ instrumento, nec humore vt caloris pabulo: calorem vt contingat extingui ad humoris consumptionem; humorem non esse aquam, nec aqueum. *Cap. LXV.*

Quod subiicitur uitam nostratem seruari tum calore, ut proximo animæ instrumento, tum humore, ut caloris pabulo; & propterea humore consumpto calorem quoque, & cum calore uitam extingui; Vitamque proinde ab humore esse, humorem uero esse aquam; multa continet, in quibus exerceri possumus: Ac primo uitam nostratem calore, atque humore seruari accipimus, humoreque consumpto calorem deficere, & cum eo uitam extingui fatemur; sed nobis persuaderi difficile potest calore ueluti animæ instrumento uitam seruari; quando instrumentum refertur ad operationes; animaque calore utitur ceu instrumento ad operationes uiuentis obeundas, non autem ad uitam corpori conciliandam, neque ad uiuens in esse constituendum: sed proprie uita calore seruatur tanquam uinculo nectente animam corpori, in quo nexu tota uitæ ratio continetur; siquidem calor est dispositio, qua corpus apparatur ad animam; quæ omnia fuse alibi ex Aristotele ostendimus. Suspectum haud minus est uitam conseruari humore, ut caloris pabulo; accidit enim humorem in uiuente pabulum esse calori; sed uita indiget humore, ceu glutine quodam ui detinente huc in corpore uiuentis calorem ingenita leuitate sęper sursum inhiantem, atque humorem tan quam sui ascensus impedimentum destruentem, non tanquam sui pabulum consumentem; quod etiam *Vita quomodo foueatur calore. 2. de vita cap. 10. & 11. Vita humore quomodo seruetur. Vide lib. 4 cap. 60.*

Lib. iii.

etiam late alias probauimus. Suspicione item non caret calorem extingui ob humoris consumptionem, quasi humore calor indigeret vt posset esse superstes, siue ad esse simpliciter: nam ex aduerso consumpta humiditate calor eo magis est, atque per se perficitur, quo, remoto impedimento, liberè magis sursum ascendit, in quo calidi perfectio sita est; licet per accidens contingat vt pusillus calor ab ambientis aduentitia frigiditate sibi contraria extinguatur; quod eodem libro quoque monstrauimus. Sed his etiam vltro datis postulationibus, concessoque axiomate alio, Vitam humore seruari, & ab humore esse; illud quidem concedere non possumus, humorem, quo vita innititur, aquā esse; immo vero neque aqueum a prædominio; est etenim radicalis hic humor corpus perfectè mistum ex quatuor elementis; & si quod eorum in ipso dominetur, sit hoc aer potius quam aqua; vt colligere perspicue possumus ex Aristotele.

Humore calor non indiget ad sui conseruationem.

De longit. & br. vit. c. 2.

Aqua non restitui quod aqueum e corporibus effluxerit. Cap. LXVI.

AD aliud vero argumentum, quo dicebatur, Nutriri corpora nostra ex ijs, ex quibus constamus; nos autem, constitui non a terreo solum, sed etiam ab aqueo; ac proinde sine aquei repositione nutriri non posse; reponi vero aqueum non nisi ab aqua; Respondere liceat primum ex his probari, non aquam solam alere posse, quod reuocatum nobis est in controuersiam, sed aquæ simul cum alijs mistæ, vel non minus quam alijs elementis inesse vim alendi, quod facile accipimus, non videntes quomodo inde fieri possit vt solam potātes aquam, ea enutriti diu viuant. Dicere deinde cogimur in alendo corpore non solum reponendum esse aqueum, sed etiam terreum, aereum, & igneum; quum autem aqua sola nequeant hæc omnia refici; eam proinde alendo corpori non esse, si sola bibatur. Addere ultimo necessarium est, aqueum, quod à nobis effluit, mistum corpus esse, ipsumque in nobis reponi ab aqueo pariter, quod mistum est perfecti generis, non ab aqua: nihil.n. reperire liceat inter partes corporis nostri nutrimenti ministerio reparandas, quod sit aquæ nostrę potabili quantumuis mistæ in simplicitate comparandum, quum sint omnia membra similaria in nobis mista perfecta, cuiusmodi non sit aqua hæc nostra vllo modo. Quod mox huic simile adducitur ex Galeno, Cibo, quicquid ficcioris substantiæ effluxit, restitui; potu, quicquid humidioris, ac ita reduci ambo ad pristinam symmetriam; aquam non probat alere; Galenus enim potus nomine vinum intelligit, non aquam; cui sexcentis in locis interdixit vim alendi: Hoc tamen Galeni dogma ita non accipimus vt cibo solę partes ficciores nutriantur; sed vt maior cibi portio in ficciorum, solidiorumque partium alimentum cedat; potus autem (vinum putamus) maxima ex parte humidiora membra reficiat, cuiusmodi sunt carnes, & pinguedo, atque adeps, quæ communiori vocabulo partes appellantur: Hinc pateat qua ratione senes

3. De mem. da valet. c. 2.

Galeni dogmatis interpretatio

pauciſſimo cibo vtantur, sed liberalius mero indulgeant; eorum etenim corpora huiusmodi sunt, ut ficcioribus partibus, quæ sunt ossa, ligamenta, cartilagines, & id generis, propter duritiem maximam, parum, vel nihil ab imbecillo calore detrimenti patientibus, minus indigeant cibis ad sui refectionē: at carnibus, & mollioribus membris tum à calore, tum ab externis caussis mire ficcatis, multa refectione opus habeant, quam à largiore vsu uini sibi acquirunt seniorum corpora.

Senes cur pauco cibo contenti multum bibant

Aqua ex Aristotele quomodo sit alimento, & caussa sterilitatis, & piscibus assumatur sibi gratia, si non vere alit. Cap. LXVII.

QVod ex Aristotele proponitur primum afferente aquam in omnibus etiam ficcis alimento esse, atque ob id aquas crudas, & frigidas vel sterilitatem, vel femineum partum efficere; in eo sensu accipiendum putamus, non vt Aristoteli aqua sola vere nutriat, conuertaturque in substantiam uiuentem, quod est alimenti proprium; sed quod alimento viuentibus esse dicatur, quia nutritioni deseruiat uelut alimenti vehiculum; nanque vehens aqua nutrimentum per venas ad singula membra corporis, vbi cruda fuerit, ac impensè frigida, non potest alimentum, quod defert, ac partes, ad quas nutrimentum affert, & proinde membra generationi dicata, non refrigerare: porro ex alimento frigido semen infecundum, uel saltem feminarum autor enascitur; quemadmodum & sanguis menstruus, vterusque frigidior uim feminis prolificam calore nixam Aristoteli aut penitus extinguit, aut multum eneruat; vnde sterilitas, uel feminarum prouentus: Ita ergo ab aquæ frigidioris, & crudioris vsu, quæ uehiculum alimento sit, non vere alimentum, de Aristotelis sententia uel sterilia fiunt animalia, uel feminas procreantia. Deinde uero in disputationem ésto Aristoteli aqua sterilitatis caussa, & origo feminarum quia sit alimentum; sane hic aquam solam Aristoteles alere non scribit, sed eam pręcipue alterare posse corpus nostrum, quia eius plurimus sit usus, adeo in omnibus ut alimento sit, etiam ficcis; hoc est dicere, nihil nobis in alimentum cedere sine aqua, quamuis etiam nutrimenta ficca sumamus; ut pote qui omnia nutrimenta cum aqua ingerimus, quod alibi apertius docuerat Aristoteles inquiens in alimentis nos plurimum aquæ consumere, quia & in potu multum aquæ haurimus; & in pane, qui sine aqua non paratur; & in obsonijs quibusque, vti sunt carnes, olera, legumina, & alia, quibus omnibus ad esum apparatus est elixatio in aqua: ubi ergo ea cruda nimis, & frigida utamur, cedente ipsa una cum ficcioribus edulijs mista in alimentum, plurimum refrigerari principia generationis contingit; quocirca steriles, aut feminarum parentes reddētur homines: hinc autem apud Aristotelem colligi aquam solam alere, ego quidem non assequor. Sed reuera ut arbitror aquam in misto solidiori, quale cibus est, naturalem, atque cōgenitam non deseruire alijs partibus craſſioribus sub ratione

4. De gen. an. c. 2.

Vide lib. 4. c. 32.

Aqua vt nutrim. defer.

Feminarum prouentus, & sterilitatis causa.

2. De gen. an. c. 3.

1. Sect. problem. 14.

Vsus aquæ plurimus in alimentis.

Aqua in cibo quo non si vehiculum,

ne

ne vehiculi; tum quia tanta non est vt eas diluat; tum quia ab eis distincta non est, ac interno calore separabilis; ita non puto aquam potu haustam, vel vino, ceterisque cibis elixandis, aut quomodocunque parandis affusam, vere alere, sed solum fungi munere vehiculi, tum quia nimia est, non enim sumus à prædominio aquei, vt tam aqueo alimento indigeamus; tum quia facile separabilis, & potius ab illis distincta existens, in toto alimento non est vt mistum perfectum, neque vt misti perfecti portio essentialis, aut integralis, cuiusmodi oportet esse quodcunque nutrit.

Aqua potu hausta, & elixationi cibis immista non alit, sed alimenti vehiculum est.

Quod præterea eodem ex Aristotele affertur, pisces, addo & insecta potum assumere, non potus, sed cibi gratia, scite interpretari potest ex ipsomet Aristotele alibi scribente Aquatilium alia accipere, ac reddere aquam ea caussa, qua spirantia aerẽ, quo refrigerentur; alia propter cibum; quum enim in humore cibum accipiunt, fieri non potest quin simul aliquid humoris admittatur; quod admissum, quo emittant, instrumentum habeant necesse est: quæ igitur proportione spirationis humore vtuntur, branchias habent; quibus autem per cibum humor illabitur, ijs fistula in sanguineo genere data est: mollibus etiam, & crustaceis hoc idem adhibitum est, nam ea quoque humorem propter cibum assumere coguntur. Hæc Aristoteles: quibus apertum est dum statuit alibi pisces assumere potum non propter potum, sed cibi gratia, intelligere potum ab ijs ingeri neque ad nutricationem, neque ad alimenti distributionem, sed ex necessitate materiæ, quia dum ore aperto cibum hauriũt, necessario vna cũ cibo introlabitur aqua tenuior, atque fluxilior; quæ ideo propter cibum, non potus gratia, piscibus hauriri dicitur: secus enim si cederet illis in alimentum, sane ore ingesta reddi nõ deberet illico per branchias, neque per fistulam; quippe alimentum receptum intus manere oportet, non denuo foras effluere, vt ait Hippocrates.

8. hist. cap. 2. — de part. cap. 8. — 3. de par. cap. 5. — Lib. de corde.

Animalia quomodo constituantur adeo ex igne, & aqua, vt moueantur igne, nutriantur aqua Hippocrati; cui aqua non est vere alimentum. Cap. LXVIII.

1. de Dieta.

Illud autem, quod postea dicitur ex Hippocrate, constitui quidem tum animalia reliqua, tum hominem ex igne & aqua; sed nutriri aqua, moueri igne, tollitur multifariam; primo enim dicimus Hippocratem eo loci nomine ignis animam significare, nomine aquæ corpus; nam vere homo, & animalia reliqua ex anima & corpore adeo constituuntur, vt beneficio animæ moueantur, à corpore autem obtineant hoc vt nutriantur; quæ fuisse veterum sententia, & præsertim vnius Hippocratis apparet ex Aristotele alicubi asserente se a progenitoribus hoc speciatim accepisse de anima, vt esset caussa quare animalia moueantur: iurarem tunc Aristotelẽ per progenitores Hippocratem potissimum innuere hoc in loco dicentem, *Ignis omnia & per omnia mouere potest*; nãque ab Hippocrate pronepotem legimus Nichomachum patrem Aristotelis; quod & obseruat Bassus. Sed & alibi non vno in loco Hippocrates animam appellauit calorem, seu calidum, vel ignem; ac viceuersa ignem, calidum, caloremue noncupauit animam his vocibus, tanquam sinonymis promiscue vtens; aliquando enim & (inquit) *videtur sane mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia tum futura*: alibique ait, *Mens enim hominis in sinistro cordis ventriculo insita est, & reliquæ animæ imperat*: & alias dicit, *Hominis anima semper producitur vsque ad mortẽ, si vero efferbuerit, vna cum morbo etiam corpus depascitur.* Hinc ergo liquido constare potest Hippocrati animam vocari calorem, seu ignem, atque vicissim. Quin & Aristoteli quandoque spiritus, & calor, ignisque animam significat; ex eo enim probat animalia omnia quodammodo esse animæ plena, quia caliditas in toto reperiatur: & alibi animam tanquam ignitam esse ait. Per ignem ergo Hippocrates animam significat, a qua omnia mouere vetustissimum est monumentum ex Aristotelis obseruatione. Ceterum aquæ nomine ab eodem Hippocrate significari corpus, dum in prima sui constitutione in vtero est sub specie sanguinis, & genituræ apparere possit ex ijs, quæ ipse idem professus est aliquando scribens in hanc sententiam, *Sanguis enim non est natura calidus, neque enim alia aliqua aqua, sed calescit*; vnde constat sanguinem, qui materia est corporis nostri, aquam appellari, seu aquæ speciem constitui ab Hippocrate: à quo caute illud accipiendum est (vt obiter id aperiamus) quod inquit sanguinem non esse natura calidum, sed calescere; loquitur enim de sanguine vt quid à spiritibus contradistinctum, & de calore, qui correspondet elemento ignis; nam sanguis in corpore animalis humoris nomine vocatus aeri proportionatus est, spiritus igni, vt fuse antea probauimus; aer autem igni collatus non dicitur calidus, sic sanguis spiritui comparatus natura sua calidus non est, sed calescit à spiritu, sicuti & alia omnis natura, quæ humoris speciem obtinens in corpore ab Hippocrate aqua nuncupatur, quia fluxa existit. Ita ergo aquæ nomine Hippocrates, dum ex ea, & igne animalia constitui dicit, sanguinem maternum corpus futurum intelligit; dum vero aquam omnia per omnia nutrire decernit, sanguinem alendo corpori per venas fluentem intelligit ijs consentiens, quæ alibi dixerat à Cordis ventriculis prodire flumina, quibus totum corpus irrigatur; qui enim venas sanguine repletas flumina vocat, bellissime sanguinem aquæ vocabulo significabit: Dum itaque ait Hippocrates nos aqua constare, atque nutriri, aquæ nomine sanguinem indicat, quẽ alibi aquæ speciem constituit ea ratione, qua & Aristoteles inter aquæ species vinum connumerat, vrinam, serum, & omnino quæcunque nullam, vel paruã obtinent consistentiam, in quo genere vna cum alijs fluidis corporibus sanguinem colloces: at nostra disputatio est de aqua vulgari, quam bibimus.

Nichomachus Aristotelis pater pronepos Hippocratis. — Lib. de H. p. & Arist. der. cr. — Lib. de Princip. — Lib. de Cord. — 6. Epid. sect. 5. — 3. de gen. an. cap. 2. — De resp. & in. cap. 2. — 1. de an. t. 19. — De Corde — Sanguis natura calidus non sit Hippocr. Cap 3. — Omne fluxum Hippocrati aqua vocatur. — De Corde — Lib. de Corde — 4. meteor. cap. 6.

Deinde interpretari possumus Hippocratem dicentem

dicentem constitui tum animalia omnia, tum hominem ex aqua, & igne; quasi dixerit primū exortum animalis, & præsertum hominis esse ex sanguine, ac semine; quia vt sanguinem ipse non raro aquam appellat, sic ignis nomine semen significare Galenum etiam, nedum Hippocratem sapienter adnotat vel ipse Præceptor inquiens, Excellere autem in semine ignem, atque aerem, vt certum est; quia calidum est, & spiritibus redundat; ita igneā illi naturam, facta ad sanguinem menstruum cōparatione, tribui à Galeno nulla dubitatio est: Quum ergo ex mente Galeni sanguis, semenque genitale generationis nostræ primordia sint; ille, ceu materies quædam apta, concinnaque, & opifici ad quiduis sequax; hoc opificis rationem obtinens; diffideantque hæc inter se, quia in semine plus est igneæ substantiæ, atque aereæ; in sanguine aqueæ, terreæque; sapienter hæc omnia meditatus Hippocrates, mista hæc ab elemento in eis prædominante denominans ait Hominem constitui ex igne, & aqua; & ignem omnia per omnia mouere, aquam autem omnia per omnia nutrire; quando & apud Galenum habemus, quum partes corporis nostri multæ quidem ex semine generentur, & solæ carneæ ex sanguine formentur; omnes tamen pariter, etiam spermaticas, nutriri sanguine: Quare diuine Hippocrates, qui nuper dixerat hominem constitui ex igne, & aqua, nimirum ex semine, & sanguine; ignemque statuerat omnia per omnia mouere posse, his denotans inesse spermati vim omnium partium efformatricem; organizationem siquidem, partiumque formationem, motus nomine vel Aristoteles appellat, semini que tribuit apertissime scribens alicubi, semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu peracto, pars existat quæque, eademque fit animata: subdit Hippocrates aquam omnia per omnia nutrire, indicans sanguinem cedere in alimentum omnium particularum, illarum etiam, quibus prima constitutio fuit e semine. Igitur nomine aquæ sanguinem modo intelligens Hippocrates nihil fauet viro doctissimo existimāti aquam vulgarem alere nos posse.

2. Risq. Physiol.

2. de tuēd. val. cap. 2

3. com. de nat. hum. 27.

2. de gen. an. cap. 1.

Deinceps etiamsi demus hoc loco Hippocratē igne complecti aerem, & aqua terram, cum qua globum vnum constituit; nutricationemque præcipue aquæ ipsi tribuere: demus item medicis igne significari calorem, aqua humorem, in quibus duobus vita consistit; atque calorem humore nutriri adeo ut nutrimentum vniuersim recidat in humorem; nunquam tamen inde fiet ut ex Hippocrate aqua sola nutriat, quod nos in præsentia disquirimus, nutriente humore, qui est mistum perfectum, cuiusmodi non est aqua potabilis, de qua loquimur.

∴

Quod ex ciborum solidiorum substantia cedit nobis in alimentum non esse aquam; & quomodo assumptis excreta in pondere respondeant Hippocrati: deque multiplici secundæ coctionis excrementorum vsu. Cap. LXIX.

QVod subditur ex Hippocrate, seu ex autore librorum de morbis, nimirum si quis alimentis, quæ quotidie sumuntur, comparet excrementa, quæ aluo excernuntur; hæc deprehendet illis ad æquilibrium respondere adeo vt nihil solidi cibi nobis alendis insumatur, sed humore solo nutriamur, & proinde aqua; hoc inquam argumentum non vna ratione suspectum est; ac primum audio à viro docto, qui huius rei experimenta quā plura vidit, longe minus in pondère id esse, quod egeritur excrementum sensile cuiusque generis, quam sit id alimentum, quod intra corpus ingeritur: Amplius autem citato in loco Hippocrates aperte illius, quod assumitur, partem in corpore manere statuit, licet sensui quod egeritur assumpto videatur æquale; per hæc innuens externi cibi & potus exilem admodum portionem cedere nobis in alimentum, atque ad pondus insensilem; non, vt interpretatur vir sapientissimus, rationem præbens ostendendi nihil solidi habere id, quo alimur, sed esse pure humidum, & aquam. Præterea vero quum excrementorum ex alimentis iterata digestione segregatorum haud parua portio per insensilem transpirationem in halitus assidue dissipetur; non enim halituosa materia vniuersa, quam corpore toto per cutis poros reddimus, substantia est solidarum partium vi caloris in exhalationem versa; sed eius portio non parua est excrementum alimenti potissimùm tertiæ coctionis: vt propterea pendi nequeat, & ad æquilibrium comparari excrementum, quod egeritur, cum alimento, quod iugiter ingeritur. Deinde autem esto simpliciter ad æquilibrium alimentum quotidie sumptum respondens excremento reddito; hinc sane colligere liceat nihil prorsus assumptorum in alendo corpore permanere; non autem permanere liquorem, humoremque solum; quippe non caret suo pondere liquor, & humor: sin autem hoc æquilibrio non obstante aliquid cibi, ac potus manet intus alendo corpori, vel hoc est ad pondus insensile, quod nuper notauimus; vel huius loco vna cum excrementis quidpiam ueteris materiæ in corpore præexistentis effluere opus est ad æquādum pondus excrementorum, & assumptorum; quod uel inde pateat apertissime, quia frequenter alimenta pondere longe superantur ab excrementis: ceterum quod ex alimento remanet, id solidum esse debet, quum eo solidæ partes nutriendæ sint. Deinceps concedamus ex assumptis cibarijs nihil aliud nobis in alimentum cedere, quam humidum ex eis à calore nostro eductum; id certe non erit aqua, sed succus alimentarius, in quo cūcta insint elementa perfecte mista; sic enim carnes in frustula dissectas calore ignis dissoluimus in succum, & humorem alendis ægris, quorum uires collapsæ fuerint, maxime oportunum, quem

Lib. 4.

nemo dixerit esse aquam, & non mistum perfectũ, licet substantiæ fluore, coloreque sensibus aquam referat.

Preterea, vt intimius Hippocratis mentem eo loci assequamur, adamussim eius sententiam ex plicemus, ait igitur, *Quomodo vero, & cur homo sanus degat referam: Postquam comedit ac bibit, & humor ad corpus peruenit, eo quo dictum est modo, ammistus alij, tum ei qui in corpore, tum ei qui in fonte est, ea quidem die qua accesserit, in corpore manet; postridie vero alius humor ad ipsum accedit: atque hi quidem duo sunt dies, duo vero in corpore humores: & alteri quidem humori duo dies sunt, alteri vnus: & qui quidem postridie accessit manet in corpore, vt qui sit crassus; alter autem coctus à caliditate diffunditur, & tenuis fiens postera die ad ventriculũ accedit, & per omne tempus à recenti expellitur: vbi vero ad ventriculum peruenit, cibos in hoc loco coquit, & de se sanguinem in corpore facit; si vero permanserit, tempore graucolens fit: tertia uero die vna cum stercore, & vrina exit, copia ipse sibi ipsi aqualis, & consimilis, & aquilibris; etiamsi suspiƒius pars quadam sit, quo humor maneat in corpore iuxta relatam rationem: influit autem & tertia die humor de corpore ad ventriculum amplior, & graueolentior, qui videlicet reliquus fuit à secundo, & defert cibos concoctos, & quicquid est in corpore morbosum, & rursus simul exit: Indicio est autem vrina, qua salsuginosa est, quod cibi deferunt de corpore etiam id quod morbosum est: & cibi quidem semper postridie per aluum secedunt; humor autem ad tertiam diem. Hoc modo sanitas contingere solet.*

Difficillimi loci Hip. interpretatio.

Quæ obscurissima, sed auream doctrinã continentia ita interpretabere, vt his referat Hippocrates caussam sanitatis in purgationem, & vsus excrementorum secundæ coctionis: *Postquam comedit* (inquit) *ac bibit homo; &* peracta prima esculentorum, potulentorumque in uentriculo coctione, *humor* chyli nomine donatus per venas meseraicas *peruenit ad corpus* hepatis *ammistus alij*, hoc autem est mistum ex duplici humore, nimirum *tum* ex eo, *qui in corpore, tum* ex eo, *qui in fonte*; nempe chylus in se continet tum partes alimentarias, quæ sunt eiusdem substantiæ cum alendo corpore; chylus enim in corporis substantiam mutãdus est, quæ alitur sanguine defæcato, qui fit ex parte chyli alimentosa; tum partes excrementitias, bilem scilicet, quæ habet sui receptaculum in vesica fellea; melancholiam, quæ in splene; pituitam, quæ in capite; nam Hippocrates paullo supra dixerat tria hęc membra in corpore fontes esse, caput quidem pituitæ, splenem melancholiæ, quam aquam nuncupat, & felleam vesicam bilis: ita ergo chylus *eadẽ die, qua accessit, in corpore manet* concoquendus in iecore; quod enim coquitur, manere debet; quippe non coquitur quod fluit de uno in alium locum, sed quod retinetur, manetque in ea parte, in qua fit coctio: *Postridie vero* post nouã comestionem, potionem, chylificationemque, *alius humor* eiusdem naturę chylus nouus *ad ipsum* chylum veterem *accedit*: Tunc uero duobus diebus facti sunt

Quod coquitur ut manere debeat.

in corpore duo humores solo numero differentes in eadem specie chyli; sed priori chylo *duo dies insunt* ætatis (vt ita dixerim) posteriori *vnus*: *Et* sane chylus, *qui secunda die aduenit, in corpore* iecoris *manet* die tertia concoquendus, *vt qui sit crassus*, hoc est crassis excrementis inquinatus, & substantia etiamnum densiori: *alter* vero ille prior chylus die secunda caloris opera coctus, ac proinde distinctus in duas partes; quarum altera est alimentaris, altera excrementitia, ijs demandatis ad proprios fontes, alimentari quidem ad cor, excrementitia vero partim ad felleam vesicam sub nomine bilis, partim ad splenem sub nomine aquæ, hoc est melancholiæ, partim ad caput sub nomine pituitæ; ac singula parte in proprio fonte actione caloris adhuc magis attenuata, postera die accedit ad ventriculum; nam & à capite facile descendit pituita in os, & palatum, & inde in stomachum: & à corde per aortæ arteriæ ramum sanguis fluit ad ventriculum, ad quem per venæ portæ ramum à liene defertur acidus, ac melancholicus humor: quin & a vesica fellea semper in duodenum intestinum, atque in ieiunum prope ventriculum fertur biliosus humor, qui copia etiam regurgitat in ventriculum; in quem aliquando etiam a císti fellea bilem peculiari ductu ferri obseruatum est à Galeno. Ita ergo à quatuor fontibus rursus refunditur distinctus humor in uentriculum secunda die, qui præcedenti mistus in unam chyli speciem à ventriculo ad fontes illos effluxerat: sed & ab ijsdem fontibus idem humor pariter per venas & arterias in iecur, & inde per renes ad vesicam vrinariam nomine ventriculi comprehensam labitur: ea uero ratione humor hic à fontibus ad hos ventriculos fertur, vt semper à recenti affluente expellatur de vtroque ventriculo; ea enim est liquorum, fluxiliumque natura, vt à recenti vetus de loco pellatur.

3. de temp. c. 8. Art. med. c. 74.

Sed tamen hunc humorem in vtroque ventriculo non spernendos vsus habere admonet Hippocrates inquiens, *vbi humor hic ad ventriculum peruenit cibos in hoc loco coquit*; nam in stomacho ad perfectam coctionem ciborum appetentia primo requiritur, qua ventriculus ingestam alimoniam arcte complectitur, vt vicissim respuit ingratam; quo nomine Hippocrates alibi sua det ægrotis danda esse potius esculenta, & potulenta suauia, licet paullo deteriora, quam meliora, sed insuauia; vt belle notat eo loci Galenus: melancholicus itaque ille succus à splene ad ventriculum traiectus appetentiam suscitans, suauia vt sint oblata efficit, utque arcte à stomacho amplectantur, & proinde vt recte, faciliusque coquantur; quodcunque vero appetimus, appetimus sub ratione suauis, ac boni adeo patet, ut probatione non egeat: sic ergo coctioni confert melancholia.

Appetentia coctionem ut perficiat. 2. aph. 38.

Melancholia quomodo coctionẽ iuuet.

Pituita quoque (si nimia non sit) à capite ad ventriculum labens ea ratione coctioni opitulatur, qua & sua humiditate adiuuat elixationem, ad quam cibi coctio uelut ad genus species

Pituita vt coctioni cõferat.

species refertur; & suo lentore tum infarciens ventriculi tunicam interiorem prohibet quominus ab acribus & mordacibus ingestis stomachus dolore afficiatur: tum glutinans omnia ingesta in vnam massam, & huic massæ stomachi substantiam vndique adhærere faciens, promptiora efficit quæ à calore stomachi vniformiter digerantur. Bilis autem flaua ciborum coctioni prospicit cum suo calore fouens exiguū illum, quo pollet stomachi substantia exanguis; tum stimulans acredine sua facultatem expultricem intestinorum ad propellenda inertia excrementa e loco prope cibi coctionē; nam ibi stabulantia graueolentes, ac tetros halitus in stomachum spirare possent appetentiæ, coctionique ciborum infestissimos; vt liquido constat in voluulo morbo. Sanguis demum arteriosus à corde ad ventriculum delatus vehendo secū spiritus feruidos, & calorem influentem, mirifice coctionē promouet, quam nunquam edere posset ventriculi calor exilis aliunde influentis caloris auxilio destitutus: præterea quod calor vna cū spiritu à corde influens vniuersale instrumētum est ad omnes viuentis actiones obeundas: Ita ergo humor primæ diei à fontibus ad ventriculum recurrens in eo cibos coquit. Idem humor in corpore de se sanguinem facit; hoc est, idem humor, si non quoad omnes sui partes, saltem quoad sanguinem cordis calore influente, spiritibusque preditum, & quoad bilem flauam, in corpore, nimirum in hepate, renibus, & vesica vrinaria, quæ quum fontes non sint, generico nomine corporis, vt alia mēbra quoque, appellantur; influens itaque calor a corde, ac bilis à felle ad hepar, vesicam, & renes, harum partium calorem quasi torpentem suscitat, & viuificat, ue getioremque facit ad faciendum sanguinem ex se, nimirum ad segregandum sanguinem ab alijs excrementis: & hoc quidem peculiari ratione bilis in propria cisti efficit trahendo ad se similem sibi humorem à sanguine, qui digeritur in hepate: Nemo vero ambigat partes quaslibet, quibus datum est à natura munus segregandi sanguinem à quocūque alio humore, quisquis ille fuerit, in huiusmodi functione obeunda maximopere vti, & frui auxilio caloris aliunde sibi adiuncti; quando tum caloris proprium sit disgregare quæ sunt heterogenea; tū cunctæ viuētis operationes caloris ministerio fiāt, non frigoris; quod propterea in adagium cessit *frigidum non ingredi opera naturæ*; in genere si quidem naturæ præcipuum analogatum est anima, quæ ideo apte significatur naturæ nomine simpliciter prolato: & eo sane magis ad separandum sanguinem ab alijs humoribus, & a sero indigent precipue renes, & vesica alieni caloris ope, quo talis secretio laboriosa est ob exactiorem humorum, seu sanguinis cum sero confusionem, & caloris vesicæ, ac renum imbecillitatem. Subdit Hippocrates, si vero humor hic a fontibus ad ventriculum delatus post hæc opera *permanserit* in ventriculo, *temporis tractu graueolens fit*, putredine aliqua concepta, tum quia quilibet humor extra propria uasa corrumpitur; a loco enim conseruatur vnūquodque; tum quia stabulatur humor hic aut fluxilis sponte, vt pituita; aut acris, & mordax, ut bilis utraque, non nisi occluso exitu; ac propterea prohibito transpiratu, vnde calidum quoduis in humore putrorem corripit, atque fætorem. Ceterum hic humor quoad partes excrementitias à tribus fontibus, nimirū a cerebro, splene, cistique fellea in uentriculum utrumque lapsus *tertia die vna cum stercore ab ano, & vrina* de pudendis *exit, copia sibi ipsi æqualis, & consimilis, & æquilibris, etiamsi sui ipsius pars quædam sit, quo humor maneat in corpore iuxta relatam rationem*; quorum sensus est, hunc eundem humorem primæ diei post usus præstitos in uentriculo secunda die, foras cum stercore, ac vrina prodire tertia die; eundemque fere totum effluere adeo extra corpus, vt insensibile sit ad pondus id, quod in corpore sano tum pituitæ, tum bilis vtriusque excrementitiæ vna cum cibo, potuq; ingestæ remanet in corpore: Quin dicamus paullo subtilius, quia remanente sensili portione noui huius humoris in corpore, quod effluit tamen tertia die cum stercore, & vrina æquale est, & æquilibre illi, quod prima die cum cibo, & potu ingestū est; quia tantundem veteris à fontibus excernitur in ventriculos, quantum recentis in fontibus retinetur, ut seruetur humorum proportio, ac symmetria in sano habitu necessaria: simile quid accidit in respiratione, vt tātundem fit autore Galeno *id*, quod expiratione redditur, quantum extitit illud, quod inspiratione attractū fuit; licet inspirati aeris portio eidem Galeno cedere dicatur in materiam spirituū, ac omnino remanere intra corpus; quia scilicet in locum remanentis aeris foras expellitur noua fuligo. His arbitror cuique patere Hippocratem non comparare primæ coctionis in uentriculo factæ recrementa, quæ sunt stercus, & vrina, cum pondere cibi & potus; quod accepit gratis vir acutissimus; sed conferre solum excrementa secundæ coctionis eo tempore quo primum gignuntur, siue separantur a bono alimento, sibi ipsis dum extra corpus pelluntur una cum stercore, & vrina; quod etiam magis explicat Hippocrates subnectens huiusmodi sententiam, Tertia die, qua nuper dictum est excrementitias partes humoris primæ diei expelli cum excrementis primæ coctionis, tertia die (inquit) de corpore iecoris, atque omnino ex fontibus prædictis in corpore sitis, influit etiam humor ad uentriculum amplior, & graueolentior, qui videlicet secretus est ab humore bono secundæ diei, qui ciborum excrementa digesta, & mista cum excrementosis partibus humoris primæ diei, & una cum illis quicquid morbosum est in corpore defert, ac rursus simul exit; vt velit Hippocrates bilem vtramque, ac pituitā secretā ab humore, seu chylo primę diei misceri cum excrementis alimentorū in ventriculo coctorū prima die, & exire foras vna cū illis, sed tamen ea non pellere; atuero congeriem hanc ex primæ, secundæque coctionis excrementis in unam massam pelli foras ab excrementitijs partibus humoris secundę diei tertia die: rationem autem cur excrementa

Bilis flaua ut coctioni seruiat.

Sanguis vt coctionem ventriculi foueat.

Calor influens vniuersale instrumētū.

Vide li. 4. c. 9.

Carnatura nomine simpliciter prolato anima intelligatur.

Quilibet humor extra propria vasa putrescit.

Calidum prohibito perspiratu putrorem concipit.

De vtil. respir.

Tantund[em] expiratu redditur quantum inspi[ratu] attractu est aeris.

ta primę coctionis nō expellantur foras à partibus excrementitijs humoris primæ diei, duplicem affert Hippocrates; prior est a priori huiusmodi; excrementa primæ coctionis, quæ duo sunt, fæces, & vrina, ideo ab excrementis secundæ tertia die non pelluntur, quia pituita descendens à capite in hominis sani ventriculum, & intestina, cum fæcibus aridis ibi repertis (omni exhausto humore in traijciendo chylo per arctas misaraei venas) commiscetur in massam adhuc satis consistentem, non fluxilem; cui adiuncta vtraque bilis à felle, ac splene adeo retunditur, vt satis virium non habeant ad expultricem efficaciter irritandam: sed huic massæ tertia die adueniens noua pituita, nouaque bilis tū flaua, tum atra humoris secundæ diei, quæ partes excrementitiæ obstaculum reperientes exitui, maiorem putredinis notam subeunt, & prioribus vnitæ excrementis ampliores sunt, massa illa dilutior euadit, fluxionique aptior; & nouo stimulo excitata facultas expellit superu..cua; sciteque simul cū excrementis primæ coctionis (quæ nomine cibi appellantur Hippocrati, quia cibi recrementa sunt, at que residua) inquit exire quicquid est in corpore morbosum, hoc est excrementa secundę coctionis, pituita nimirum, & vtraque bilis, vnde potissimū, ac ut plurimum morbi suas caussas habent. Altera vero ratio à signo ita proponitur, Indicio est autē vrina, quæ salsuginosa est, nimirum salsa, & amara, vt aqua maris; si enim serosę parti ex potulentis calore a bono sanguine secretæ illa solum bilis vtriusque portio denuo adiungeretur, quam prius etiam habebat, dum hausta non adhuc erat, sane nihilo, uel paullo magis vrina salsuginosa esse deberet eo, quod bibitur; quum autem multo magis salsuginosa sit; & aqua non aliunde salsuginosum saporē contrahat, quam ex admistione terrei, & adurētis, atque amari; plane constat in vrina contineri etiā bilem potionis secundæ diei. Quoniā vero humoris excrementosæ partes fæcibus alimentorum admiscendæ necessario, peracta prima coctione cibi in stomacho, vehendo chylo in iecur inseruire debēt, & omnino à ventriculo ad proprios fontes progredi, & iterum ad ventriculum regredi vehendis aridioribus cibi recrementis; tantū itineris peragere nequeunt, nisi spacio tertiæ diei: at uero cibi excrementa crassiora, vbi nihil amplius in ventriculo morari ea necesse sit, sed locum dare nouę comestioni, potionique; proinde à ventriculo secedunt per aluum, scilicet per intestina tenuia in crassiora postridie, quibus tertia die adiungitur humor de longinquo veniens. His ergo nō comparat Hippocrates alimenta, quæ quotidie sumuntur, excremētis, quæ aluo excernuntur, asserēs hæc illis ad æquilibrium respondere, vt retur vir sapientissimus; sed confert solum excrementa secundæ coctionis ex alimento in proprios fontes labentia sibimetipsis inde ad uentriculum, & vesicam recurrentibus vna cum stercore, ac vrina propellendis, admonens tota excerni debere, nulla, uel insensili eorum parte in corpore remanente, si homo sanitate perfrui debēt, quum ex talium excrementorum retentione fere omnes exoriantur morbi.

Excremēta cur cibus vocet Hippocr.

Aqua unde salsa fiat.

Plantas non augeri sine terræ imminutione.
Cap. LXX.

QVod autem post hæc notatur crassissimas, & maximas plantas sine aqua non viuere, recte notatur; quod vero has ipsas sine terræ imminutione augeri, & diutissime persistere dicitur, mihi quidem apertum non est; nam si spectemus plantas in agro, vel horto degentes, manifestum quidē est eas crescere absque eo quod appareat imminui terram, quia e magna terræ mole parum quod cedit in alimentum stirpium, insensile est; sic e mari tollas, uel e lacu cyathum aquæ, uel è cumulo manipulum tritici, haud senties illa esse imminuta, quæ vere imminuta sunt: sin autem sermo sit de planta in vase terræ pleno consita, hæc quidem sola affusa aqua crescet ex luto cum euidenti terræ imminutione, ut diutius viuente planta, cogaris terram ad uas denuo replendum adijcere; sin cum aqua fimum miscueris, quia in eo multæ sunt partes terreæ, diutius quidem terra prima sufficiet, sed tandem post multos menses, uel annos terram nouam in euidenter consumptæ locum suggerere oportebit ad alimentum plantæ; quod non semel obseruasse mihi contigit. De Puella Spirensi (quod mox repetitum est) iam supra innotuit eam uel nō vsā vllo aquæ potu, tanquā medicamento vsam ad refrigerium, & humectationem, non autem tamquā alimento ad nutricationem, & incrementum pluribus nominibus nāque verisimile est dum à corde per tracheam in fauces, & os, naresque assidue trāsmittuntur fuligines igneam naturam habentes; ab harum iugi contactu eas partes nimis quam par sit incalescere; cui ardori remedium fit aqua. Deinde vero ab iisdem fuliginosis halitibus, atque a motu linguę inter loquendum, nec non ab externi aeris irrequieto inspiratu probabile est fauces, & oris partes nimium desiccari quia priuarērur humiditate, non quidem substantifica, & interna, seu alimentari, sed aduentitia, & externa, cuiusmodi est ichor a natura illis partibus datus, quęcunque in continuo motu versantur, ut agiliores essent ad motum, nec disrūperentur siccitate: at vero ea siccitas, quę priuatio est ichoris partibus mobilibus inspersi, aquę potione bellissime tollitur citra nutricatum. Deinceps autem ab iisdem caussis in iisdem partibus ultra modum calefactis, arefactisque molesta, & morbosa oritur sitis, quam tollat funditus aquę potus, seu medicamentum refrigerans, & humectans.

Cap. 63.

Quomodo alimentum non alat nisi dilutum Aristoteli. Cap. LXXI.

QVod posterius affertur ex Aristotele asserente alimentum nullum alere nisi dilutum, seu potius ex cibis non nisi quantum dilutum est vim habere nutriendi, id quidem libenter accipimus; quippe hoc non est aquę uim alendi concedere; sed alimenti conditiones explicare: ad hoc enim ut alimentum, ac præsertim cibus nutriat, necessarium est ipsum à ventriculo per angustissimas meseraei venas in iecur ferri, & à iecore partibus alendis impertiri traiectus tandem venis capillaribus,

1. sect. probl. 15.

& ad instar roris membro videlicet nutriendo inspergi; quæ omnia in alimento necessario postulãt naturam tenuem, ac fluxam, quæ diluta est: Quin & ad permeandas istas angustias crassiusculum alimentum indiget vehiculo, humore scilicet, quo diluatur, & dilutum facilius permeet exilia vasa; qui proprius est huius placiti Aristotelæi sensus: Ceterum suo vehiculo sic dilutum alimentum vt subtilissimas venas permeet, aqua non est, sed aqua dilutum alimentum: quæ vero aquæ portio illi vehiculum est, eo conuerso in partem nutriendam, veluti alendo corpori non apta extruditur foras in sudores, vel halitus insensiles, aut denuo regurgitans in venas ad vrinariam vesicam labitur, aut potius iuxta sui partes varias per has tres vias excernitur; tenuior enim vehiculi portio discutitur in halitus; crassior, quæ vexit alimentum ad partes cutaneas, vbi pori pateant, exit in sudores; reliqua vero seri pars crassior, quæ ad interiores partes alimentum detulit, cui ve non patent meatus cutis, per quos effluat in sudores, iterum in venas regurgitat retrocedens ad maiora vasa, & inde ad renes, & vesicam diffluit.

Vid. lib. 4 c. 49.

Vehiculũ alimenti, eo cõuerso in corporis naturam, quo cedat.

Aquam non fieri mistum nutricationi aptum à calore nostro. Cap. LXXII.

Quod autem præterea dicebatur, aquam vulgarem non esse simplex elementum, sed mistum corpus, ac proinde præbere posse homini alimẽtum; disquisitione indiget, tum quia vere aqua potabilis mistum non est ex pluribus elementis; tũ quia ex eo, quod mistum sit, non ideo fortitur vt alere queat. Antecedẽtis probatio quoad calorem, nimirum aquam tum a calore nostro secũdum sui partes tenuiores aeream, & igneam naturam acquirere; tum ex se non esse caloris expertem, quæ nec summe frigida potatur, quum remissio vbiq; insit à qualitate cõtraria; nec hausta veneno est, vti sunt frigida in summo; sigillatim explicanda est. Sane calor internus agens in haustam aquam illius partes subtiliores in vaporem vertit, qui naturam obtinet quoquopacto aeream; sed quia geniti vapores cum residuis aquæ partibus crassioribus non permiscentur, verum his in ventre remanentibus, illi sursum ad caput præsertim attolluntur, & vndiq; ad cutis circunferentiam feruntur, vbi à frigiditate sæpenumero rursus coguntur in aquam; quo nomine potantes aquam facile, ac statim sudare, & maxime in capite conspiciuntur: sic vi caloris externi sublati vapores ex aqua non permiscentur aquæ, sed rursum attolluntur longe ab aqua euolantes, siue in aquam agat ignis lebeti suppositus, siue Solis radius impositus. Sed tenuiores aquæ partes in igneam naturam verti à calore nostro suspectũ est; si enim ab acerrimo ignis, & Solis calore ex aqua vapores creantur Aristoteli, quorum natura media est inter aerem & aquam nihil ignei, terreiue participans; multo minus mitis calor noster aquæ portiones tenuiores in ignem cõuertet: ignea nanque fumida exhalatio est, quam calor de terra generat, non ex aqua: sed tamen si demus partes aquæ tenuissimas vi caloris igneam naturam contraherẽ, non tamen dabimus igneum hoc statim aquæ permisceri, & non auolare sursum: si enim vapores, quorum natura grauior, statim geniti eleuantur; quanto magis fumi naturam igneam habentes extollentur?

Vapores à calore geniti ex aqua nõ confunduntur aquæ.

1. Meteor. c. 4.

Aqua nihil inesse caloris, etsi summe frigida non sentiatur, nec epota veneno sit, & Aristoteli uere dicatur in aqua paucum inesse calidum.

Cap. LXXIII.

Sed & altera eius placiti confirmatio, nempe aquam calore non destitui, quia summe frigida sensui non appareat; remissio vero frigiditatis non nisi à contraria qualitate contingat, subtili eget disquisitione: Certe aqua sensui summe frigida non est, qua vulgo in potu vtimur: atque negare non possumus quin a contraria caliditate remittatur frigiditas de summo gradu; infitiamur tamen omnem cuiusque qualitatis remissionem, etiam contrarium habentis, à cõtraria qualitate fieri; namq; remissio qualitatis (quantum sat est ad præsens institutum) duplici e fonte promanat, nimirum tum à contraria qualitate, vt sapienter alicubi decernit Aristoteles; quod frequentissime accidit in mistis, in quorum ortu speciatim elementorum qualitates contrariæ mutuo se se refrangunt, atque ad temperamentum redigunt: tum quoq; citra interuentum contrarij a sola subiectæ materiei minori densitate, siue a raritate; quod in elementis proprie obseruatur: quum enim qualitates actiuæ ceteris paribus in subiecto densiori sint vehementiores, proinde aqua non intense frigida percipitur, quę non est summe densa, licet sit omnino caliditatis expers: sin autẽ aliquo ingenio materiem aquæ densare poteris, illico tibi euadet sensui frigidior; quippe illud commune est qualitatibus, præsertim actiuis, vt in eodem gradu magis lacessant sensus, quæ fuerint in densiori materia; minus, quæ in rariori; & hoc citra vllam contrarij admistionem: Ex eo igitur, quod aqua non est sensui summe frigida, non necessario colligitur ei nonnihil inesse caloris; hoc enim aquæ inest a tenuitate, mollitieq; substantiæ, non à caloris vlla participatione, vt censet vir acutissimus. Qua quidem distinctione tolli etiã possit altera confirmatio aquę calorem aliquem inesse, quia epota veneno haudquaquam sit; cui nouam responsionem dare licet, qua superior itidem ratio diluatur, Nempe in aqua duplicem reperiri frigiditatem, alteram in habitu, seu in actu primo, quę forma substantialis est aquæ, non sensu, sed mente perceptibilis: alterã vero in actu secundo, scilicet quæ sensum lacessit; hęc ab illa fluit veluti proprietas, & est accidens, atque instrumentum, quo illa vbique operatur in alienam materiam; quoniam vero accidentia dependent à subiecto, in quo sunt; proinde à frigore habituali summo gignitur, seu potius effluit veluti proprietas, frigiditas actualis; modo quidem intensa, modo remissa, pro varietate subiecti-

Remissio nõ semper fit ad [illegible] contrarij. 2. Cal. 37.

Vide li. 4. c. 24. Densitas subiecti quo [illegible] [illegible].

Vide li. 4. c. 23. Aqua duplex inest frigiditas. Frigiditas in aqua qua sit forma, et qua accidens.

in

Omne recipitur ad modum recipientis.
Phy. 8. 18.
Aqua calida quomodo à sese refrigeretur.
Vid. lib. 4 c. 10.

in quod recipitur iuxta vulgatum axioma, quod recipitur omne recipi ad modum recipientis: sane frigiditate habituali aqua hoc habet vt fit aqua, nam forma est ratio eius quod quid erat esse Aristoteli; simul & hoc vt vbi calefacta fuerit, remoto calefaciente, redeat ex se ad pristinam frigiditatem actualem; nimirum remoto eo quo destruebatur, impediebaturque origo frigiditatis actualis, ab habituali effluit, vt à fonte, frigiditas eadem actualis. Sed hae de re alibi fusus: Ab actuali vero frigiditate aqua obtinet hoc vt agat ea omnia quæcunq; efficere potest in alienam materiam; quia hæc illi est instrumentum necessarium ad agẽdum, vt igni calor actualis: quod significare volens Aristoteles aliquando scribit ignem, ac terram, addere liceat aquam non operari actu (puta in alienam materiã) qua ignis, terra, & aqua; hoc est beneficio formæ substantialis, qua constituuntur in esse; verum agere qua in ipsis velut in subiecto inest contrarietas, nimirum qualitas hæc accidentalis, qua vtuntur, velut organo necessario ad operandum. His ita constitutis, dicimus venena esse illa, quę habent in summo frigiditatem, qua immediate in nos operantur; ea enim summa frigiditas calorem nostrum extinguendo nos enecat: ceterum aqua, quia expers caloris est, summam habet frigiditatem habitualem, sed hac non agit proxime in nos; agit autem frigiditate actuali, quæ ob materiæ raritatem, atq; mollitiem, summa non est; quare calorem non vincit, sed potius ab eo victa, veneno epota esse non valet, sed vsui maximo. Ad Aristotelis decretum statuentis alicubi in aqua paucum inesse calidum, facile respondeas, videlicet aquæ nullam inesse caliditatem propriam ab internis principijs; sed quomodocunque incalescat aqua, semper ab externo incalescere, nimirum vel à loco, seu ambiente corpore, vel ab indito; quo aquæ puritas quidem tollitur, simplicitas essentiæ vero non aboletur: de huiusmodi caliditate loquẽs Aristoteles recte ait in hyeme paucum esse in ambiente aere, & aqua calidum, in æstate autem amplius: modo si aqua nutrire debeat, mistum corpus esse oportet, in quo calor insit ab internis principijs, & essentialis, non ab agente extrinseco, & aduentitius.

De sen. & sen. c. 4.
Ignis quomodo non agat ut ignis, sed ut calidus.
Venena frigida qua flat.
4. Meteor. c. 2.
Aqua vt insit calor Arist.
In alimento quomodo calor inesse debeat.

Aquam non esse mistum alendo idoneum, etsi terrenis partibus non careat, alijsve elementis.
Cap. LXXIV.

QVod postea subiungitur, aquæ item non deesse siccitatis aliquid illud edocere, quod in aqua omni aliquid tandem resideat terrenum; probat quidem aquam non esse syncerum elemẽtum, ac purum, seu ab omni alieno corpore defæcatum; quod nos vltro damus ex Aristotelis præcepto decernentis elementa infera non esse syncera penitus; attamen haud ostendit aquam sensilem hanc nostram esse mistum corpus, cuiusmodi opus est esse alimentum; sed potius oppositum; nam mistum proprie dictum non dissoluitur in elementa, ex quibus coagmentatur, nisi vel ab agente aliquo extrinsecus vim inferente, vel à proprio calore depascente humidum, eoq; absumpto euolante, quo euolato separantur ab inuicem elementa, quæ ab vno calore veluti à forma in vnum iuncta continebantur, ex Aristotelis obseruatione; vel ab humido nimio calorem suffocante; sed aqua deponit sedimentum terreum nullam vim passa ab extrinseco, nec eius calore consumente humidum, nec vicissim humido extinguente calorem; verum terrenis fæcibus suapte natura ob insitam sibi grauitatem deorsum tendẽtibus ad fundum vasis, in quo seruatur aqua; secus enim si beneficio terrenarum partium, quas sponte deponit aqua mistum esset alendo aptum; profecto turbidiores aquæ magis alerent, & quibus omni terra deposita nihil fieri admistum est, nulli essent vsui; contra tamen Hippocrati, & experimẽto comprobatur ad potum nobis longe vtiliores, & salubriores esse aquas tenues, leuissimas, & penitus defæcatas. At vero disputationi demus aquæ præter humiditatem, ac frigiditatem, inesse quoque calorem, ac siccitatem; non tamen ideo erit mistum corpus alendo aptum; namque alimentum est mistum constans ex quatuor elementis, non tantum ex quatuor qualitatibus; quatuor enim qualitates inesse queunt in misto imperfecto ex tribus elementis, vt puta in aqua, in qua sint aeris, ac terræ partes aliquæ (si talis natura mistum appellari debeat, & non potius aqua impura) quomodo enim sit in aqua ignis, quin statim ab ea præualente extinguatur? in misto quidem esse possunt vtraque viribus valde refractis, atque ad proportionem commensuratis; at in aqua sensili, quam bibimus, quomodo eum dominio tantæ humiditatis persistat ignis? videmus enim à feruenti aqua superiniecta flammas, & prunas ardentes afflatim extingui; quin & aquã feruidam remoto igne, exteriorique calore, sua humiditate, suaque vi calorem aliunde inditum sibi extinguere. Non est igitur aqua mistum ex omnibus elementis, vti oportet esse quodcunque nutrit. Sed esto etiam ignis in aqua, eaque mistum perfecti generis omnia in se continens elementa; haud tamen protinus enutrire poterit; quippe non omnia mista ex quatuor elementis alunt, sed ea solum, quæ inter mista inanima sunt ceteris digniora, & in potentia proxima ad induendam animam, cuiusmodi non esse aquam supra ostendimus.

1. Meteor. cap. 4.
Misti dissolutio vnde fiat.
2. De g. n. t. 50.
Aqua quomodo sedimentum deponat.
Aqua cur nequeat esse mistum perfectum.
Vide l. 4. c. 10.
Aqua feruens quomodo calorem sibi inditum extinguat.

Mulsa quomodo Hippocrati dicatur potentior aqua, & cur aquam solam potantes diutius viuant, quam omnino abstinentes, si aqua non alit. Cap. LXXV.

QVod vlterius deducit vir sapientissimus ex Hippocrate asseuerante mulsam solam epotam esse multo potentiorem aqua, nisi aluum perturbet; lubens accipio; sed inde colligi aquam aliquid habere nutrimenti contra Galeni expositionem accipere nequeo: instantia vero allata ex natura comparationis, quæ fieri debeat fine homonymię fallacia, & vsu loquendi, & ratione tollitur; vsu quidem loquendi, quia mos iam inualuit comparatiuis nominibus vti ad libitum, etiam vbi comparãdorum alterum nihil habeat eius, in quo fit comparatio;

3. de vict. acut. 19. & 20.
Comparatiuum nõ supponere positiuũ.

Pro domo sua.

paratio; sic impune de Clodio dicere potuit M. Tullius, *hoc ministro omnium, non bipedum solum sed quadrupedum impurissimo Rempublicam perdidisti*: si ergo Ciceroni licuit comparare Clodium brutis animalibus in vitio impuritatis; quamuis brutorum generi nullum vere insit vitium, nullaq; virtus apud Aristotelem; Si vulgo dicere licet hominem hunc mitiorem oue, puriorem columba, & alia id generis sexcenta; cur vitio vertamus Hippocrati existimanti aquam nullam in se habere vim alendi, si dicat mulsam in alendo esse valentiorem aqua? Ratione vero, quia comparatio inter aquam, & mulsam ab Hippocrate fit, non quidem in nutriendo corpore, vt supponit vir egregius, sed in arcenda morte, in producenda, & conseruanda vita: vere autem, ac proprie dicitur mulsam epotam solam esse potentiorem aqua in arcendo interitu, in conseruandis viribus, in proroganda uita; quia etiã si varia ratione id præstent, ambæ tamen vitam custodiunt, vires conseruant, & procul arcent obitũ; mulsa quidem vt alimentum, aqua uero ut medicamentum, quod adnotat Galenus: & profecto mulsa in sanguinis, corporisque nostri naturam verti potest, & alere: aqua uero calori uim hebetando, vel quauis alia ratione, ut suo loco probamus, calorem euocando ab humidi consumptione, absque eo quod uertatur in nostri substantiam, sub ratione medicamenti uitam adeo conseruat, ut idem homo quilibet omni penitus alimento carens longius perduret aquam bibens, quam renuens. Nisi etiam nos hac in re dicere uelimus hominem prõptius, ac citius interire siti quam fame; vt qui ab omni simul esculentorum, & potulentorum usu abstinet, necessario pereat ob sitim, non ob famem; quippe in eo ieiunio multo prius & absumuntur partes molliores, humidioresque; & ijs consumptis inducta siccitate calor acuitur, (qua de re accuratius infra) urget que propterea maior eius refrigerandi necessitas quam sola respiratione tolli ualeat: quum autem longius perdurare queat homo sine refrigeratione humoris, quam sine refrigerio caloris, nam & uita potius in calore, quam in humore seruatur; & calor ulres actuosiores habet ad euolandum, humidum uero magis resolutioni resistit ob substantiæ densitatem; ideo solam bibentes aquam eius potu caloris æstum temperando, ut ex Aristotele mox apparebit, diutius perdurant in uita, quã nihil assumentes, qui nec humido restaurando, nec æstui remittendo consulunt. Addas etiam, si placet, facilius absumi partes humidiores, quibus consulitur præcipue potu, quo tollitur sitis; difficilius absumi partes solidas, & siccas, quarum consumptionem arcent edulia, quibus occurritur fami; quemadmodum enim Aristoteli fames est concupiscentia misti à prædominio calidi & sicci, hoc est solidi coctione digesti, prohibentis consumptionem similis substantiæ interioris, alioqui cito absumendæ cum uitæ dispendio; ita sitis definitur esse appetentia frigidi & humidi exterioris tum caloris æstum temperantis; tum impedientis quoquopacto exterminium similis substantiæ internæ, alioqui citissime cum uitæ discrimine absumendæ: Fames ergo, ut in qua soli-

7. Ethic. c. 1.

Vide libro 4. c. 9. Cur homo citius ob. eat siti quam fame.

Vid. lib. 4 c 57.

Humor sine refrigeratione diutius durat quam calor sine refrigerio, & cur.

3. De an. t. 38.

Famis definitio.

Sitis quid

dis partibus consulitur, quæ diutius resistunt causis consumentibus, serius interimit animalia quam sitis, quæ consulit partibus mollioribus dissipatu facilibus; quum æque ad uitam necessariæ sint utriusque naturæ partes. Propterea ergo fit ut aquæ solius potu siti aliqua ex parte consulentes diutius uiuãt, quam nihil omnino assumentes; nam primi fame pereunt, quæ longior est ad obitum uia; secundi siti, quæ celeriori pede ad mortem pergit. Siti autem aliqua ex parte consulimus aquæ potu, non quia retardet aqua partium molliorum exterminium in earum substantiam conuersa, quod præstat uinum, & aliud omne potulentum proprie obtinens uim alendi; sed quia tum hebetat acrimoniam caloris, cuius æstu sitis acuitur, & partes citius absumuntur; tum etiam ad seipsam auocat calorem a consumptione partium corporis, absque eo quod ipsa in corporis alendi substantiam conuertatur; eo modo penitus, quo aqua, uel etiam sal (est enim aquæ ualde particeps) in oleum ardentis lucernæ imponi tur; ad se nanque flammam utrumque allicit a consumptione olei, absque eo quod aqua, uel sal in olei naturam transmutetur. Vt ergo lucernę oleum, aquæ, uel sali admistum obtinens diutius perdurat ardens, quam ea in qua exardent oleum purum; ita solam bibentes aquam, cui nulla inest uis alendi, uiuunt diutius, quam nihil omnino assumentes. Sed & aquam tum extrinsecus balneo admotam, tum potu ingestam sine alimenti ratione abstinentium uitam conseruare, ac famem sedare autor est Plutarchus 6. symp. quæst. 3 dum asserit, *Multi autem etiam quum non bibissent, sed tantum lauissent, continente fame, atque liberati sunt; quippe humor extrinsecus subiens succulentiora facit, adq; nutriendum aptiora quæ sunt intus; ita ut vehementia & sæuitia famis remittat & mitigetur. Ideo eorum quoque qui inedia vitam finire volunt, multi diu durant sola aqua pota, quantisper scilicet non omne id siccitas absumpsit, quod apponi corpori, idq. alere potest.* Recte sane Plutarchus aquæ uim alendi adimit, diluendi siccum, & uehendi dilutum alimentum tribuit; sed gratis accipit superesse in corpore abstinẽtis alimentum diluendum; id enim probationis indigeret: Quare aqua ob rationes antea propositas uitam abstinentium producit non enutriens.

Fames cur serius enecat quam sitis. Vide L. 4 c 9.

Siti auxiliando consulimus aquæ potu.

Cur sal in oleo lucernæ ardentis oleum consumi non sinat.

Aqua Celso qua ratione dicatur omnium potulentorum imbecillimum, si non alat.

Cap. LXXVI.

QVod ultimo loco attulit uir sapientissimus e Celso alicubi decernente aquam esse omnium potulentorum imbecillissimam, nobis non demonstrat aquam uere alere, sed tantum uitæ custodiæ inseruire quoquopacto, ut nuper explicauimus, uel etiam esse uehiculorum alimenti omnium imbecillum maxime; uehendo nanque alimento solidiori omnia potulenta deseruiunt etsi aliqua ipsorum iti nutriant; omnium tamen summe imbecillum alimenti uehiculum est aqua; licet enim tenuitate sua facile permeare possit, quia tamen non alit, ideo à partibus alendis non attrahitur præcipua ratione:

Lib. 2 c. 18.

Aqua cur sit omnium vehiculorum alimenti imbecillissimum.

ratione: vinum vero, & alia potulenta, quæ vim alendi obtinent; non carent ea tenuitate, quæ fatis est ad solidius alimentum diluendum, & a partibus primario etiam vt nutrimenta trahuntur; quo nomine simul alimenta sunt, & vehicula validiora quam sit aqua. Deinde vero aqua omniũ potionum imbecillisima esse dicitur Cornelio, non quia nutriat, sed longe minus quam reliqua potulenta; verum quia tum nihil omnino alit, quum aliæ potiones alant; tum quia facillime omnium potulentorum alteratur, calorique nostro mitiori minime resistit. Ita ergo vel inuiti à præceptoris placito discedimus existimantes Abstinentibus nostris aquã non cessisse in alimentũ.

Quarta opinio Bonamici putantis abstinentes ali potuisse aqua ob innati caloris summam imbecillitatem. Cap. LXXVII.

PRæceptori summo Medico manus dedisse videtur acerrimus Philosophus Bonamicus, affinem etenim sententiam tuetur, addita sola caloris natiui debilitate, ob quam præcipue censuit abstinentes ex aqua sola sibi alimentum comparare potuisse; & quidem memini Pisis, dum iussu Serenisimæ Christinæ Magnę Ducis Etrurię, incomparabilis prudentiæ Principis, Doctores de caussis tam diuturni ieiunij cõsulerentur inter ceteros doctisimũ Bonamicũ eas retulisse primũ in caloris inopiã, & aquæ potũ; deinde alia opinione in colliquamenta partiũ, & adipis, de quibus infra
Cap 151. suo loco: quam vtramque sententiam ipse in gra-
7. de mot. cap. 24. uisimo volumine *de Motu* tactam, in eruditisimo libro *de Alimento* fusius explicuit; & priorem quidem vbi expensis vtrinque rationibus in
1. de alim. cap. 21. quæstione *An aqua nutriat*, de propria mente decernit viuentia posse nutriri aqua sola, quia spiri-
3. de alim. cap. 1. 2. 3 4 5. & 6. tus a calore in aqua generari potest, dumque gignitur, ab eodem & cohiberi, & animari. Deinde animantia exiguo admodum calore prædita sola nutriuntur aqua; quippe nostra hæc sensilis aqua est potius aqueum quam aqua: sustinendo etenim calori exiliori sufficit mistum illud, quod in aqua nostrati genitum est ab astris, & à caussis, quibus regitur mundus. Aristoteles autem aqua hac sensili nutriri nonnulla, quod in eis calor sit exiguus, inquit; vnde illo sedimento, quod est in aqua, pauxillum refocillari queant; non autem quod aqua simpliciter viuant, quoad est corpus simplex. Sic inter plantas ocimum nascitur, & se tuetur in aqua, quoniam humidisimum: sic inter animalia cicadæ rore viuunt, qui est aqua a sicco affecta; propterea nullum mittunt excrementum: sic de Rhintace aue dicemus, quam aere, & rore nutriri ferunt, quod in ea nulla redundantia reperitur. Amplius aqua calore Solis digesta degenerat in quoddam tertium, quod est alimentum plantis; quid ergo in nobis eadem a calore nostro digesta non cedat consimiliter in alimentum? Aristote-
8. Hist. cap. 21. les autem docet esse nonnulla animantium sæcla, quæ solo aquæ haustu pascuntur, & viuunt, vt anguillæ, aliaque multa; quod ita intelligendum, vt velit Aristoteles aqua hac sensili nutriri nonnulla (vt nuper obseruatum est) quia calore pollent exilimo, cui refocillando satis sit sedimentum, quod in aqua reperitur. Insuper sitis, ac fames sunt appetitus alimenti, vt obiecti; sed aqua est sitis obiectum quomodocunque tum in homine, tum proxime in brutis; aqua ergo est alimentum: Quod sit obiectum sitis apparet, appetitus enim est eius, à quo sedatur; at sedatur sitis aquæ potu; aqua igitur est obiectum sitis; & propterea nutrit. Etiam sapor, & suauitas est alimenti conditio; aqua vero sapida est, atque suauis; est igitur alimentum. Aliquando Aristoteles cibum purum 1. de gen. an c. p. 8
alere posse monet, qui cibus purus aqua simplex est, qua viuunt animalia exiguo calore prædita, quum experientia quoque comprobatum sit aliquos in summis medijs prorogasse vitam modico 2. de caus. cap. 7.
aquæ puræ auxilio. Adijcitur a Theophrasto plantas ali aqua pura. Immo & a Galeno aquam facile in bilem verti; cur non etiam in sanguinem, ac 3. de vict. acut. t. 40.
proinde in alimentum? Vlterius Platonem asserentem nullum elementum hic apud nos esse simplex, belle imitatus est Aristoteles alicubi; multoque clarius ibi, quum docet cur gignantur in terra, & aquis animalia, & plantæ; nam inquit in 2. de gen. t. 20.
terra inest humor, in aqua spiritus, in eo vero toto caliditas animalis, vt omnia quodam modo 3. de gen. an cap. 11
sint animæ plena; hoc est quod testatur Aristoteles in aquis esse spiritum, qui si qua vi præoccupetur à generante, atque inlicente partes terreas, sicut ignis in visceribus terræ vi continetur, & materiam suppeditat animanti. Sed vrtica marina, quod in eius corpore nullum aliud excrementũ, quam aquam solam piscatores inueniant, signum id est eam humore solo nutriri. Ab hinc Rondeletium sibi adiungit fautorem vir egregius, eas ra- 1. de pisci bus.
tiones comprobans, & afferẽs, quibus ipse aquam alere alicubi ostendere conatur; hæ autem pluri- vid. li. 4. cap. 14. et sequentib. plurimis.
mæ quum sint, infra commodiori loco explicabũtum, cum alijs ex Olimpiodoro, & Aristotele, ac experimento delumptis. Ita ergo existimat acutisimus Bonamicus, quibus inest caloris inopia, eos diu ab omni cibo abstinentes aqua sola viuere, alique posse.

Expenditur proposita opinio, & ostenditur neque abstinentes commemoratos, neque absolute quibus exilis calor inest, aqua sola diu viuere, ac nutriri posse. Cap. LXXVIII.

AB huius clarisimi, & amicisimi Viri sententia tum superius apud sapientisimum Præceptorem exaratę rationes abscedere me cogunt, tum quoque speciatim aliæ, quibus abstinentes commemoratos, caloreue imbecillo pollentes aqua sola nutriri haudquaquam potuisse conuincatur; In primis enim aqua non enutritos fuisse nostros abstinentes inde probari facillime potest, quod non omnes propositi ieiunantes aquæ potione vterentur, sed eorum plurimi æque ab omni tum esculentorum, tum etiam potulentorum genere

genere abhorrerent, abstinerentve; quod liquido cuiq; iam constat ex allatis antea historijs; vt propterea in aquae potu à viris doctissimis non reperiatur vera, & vniuersalis caussa ieiunij, quā quaerimus: Deinde vero neque ijs aquam in alimentum cessisse, quicunque nostrorum abstinentium illius potione vterentur, ex eo plane demonstres, quia calor naturalis, ubi sit exilis, & imbecillus, qualis inesse dicitur nostris ieiunantibus à uiro Clarissimo, calor inquam debilis in aquam solam agere non potest quin ex ea multam flatuum copiam in uentre progignat, à quibus tormina, & hypochondriorum murmura, & crepitus alibi, necessario succedere docet quotidianum experimentum: quum itaque nihil tale contigerit ulli commemoratorum abstinentium; ex autoribus enim, qui minutissima de his litterarum memoriae consignauere, nullus omnino propositorum symptomatum meminit; proculdubio ieiunantibus, caloreque praeditis imbecilliori aqua potu hausta nutrimentum exhibere non potuit ulla ex parte.

Calor debilis ex aqua flatus procreare necessario.

Deinceps autem illud quoque saepenumero experimentis comprobatum habemus, quicunque liberaliori aquae potione uti consueuere, illos perfrigerato iecinore loco probi, & inculpati sanguinis, aquosum ualde, ac potius ichorem aqueum quam uere sanguinem procreare, atque ab eo per uniuersum corpus diffuso, sed in imo uentre potissimum collecto, hydropem generari: Non alia sane ratione Marieta Fina, corporis habitu procero, & belle carnoso; colore uiuido, & roseo, facie pulcherrima, sed tamen haud molli, nec effeminata, undique uiraginem referens adolescentula Ioseph Liceto nupta primipara me septimestrem peperit; quae omnia illi calorem natiuum uegetum fuisse apertissime commonstrant unicuique; ipsa tamen quia liberaliori haustu aquae uteretur assidue, eo genere potionis naturali caliditate labefactata trigesimum annum circiter nata in ipso aetatis flore incidit in hydropem, à quo malo affectu plurimos cōflictata menses, & annos, nullis remedijs uel apte administratus succumbente morbo, trigesimum tertium agens annum interiit: si ergo mater calore ualidiori à natura, & aetate pollens id affectionis genus ex aquae largiori potione passa est, quanto facilius abstinentes nostri, si penuria caloris laborant, solo aquae potu enutriti omnes labentur in hydropem? at uero nemini abstinentium haec affectio contigit. Sed aqua sola nostris ieiunantibus hausta cur uentriculi calorem non extinguit, eiusque uim retentricem non laxat, & fluxum uentris non suscitat, ut in ceteris, qui continenter multum aquę bibere consueuerunt? Consimiliter obseruatum & illud est cuilibet, praesertim aestiuo tempore, aquam potu ingestam illico à calore uentris resolui in halitus, qui sui tenuitate citissime per uniuersum corpus meantes in sudores effluat: cur ergo ieiunantes nostri solam potantes aquam sudoribus non distillabant? Sed non ne notauit uir egregius in ijs, qui aqua pura utuntur emanare sudores? Amplius par est ex aqua sola multum ichoris, ac serosi excrementi, & pituitę gigni, potissimum calore debili existente, qui eam subigat: nouimus enim qui aquae indulgent liberius, & calore minimum valent, maxime abundare sputaminibus, vrina, & destillationibus à capite; cur ergo qui sola viuunt aqua non multum sputis, vrinarum copia, & destillationibus abundant? Et eo magis abstinentes nostri huiusmodi excremētis abundare deberent, quibus omnino priuantur, vel parcissime inquinantur, quo cedente in eorum alimentum pauxillo eo misto, quod in aqua latere censet vir eximius, reliquum elemēti corpus, quod simplex est, alendo corpori non est. Addere liceat aquam puram sine vino haustam appetitum excitare; vnde qui aqua sola in potu vti consueuere, ij fere omnes edacissimi semper extitere, quod & Galenus adnotat, & Hippocrates docuit inquiens aquam esse voracem, eam denominans ab effectu, quem parit; illi enim, qui eius unius potione utuntur, voraces esse solent: quum ergo nostrorum abstinentium nullus ne quidem appetitum vel tenuem habuerit, aut minimum quidque rerum comedere potuerit, certo iam dicas eos aqua sola nō enutritos. Ceterum & abstinentes haud omnes fuisse calore imbecillo, quod erat aliud perspicacissimi viri fundamentum, fusius infra commodiori loco apud Albertum disquiritur: sufficiat nunc in uenem Scotum temperamento bilioso proponi, abstinentem Consolentaneam colore fusco, & plurimos ieiunantes aetate adolescentiae, ac iuuentutis; quando in his omnibus apertissima sunt indicia vigentis caloris. Nec omittenda sunt quae ad aures viri doctissimi hanc opinionem diruant; inquit autem alicubi, si alimentum simile futurum est rei nutriendae, profecto quum ipsa mista sit, & constet e perfecta coitione quatuor elemētorum, necesse est eiusdem modi sit: quare neque ullum ex elementis, neque aliquid mistum imperfectum poterit esse alimentum; voco autem mista imperfecta passiones meteorologicas; tale vero sit necesse est, quale animari possit, & inseruire officijs animae: qui haec decernit, quomodo aqua sola homines ali posse statuat, quae vnum ex elementis est, aut ad summum mistum imperfectum longe magis quam ulla passionum meteorologicarum, nullaque ratione mistum e perfecta coitione quatuor elementorum, ego quidem non assequor. Deinde vero subdit vir insignis, Alimentum eiusmodi esse debet, vt simile fieri ualeat partibus alendis; ideo quum variae sint, & in homine potissime partes, ossa, membranae, carnes, & viscera, & tantopere distent, quomodo potest esse vnum commune eorum alimentum? haec autem qui profitetur, quomodo aquam solam alere abstinentes nostros, & alios exili calore praeditos existimet, multo minus video. His itaque de caussis eruditissimi viri placitum non amplector.

Ex aqua hydrops.

Aqua diu...

1. De alimen. c. 39

4. De morbis vulg. 20.

Cur aqua vorax.

Cap. 19

1. De alim. c.

Cap. 5.

Respon-

Reſpondetur argumentis allatam opinionem communientibus; ac primum diſquiritur an calor ex aqua ſpiritum gignat, cohibeat, animet. Cap. LXXIX.

Vide libro 4. c. 12.

CEterum argumenta, quibus innititur aeuta ſunt, ac digna in quibus exerceamur: Quod enim primum oſtenditur viuentia nutriri poſſe aqua ſola, quia ſpiritus à calore in aqua generari poteſt, dumque gignitur, ab eodem & cohiberi, & animari; exactius nobis explicandum, & expendendum eſt. Porro calor in aquam potabilem ſuas vires exercens nullum alium ſpiritum gignet Ariſtoteli, & experimento quam flatum, ac vaporem, ſeu etiam aerem; qui dum adhuc aquæ permiſtus eſt poſt ſui ortum ampullas, & ſpumam excitat: hic autem ſpiritus dum gignitur, cohiberi quidem poteſt, atque includi intra corpus aquæ, ne ſtatim effluat; ſed cohibetur ab aquę lentore, atque craſſitie illum intra ſeptum ampullarum concludente, non à calore; nam vi caloris tum ſpiritus attenuatur, tum aquæ lentor, craſſitieſque detrahitur, quæ cohibitioni ſpiritus aperte refragantur: Ab aquæ igitur craſſitie, ac lentore cohibitus ille ſpiritus, quem calor genuit, ipſe ſecundum ſui ſubſtantiam tali cohibitione non craſſeſcit, ſed ſolum frenatur, & cohibetur eius impetus ad ſupera, prohibente aqua ſui lentore illius effluxum: At vero huiuſmodi paſſione ſpiritus ille aptitudinem haud contrahit ad induendam animam, atque ideo ad acquirendam naturam alimenti. Et quidem à calore non cohiberi ſpiritum, dum gignitur, ex eo noueris facile, quod tetigimus, nimirum calor in aquam agens, & in ſpiritum, quem ex aqua genuit, neceſſario aquæ ſubſtantiam attenuat, & lentorem diſcutit, ſpiritumque ſemper ſubtiliorem efficit: profecto hæc efficiendo calor potius exitum ſpiritui ex aqua recludit, & exhibet, quam occludat, & cohibeat: Multo minus dicendum eſt ſpiritum ex aqua genitum à calore, dum gignebatur, vel etiam poſt ſui ortum perſeuerãte caloris actione, ab eodem calore cohiberi, hoc eſt cogi, atque denſari; quippe quemadmodum ſpiritui ex aqua origo non eſt à calore niſi attenuante, ac rarefaciente aquæ ſubſtantiam in ſpiritum; ſic perſeuerante caloris eiuſdem actione, ſi ſpiritus vaporis craſſiuſculi naturam obtineat, rareſcet, attenuabiturque in aerem, & aer in ignem: neq; id vnquam fiet, vt ex aqua ortus à calore ſpiritus cogatur, atq; denſetur; quare nec animabitur, animati enim cuiuſque ſubſtantia ſubſiſtens eſt, ac denſa, non fluxa, tenuiſque, vt aeris, ac ſpiritus, aut aquæ. Sin autem calor agat in aquam ſtagnantem, atque cænoſam, multiſque ſordibus, variaque excrementorum colluuie inquinatam; ex ea quidem inducto putrore oriri poterunt viuentia,

3. meteor. c. 7.

Spiritus qui à calore in aqua fiat.

Spiritus à qua cohibeatur, ſi non à calore.

Spiritus cohibitus nõ craſſeſcit.

Spiritum, à calore non cohiberi.

Spiritus à calore non cogitur, nec denſatur.

Spiritum à calore non animari.

...meteor. li. 2.

Vermes ... putri non ... calore cogente, & animante ſpiritus.

Quippe videre licet viuos exiſtere vermes
Stercore de tetro, putrorem cum ſibi nacta'ſt
Intempeſtiuis ex imbribus humida tellus.

Ceterum neque horum exortus erit à calore cogente, ſeu cohibente, atque animante ſpiritus; neque inde fiet vt aqua illa ſit alendo corpori: Primum quidem calor in aquam variorum excrementorum colluuie tetram id non efficit, vt ea diuerſi generis in vnam maſſam cohibeat animandam; quippe caloris eſt homogenea ſolum congregare, ac viciſſim heterogenea diſgregare: verum externi caloris opera heterogeneorum, miſtorumque recrementorum illæ partes craſſiores non bene aquę permiſtæ (miſtio enim fit Ariſtoteli miſcibilibus attenuatis, & ad minima redactis) ſed illi ſupernatantes, aut inditæ, attenuantur, & euocato intimo ab externo calore computreſcunt: putreſcentium partes attenuatæ, ac diſiunctæ, ſuo lento reagglutinant ſibi corpora varij generis in aqua impura exiſtentia; iiſque in vnum coaleſcentibus, quod omnium elementorum ſit particeps, & conſiſtentia mediocri, nimia humiditate in ſuperficie à calore conſumpta, gigni poteſt animal: cuius origo eſt à calore quidem, ſed non ex ſpiritu cohibito, ac denſato; verum ex multiiugi excremento lentoris glutine in vnam maſſam compacto, & humiditate ſuperflua, qua diffluebat, caloris ope liberato. Hinc autem non poſſe probari aquam potabilem homini ſufficere ad alimentum, quis non videat? non enim potabilis aqua ea eſt, quæ animalium huiuſmodi ſit ferax; ſed cænoſa, & lurida; cuius vſu morbos, & mortem ſortiremur potius quam alimentum; neque ſubſtantia illa, dic etiam ſpiritum a calore cohibitum, & animatum, nobis cedere poſſet in alimentum, ſed in venenum; quando putri ex aqua caloris externi miniſterio animalia genita quamplurima venenoſa ſunt, ſerpentes, bufones, vermes, & id generis.

2. De gen. t. 8.

Caloris munera.

Miſtio vt fiat.

1. De gen. t. 88 & ſequentib.

Origo ex putri cuiuſmodo ſit. Vid. lib. 4 c. 13.

Aquam noſtratem ſolam non eſſe id, quo alantur animantia imbecillo calore prædita. Cap. LXXX.

QVod ſubinde proponitur, animantia exiguo admodum calore prædita ſola nutriri aqua; quippe noſtra hæc ſenſilis aqua eſt potius aqueum quam vere aqua; ſuſtinendo autem calori exilimo ſufficere miſtum illud, quod in aqua noſtrati genitum eſt ab aſtris, & à cauſſis, quibus regitur mundus; hoc inquam dogma plura continet, in quibus exerceri nos oportet. Primum ſit placitum, animantia exiguo admodum calore prædita ſola nutriri aqua; oppoſitum nanque ſuadet ratio; ſiquidem quum caloris ope verti debeat alimentum in ſubſtantiam viuentis; vbi calor ſit exilis, & imbecillus, ea ſolum mutare poterit, quæ congeneam obtinent naturam cum eo in quod verti dicuntur; quæ autem valde ab animantis ſubſtantia diſſident, validioris indigent caloris, quo in eam conuertantur: quemadmodum enim Ariſtotele autore inter habentia ſymbolum facilis eſt tranſitus, atque ab oppoſito inter valde diſſita difficilis eſt mutatio; ita inter quæ facilis eſt tranſitus, ea vel à debili agente mutantur; inter quæ vero difficilis, ea nonniſi à præpotenti virtute conuertuntur: quum ergo aqua noſtra hæc ſenſilis (eſto impura, vel etiam quoquopacto miſta) longe diſſideat à noſtra ſubſtantia, quę in ratione miſti à prædominio

2. De gen. t. 25.

Mutatio quæ ab agente debili, & quæ à valido fiat.

nio terrea est, multumque caloris obtinet, quæ vix obseruantur in aqua potabili; liquido iam constet quibus calor inest imbecillior, eos minus aqua sola posse nutriri. Deinde vero nullus hominum adeo imbecillo calore viuere potest, quin superet calorem piscium, & plantarum, aliorumque frigidiorum animalium; quum illud Aristoteli apertum sit, quæ viuentium honorabiliora sunt, quia sortita sunt animam digniorem, ea maiorem assequuta esse caliditatem; quin & apertissime illi decantatum est sæpius, Hominem animalium omnium calidissimum esse: Si ergo aqua sola nec plantis, nec piscibus, nec alijs animalibus alimentum sufficiens exhibere potest, vt supra monstratum est ex Aristotele, atque infra etiam ostendetur; plane diffiteri cogimur abstinentes nostros, quamuis calorem habuerint exiguum, qualem habere decet naturam hominis, aqua sola sufficienter enutritos. Sed & in eo hæremus, aquam nostram hanc sensilem esse potius aqueum, quam aquam; est quidem aqua nostra non syncera, sed impura, ob adiuncta corpora alienæ naturæ; verum quando vel sensibus non mutatur aquę natura ex alienorum adiunctione, aquam impuram dicemus, non mistum corpus à prædominio aqueum, vt rentur Viri Clarissimi; mistum etenim eam naturam obtinet, quæ reuera sit, & sensibus appareat diuersa à natura singulorum simplicium; sic vapor nec aer, nec aqua est, aut videtur, sed mistum ex vtrisque ab vtroque diuersum. Præterea sapit mihi nescioquid Anaxagorici hoc placitum, quo dicitur aqua, & quoduis aliud elementum simplicis naturę non esse, sed mistæ; aquam vero dici quoniam in mistura ceteris elementis prędominetur aqua; & ita de reliquis; quod assertum Anaxagoræ tribuit Aristoteles, & confutat. Amplius si aqua hæc nostra ideo in alimētum cederet ijs, quibus calor languidus est, quia simplex non sit, sed mista; sane calore pollentibus aqua simplicior inepta, crassior vero aptior esset ad alendum; quin & hausta nix alimentum exhibere posset ijs, quorum calor validior est: sed aquam destillatione ab alienis corporibus segregatam, & puriorem potui salubriorem esse statuunt Medicorum Principes, quibus experimentum adstipulatur; ac niuem nullo esse alimento inde etiam colligas. Sed hæc de re nuper apud sapientissimum Costæum. Addere liceat si demus disputationi aquam hanc sensilem sortiri aliquam mistionis rationem; haud tamen vnquā concessuros aquam esse mistum perfectum; quum credamus Viro Clarissimo aquam poni sub generę misti non perfecti; nam passiones meteorologicas, quarum plurimis origo est ex aqua, inter mista imperfecta scite connumerat: at ipse idem alimenti rationem non habere elementa, nec mista imperfecta perspicuis verbis antea dixerat hoc modo, *si alimentum simile futurum est rei nutiendæ; profecto quum ipsa mista sit, & constet e perfecta coitione quatuor elementorum, necesse est eiusmodi sit: Quare neque vllum ex elementis, nec aliquod mistū imperfectum poterit esse alimentum: Voco autem mista imperfecta passiones meteorologicas, &c.* qui hæc scribit, quomodo postea dicit aquam potabilē alimento esse posse? Nec sane prætereundum nubis est, quod his adnectitur a nobili philosopho, nimirum sustinendo exiguo calori sufficere mistum illud, quod in aqua nostrati genitum est ab astris, & à caussis, quibus mundus regitur; nam primo vt aliquid alat non sufficit vt sui moles tanta sit, quanta satis esset ad sustinendum calorem; sed præterea opus est vt eius natura talis sit, quæ possit ab exiguo calore conuerti in substantiam viuentis, qua in re consistit præcipua ratio alimenti; quare demus & nos calorem exilem exiguo fomite sustineri posse, siue (vt alij dicunt) parum substantiæ viuentis absumere, atque ideo quod mistum in aqua est, licet exiguum, sufficere tamen ad reparandum id quod effluxit, & ad sustinendum calorem imbecillum; attamen id alere non posse dicimus, quia eius natura tam dissidet à viuente substantia, vt ab exiguo calore in eam verti nequeat, quod paullo ante obseruauimus. Deinde vero meminisse debebat Vir egregius apud Aristotelem in alimento duo spectari, quantitatem scilicet, seu terdimensum, molemue, atque substantiam; quæ ita differunt ab inuicem, vt esca ratione suæ quantitatis augeat, ratione vero substantiæ nutriat; adeo vt alimentum non sit quatenus quantum est, sed quatenus hoc aliquid, siue substantia; his enim animaduersis, ex eo quod in aqua tantum misti reperiatur, quantum sufficere posset ad exiguum calorem sustinendum, manifesto perspexisset colligi non posse aquam solam alere. Deinceps autem & illud suspectum est, quod accipitur calorem sustineri alimento; nam reuera calor sustinetur humido radicali (si dandum sit calorem sustineri humore, ceu pabulo) alimentum vero sustinet quoquopacto labantem humorem auocando calorem ab illius consumptione; sed proprie calor nullo humore sustinetur; licet enim subditum sibi humidum tum primigenium, tum alimentare calor depascatur; hoc vtrumque tamen non absumit quia ipso alatur, ac veluti pabulo foueatur; sed ambos humores corrumpit veluti sibi contrarios, qui suo lentore calori obstant ne sursum ascendat, eumque vi detinent in hac mundi regione infima ad loca sublimiora inhiantem: Et eo magis hoc assertum suspectum esse debuit viro doctissimo, qui superius ex Aristotele obseruans in animantis corpore calorem natiuum, quem appellat habitum, ceu formam; & humorem primigenium, quem materiā, & naturam vocat, scite decreuit calorem respiratione, alioue modo consimili custodiri, non alimento, sed hoc vno proprie reparari naturam, hoc est humorem: qua ratione igitur hæc deserens Aristotelis aurea dicta, oppositum repetit hic vir eruditissimus asserens marte suo calorem alimento sustineri, ac refocillari?

Margin notes (left): De respir. c. 13. — 2. de part. c. 7. — 4. probl. 7. — 30. probl. 55. — Vide lib. 4 cap. 14. & sequent. — 1. phys. t. 34 & seq. — 1. de alim. c. 3.

Margin notes (right): 2. de an. t. 47. — Calorem non sustineri alimento. — Alimentum sustinet humorem. — Vide lib. ... Cap. 63 ... — Cap. 1.

Astra, & caussæ regentes mundum quid, & quomodo in aquam agant. Cap. LXXXII.

PRæterea vero quid est hoc mistum in aqua, quo nutriri posse dicuntur animantia exigui caloris, genitum ab astris, & à caussis mundum regentibus? procul dubio sidera in aquam non agũt nisi lumine in Peripato, in quo militat vir insignis; lumen autem tum per se immediate aquam, quæ perspicua est, illuminat, & perficit Aristoteli, sed in ea nullum mistum procreat; tum reflexione multiplicatis radijs aerem incendit; aer vero ita calefactus aquam sibi conterminam, terramque adeo alterat, vt in vtroque elemento partes omnes, præsertimque crassiores attenuet, ac mutet; quarum attenuatarum, atque secundum substantiam transmutatarum aliæ sursum feruntur in vapores, & exhalationes; aliæ ob viciniam, & subtilitatem materiæ, infitumque lentorem, se se alijs adiungunt aliquando quidem citra perfectam mistionem; ac tunc ex tali adiunctione vicino elemento vnumquodque impuritatem contrahit in propria substantia; & aliquando cum perfecta mistione; ac tunc ex pluribus elementis in vnum coalescentibus enascitur mistum varij generis modo animatum, modo etiam inanime; sic in terra oriuntur metalla, succi concreti, lapides, & stirpium, animaliumque illa omnia genera, quæ sponte nasci dicuntur, seu ex putri materia, citra ministerium seminis: sic in aqua succi, stirpes, insecta, quamplura, & pisces multi consimiliter.

. de an. . 68. 69. Astrorum ... tio in aquam quo ... plex, ... gquæsit.

... lementa ... quomodo ... unt ... ra citra ... perfectam ... mistioné.

Caussæ item, quæ mundum regunt, siue sint assistentes illæ Mentes cœlorum sphæris; siue cœlestia corpora, quæ mundum hunc inferum gubernant Aristoteli, procreatrices sunt euentuum sub Luna mediante orbium motu, quo ex Aristotelis decreto gignitur apud nos calor, & frigus; in quæ duo referenda est eodem autore origo mistorum omnium, quæ in hoc mundo infero producuntur: Ita ergo quum ab astris, & à cœlestibus tum animis, tum corporibus, mediante motu, ac lumine, & ab his orta caliditate, addes si placet, ac frigiditate generetur in aqua tum impuritas, tum vapor, tum mistum & inanime, & animatum; quando statuit vir doctissimus viuentia exigui caloris, ac nostros præsertim ieiunátes ali posse misto in aqua genito ab astris, & a caussis mundum regentibus; quid nomine misti significat? an aquæ impuritatem, hoc est aquam, in qua sint partes quædam terreæ, quæ sponte quiescente aqua descendunt in sedimentum? sane hoc mistum vere non esse demonstratum est antea, & speciatim non esse mistũ perfectum, cuiusmodi esse materiam proxime cõuertendam in viuentis naturam, atque omnino alimentum necesse est. an vaporem, aut etiam exhalationem terream in aquam lapsam? sed hæc tum eandem ob caussam, tum ob alia multa proposita superius alimenti rationem subire nequeunt. an fortasse mistum tertij generis? certe vt in aquis mista multa gignuntur sponte, quæ cedunt in alimentum piscium, & hominum, mytuli, lepades, & alia id generis; ita qui hæc in alimentum sum pserit, solam aquam bibere non dicetur, sed solidum cibum comedere: At nobis nunc instituta quæstio est verum homo & animal nutrimentum sumere queat ex aqua potabili, seu pura, seu impura; non autem ex ijs mistis solidioribus diuersam euidenter ab aqua substantiam habentibus, quæ sponte in aqua nascuntur ab astris genita, & à caussis, quæ mundum gubernare dicuntur. Denique vero mista omnia quæcunque in aqua sponte nascuntur, quum a b astris, cœlorumque orbibus, & animis, velut à caussis remotis, communioribusq; proficiscantur; proxime vero, atque immediate prodeãt à calore huc apud nos ab illis genito, quod nuper adnotauimus ex Aristotele; vel ab alio agente aliquo peculiari, de quo fuse in opere *de spontinia viuentium generatione* tractamus; decebat subtilem physiologum huius misti in caussam propinquam potius, ac specialem, quàm in remotas illas, & cõmunissimas.

... meteo. ... p. 2. ... ap. 4. ... meteo. ... p. 1. & 2

Ab astris, & caussis mundum regentibus quot, quæque signata in aqua.

Cap. 72 et Cap. 74.

Cap. 23. & sequ.

Aqua hac sensili quomodo nonnulla nutriri dixerit Aristoteles. Cap. LXXXIII.

QVod autem his adijcitur in propositi argumẽti confirmationem ex Aristotele asserente aqua hac sensili nutriri nonnulla, quando eadem, vel saltem consimilis huic Aristotelis assertio in superioribus abunde fuit explicata, & a viro insigni haudquaquam notatur locus Aristotelei dogmatis, sufficiat nunc si admoneamus hoc placitum ab Aristotele prolatum eo sensu fuisse, quo nobis insinuaret nutricationi aquam & ipsam peculiari quadam ratione inseruire, nimirum vt humidum, in quo fiat alimenti coctio, quæ elixatio est; atque vt vehiculum alimenti: Qua ergo ratione animã, & calorem cum Aristotele nutrire dicimus absque eo quod vertantur in substantiam nutriendam, sed quia concoquunt alimentum, concoctum distribuunt, distributum conuertunt in corporis substantiam; ita & aqua nutrire dici potest, quia deseruiat coquendo, & distribuendo alimento: & hoc nonnullis animalium peculiare dicitur, quia homines non solum aqua, sed potissimum vino vtuntur tum vt humido, in quo elixentur cibaria solida, tum vt vehiculo alimenti crassioris, tum demum vt alimento. Nisi etiam contigerit eo loci Aristotelem ad vulgi sententiam dixisse quædam aqua nutriri, nimirum ea, quæ in aquis degentia nobis conspicuo alimento non vtuntur. Illud tamen infitiamur Aristotelem alicubi statuentem quibusdam alimento esse aquam hanc sensilem existimasse aliqua vere nutriri aqua eo quod sedimentum terreum in aqua contentum vertatur in substantiam viuentis, ac potissimum eius, cui calor insit exiguus, tum quia sedimentum illud mistum perfectum non est, sed fere terra simplex, ac lutum ex aqua & terra; tum quia nec à valido calore domari potest, quin solidescat in lapides, ac tophos; quibus obnoxij sunt maximopere lutulentis aquis vtentes, præsertimque senes, quibus calor exilis. Sed de hoc hactenus, magna enim res, alio loco pluribus verbis disputata, nunc ad propositum.

8. hist. c. a

cap. 67.

Aqua vt inseruiat nutricatui 2. de an. t. 49. & 50.

Vini vsus in nutricatu.

Vide supra cap. 67. & lib. 4. cap. 12. de seq.

An

An inter plantas ocimum aqua sola nutriatur. Cap. LXXXIV.

QVod insuper addidit Vir Clarissimus inter plantas ocimum nasci, & se tueri in aqua, quoniam humidissimum, necessario non arguit illi ex aqua sola esse aut ortum, aut alimentum; in primis enim mihi nunquam experiri licuit an ocimi semen in aquam solam proiectum germinet; ratio quidem suadet oppositum, nam in generatione omni calorem humori dominari necesse est, vt agens passo; quo nomine scite Aristoteles alicubi generationes fieri ait accedente Sole, nimirum vigente calore supra humidum: Illud tamen sæpius obseruaui ocimi semen in terra satum pullulare, natasque plantas e terra ad aquã traiectas in aqua viuere, florere, ac ferre semina: Et profecto in terra satum, & ortum ocimum, inde in aquam translatum viuit, non quidem aqua sola nutritum, siue pura, siue impura; sed quod crassiorem succum, & fere concretum e terra prius haustum radicibus, ac surculis adhærentem aqua commista attenuat; attenuatus ille, & quasi fusus in ampliorem molem augetur, sursumque (adiuuante calore Solis) attollitur in flores, & semina erumpens, dum planta hæc in aquis degit; quod inde manifestum fieri potest, vnde constabit etiam e semine sato in aquam ocimum haud nasci; quia sæpenumero expertus sum plantas ocimi paruulas, quę parum adhuc in se terrenæ materiæ attraxerant, e solo ad aquam traductas, in ea quidem ad plusculos dies viuere, sed sensim contabescentes interire antequam flores, nedum semina emitterent. Sed esto semen satum in aqua, ibique ortum, non ideo colligas plantæ ortum ex aqua fuisse; nanque sunt in quouis semine partes duum generum, altera quarum spiritu multo, & calore prædita vim obtinet agendi; altera vero crassioris naturæ subit vices materiæ; quare sæpenumero illa in hanc agente nullius extrinsecæ interuentu materiæ nudum semen generat, & pullulat stirpem; sic oua calore Solis pullos excludunt; sic scylla, cępe, bulbique omnes extra humum in aere appensi germinant, sæpissimeque flores, & semina emittunt, in eorum originem, & incrementum cedente sui parte crassiori, non aere, in quo sunt: sic olim etiam puppis laureæ fortasse nauis ramum lauri germinauit in Macedonia; nanque vt inquit Florus, & Liuius in 32. *Sulpitius Viceconsul litteras Romam misit, in quibus scriptum erat lauri ramum exortum in puppi nauis.* id quidem euenit ijs, quorum natura fuerit impense humida: semina vero [s]icciora id perpeti nequeunt vt portio prolifica ex materiali nouum germen procreet, nisi hæc ita mollescat, vt ab exiguo, quo pollent, calore vinci, tractarique valeat; sic triticum madefactum germinat; sic ocimum fortassis (quod mihi obseruare non licuit) in aqua e solo semine nascitur, substantiæ suæ parte crassiori cedente in materiam tum generationis plantæ, tum alimenti genitæ stirpis; aqua solum præparante materiam, & vehiculi more alimentum per tenuissimas partes deferente: quæ omnia nobis aperte indicat huiusmodi plantæ sic enutritæ pallor, ac macies; si enim aqua illi est alimento sola; cur in aquis non viret, viget, atque augetur, vt in terris?

Calor in generatione humido prævalet. 2. de gen. c. 58.

Ocimum in aqua viuit non aqua nutritum.

Semẽ duabus cõstat partibus.

Semen ex se ipso generans sine materia externa.

Cicadas excrementis non carere, nec rhintacem. Cap. LXXXV.

NIhilo magis vrget ratio ducta e cicadis, & rhintace, quibus ideo rorem, atque solam aquam alimento esse probatur, quia nullum emittant excrementum; id nanque absolute negamus, quod neque probari possit viro insigni hæc animalia nullum excrementum deponere; duo nanque sunt excrementorum genera, sensile alterum, alterũ insensile, vt halitus, & fuligo expiratione reddi consueta; si non emittant excrementum sensile, à seipsis illa excutere nec insensile quomodo docebor? Ceterum quidni dicamus ex his etiam excrementum sensile diffluere? exeunt e cicadis exuuiæ, vt ex anguibus senectæ; diffluit humor excrementitius, quem relinquunt in operculo rupto; erumpit etiam semen; nam spermate propagantur, mare inferente in feminam; prodeunt oua; effluit quoque vrina; si enim rusticis consentit Vir egregius eas rore nutriri, cur & non consentit eas mingere, & excremento non carere, ijs vtrunque hoc afferentibus apud Aristotelem? Etsi enim hoc verum sit, quod monet Aristoteles, cicadis excrementum nullum in aluo reperiri, hoc tamen non est adimere cicadis omne penitus excrementum; nam inest sui generis excrementum in ventre cicadæ, sed reperiri non poterit dissecanti, quia latet ob exiguitatem, sensuque non distinguitur à succo alimentari; sic vel hominum cadauera secantes anatomici excrementa non percipiunt in sanguinis massa ab alimentarijs partibus distincta; quum tamen certo constet in venis excrementa sanguini probo permista esse, quæ viuente homine in vrinam, sudores, sordes, pilos, & id generis alia expelluntur. E Rhintace quoque, plumæ velut excrementa prodeunt, & semen Aristotele decernente: auem enim adeo perfectæ naturæ non sponte gigni ex putri materia, sed semine propagari probabile est. Ceterum vulgus respiciens vsum seminis, pennarum, & corticis esse aliquem; hæc non retur excrementa esse, quæ vere sunt excrementa; nam sæpissime vtitur excrementis natura ad bonum; sic lotio, & ichoribus ad vehendum & chylum per arctiores meseraei venas, & sanguinem per capillares; sic bile flaua ad excitandam expultricem facultatem intestinorum; quod non latuit Aristotelem dum inquit naturã excrementis abuti ad auxilium, & rem commodam consueuisse. Sic ergo alibi cicadis nullum in aluo excrementũ reperiri statuens, non ideo ibi esse negat Aristoteles.

8. hist. cap. 17.

Cicadas excrementa.

De iuu. & sen. c. 3.

5. hist. cap. 30. & 1. de gen. an. cap. 16.

4. hist. cap. 7.

Excrementa Rhintacis.

3. de gen. an. cap. 1. 3. de an. c. 34.

Excrementorũ vsus.

3. de part. cap. 2.

Cicadas non ali rore. Cap. LXXXVI.

DEinde neque illud Viro sagaci concedere possumus rore cicadas ali, atque rhintacem; quoniam vero de Rhintace abunde superius, de cicadis

ap. 45. hist. p. 10. de part. p. 5.

dis nunc speciatim agamus. Neque sane Aristoteles eas rore nutriri dicit ex mente propria, sed hoc refert velut rusticorum placitum; quum ipse alibi e proprio penu hauriat cicadarum genus eandem partem in vsum tum oris, tum linguæ aptissime constitutam habere, qua veluti radice cibum ex humoribus trahat; profecto si rore solo alerentur cicadæ, humorem semper traherent eiusdem naturæ, non cibum ex humoribus; idem enim est vbique humor id quod roris nomine vocamus; quinimmo humorem ipsum traherent, seu potum, non cibum ex humore: quocirca his censeo significasse Aristotelem cicadis in alimentum cedere misturam e rore & excrementis arborum rore dilutis; argumento huius illud sit, quod alibi monet Aristoteles cicadas non oriri vbi arbores desunt; arboribus autem propria inesse excrementa in superficie, quæ cadenti rori admisceri queant in alimentum cicadarum, testimonio Aristotelis confirmari potest asserentis In omnibus, quæcunque aluntur, superfluitatem cibi fieri, aut in ipsis, vt in animalibus; aut extra in superficie, vt in plantis; quam sententiam late supra explicauimus: Verum & sensu etiam acriter intuenti apparebunt in plantis excrementa, quæ segniter vtentibus opera sensuum non apparent; nam circa tenellas arborum frondes, ac flores, olearum præcipue, quas mire cicadas amare obseruat Aristoteles, quibusque diutius immorantur apes, nonnihil reperias excrementi lanuginosi, ac viscidi, aut etiam farinacei, quod & apes cruribus conglomerantes in aluearia deferunt in id mutatum, quod ceram appellamus. Sed & ex eo, quod non habeant excrementa in Peripato colliget vir acutissimus cicadas potius non ali, quam rore ali; nam ita similis non est cicadarum substantiæ ros, quin anteaquam in eam transmutetur calore natiuo concoqui necesse sit; at coctione similius fit alimentum omne rei alendæ, atque hoc non nisi per excrementorum segregationem ab alimētarijs partibus; quod fuse supra obseruatum est apud Aristotelem: Si ergo alantur cicadæ rore, vel quouis alio alimenti genere, plane oportet eas excrementum aliquod emittere; qui statuit igitur vir solertissimus eas nullum excrementum effundere, haudquaquam potuit illis rorem in alimentum concedere. Vlterius quum æstate cicadæ vigeant maxime, quo tempore de cælo ros non cadit, nimio calore consumptus vaporibus ex aqua sublatis, nullaque illorum parte ad noctem superstite ab aeris nocturni frigore condensanda in rorem, dicendum fortassis est cicadis tunc in alimentum venire id, quod e plantis quasi sudor, & ros effluit in corticem, & frondes humidum, & glutinosum excrementum; ex quo etiam, concepta putredine, animalia gigni statuit Aristoteles: insudare vero stirpes frondibus rorem aliquem his vsibus aptum ex eo conuincas, quod plerunque plantæ insudant cortice, ac trunco solidiori multa crassiusculi gummi genera, vt picem, resinam, terebintum, & alia huiusmodi: Vel potius existimandum est arborum excrementa initio æstatis imbibita rore conseruata esse in arborum superficie ad cibum futurarum cicadarum: Vel quod verissimum puto, & Aristoteles innuit, cicadas ebibito, ingestoue alimento huiusmodi misto ex rore, ac excrementis arborum tempore verno, tota æstate postea ieiunare, autumno insuper, & hyeme; qua de caussa omnium insectorum maxime ieiunum esse cicadarum genus asserit sapienter Aristoteles. Sed de cicadis etiam infra.

Alimentū cicad. ... quod ... hist. cap. 30. De sens. ... sēs. c. 5. Cap. 27. et sequent. Excrementa plantarum. 5 hist. c. 30. 9. hist. c. 40. Cicada excrementi ... Ceram vn... & quo modo colli... ant apes. Cap. 27. & seq. De sens. et ... cap. 5. 2. de an. ... 45. & seq. Ros non cadit æstate. 1. hist. c. 19.

4. de part. cap. 5. Cap. 150. & 166.

Rorem non esse aquam sicco affectam, vt eo nutriente aquam dicas nutrire.

Cap. LXXXVII.

Vlterius neque illud recipere valeo à viro eximio rorem esse aquam à sicco affectam, vt propterea, si rore aluntur aliqua, dicere possimus aquam esse alimentum: primo enim apud Aristotelem duæ solum caussæ roris habentur, materialis, quam ipse ponit esse humidum terræ circunfusum, demus aquam; & efficiens, quam idem statuit esse tum calorem attollentem vapores, tum frigus temperatum cogens vapores in rorem, nulla facta vllibi sicci mentione in ortu roris; quamobrem ros erit aqua, non à sicco, sed affecta à calore, vt à caussa remota, & à frigore, vt ab agente proximo: quamuis autem calori huic, frigiditatique temperatæ rorem generanti possit coniungi siccitas; generans tamen rorem tum remote, quod est calor, tum proxime, quod frigus est, in hac sui operatione nullo sicci ministerio vtitur, propterea non ausim dicere cum viro egregio rorem esse aquam à sicco affectam. Præterea neque intelligere potest nobilis philosophus rorem esse aquam a sicco affectam, hoc est quoquopacto exsiccatam; quia roris origo est, remota quidem ex aqua à calore attollente, seu etiam generante vapores; proxima vero ex vaporibus à frigore temperato condensante illos in roris consistentiam; modo neque à calore gignuntur vapores ex aqua per aquæ desiccationem; quia vapores medij sunt inter aquam & aerem per participationem vtriusque naturæ; quum itaque aqua & aer in humiditate conueniant, neutro elemento siccitatem habente; iam clare pateat vapores non esse aquam exsiccatam: Immo vero quum ex Aristotelis decreto aeris natura magis consistat in humido quā in calido, aqua vero magis in frigido quam in humido; quippe frigidissima est aqua omnium frigidorum; quanto exortus calore vapor accedit ad aeris naturam, tanto magis intime humiditate constabit quam aqua; vt icirco vere dicere non liceat rorem, cui exortus est ex aqua in vaporem, vaporeque in rorem mutato, esse aquam sicco affectam. Deinde calor, seu ignis in aquam agens, non qua siccus est operatur, quando siccitas passiua qualitas est, non actuosa, sed mere qua calor existit; caloris autem operatio eo progressu fit vt primum calefaciat, deinde attenuet, mox resoluat, hoc est corrumpat aquam in aerem, seu vapores; si quidem vlterius calor in vapores agat, eos

1. meteo. cap. 10. Roris caussa quot, quæque sint. Rori generando non deseruit siccum. Origo roris remota & proxima. Vapor non est aqua exsiccata. 2. de gen. t. 23. 4. meteor. cap. 1. Series operationum à calore prodeuntium.

adhuc magis calefaciens,atque attenuans corrum pet in aerem,aquæ natura funditus euersa: Si vero vlterius in aerem agere ponatur calor,ab eo tollet demum humiditatem, ipsumque desiccatione mutabit in ignem; ex igne autem nulla vi frigoris ros oritur: Quocirca si spectes roris remotam, & primam originem ex aqua, dicere nequeas rorem, hoc est vaporem esse aquam exsiccatam; multo minus, si roris genesim postremam sumpseris, & immediatam eius constitutionem; ea enim fit à frigore temperato,seu etiam (dabo disputationi) à tepore agente in vapores; teporem autem, & frigus temperatum non pollere vi exsiccandi neminem latet; quando calor intensus ad humidi consumptionem requiritur, & frigidi proprium est condensare, non desiccare,potissimum temperati; alioquin simul esse non posset aqua frigida & humida; immo vlteriori actione frigoris aqua in terram verteretur Aristoteli, quod experimento reluctatur; nam aqua vim frigoris externi vehementissimi diu sustinens, incolumi propria humiditate, solam fluxilitatem, ac tenuitatem si vis etiam perdit coacta, densataque in glaciem: consimiliter nubes à frigore in niuem conuertitur; quum nix crassior, densior, & nube humidior forsitan existat, haud certe siccior. Addo tantum abesse vt vi frigoris vapor magis exsiccetur, & propterea ros sit aqua exsiccata, quod potius à frigore plerunque ros ipse in aquam denuo vertatur, vbi ex aqua sola originem traxerit.

Frigidi nō est desiccare.

2. de gen. c. 35.

Et si ros aleret, non tamen ideo alere posse aquam.

Cap. LXXXVIII.

INsuper autem si disputationi demus rore cicadas ali, & absolute rori vim esse alendi; haud tamen propterea confiteri cogemur aqua nutriri potuisse quidpiam, & speciatim nostros abstinentes; in primis etenim quum in generatione roris ex aqua sic afficiatur aqua vt propriam naturam mutet,ac de vno elemento in misti essentiam conuertatur; siquidem calor in aquam agens ex ea vapores generat, qui aqua non sunt, sed mistam naturam nacti ex aqua semicorrupta,& aere semigenito; quod mistum frigore postea cogitur in rorem consimiliter ab aqua discrepantem, vt mistū à simplici, quamuis impuro elemento: non ergo ex eo quod rore quid nutriri valeat, recte colligas aquam itidem alere posse. Deinde vero supra notauimus non quicquid cedit in alimentum alicui bruto, statim posse idipsum homines alere; nam scite nos docuit aliquando Galenus suum cuique animantium generi cibum esse familiarem; asinis quidem, & equis paleam, & fœnum; quibus hominem ali non posse certum est; atqui & elleboro coturnices, & cicuta sturni citra noxam vescuntur, quæ nobis venenata sunt, atque mortifera. Deinceps animaduertimus roris varias esse species, pro varietate humidorum, à quibus vapores elati materiam rori generando suggerunt; namque vt belle monebat Hippocrates, calor Solis in hunc aquæ terræque globum agēdo quod tenuissimum est sursum rapit praelcuitate; rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari,& ex omnibus,in quibus aliquid humoris inest; inest autem in omnibus rebus; & ex ipsis hominibus tenuissimum, ac leuissimum humorem ducit; cuius rei maximum signum inde sumere licet, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit,aut sederit; quascunque enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant; sol enim quicquid comparet sudoris sursum rapit; quæ vero partes sub veste contectæ sunt, aut sub aliqua alia re,hæ exudant; educitur enim, ac domatur a sole sudor; seruatur autem ex tegmentis, vt ne dispergatur a Sole; quum vero in vmbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit; non enim amplius Sol affulget: Ex hoc fundamento Hippocratis plane demonstrantis ab omni corpore vi solis sursum tolli vapores; quum neminem lateat alius naturæ vapores ab animalibus,à plantis,à misti inanimis,à mari, à paludibus, ab aqua fluminū sursum extolli; addimus nos non omnia,quorum origo est in sublimi a vaporibus promiscue nasci posse ex vapore quolibet,sed exoriri singula ex vapore congenere, nimirum animalia insecta, si quæ vere pluat, ex vaporibus à putridis aquis stagnantibus insectorum genere cumulatis; pluuias ex vaporibus aquæ; mel aerium, & mannam ex vaporibus potissime stirpium illarum,super quas cadunt, & quarum naturam, viresque referunt: Quamobrem si cicadæ rore alantur,& cum Rhintace manucodiata, & canis leuis, ros hic ortum ducet non e vaporibus ex aqua sola,vel fluminum, vel alia sublatis; verum ex ijs, qui attolluntur e stirpibus,& animalibus; ceterum hic ros missum est corpus nutriendo aptum, quum sit pars illa substantiæ, quæ actione caloris effluxit e corpore viuēti:ex eo autem, quod huiusmodi rore alantur hæc animalia, haud recte colligas aquam potabilem alere; quippe rori huic exortus est non ex vaporibus sublatis ex aqua potabili, sed ex ascendentibus de corpore viuente: Non tamen infitiamur vapores ascendentes ab aqua potabili vi frigoris nocturni temperati in rorem cogi; sed audacter negamus tale genus roris ex se viuentibus in alimentum cedere. Amplius ros vulgaris e quocunque vapore creetur, plantis, plantarumque frondibus inspersus permiscetur cum earum lanugine, ac excremētis; ex qua mistura vt certum est Aristotelis testimonio animalia generari nonnulla; ita belle fieri potest vt eadem nutriantur: sed eo rore, qui frondibus insudat, enutrita viuentia non iam putes aquam solam in alimentum habuisse; nam ipse idē Aristoteles, qui nunc dixit ex rore, qui frondibus insudat,animalia generari, alias clare statuit ex humidis, hoc est ex aqua sola nullum animal gigni, constituiue posse; vnde constat rorem, qui frondibus insudans materia est cum generationis,tum nutrimenti animalium insectorum,non esse aquā, sed mistum perfectum longo interuallo distans ab aquæ potabilis natura.

Cap. 49.

3. de alimen. fac. cap. 6

6. de sani. tuen. c. 3.

Roris varias esse species.

De aer. aq. & loc. c. 4.

Vnde nascantur animalia, quæ pluit.

Ros qui alere po[...]

5. hist. an. par. 19.

2. de ge. an. c. 44.

Aquam

Aquam ſolam calore digeſtam non degenerare in quoddam tertium, quod ſit alimentum plantarum.

Cap. LXXXIX.

QVod poſterius affertur aquam ſolis calore digeſtam degenerare in quoddã tertium, quod eſt alimentum plantis; ac propterea eandem in nobis a calore noſtro digeſtam cedere nobis item in alimentum; plura continet difficilia; primo tertiũ id, in quod aqua mutatur calore ſolis digerente, neceſſario eſt vel aer, vel etiam vapor, vel demum ignis; nam calor ſolis nihil aliud e[ſ]t quam aer proprie a multiplicatis radijs in reflexione attritus, & attritione accenſus, atque in igneam naturam conuerſus, vt fuſe alibi demonſtrauimus; talis autem calor Ariſtotele autore agens in aquam eam primũ vertit in vapores, deinde vlteriori etiam actione in aerem, ac ſi placet quoque deinceps perſeuerante actione in ignem; modo vt vaporis natura media eſt inter aerem & aquam per participationem extremorum; ita ſane tum aer medius eſt inter ignem & aquam per negationem vtriuſque; tum ignis medius eſt inter aerem & terram per abnegationem extremorum pariter; non enim mi ſtus eſt aer ex aqua & igne, neque ignis ex terra & aere, vt vapor ex aere & aqua, & fumus ex terra & igne; licet aer ſit calidus cum igne, & humidus cum aqua; & ignis ſit calidus cum aere, & ſiccus cum terra; neque profecto actione caloris in aquam potabilem vllum aliud præter hæc tria tertium prodire poteſt phyſiologo: Si de his ergo loquitur vir acutiſſimus, ego quidem non aſſequor qua ratione aer, aut vapor, aut ignis ſit alimentum ſtirpium, quibus ipſe dat alimentum ter tium illud, in quod aqua ſolis calore digeſta degenerat; dum moneor alimentum eſſe congeneæ naturæ cum alendo corpore, ac plantas longe ab aere, vapore, ac igne diſtare conſpicio. Deinde vero Ariſtotelem ſupra demonſtrantem legimus non aquam ſolam plantis alimento eſſe; at mi ſtum ex aqua, terra, & fimo; ex quibus in vnum permiſtis calore ſolis concoquente ſegregantur partes alimentariæ ab excrementis, & ſegregatæ vbi fuerint, mox a plantis per radices attrahuntur in chymum. Deinceps & illud falſo colligitur, quicquid eſt alendis plantis, hoc ipſum & nos alere poſſe; quicquid calore plantarum digeritur, illud idem & noſtro concoqui poſſe: protinus enim fieret vi rationis allatæ a viro ſolertiſſimo, ſi neceſſaria foret, vt nihilominus calor hominis digerere poſſet lutum ex aqua, terra, & fimo in alimentum idoneum corpori; multoque magis elleborum, atque cicutam; quando his digeſtis, concoctiſque à calore brutorum quorundam, & plantarum ſtirpes, & animalia quædam nutriuntur non ſolum, ſed etiam ſaginantur; qua de re ſuauiſſime Lucretius.

[…lor Solis …ud.] [… vita … 2. & 3 meteor. …p. 4.] [de gen. … 30.] […ctio al… …nti ſtir… …um vbi, & quomo… do ſit.] [Lib 5.]

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenũ.

Non ergo ſi demus plantas aqua nutriri, proinde fiet vt aqua hominibus alimento eſſe confiteri cogamur.

Sitim, ac famem eſſe appetitum alimenti, vt obiecti, quo ſenſu verum ſit: non tamen ideo aqua nutriet, qua in ſiti expetitur.

Cap. XC.

QVod ſubiungit vir egregius ex Ariſtotele de anguillis, & alijs aquatilibus, tum ſupra expẽſum eſt; tum infra latius animaduertetur apud Rondeletium: Quod autem ex rei natura ſuo marte arguit ſitim, ac famem eſſe appetitum alimenti vt obiecti; aquam vero eſſe obiectum ſitis; ac proinde alimentum, non vna ratione ſoluitur; primo animaduertere licet alimenti duo eſſe genera; vnum eſt alimentum quod alit, quia conuertitur in ſubſtantiam alendi corporis; aliud vero nutrit concoquendo, ac diſtribuendo primi generis alimentum, quo nomine anima, calor, & aqua dicitur alens, ac vere nutrire Ariſtoteli ſæpenumero; aqua enim, vt in qua fit elixatio cibi, coquit nutrimentum; vt vehiculum alimento præ ſtans, diſtributionem promouet; qua ergo ratione anima, & calor alere dicuntur, eadem & aqua: ceterum quodcunque alit, quomodocunque alat, alimentum appellari poteſt, non quidem æquiuoce vt apud Celſum medicamentis vulnera nutrientem, ſed ſecundum analogiam. Sitis ergo, & fames eſt appetitus alimenti abſolute, vt obiecti; at obiectum ſitis eſt aqua; inde vere ſequitur aquam eſſe alimentum, non tamen tale quod verti valeat in ſubſtantiam alendam, qua de re nunc inſtituta eſt contemplatio, ſed quod eius alimenti coctioni, diſtributionique inſeruiat. Deinde concedentes famem, & ſitim eſſe appetitum alimenti vt obiecti; negamus tamen proinde fieri, vt quodcunque in fame, ac ſiti appetimus velut obiectum, id protinus ſit alimentum; non enim conuertitur propoſitio, ſane alimentum appetitur ſub ratione obiecti; at non omne, quod in fame, ſitiue appetitur ſub ratione obiecti, neceſſario eſt alimentum; quia fames eſt appetitus vt obiecti tum alimenti, tum quoque ſaporis; quippe fames potiſſime ad guſtum pertinet, cuius obiectum ſapor eſt; at vero ex Ariſtotele ſapor condimentum quoddam eſt, non proprie alimentum: Sitis conſimiliter eſt appetitus vt obiecti & alimenti, & medicamenti; nanque, vt monet pluribus in locis Ariſtoteles, & poſt eum Galenus, oritur in animali ſitis cum ex defectu humoris, tum ex caloris exceſſu; defectui humoris conſulimus alimento, vt vino, & miſti perfecti potione; tale ſiquidem erat conſumptum humidum radicale; at excedenti calori conſulimus medicamento, nimirum aqua refrigerante: quo factum eſt vt meſſoribus ad leuandam ſitim à ſolo æſtu exortam præcipiat aliquando Galenus potionem aquæ vel ſimplicis, vel cũ modico aceti, aut vini pauciferi ad faciliorem penetrationem; quo nomine ſuperius etiam notauimus abſtinentes aquæ potione vſos ad refrigerium, & medicamentum, non autẽ ad inſtaurationẽ humidi, & alimentum;

[8 hiſt. cap. 2.] [Cap. 83.] [Lib. 4. cap. 14. & ſequentibus] [Alimenti duo genera.] [2. de an. t. 49.] [1. mag. mor. cap. 5] [Lib. 7 cap. 14. 19.] [Lib. 8. cap. 8. 10.] [Obiectum famis quo tuplex.] [2. de an: t. 28.] [Sitis quotuplex obiectum habeat.] [3. de part. cap. 8.] [5 probl. 30] [27. probl. 2. 3. 8.] [28 probl. 5. & 6.] [1. de ſimpl. cap. 30.] [Cap. 63.]

Sitim quomodo tollant aqua, & vinum diuersa ratione.
Vide lib. 4 cap. 50.
Vinũ cur magis tollat sitim, quã aqua. 27. probl. 4.
3. de alim. cap. 6. 50. & 51.
28. sect. probl. 3. 6.
Fames vnius rei appetitus quomodo sit, sitis autem duarum.
Vide lib. 4 cap. 51.

tum: ac vere vt aqua soli refrigerando calori æstuanti pharmacum est; ita vinum sua frigiditate actuali æstum caloris temperat, suaque substantia (si debita quantitate bibatur) humori consumpto consulit; vt vinum hac de caussa magis extinguat sitim hominibus, quam aqua, etsi calidum sit apud Aristotelem; quod placitum quoque amplectetur vir cordatus. Deinceps vero concedentes famem esse appetitum alimenti, vt obiecti; negamus eandem esse penitus rationem sitis, vt sit appetitus solius alimenti velut obiecti; ansam negandi tribuit Aristoteels inquiens tum famem esse appetitum vnius tantummodo cibi: sitim vero esse libidinem rerum duarum, potionis, & cibi: tum clarius, qui sitit res duas desiderare, cibum, atque refrigerationem; isthæc enim ambo potio exhibet; sed qui esurit, alterius tantum appetentem esse, nempe cibi: Aqua igitur sitim sedat ea ex parte, qua sitis est appetitus refrigerij; non autem qua est cibi, siue alimẽti cupiditas; huic enim cupiditati vinum satisfacere potest, aqua non potest: Aquam vero non sedare sitim, qua est appetitus alimenti, signum illud est euidens, quod hydropicis, & alijs citra caloris æstum sitientibus ob consumptionem humidi natiui, aqua epota sitim non sedat; sed cum aquæ potu nihilo cedente in locum humidi consumpti, eoque continenter effluente, sitis iugiter augetur; vnde vulgatissima dicteria de hydropicis

& Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops.

Vino quibus augeatur sitis.

contra quibus calor æstuat, ijs potius aquæ potu, quam vini sedatur sitis: quinimmo licet illico ab actuali frigiditate vini tolli, fugariue sitis videatur; mox tamen ab eius caliditate habituali auctus feruor sitim geminat. Sed & sitim longe magis esse appetitum refrigerij, velut medicamenti temperantis æstum, quam humoris velut alimẽti reficientis humidum belle notat Lucretius

Lib. 4.

Humor item discedit in omnia, quæ loca cumque
Poscunt humorem; glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adueniens liquor, ac restinguit, vt ignem;
Vrere ne possit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur.

Non ergo ex eo, quod aqua est sitis obiectum, sitimque tollat, colligi poterit aquam adeo alere vt in substantiam corporis commutari valeat.

Sapor & suauitas vt sit alimenti conditio, & aqua vt sapida suauisque sit, etsi non alat.

Cap. XCI.

QVod vlterius proponitur, saporem, & suauitatem esse alimenti conditionem; aquam vero sapidam, & suauem esse, ac propterea nutrimentum, non vno modo soluitur: primo enim caute accipiendum est saporem, & suauitatem esse conditionem alimenti; ne putet quis ad inuicem conuerti sapidum, suaue, & alimẽtum; quod supponere videtur vir multiscius; nam etsi demus omne alimentum sapidum esse, non tamen concedemus omne sapidum alimentum esse; quum proprios sapores obtineant venena, medicamenta, & alia multa, quæ in alimentorum albo non reperiũtur, vt supra demonstrauimus; igitur ex eo quod aqua sapida esse ponatur, non ideo fiet vt alat. Idipsum dicere liceat de suauitate; multa nanque suauia sunt gustui, vt condimenta, & succorum metallicorum plerique, quorum substantia non est alendo corpori; quum sint mista imperfecta. Porro plumbum optime calcinatum si posueris in aceto distillato, probeque sphlegmato, siuensque in eo macerari quousque acetum ex ipso salem extraxerit; posteaque acetum sale refertum denuo distillaueris, aceto solo tunc ascendente, subsidebit plumbi sal in speciem liquoris dulcissimi ad instar saccari, ac mellis: Ex alijs itidem metallis extrahuntur sales, qui tamen haud sunt ita dulces; nam ex argento sal extractus colore, saporeque calchantum referebat; fortasse noua salis calcinatione, ac purificatione ingratum saporem tolles. sed hæc obiter. Deinde vero multa sunt alimenta, quæ insuauia sunt; quod obseruat Hippocrates, & post eum Galenus distinguens alimenti genus in duas præcipuas species, quæ sunt alimentum suaue, gratumque; & alimentum insuaue, atque ingratum; cui nutrimentum primi generis dixit in ægrotantium victu præferendum esse, licet eo sit paullo deterius: non ergo suauitas ea est alimenti conditio, vt omne alimentum suaue sit, nec vicissim omne suaue sit alimentum: Quare ad formam ratiocinij, si maioris sensus sit, omne alimentum sapidum esse, ac suaue; addita minori dicente aquam sapere, ac suauem esse; paralogismus erit cum vitio formæ, ac materiæ; nam in secunda figura erunt ambæ præmissæ affirmantes; & maior falsa; quum alimenta multa sint insuauia illi, cui cedere possunt in alimentum; sin autem maior conuertatur, falsa nihilominus erit omne sapidum, ac suaue dicens esse alimentum. Deinceps & illud suspectum est nimis aquam potabilem vere sapidam esse; nanque Aristotelem habemus asserentem aquæ naturam esse insipidam; ac talem esse potulentam; quæ si dulcis aliquando vocetur a Viris doctis, tunc sane sumitur in comparatione ad salsam, & amaram: nouimus enim ex eodem Aristotele media tum quæ per extremorum

Sal plumbi ... (margin note partly cut off)
2 aph.
De sens. & sensil.
3. ph. t. 43 & seq. 2. eth. cap. 8.

par-

participationem, tum quæ per eorundem abnegationem dicuntur, ad vnum eorum comparata subire vicem contrarij; nam quemadmodum æquale, si minori comparetur, maius; si maiori, minus euadit; & fortis respectu ignaui audax, respectu audacis cōtra ignauus apparet; ita sane aqua potui apta simpliciter ex se insipida est, licet ad amaram comparata dulcis esse videatur; vt scite Galenus aliquādo aquæ optimæ tum potui, tum ptisanæ conficiendæ naturam, & conditiones aperuerit nobis in hanc sententiam; Optima (inquit) aqua gustu probatur, vt alienam qualitatem nullam præ se ferat, scilicet vt neque dulcis, non salsa, non acida, non acris, vel omnino aliam aliquam adscititiam qualitatem possideat, sed omnis penitus expers sit qualitatis, quod Græci ἄποιον dicunt, atque omni prorsus aduentitia careat qualitate, nec non cuiuscunque rei mistione, quæ gustu, aut olfactu deprehendi possit: huiusmodi aquam monet vsui esse accōmodatissimam, quæ facile coquatur a calore nostro, cito distribuatur in corpus vniuersum, celerrimeque transeat hypochondria; attamen haud esse penitus synceram, quemadmodum ne vllum quidem aliud ex sensibilibus his elementis.

Quomodo Aristoteli pituita dicatur alere permista cum cibo puro, absque eo quod aqua vim tribuat alendi.

Cap. XCII.

Quod subinde adducitur ex Aristotele alicubi scribente, Primi igitur alimenti excrementum pituita est, & si quid aliud eiusmodi est; pituita enim alimenti vtilis excrementum est; cuius rei indicium, quod permistum cum cibo puro alere potest; & labore absumitur; longe secus mihi videtur interpretandum ac viro doctissimo; dum enim scribitur primi alimenti excrementum pituita esse, & si quid aliud eiusmodi est; intelligendum putat, si debilis fuerit calor etiam in ventre ex prima coctione fieri pituitam; quod Aristoteli non respōdet, qui absolute pituitam scribit excrementum esse primi alimenti, ad seminis discrimen, quod statuitur excrementum vltimi, nulla facta mentione caloris imbecilli, in quem solum refert vir egregius originem pituitæ; quum Aristoteli sermo sit de homine sano, ac proinde caloris non adeo infirmi. Deinde primum alimentum accipit vir sapiēs quod in stomacho per primam coctionem mutatur, vt pituita esse dicatur excrementum primæ coctionis; quod item suspicione non caret; nam quæcunque in ventriculo aceruatur pituita, ea ibi proxime genita non est à calore debili ex ingestis cibarijs; ex ijs enim fæces alui, & serosum excrementum vrinæ solum modo secernitur in prima coctione: si quidem ventriculo calor imbecillior obtigerit, eo certe chylus haud exacte coquetur, aut attenuabitur, nunquam tamen pituita gignetur; nam ea est excrementum chyli; calor autem stomachi prima coctione separat excrementa ab edulijs, & chylum constituit; ex chylo vero chyli excrementa separantur in secunda coctione; nam tali separatione vertitur chylus in sanguinem, quod in prima coctione non efficitur: at quæ in stomacho pituita reperitur, eo illapsa est aliunde, nimirum ex hepate, ac potissimum ex capite; quemadmodum fuse superius apud Præceptorem vidimus in Hippocrate. Amplius per primum alimentum intelligit solum vir eximius edulia, quæ in ventriculo coquuntur; nos potius arbitramur Aristotelem nomine primi alimenti significare chylum, quod primam coctionem in stomacho expertum fuerit, in quo sane chylo propria reperiuntur excrementa, inter quæ pituita est ab eo separanda in coctione secunda: siue quum eo loci, & alibi duplicis tātum meminerit alimenti Aristoteles, prioris, & posterioris, seu primi, & vltimi; quumque ipse idem aperte fateatur vltimum alimentum esse illud, ex quo iam vnumquodque gignitur membrum, nimirum sanguis tertiæ coctionis ministerio vertendus proxime in substantiam singularum partium; aperte nos monet se per prius, seu primum alimentum intelligere omne id, quod proxime in partium substantiam mutari nequit, & omnino alimentum remotum; quod etiamsi duplex sit, cibus externus, & chylus ex eo genitus in ventriculo; nunc tamen Aristoteli vterque nomine vnius primi, & prioris alimenti significatur: Quod ex eo conijcere liceat, quia vltimo alimento vnum tantum excrementum utile concedit, quod semen esse dicit, seu materiam seminis proximam; sed primo alimēto duo vtilia tribuit excrementa, nimirum pituitam, & si quid aliud eiusmodi est; quum vnico alimento duo non insint excrementa eiusdem speciei: At vero vt chyli excrementum vtile pituita est in hepate orta per secundam coctionem cum ceteris humoribus; ita cibariorum excrementum vtile est quid simile pituitæ in stomacho genitum per coctionem primam; hoc autem est serum per vrinas excernendum, quod velut pituita est naturæ aqueæ, frigidæ nimirum, & humidæ: sed quum primo alimento duo hæc excrementa congenea tribuat Aristoteles, pituitam, & serum; solam tamen pituitam inquit excrementum vtilis alimenti esse, non vt multi rentur, separatum ab alimento vtili; nam omne alimentum, a quo excrementa segregantur, vtile est; nullum inutile; at excrementa, quę ab alimento separata sunt, quum & ipsa possint cedere in alimentum corpori; quæcunque excrementa vertuntur in probum corporis alimentum, ea dicuntur esse vtilis alimenti feracia; quæ vero improbum, ea dicuntur excrementa inutilis alimenti: Sic ergo pituitam ait Aristoteles esse excrementum vtilis alimenti ferax; etenim hoc excrementum præbet corpori vtile alimentum: quum enim paullo supra monuisset Aristoteles omne excrementum nobis esse ferax alimenti aut vtilis, aut inutilis; declarassetque inutile illud esse alimentum, à quo nihil suppeditetur naturæ, hoc est materiæ, ac substantiæ alendæ; sed quo plus absorbetur; atque absumitur in nostram substantiam, eo magis naturam ipsam vitiari:

G 3

Marginalia (left): Libro de vict. c. 2. — ... vt ... fima ... — De gen. l. c. 18. — Pituita vt sit excrementum primi alimenti de mēte Arist. — Pituita non fit in prima coctione.

Marginalia (right): Cap. 69. — Primū alimentū Arist. quod sit. — Vltimum alimentum quod sit Arist. — Vltimi alimenti vnū cum excrementū vtile Arist. primi vero duo, nō tamen eiusdem speciei. — Loci difficilis explicatio. — Excrementum vtilis alimenti quod proprie sit apud Arist. — Pituita quomodo Arist. sit excrementum alimenti vtilis.

vitiari: vtile vero alimentum ex aduerso & suppeditare materiam in locum deperditæ, & quo magis absumitur in hoc opus, eo magis substantiam nostram refici, ac sustineri; quumque subinde distinxisset omne alimentum in prius, & posterius; siue in primum, & vltimum; notasset que primi alimenti excrementum esse inter alia pituitam, & serum consimilis naturæ; vltimi vero alimenti excrementum aliqua ex parte esse id, quod semen appellamus; ac tandem obseruasset excrementum hoc vltimi alimenti, quod est materia futuri seminis, esse vtilissimum; subdit excrementum quoque primi alimenti, quod pituitam dicimus, ferax esse alimenti vtilis: Et quidem scite hoc protulit de pituita sola, non item de sero, quia reuera serum alimento inutile est animanti; nouimus enim quibus non secernitur à sanguine serum, quibusque loco probi sanguinis serum gignitur, partes flaccescere, atque tabescere, substantiamque corporis vitiari, ac in hydropem labi: Verum quoniam excrementum vltimi alimenti, quod semen est in potentia, ferax est boni alimenti suapte natura, sine vllius alterius extrinseci adminiculo, ideo dicitur esse vtilissimum: Pituita vero quoniam ex se apta non est alere corpus, nisi commisceatur cum cibo puro, ideo non vtilissimi, sed vtilis alimenti excrementum ferax esse dicitur; quod idcirco probat à signo Aristoteles, quia pituita cum cibo puro permista alere potest, & labore absumitur; labore nanque, seu exercitio non absumitur fæx alui, nec vrina, nec aliud excrementum inutile alendo corpori; sed solum quod alere potest, eo quia labore maxime consumuntur spiritus, & substantia partium, vasaque inaniuntur; partes vero exinanitæ trahunt consumentes in sui reparationem quodcunque sibi quoquopacto proficuũ esse potest: quum ergo labore pituita consumatur, non effluat, vt fæces; iam hoc signum est eam absumi, quia penuria melioris ipsa versa fit in substantiam partium nimio exercitio, ac labore consumptarum. Aliud vero indicium manifeste magis ostendens pituitam esse excrementum succi, & alimenti vtilis ferax, illud est, quod ipsa cum cibo puro permista alere potest: Vnde struit Vir acutissimus argumentum ad ostendendum aquam alere scribens, Aristoteli pituita permista cum cibo puro alere potest; sed cibus hic purus est simplex aqua; igitur & aqua in alimentum cedit, potissime animantibus exiguo calore præditis: Quæ ratio necessitatem mihi non incutit aquæ vim alendi concedere; etenim pituitam dixero per se solam alere non posse, posse mistam cum aqua pura, & simplici; non quia recipiat ab aqua vim nutritoriam, quæ præcipua quadam ratione sit in aqua; sed quia, vt supra notatum est ex Aristotele, cibi non nisi quantum dilutum fuerit vim obtinet alendi; siquidem pituita in stomacho residens ad hoc vt partes alat, opus est vt ad eas feratur; sed à ventriculo ad partes alendas via est necessario per angustissimas mesaręi venas, & capillares appellatas; quas pituita ob naturalem sui crassitudinem permeare non valens, aquæ indiget, qua diluatur, & veluti vehiculo feratur ad alenda membra: at excrementum vltimi alimenti quum extra istas angustias reperiatur in ipsismet partibus alendis; quumque adeo crassum non sit, vt pituita; est enim oleosa magis, & sanguinis portio tenuior; propterea ex se alere potest vehiculo non indigens. Sed reuera cibus hic purus, quocum Aristoteles ait pituitam alere posse, non est aqua simplex; aqua enim vere cibus non est, sed potus; differt autem eo cibus à potu, quod ille consistentem, & crassam substantiam obtinet, quare comeditur; hic autem liquor est, quem bibimus Ceterum sit aqua etiam cibus; sane purus non erit, neque simplex, vt ait Vir eximius; quia ipsi aqua simplex non alit, & aqua sensilis hæc nostra, quam bibimus, simplex non est, sed impura, & mista: Quare per cibum purum intelligere debemus (quod non detrectat Vir Clarissimus) cibum defæcatum ab omni excremento, & optimi succi, ac demus etiam vnicũ, hoc est paucum, cuiusmodi est sanguis, & chylus purior, & paucus: Et sane cum hoc cibo permista pituita nutrire potest, quæ per se alere non potest; quippe quum ad nutricationem promouendam necesse sit alimentum ab alenda parte beneficio insiti caloris trahi, recipi, retineri, concoqui, defęcari, & exclusis fæcibus in propriam partis naturam commutari; omnia hæc opera sui crassitudine, ac frigiditate impediens pituita sola nutrire nequit; nam etsi ab esurientibus membris expeteretur in alimentum, eam tamen crassiusculam per vias arctiores trahere, ac in se recipere non valerent: siue id forte multo conatu, & alijs adiuuantibus effecissent, ab eius frigiditate partium calor hebetatus nec eam probe concoquere, nec ab excrementis depurare posset exactius; quare obstantibus excrementis, quæ non sunt alendo corpori, nec in partium naturam vertere potuisset: Quod si vrgente necessitate crudior illa pituita in substantiam partium quoquopacto conuersa fuerit, sane huiusmodi alimẽto excrementoso nihil naturæ partis suppeditaretur in locum deperditæ substantiæ; atque quo plus pituitæ solius in alimentum corporis absumeretur, eo magis viuentis natura vitiaretur, morbosamque dispositionem contraheret; sic ergo pituita sola nutrire non potest, nec est ferax vtilis alimenti: Sin autem pituita permista sit cum cibo puro, id est purificato ab omni excremento, & optimi succi, facilisque coctionis, & pauco, siue iste sit chylus, siue sanguis, tunc profecto poterit pituita bene nutrire; nam cibus purificatus ab omni excremento tenuis est; tenuior hac ratione sanguis est chylo; cibus item facilis coctu tenuis est vna & calidæ naturæ; nam æque reluctatur calori concoquenti cibi crassities, atque frigiditas: Itaque huiusmodi cibus cum pituita permistus sui tenuitate illi crassitiem demit, eique vehiculo est per venas arctiores; suique calore illius frigiditatem temperat, qua non amplius labefactatus calor partis alendæ vna cum reliquo cibo & permistam illi pituitam concoquit, vertitque in alimentum; vbi tamen cibus ille purus extiterit; nam si multus fuerit purus ille cibus, intacta pituita

Labore cur absumatur pituita excrementum vtile.

Pituita ex se cur non alat, alat autem cũ aqua.

1 sect. probl. 15.

Cibus purus quocũ alit pituita, Arist. non est aqua.

Cibus purus quid.

Coctioni quæ resistant.

pituita ex eo solo nutrietur pars alenda, cui à natura insitum est ad sui nutricationem trahere quod melius est, vbi copia boni suppetat; vbi vero bonũ alimentum deficiat, sponte sibi attrahit quodcunque potest. Præterea si cibi nomine liceat communiter vti ad illud omne significandum, quod est proprie alendo corpori, seu solidæ substantiæ sit, seu fluidæ dicimus alimentum hoc, siue cibum purum cum quo permista potest alere pituita, esse vinum, quod absolute item purum, ac merum vocari consueuit; & a Galeno specialiter reponendum dicitur in genere ciborum, si quicquid alit cibus est; quum enim pituita, quæ cedere potest in alimentum corporis, sit sanguis ob caloris imbecillitatem non plene coctus, quo succo maxime affluunt senes, certe vinum & corrigendo pituitæ huius frigiditatem, crassitiemque, ac roborando caloris interni vires efficit vt semicoctus ille succus iterata vegetioris caloris actione perfectam coctionem subeat, & in probum sanguinem vertatur alendo corpori opportunum; quamobrem senibus vini vsus ab omnibus commādatur æque, atque ipsis expetatur, exerceaturque.

3. de alim. facul. cap. 40.

Pituita alendo corpori apta quid.

Senibus cur vini vsus optimus.

Theophrasto quomodo plantæ alantur aqua pura, quæ vere non alit. Cap. XCIII.

QVod postea experimento comprobatum dicitur, aliquos in summis inediis prorogasse vitam modico aquæ puræ auxilio, antea satis enodatum est, vbi ostendimus id aquam præstitisse citra omnem alimenti rationem aut hebetando aciē caloris mortem accelerantis, aut illum a substantia humidi radicalis ad se auocando. Quod autem mox propositum est ex Theophrasto alicubi asserente plantas ali aqua pura; id quidem apud ipsummet Theophrastum nobis legendum est; inquit enim tum aquas terrestres non parum conferre ad incrementum, & alimentum stirpium; tum salsas aquas nutrire quidem plantas quoque terrenas, sed deterius quam dulces; tum palmas commodius salsis humoribus ali; tum demum dulces aquas impotabilibus plus alere: obseruo autem Theophrastum in his tribuere vim alendi, non aquæ soli, vt credidit Vir doctissimus, sed aquę simpliciter; nos autem intelligimus de aqua mista cum terra, & stercoribus; & reuera id ipsum confirmat idem Theophrastus dum inquit, Aquarum mistura vtilis est, quum altera dura admodum, & quasi incocta, crudaque est, altera mollis, & placida; vel etiam quum aliquem terrenum saporem secum alterutra affert, vt in turbulentis, stercorosisque videmus humoribus; genus enim plantarũ tale alimentum omnino desiderat: Si ergo plantæ generatim omnino appetunt, postulantque in alimentum turbulentos humores, ac stercorosos; iam Theophrasto nulla stirps alatur sola aqua pura, vt asserit Viro egregio. Deinde vero illa etiā alere communiori ratione obseruamus, quæcunque absque eo quod vertantur in substantiam animati, huic versioni quoquopacto conferunt; sic vegetalis anima vere alens dicitur Aristoteli; sic etiam calor naturalis alimentum concoquens nutricationis est principium actiuum, licet instrumētale; non dissimili ratione aqua nutrimenti coctioni deseruiens, coctumque nutrimentum deferens, ac penetrare faciens per angustissimas vias nutricationi, & augumento maximopere conferre, atque iccirco alere hoc in loco a Theophrasto scribitur, non quia ipsa sola per se sit alimentum, vertaturque in stirpium substantiam.

Cap. 75. in fine.

2. de caus. s. p. 7. & 8.

Cap. 8.

2. de an. t. 49. & 50.

Aqua etsi Galeno dicatur bilescere, cur in sanguinem, & in alimentum conuerti nequeat. Cap. XCIV.

QVod ex Galeno affertur aquam in bilem verti posse, ac propterea in sanguinem, & in alimentum, secus est accipiendum; reuera enim Galenus eo loci non asserit aquam in bilem commutari, sed qui bile flaua redundant, præsertim circa ventriculum, iis epotam aquam bilescere, hoc est bilis amarore, & aliis qualitatibus infici, quod monet Hippocrates ibidem, cuius sententiā Galenus interpretatur; ait autem Hippocrates aquam biliosis amarescere, ac biliosam esse; hoc autem ideo contingit tum quia facillime in se admittit aqua omnes sapores, quum insipida sit; nullum etenim in se saporem obtinet, qui prohibeat extraneum; tum quia bilem, qua inspergitur, cuique commiscetur aqua diffundit, & pluribus membris communicat, vt videatur aucta bilis, quæ diffusa est accessu aquæ. Non ergo aqua proprie in bilem vertitur, etsi bilescere dicatur, sed solum hilem diffundit, eiusque sapore, qualitatibusque inficitur; sic eadem aqua si sali, aut croco, aut etiam felli adiiciatur, illico singulorũ qualitates induens vere dicetur salsa fieri, crocea, & fellea, non tamen in salis, croci, aut fellis substātiam vere mutabitur. Præterea vero bilis aquæ potu augetur, non solum quia per se ab aqua inducto visceribus frigore, à quo in angustis meatibus obstructio, adstrictioq; , vnde prohibito perspiratu per accidens ab aqua in bilioso corpore calor magis incenditur, & incensus humores in bilem commutat; verum etiam quia citra obstructionem, adstrictionemue, aquæ potu largiori biliosorum calor cogitur, & concentratione vires acquirit, ac efferatur, vnde bilis prouentus vberior; placet autem magis aquam sola concentratione calorem augere, quam constrictione, obstructioneue inducta; nam aqua sui fluxilitate, ac tenuitate obstructiones, & adstrictiones meatuum potius tollit, quam generet. Addere liceat in disputationem si demus aquam in bilem conuerti, non ideo fore vt ipsam in sanguinem, & alimentum transmutari posse concedamus; longe alia est enim bilis a sanguinis, & alimenti natura. Sed & Galenus, ex quo argumentum deducitur, apertissime illo in loco aquæ vim alendi penitus interdicit inquiens aquam non alere, ac proinde non roborare facultatem vitalem; quamobrem Hippocrates ægris aquæ vsum non concedit, sed ad mulsam, oxymeli, & vinum se confert.

3. de vict. acut com. 40.

Aqua, & bilescat Hip. & Galeno.

Aqua vt bilis prouentui faeciat.

Quo-

Quomodo Aristoteli aqua dicatur esse potius aqueũ quid, & mistum, quam aqua, & simplex.
Cap. VC.

2. De gen. t. 20. Sed caute quoque illud accipiendum est, quod adducitur ex Aristotele alicubi asserente aquã nõ esse simplex elementum, sed mistum, & aqueũ potius quam aquam; & proinde mista quum sit aqua, cedere ipsam posse nobis in alimentum. Inprimis enim Aristoteles non est eo loco explicandus quasi dixerit elementa non esse corpora simplicia, sed mista ex alijs corporibus; verum quia simplicis, & misti duplex est significatio; altera est simplex simpliciter, quod omnem penitus compositionem, mistionemque respuit; qua ratione simplicia sunt rerum principia, materia, & forma, potissimum elementi: quum elementum ex materia & forma mistum, seu compositum hoc sensu simplex non sit: altera est simplex in ratione corporis, nempe quod non est mistum, seu compositum ex pluribus corporibus; & hac ratione singula elemẽta dicuntur simplicia: loquens ergo Aristoteles de simplici, ac misto in prima significatione, recte inquit ignem, aquam, & alia non esse simplicia, sed mista, nimirum composita ex materia, & forma: simplicia vero sic reperiri, at non esse ignem, aut aquam, sed ignea, & aquea, cuiusmodi sunt materia, & simplices elementorum formæ; quę denominantur ab eo, cuius sunt principia. Ceterum alimentum debet esse mistum secundi generis, nimirum compositum corpus ex multis corporibus.

Simplex, et mistum quotuplex

T. 22. Deinde vero eidem Aristoteli paullo infra aqua dicitur mista hoc est non syncera, & impura ad ignis differentiam, ob adiuncta corpora alienæ naturæ, quæ in igne statim absumuntur: quum autẽ vel sensuum iudicio non mutetur aquæ natura ex alienorum adiunctione, aquã impuram dicemus, non mistum corpus ex quatuor elementis à predominio aqueum; mistum enim eam naturam obtinet, quę reuera sit, & sensibus appareat diuersa à natura singulorum simplicium; sic vapor nec aer, nec aqua est, aut videtur, sed mistum ex vtrisque ab vtroque diuersum. Præterea sapit mihi nescio quid Anaxagorici hoc placitum, quo dicitur aqua, & quoduis aliud elementum simplicis naturæ non esse, sed mistæ; aquam vero dici, quod in mistura ceteris prędominetur aqua, & ita de reliquis; quod placitum Anaxagoræ tribuit Aristoteles, & confutat.

1. Phys. t. 34. et seq. Amplius si demus disputationi aquam hanc sẽ silem fortiri aliquam misturæ rationem; haud tamen vnquam concedemus aquam esse mistum per fectum; at vero mista imperfecta non alere demonstratum est antea; & sane cui meteorologicæ passiones non alunt, quia mista non sunt perfecti generis;

1. de alim. c. 3. ei nec aqua nutriet, quæ à misto perfecto longion distant interuallo. Immo si aqua hæc nostra ideo in alimentum cederet ijs, quibus calor languidus est, quia simplex non sit, sed mista; sane calore pollentibus aqua simplicior inepta, crassior autem aptior esset ad alendum: quin & hausta nix alimentum exhibere posset ijs, quorum calor validior extat; at ex aduerso aquam destillatione ab alienis corporibus segregatam, & puriorem potui salubriorem esse statuunt Medicorum principes, quibus experimentum fauet. Sed hac de re antea fusius.

Quomodo in aqua gigni possint Aristoteli stirpes, & animalia, cui tamen aqua non alit.

Cap. IVC.

Quod præterea ex eodem Aristotele in eiusdem placiti confirmationem affertur à viro summo, nempe Generari plantas, & animalia in terra, & humore, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita ut quodammodo plena sint animæ omnia: quamobrem consistunt celeriter, quum calor ille comprehensus, siue exceptus est; comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa in naturam viuentem; hoc inquam Aristotelis decretum non arguit aquam, vel terram hanc sensilem in se gradum illum mistionis cõtinere, quo possint solæ cedere in materiam stirpium, ac animalium, vt censet vir acutissimus: sed perspicuis verbis Aristoteles agit de terræ, & aquæ mole tota in vniuerso, vt puta de mari, lacubus, & stagnis, in quibus oriuntur stirpes, & animalia, velut in locis; non autem putat ex aqua, & terra, velut ex materia sufficienti oriri viuentia: Porro viuentia hæc in terra, & aqua generari posse ait Aristoteles, quãdo vel terra, in qua humor sit, qui aerem, spiritus nomine appellatum in se habet, caloremque animalis conditorem, mitem scilicet, nõ excedentem, qui in vniuerso est genitus ab astris, comprehenderit: vel humor in terra existens, spiritumque in se continens, eundem calorem comprehenderit: ea est enim ipsius terrę vis, ac natura, quæ quum gremio mollito, ac subacto sparsum semen excepit, primum id occatum cohibet; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est; deinde tepefactum vapore, & elicit herbescentem ex eo viriditatem; quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit; culmoque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur; e quibus quum emersit, fundit frugem spicæ ordine structam & contra auium minorum morsus munitur vallo aristarum; quæ omnia elegantissime apud M. Tullium Cato Maior edisserit. Profecto terra, in qua est humor spiritum continens, quæ comprehensione caloris animatur, lutum est euidens, non terra sensilis, vt gleba: consimiliter humor in seipso aerem continens, atque in terra existens, qui comprehensio calore animatur, limus est, ac cænum, non aqua potabilis: secus enim glebam, & aquam potabilem calefacito soli, vel quomodocunque, nunquam inde animal, aut plantam exire videbis: Aquam item, ex qua per admistionem terrearum, & aerearum partium comprehensio miti calore plantæ, atque animalia nascuntur, si consideraueris; ea sane tibi non erit, quę sit potabilis, & præsertim qua nostri abstinentes vtebatur ad potum, sed limosa, turbulenta, & lutulenta; quod etiam tetigit pulchre Lucretius,

3. De gen. an. c. 11.

Locus Arist. illustratur.

Quatinus

Lib. 2.

Quatinus in pullos animales vertier oua
Cernimus alituum, vermisque efferuere, terram
Intempestiuos cum putror capit ob imbreis.

Vrticam marinam non ali aqua sola. Cap. IIIC.

ARgumentum vero ductum ab vrtica marina, quæ ideo aqua sola nutriri creditur Viro acutissimo, quia in eius corpore nullum aliud excrementum quam aquam solam piscatores inueniant, ad Peripati trutinam reuocandum est: Ecquidem Aristoteles non vno in loco apertissime statuit duo tantum vrticarum genera inter animalia marina; quorum alterutrum saxis adhærens est, altero tamen ad libitum a saxis plerunque se se absoluente, ad instar lepadis, ad venandum sibi echinos, & pectunculos in alimentum: altero scopulis semper insidente, atque inde ore capiente pisciculos casu sibi prænatantes, & modo consimili quæcunque se se obtulerint esculenta deuorante; quæ loca in Aristotele adeo clara, & insignia nescio quopacto vir Aristotelicæ doctrinæ studiosissimus aut dissimulare, aut insimulare potuerit: Quin & ipseidem Aristoteles tollit rationem allatam ab excrementi penuria; dum enim statuit omnes vrticas vesci pisciculis, echinis, pectunculis, & alijs id generis esculentis, subdit, excrementum nulla in vrtica esse videtur, sed hac re similis stirpibus est; claret admonet Aristoteles non solum habere vrticas, & reddere excrementum, quod sensui non pateat; plantas enim absolutè carere omni excremento negat Aristoteles; immo illis euidentia excrementa tribuit, semina, lanugines, cortices; verum etiam docet non ideo colligi vrticas aqua sola nutriri, quia sint excrementorum expertes; nam plurimarum stirpium excrementum sensile non est, quibus tamen alimento non esse aquam supra monstrauimus ex Aristotele. Sed vrticarum naturam ab Aristotele propositam cognouit, explicauitque Plinius inquiens vrticas noctu vagari, noctuque mutari; carnosæ frondis his naturam, & carne vesci, vim pruritu mordacem, eandemque quæ terrestris vrticæ; contrahere se quam maxime rigentem, ac prænatante pisciculo frondem suam spargere, complectentemque deuorare: alias marcenti similem, & iactari se passam fluctu algæ vice contactos pisces, attrituque petræ scalpentes pruritum inuadere; eandem noctu pectines, & echinos perquirere: dum admoueri sibi manum sentit, colorem mutare, & contrahi: tactam vredinem mittere, paullumque si fuerit interualli, abscondi: ora ei in radices esse: excrementa per summa tenui fistula reddi. Non ergo aluntur aqua sola vrticæ marinæ.

Lib. 4. hist. cap. 1. 4. hist. c. 6. 8. hist. c. 2. Vrticarū marinarū genera. Arist.

De som. & sen. cap. 5. 3. de gen. an. cap. 18. 2. de gen. an. cap. 3.

2. de gen. t 50. Lib. 9. capit. 45. Vrtica marinæ descriptio.

His itaque vel inuiti discedere cogimur à
sententia virorum sapientissimorum existimantium absti
nentes nostros
nutriri
potuisse aqua sola, quam
biberent.

Quinta opinio Clarissimi Viri putantis abstinentes commemoratos ali terra clandestinè comesa. Cap. IIC.

SAtis per ampla maria vagati, aduersantibus procellis multum iactati, nunc demum sospites littori appulimus; sed neque in terris desunt, quæ nos acriter exerceant, quum statuere non dubitauerit Vir egregius abstinentes nostros terra nutriri. Obseruatum esse inquit aliquando infantes, illos præsertim, qui peregrinis, pauperibusque nutricibus alendi committuntur, quum lactis penuria laborant, fame stimulatos manibus quodcunque obuium arripere, sæpissime vero terram, & carbones, & id generis aliud quoduis occurrat, & auide ori admotum ingurgitare: ingestorum natura sensim tenelli corporis temperiem sibi similem, atque adeo familiarem efficit, vt quæ vrgente fame primum necessario comedebantur, & famem quoquopacto lenientia non sine voluptate assumebantur, postea ob similitudinem naturæ adultis puellis mire appetantur, & assumantur assidue, clandestine quidem ob verecundiam, vel metum progenitorum, qui re animaduersa talium rerum esum illis interdixere: Sed vt aliquando euenit parentes hoc vitium in filijs animaduertisse, aliquando vero potuit hoc ipsum eos latuisse; ita quicunque supra modum ab alijs alimentis omnibus abstinere visuntur, eos clandestine ali terra, & calce de parietibus corrasa verisimile est. Immo & sponte vitiosus humor ad ventriculum irrepens cum in grauidis mulieribus, tum in masculis etiam adeo potest, Galeno, & Alexandro confirmante, vim appetendi deprauare, vt abhorreat homo consueta nutrimenta, & terram solam, aut calcem expetat, & comedat diuturna citta laborans. Suadet enim maxime hanc veritatem nostrorum abstinentium malus habitus, quem cum græcis cachexiam dicimus; hic enim quum nihil sit aliud quam prauorum succorum in vniuerso corpore abundantia, proculdubio ex prauorum esu alimentorum, excrementis admodum scatentium ortum habebit, non ex ieiunio; abstinentia enim redundantes in corpore humores cū bonos, tum postea prauos etiam absumit, non procreat: cuius argumenti vim roborant mulieres illæ prægnantes, quæ deprauato appetitu pica, seu citta morbo affectæ carbones, terram, testasque putres, & id generis alia deuorant; sunt enim omnes colore fœdo, & habitu cachectico: Desumitur & hoc placitum ex Hippocrate alicubi scribente, *Quibus colores, dum iuuenes sunt, ad multum tempus praui sunt, & continenter, non tamen regij morbi modo; hi siue Viri sint, siue fœmina, caput dolent, & lapides, ac terram comedunt, & hæmorrhoidas habent:* Id ipsum Celsus repetit inquiens, *Quibus diu color sine morbo regio malus est, hos vel capitis doloribus conflictari, vel terram edere.* Suadet hoc idem & Luporum natura, quos ex Aristotelis obseruatione fame cruciatos terram deuorare tritum est, ac propterea γεωφάγους appellari: & serpentium conditio, quibus hyeme delitescentibus

1. de sym. caus. cap. 7. 2. Probl. 74.

4. prorhet.

Lib. 2. cap. 7.

8. hist. c. 5

bus terra nutrimento esse dicitur. Buffones itidē terra vesci Scaligero vetus est. Vulgare quoque illud esse scribit Bonamicus, scilicet columbos vti ad cibum lateribus tunsis, & rubrica. Ex historijs addit lapidem ab elephanto, terram à struthiocamelo coqui, & a muribus in Insula Paro. Sed & apud Indos animalia reperiri nomine Armadilli, & Coderti, quæ in terra, veluti Talpæ degentia ex terra nutriantur, autor est Monardes in opere de Medicamentis Indiæ occidentalis. Et quum multa animalia lapides deuorent, omnium tamen maxime id efficit Cardano Lacertus indicus, in cuius ventriculo maxima lapillorum, & arenæ copia inueniri solet. Experimentis additur à Cardano ratio, nam quum omne mistum humido pingui præditum sit, & omne humidum pingue nutrire possit; ideo ex lapidibus etiam, ac terra nutrimentum habetur. Deinceps affert vir egregius, qui terram comedunt, eos ex illa & saliua in ore, ac humiditate pituitosa in ventriculo lutū sibi efficere, cui ab Aristotele nutriendi vis aperte conceditur. Præterea ex Bonamico affertur *fieri posse vt per aspirationem humoris interni afflante spiritu natiuo ferrum, aliaque huiusmodi, aliquid materiæ siccioris exhaletur, quo nutriatur; & vt ex ferro rubigo in locis humidis educatur, quæ cum alijs cibis permista fiat pars alimenti.* Vlterius adnotat vir præclarus terram, quam terimus, lapidesque, atque alia huiusmodi esse corpora mista euidentissime, aut saltem continere in se succum mistæ naturę, qui vt cedit in alimentum stirpium, ita & nobis nutrimento esse valeat, qui plantis alimur; quod enim plantis familiare alimentum est, tale item nobis esse necesse est, quibus plantę simile nutrimentum existunt; quia quæ similia sunt vni tertio, ea inter se quoque similia esse oportet; quemadmodum quæcunque sunt eadem vni tertio, illa & inter se necessario eadem esse dicuntur. Insuper autem quicquid animalium generationi materiam suppeditat, idipsum ijs in alimentum cedere potest; quippe originis, & alimoniæ materia semper est eadem; quum ergo ex Diodori Siculi testimonio mures magni certis temporibus in agro Thebano ex terra nascantur, quid ni terram esse alendo corpori confiteamur? Sed & homines ex humo denominationem sortiti esse ideo videntur, quia ex humo sola primum constituti, deinceps ali absolute possint: Vt demum in Physiologia nonnulli Theologizantes asseuerare non dubitent hoc præsertim conuenire homini vt nutriri valeat ex terra sola, ex qua sola primam habuit originem; quod & in sacris paginis admonemur Deum scilicet Optimum ad primi hominis constitutionem alia nulla materia vsum fuisse quā limo terræ: Ex terra itaque genitus primum homo, cur nouissime nunc ex eadem nutriri nequeat quicunque abstinere potest ab omni alio nutrimentorum genere? Sic igitur de nostris ieiunantibus opinatur Vir acutissimus.

Exer. 182 — 3. de alim. cap. 28. — 8. hist. cap. 26. — Lib. 2. cap. 2. — 7. de var. cap. 27. — 8. hist. c. 2 loc. cit. — Lib. 1. — Genes. cap. 2.

Expenditur allata sententia, ostenditurque primum abstinentes nostros terra, & calce non enutritos. Cap. IC.

PORro à famescentibus cum pueris, tum lupis, & ab vtero gerentibus, alijsque deprauatis appetitu deuorari terram vetus est; sed nullum pene animal esse, cui deuorata terra in alimentum non cedat, vitamque non sustineat, vetus non est: consimiliter & deuorari terram adultioribus, ac feminis vterum non gerentibus, nouum non est; in abstinentibus vero nostris vniuersim terram deuorari, & alimento esse, nouum est; siquidem quum plurimi eorum historiam texerint celebrati scriptores, & institutum vitæ summa cum diligentia obseruauerint solertes viri, nemo tamē de abstinentibus hoc prodidit, quod aliquis illorum saltem deprehensus sit furtim terram legere, calcemue sibi scalpere in escam; mirum est enim æque illos in hoc solum euigilantes vt si quid esset in ieiunio fraudis detegerent, aut clandestinū cibum non deprehendisse, aut deprehensum litteris non consignasse. Deinde quicunque solam terram, aut calcem comedunt, ijs non mediocriter sitiendi, ac bibendi necessitas incutitur ex aridissimo cibo; at vero plerique nostrorum abstinentium nullo potulento vtebantur custoditi (qui enim clam sibi terram, & calcem in esum corradere potuissent, haud consimiliter aquam, aut vinum ad leuandam sitim occulte furari poterant; quando hæc non vbique suppetant, vt calx, atque terra) qui vero citra cibum aperte bibebant, modice potabant, vt minime sitire viderentur: non ergo eos terra, & calce nutritos esse verisimile est. Deinceps autem quum ex terra, & calce parum admodum succi extrahi possit, quibus hæ in cibū veniunt, illos multa excrementa, eaque solida congerere necesse est; at vero custoditos abstinentes alui fæces occultare non potuisse cuique apertum est; quum ergo illos omni excremento caruisse constet ex omnium testimonio, ac potissimum excremento alui, liquido iam pateat ipsis alimento non fuisse terram, & calcem, lapidesue, vt scribitur. Præterea qui fieri poterat vt non omnes ita enutriti laborarent schyrro hepatis, & calculo, tophoue renibus, aut vesica, vel saltem arenulis? obstrui etenim par est venas iecoris tenuiores à limoso, ac terreo succo; par est ab eiusdem copia concrescere tophos in renibus, & in vesica, lapidesue, aut arenulas procreari ex terra lentore pituitæ suscepta, & conglabata: hoc enim apud Hippocratem legimus, nimirum pueris iam adultis lapidem gigni ex esu terræ. Sed medici quicunque abstinentes nostros contrectauere, nullam de huiusmodi rebus mentionem, aut suspicionem vnquam habuere; quum tamen hi affectus latere nequeant vel imperitos; adeo multis, ijsque grauibus, & euidentibus symptomatis stipati incedere consueuere.

4. de morbis. — Lapides pueris vel gigni tur Hippocrate teste.

Terram, & calcem nulli viuenti, ac præsertim nulli homini alimento esse posse. Cap. C.

Vide lib. 4 cap. 48. AMplius terra, & calx (si mista dicendæ sunt) mista sunt imperfecta, quæ non obtineant dispositiones proximas ad animam, potissimum *Non omne mistum esse alendo aptum.* ad animam humanam, quale opus est esse alimentum vertendum in substantiam humani corporis; non enim vnicuique formæ subeundæ quælibet materia est apta, sed ad aliam formam alia materia est idonea ex Aristotelis decreto, vt nobiliori *2. phys. 26.* formæ suscipiendæ inepta sit vilior materia: quare succus terræ stercorosus, & limus plantis, & insectorum vilissimis alendis oportunus, quorum formis vt proportionata materia subijci potest; cultoribus animalibus ideo nutrimento esse nequit, quia illorum formas digniores induere non valet: consimiliter fænum, palea, furfur pabulo sunt commodo iumentis; homini vero nutrimentum præbere nequeunt; quod supra notauimus etiam ex Galeni sententia; terra igitur, & calx ali-*Cap. 49.* mentum homini præstare nequeunt. Addere quoque poterit ex traditis de aere, & aqua superius multas rationes diligens lector, quibus aperte côuincat nec terram solam, nec lapides, corrasam ue calcem homini, ac præsertim nostris abstinentibus alimento esse potuisse; quas non est opus hoc in loco repetere. Illud tamen prætermittendum non est, alimentum hominibus ita oportunum, vt quoquopacto in eorum substantiam commutari *Quæ sint alimento essentialia.* valeat, vitamque ipsorum conseruare; quæ duo sunt cuique alimento necessaria, & essentialia in Peripato; alimentum inquam esse oportere mistû *2. de gen. 38. 39. 41.* quidem, sed cum prædominio humidi; primo quia ex Aristotele alimentum simpliciter humidû esse *2. de an. 47.* opus est; ac omniû animalium ea est nutricatio, vt *Vide lib. 4 cap. 49.* sanguinea solo alantur sanguine, exanguia vero nutriantur succo sanguini proportione responden*2. de gen. in cap. 2* te; ac proinde alimento natura humido; sanguis *Alimentum esse debere cum prædominio humidi.* enim est a prædominio calidus, & humidus; deinde quia nutrimenti vsus est ad auocandam caloris insiti vim a celeri consumptione humidi radicalis, seu etiam demus ad resarciendum humidum caloris actione dissipatum; at vero id præstare ne*2. de part. cap. 3.* quit alimentum nisi humidum; siccum etenim exacuet vim caloris, quo citius absumetur natu*Nutrimenti vsus qui sit proprie.* ralis humor, quem radicalem vocamus, & alimentum proinde animati mortem accerset, cuius vitâ conseruare debebat: quinimmo & humidum consumptum noui humidi appositione instauratur, *Humidû natiuum cuiusmodi sit.* non sicci: est autem humidum natiuum pingue, viscidumque, ac propterea succus cum prædominio aeris, & aquæ, non terræ; tertio quia ex eodê *2. probl. 14.* Aristotele homini plurimus vsus est humidi, nimirum ad melius subigendum, miscendumque cibû
1. in stomacho; ad coctionem cibi, quæ elixatio est
2. in humido; ad extrahendum alimêtarem succum
3. e substantia cibi solidioris; quod enim artifices plu
Septê principales vsus humi- rimi, potissimum autem chymici faciunt extractu ri liquores, & essentias de substantia duriori, vt ex oleis, amigdalis, rhabarbaro, & id generis, primum infundentes, ac macerantes materiâ in aqua opor*di ore ingesti.* tuna, deinde vi caloris vinculo aquæ alligatum suc*Extractio humidi, seu succi substantifici de sicco vt fiat.* cum extrahunt; hoc ipsum efficitur a natura in stomacho; nam aqua, & omnino humiditas cum solido cibo ingesta sui tenuitate permeat intimas, & altas partes cibi, & cum eius interno, ac substantiali succo permiscetur; dumque mox opera calo*Mira chylificationis ratio.* ris heterogenea segregantis humidum e sicco educitur, egrediens humiditas aquea, seu potulenta sibi suo lentore adiunctam humiditatem cibi secû ducit extra partes terreas; & ita nobis vsui est humidum epotum ad extrahendam humiditatem 4.
alimentariam de solidioris cibi substantia; & ad 5.
alimentum postea coctum vehendum per venas 6.
angustiores; ad tollendam sitim; ad humectandas 7.
partes, quæ assiduo motu exsiccantur; ad vehenda excrementa crassiora, sicciora que, atque ideo inepta fluxui, extra corpus: Quarto quia maior *Cur humidi maior copia consumatur quam sicci.* copia humidi a calore côsumitur quam sicci, quod minus facile solui potest in exhalationes ob sui duritiem, ac densitatem resistens maxime calori; quo autem maior humoris quam siccæ substantiæ diffluit, eo alimentum magis humidum quam siccû requiritur: Quinto, & postremo quia humanum corpus, cui simile debet esse alimentum in eius naturam conuertendum, a prædominio est calidum *Humanû corpus a prædominio calidû & humidum.* & humidum in temperamento, non autem frigidum, & siccum; argumento sit, quod viuacissimus est homo fere omnium animalium, & vita consistit in calido & humido ex Aristotele, qui apertissime in hanc sententiam conspirasse videtur in*De long. et bre. vit. cap. 3.* quiens, oportet enim accipere quod animal est natura humidum & calidum, & ipsum viuere tale; senectus enim frigida & sicca, & quod mortuum: sensu enim iudice id apparet in cadauerum dissolutione, quorum longe maior pars difluit in aquâ, *Lib. 36. c. 17.* quam ea sit, quæ residet in terram; legimus enim *5 de var. c. 19.* apud Plinium, & Cardanum *In Asso Troadis sarcophagum lapidem fissili vena scindi, in quo defunctorum corpora condita consumi adeo constat intra* *Cadauera maxima ex parte in aquam diffluere.* *quadraginta dies, ut exceptis dentibus*, Cardano autore *nil nisi terræ modicum ex his relinquat; indicio certo* (ait) *humanum corpus humidorum elementorum plus satis quam terræ possidere:* habemus quo*4. meteor. cap. vlt.* que apud Aristotelem (qua de re fusius in opere nostro *De reconditis antiquorum lucernis*) inueteratorum mortuorum corpora in sepulchris quibusdam solo contactu subito in cineres, & puluerem redigi, vt quæ solam obtineant figuram, cete*Cadauera sol figuram retinêtia qua Aris.* ra omnia perdiderint pristina: ceterum relicti pulueres, atque ideo terrea pars corporis antea viuentis pondere non æquabant partem totius animati octogenam; & quum in eo ad summum duo sint vulgo elementa ponderis ignara, ignis, & aer; quumque terra proportionabiliter sit ponderosior aqua, qua est natura grauior: remanente itaque terra ex dissoluto cadauere in tam exiguo pondere, collatione facta cum viuente corpore, multo que magis cum eius cadauere; id enim viuente *Cur cadauer est ponderosius viuente.* animali eo ponderosius est, quo maximam ignei elementi portionem in morte amisit, qua sustinebantur membra, & leuiora fiebant; sane confiten-

dum

dum est necessario animal & hominem esse a prædominio calidum & humidum. Sed neque prætereas ex Aristotele corpus animalis, ac præsertim hominis dici non posse a prædominio terreum, quia futurum est fere totum organum tactus, ac proinde in medietate tangibilium, quo nomine plantæ, pili, & ossa sensu destituta sunt. Si ergo tot nominibus opus est hominem vti nutrimento consimiliter a prædominio calido, & humido, non autem terreo; quomodo poterunt abstinentes nostri, vel quiuis alij hominum sola terra nutriri, & calce corrosa? terra enim dicetur cuilibet a prędominio frigida & sicca; itidem calx, extincta nimirum, quam corradere sibi dicuntur e parietibus, frigida & sicca erit; quod si adhuc in ea cōtendas vestigia seruari pristini caloris, non tamen diffiteberis calorem veterem ab aqua extinctū sui vestigia in calce lota frigiditati multum cedentia reliquisse; nec minus infitiaberis consumptam haud parum fuisse aquam calci admistam, vt calx vna cum arena parietem sustinens dicenda sit cum prędominio sicci. Non ergo terra, vel calx alimento esse potuit nostris abstinentibus.

3. de an. t. 66. *Corpus humanum non esse a prædominio terreū.* *2. de an. t. 125.*

Allatæ, proscissæque opinionis fundamenta diriμuntur, ostendendo primum abstinentes nostros non comedisse terram, nec ea nutritos, licet appetisse illam, suauiterque comedisse ponantur.

Cap. CI.

Quamuis autem rationes multæ ab eximio viro propositæ superius oppositum adstruere videantur, si tamen diligenti examine singulas cōtemplemur, nullam plane ipsius vota explere, sententiamque satis roborare comperiemus. Quod enim primum adducitur pueros multos ob famē deuorasse terram, concedimus vltro; damus insuper adultiores esui terræ assuetos ab eo more non desistere; fatemur plerosque verecundia, vel metu adeo clanculum terram hausisse, vt omnes latere potuerint: sed tamen animaduertimus plurimos innotuisse parentibus, & paucissimos hoc vitium penitus cælare potuisse ad iuuentutis ætatē; & si qui hoc effecerint, id euenisse quia nulla custodia, aut non diligenter obseruati fuerint: quare negamus omnes abstinentes enumeratos in tanto numero a tot custodibus exquisite obseruatos, diuque intra cubicula, vbi terræ copia non aderat, detentos terram, aut calcem comedentes latere potuisse. Negamus item illos terra, calceque sola enutritos vixisse; ad argumentum vero desumptū primo ab appetitu terræ, atque a suauitate in eius esu, quasi vtrumque hoc fiat ob similitudinem naturę instaurandę, respondemus appetentiam in nobis esse duplicem, morbosam, & naturalem; hancque subdiuidimus in moderatam, & immoderatam; sane vt moderatus appetitus nunquam nisi bona nutrimenta expetit; sic vrgente fame immodicus, potissimum in lactentibus alimenta a non alimentis nondum discernentibus, immodi-

Quamuplex sit appetentia in nobis.

cus inquam appetitus vacuum ventriculum quocunque corpore implere cupit: igitur infantes terram non appetentes primo terram deuorant, sic de alio quouis obuio corpore facturi, de cinere inquam, arena, calce, ac id generis; deuorantes autem delectantur, non vt a cibo, sed tanquam a medicamento replente molestam inanitionem stomachi: Vbi vero terram multoties ingurgitauerint, ventriculi eorum afficiuntur intemperie, iisque a terra deprauatur actio appetendi; quocirca & adultiores facti persistunt in appetenda terra, non quia ex eius esu iam contraxerint temperamentum simile, ea conuersa in naturam partiū, vt censuit vir insignis; sed quia terra temperamentum organi appetitus vitiauit sola qualitate mutāta, & cittam, picamque morbum in pueris induxit, quod & vitiosus humor alendo ineptus efficit in prægnantibus: vitiato autem appetitu, quid mirum si, quæ corpori alendo non sunt, expetantur, & hausta delectent? suaue nanque omne id est, quod appetitum sedat, siue alimentum sit, siue non; quum illud & Aristoteles admoneat saporem, quem suauem esse quisque nouit, non alere, sed alimenti condimentum exstere.

Moderatus appetitus semper bona nutrimenta expetit. *Cur pueri terram comedentes adulti postea illā etiam appetant.* *Citta unde.* *Suaue id est omne quod appetitum sedat. 2. de an. t. 28.*

Abstinentes non fuisse malo habitu, & cachexiam non esse abundantiam prauorum succorum, nec necessario semper fieri ab esu terræ, ac præsertim nostris ieiunantibus, si qui fuerint cachectici, suffragante Hippocrate, ac Aristotele.

Cap. CII.

Quod autem postea deducitur argumentum a malo habitu, quem a Græcis mutuato nomine cachexiam appellamus, primum soluitur dicendo falso accepi nostros ieiunantes omnes fuisse cachecticos; nam supra vidimus ex Augenio Villicam bono habitu dies viginti sine cibo potuque vixisse: ex Cardano virum iuuenem, pilis rubeis, habitu bilioso, non tamen cachectico (biliosus enim habitus decernente Celso cum secunda valetudine est, cum qua cachexia non est) trigesimam diem ieiunio clausisse: ex Alberto virum melancholicum septem hebdomadas ieiunasse: ex Cistesio tum Lucomoriæ populos (quos omnes habitu malo affectos esse probabile non est) quotannis quintum mensem abstinentiæ concedere; tū puellam Consolentaneam signis boni habitus affluentem, mali prorsus vacuam triennali ieiunio claruisse: ex Langio Spirensem puellam facie non illiberali, fuscam, & iusto corporis habitu duum annorum ieiunium produxisse: ac demum, ne plura huc exempla congeram, ex Leuino Hulsio puellulam viuidam, roseam, bene constitutam, formosamque, viuidis, & vigentibus oculis integro, & cōtinuo septennio ne tantillum cibi, aut potus per gulam transmisisse. Deinde vero si qui abstinentium nostrorum malo habitu extitissent, haud tamen proinde oportebat illos terra, & calce nutritos asseuerare; nam terra solum sui crassitudine obstruente vasa iecoris, non item cedente in alimentum

Lib. 2. cap. 13.

mentum

Terra comesa vitia cachexiam, & atrophiam gignat.

mentum partium; vel etiam tenuiori sui parte diluta per venas ad membra singula collabente, quũ verti nequeat in illorum substantiam, ipsorum temperamentum vitiat,& vna cachexiam, & atrophiam gignere potest, quæ facile hydropem accersant, & interitum; attamen abstinentium nullus hydrope laborauit,ac plerosque omnes diu vixisse legimus. Deinceps autem obseruare liceat ex Galeno longe à veritate abesse Clarissimi viri placitum, quo statuitur cachexia esse prauorum succorum in vniuerso corpore abundantia; hoc enim vitium humorum est, quod cacochymiam Græci nuncupant; quum cachexia nuncupata malus sit corporis habitus in vitiata temperie consistens, non in affluentia prauorum humorum; quare abstinentes diu etsi caeochymi esse nequeant, cachectici tamen esse possunt, vitiata partium omnium temperie cum iecoris obstructione solius aquæ potu. Demum vero quid prohibet abstinentes etiam ab aquæ potu, & ab omni alio potulento, esculentoque, cachecticos fieri vel ab intemperie vniuersi corporis colliquante; vel a tetro aue halitu inspirato, aut vapore qualibet ratione partibus communicato? his enim potest partium temperies, & color vitiari citra esum terræ, aut calcis. Quod affertur de prægnantibus, quæ terram, testasque, aliaue id generis deprauato appetitu, picaque morbo affectæ deuorando cachexiam contrahunt; propositum viri doctissimi satis non cõfirmat; vt enim concedimus vtero gerentes comestione terræ cachecticas fieri posse; ita sustinemus cum has, tum alios a terra penitus abstinentes cachexia infici posse, quod nuper ostendimus. Hippocratis autem locus allegatus ex interpretatione celsi nobis aperte magis quam egregio Viro suffragatur; nam quod inquit Hippocrates, *Quibus iuuenibus colores praui sunt ad multum tempus, & continenter citra regÿ morbi præsentiam, hi tum viri, tum feminæ caput dolent, & lapides, ac terram comedunt, & hæmorrhoidas habent*; interpretar Celsus disiunctiue inquiens *Quibus color sine morbo regio malus est, hos vel capitis doloribus conflictari, vel terram edere*, addendum nobis ex Hippocrate reliquit, *vel hæmorrhoidas habere*, interpretabimur tumidas, & dolentes: Vnde iam constet fædum colorem, malumque corporis habitum vere ieiunantibus inesse posse citra esum terræ à caussa ea, vnde nascitur dolor capitis, & ab hæmorrhoidibus, quemadmodum & inest terram comedentibus ab eius esu: Vt autem ob esum terræ cachexia fit deprauata partium temperie à fordido succo membrorum substantiam alere nequeunte; ita malus habitus oritur à dolore capitis (si dicere sic liceat) velut a consigno grauis intemperiei visceris præcipui, quæ ceteris etiam membris communicetur; compatiuntur enim singulæ partes principibus: nihil ergo mirum si à vehementi calida qualitate capitis dolorem inferente læsa præcipui membri temperies, reliquarum partium sensim temperamentum vitiando cachexiam procreet; quum enim à membro quouis principe in totum corpus aut sanguis, aut spiritus, aut vtrumque influat; sic ab hepate sanguis, à Corde cum sanguine spiritus vitalis appellatus, à Cerebro solus animalis spiritus in vniuersum corpus diffunditur: quoniam vero vbique orta suorum principiorum affectiones obtinent cum bonas, tum etiã malas; propterea fit vt vitiata Cerebri, vel Cordis, vel hepatis temperie, sanguinem, ac spiritum vitiosum inde prodire necesse sit, qui ad partes vniuersas appulsus quid mirum si & illarum quoque temperiem vitiet, atque ita cachexiam inducat? quid mirum item quod cerebri temperiem male afficit, vna dolorem capitis afferre? ira ergo Hippocrates attulit cachexiam veluti consignum doloris capitis, & signum intemperiei cerebri; à qua tum dolor, tum malus color emergit. Idem sane malus habitus apertum indicium est hæmorrhoidarum non apertarum; quia repletis venis illis fęculento sanguine, qui exitum non habeat, necesse est cohibitum illum, stagnantemque ibi feruescere, ac putredinis notam contrahere, atque vapores ad vniuersum corporis ambitum tetros halare, qui omnium membrorum temperie vitiata malum habitum inducant: Non ergo quicunque cachexia deformes conspiciuntur, hi protinus terram deuorant, sed cum disiunctione dicendum apud Celsum ex Hippocrate hos vel terram deuorare, vel caput dolere, vel tumidas, & cæcas hæmorrhoidas habere: Si qui vero ex nostris abstinentibus cachectici fuere illos dicimus non ex esu terræ malum habitum contraxisse, sed vel ex intemperie visceris præcipui, quę vna capitis dolorem peperit, vel ex hæmorrhoidibus clausis, tumẽ tibusque, vel etiam ex vtraque caussa posteriori. Quæ omnia satis aperte confirmat Aristoteles alicubi quærens *cur pedibus intumescere soleant qui fame diutina laborant, vel* λιμώδεσιν *vertit* Gaza; *qui cibo vitioso vescuntur*, melius forte solers Guastauinius ex Hesychio, *Cachectæ, seu malo habitu detenti*; ait enim id fieri διὰ τὴν σύντηξιν. hoc est Theodoro *per tabem, & consumptionem*, Guastauinio autem *per colliquationem*; quæ versiones licet varię sint, proposita nihilominus a nobis theoremata mirifice comprobãt; ex Theodoro etenim dicens Aristoteles tumorem pedum in his, qui prauo cibo vescuntur, esse ob tabem, & consumptionem, quia vitiosis edulijs ingestis non perfruimur, & ideo tabescimus, consumptisque solidis partibus, defluente ad pedes aqua, malus habitus contrahitur; manifeste innuit abstinentes nostros si solam terram comedant, ea non posse perfrui, nec ali, & diu in vita conseruari, licet eius vsu tabem incidant cum tumore pedum, quę sunt conditiones cachexiæ; dicens item pedes in diuturna fame intumescere ob tabem, euidenter admonet abstinentes nostros absque vllo ciborum, etiam prauorum vsu fieri posse cachecticos; tumor enim pedum, quo de agit nunc Aristoteles, proprietas est mali habitus. Ex Guastauinio consimiliter scribens Aristoteles malo habitu detentos pedibus intumescere ob colliquationem, cuius effectus tabes est; siue prodeat cachexia ex vsu prauorum ciborum, siue alia ex caussa; non tollit quo minus abstinentes

4. meth. cap. 4. Cachexiã non esse prauorum succorum redundantiam.
Cachexia quid.
Abstinentes cacochymi esse nequeũt, sed cachectici, & cur.
Cachexiã nõ esse vbique à terra comesa.
s. prædict.
Hippocratis locus interpretatur.
Lib. 2. c. 7. Celsi locus illustris.
Principi aliis partibus compatiuntur, & cur.
Membri principis officium.
Orta suorũ principiorum qualitates retinent.
Cachexiã veluti signum doloris capitis quomodo afferat Hip.
Cachexia vt ex hæmorroidibus oriatur.
1. probl. 5. Arist. locus illustratur.
Ex prauo cibo vt oriatur cachexia Arist.
Cachexia sine vsu alimentorum.
Colliquationis effectus tabes.

Cachexia vt fiat ex colliquatione.

stinentes nostri sine terræ, aut calcis esu possint pedibus intumescere ob colliquationem, & cachexiam contrahere: Admonens autem esurientes ob colliquationem pedibus intumescere, iam clare docet ieiunantes nostros ab omni alimento abstinentes malo habitu corripi valere; colliquationem uero hanc esse caussam cachexiæ, ac speciatim pedum tumoris obseruat Hippocrates aliquando inquiens in Hydrope, in qua ob caloris imbecillitatem huiusmodi colliquatio contingit, uentrem magnum fieri, & crura impleri aqua, supernas autem partes corporis attenuari; quibus cachectæ idea repræsentatur ad uiuum; ratio uero qua colliquatio speciatim pedes tumidos efficiat, sic e nostris principijs colligitur; nimirum in fame tum quæ in abstinentia uiget, tum quæ in prauorum comestione, quibus assumptis non perfruitur animal, necessario calor insitus alimentis non deflectitur, auocaturque vllo modo à consumptione radicalis humidi, cuius absumptione calor & ipse fatiscit; imbecillitate contracta labefactatus calor ita circa substantiam solidarum partium versatur, vt iugiter absumens in eis partes aereas, & pingues, vt quæ facile in ignem conuertuntur, aqueas illius misti portiones regere nequeat, nec dissoluere in halitus insensiles, vt prius efficiebat vegetus; sed nunc debilis calor aqueas partes sinit effluere; illis autem impetus quum sit ad inferna ob insitam sibi grauitatem, sponte labuntur ad pedes, quos ideo tumidos efficiunt; partes vero superæ consumpta humiditate aerea caloris opere, defluenteque ad infera humiditate aquea, & exoluto calore, tabidæ, aridæque remanent: Quæ vt plana fiant, paullo altius petenda res est, scilicet In quauis parte solida, quæ mistum corpus est ex quatuor elementis, reperias tum calorem insitum, qui nihil est aliud quam portio misti ignea, & quarta qualitas in temperamento à contrariorum mistione temperata; tum humidum radicale, quod est pars misti aerea; tum humidum aqueum; tum quoque siccum terreum: ab hoc nanciscuntur partes consistentiam, & soliditatem; ab humiditate aquea cohærentiam, & decentem tumorem; ab aerea, quæ pinguis est, ac lenta, calor vi deorsum in viuente corpore detinetur, alioqui sponte sursum petiturus; à calore demum pars efficitur idoneum animæ subiectum, & organum; Sed calor hic in temperamento, ignisque portio in misto viuente iugiter consumere tentat humidum aereum pingue, quo vi deorsum detinetur, vt sursum queat sublato impedimento euolare; cito autem consumit illud vertēdo in ignem, quia facilis transitus est inter symbola decreto Aristoteleo: sed consumpto humido aereo calor aqueū paullo post discutit in flatus, vel in halitus insensibiles, vel ducit secum extra corpus in sudores, vt exhalatio fumida vaporosam eidem Aristoteli; vel etiam regurgitare facit denuo in venas, & relegat ad vesicam vrinariam: his autem humoribus consumptis, calor & ipse fatiscit in animali, non quidem vt inquiunt ob defectum pabuli, sed cum refractus in ijs absumendis, tum partim euolatus ad æthera, sublato aliqua ex parte obstaculo: partes vero terreas ob duritiem non multum absumit calor mitis, quo fit vt ossa, & senum corpora minimum decrescant longitudine, sed incuruentur, ac sint duriora iuuenilibus, hæc vero puerilibus; & propterea senibus solidiora nutrimenta postponenda humidis, præsertimque vino, quo maxime reponitur in partibus nouus ignis, aer, & aqua in locum absumptorum; iuuenibus vero magis apti sint solidiores cibi ad augumentum solidarum partium: Ceterum natura huic humidorum consumptioni à calore, & calori defectui cōsuluit alimentis, quę versa in substantiam partium nouos humores, nouasque partes igneas, terreasque in locum absumptorum reponunt; Vbi vero diu abstineat homo, calor natiuus non refectus alimento, in longiore fatigatione adeo fatiscit, vt cōsumere quidem valeat humorem pinguem & aereum, sed non regere, ac moderare aqueum; qui quum sustineri etiam posset ab aereo; nanque Aristoteli elementa digniora in misto, vt supera in vniuerso, relata ad viliora, & inferiora, vices obtinent formæ ad materiam; formæ vero proprium eidem est continere materiam: Ita ergo in diuturna penuria nutrimenti calor innatus longiori operatione in consumendo humido aereo fatigatus; humorque aereus consumptus quum sit maxima ex parte, superstes aqueus, qui à calore blando non ita facile dissipatur, quum ei obnixe resistat, non habens quo contineatur, ad quas propensus est, ad infernas partes de supernis labens graciles reddit superas, & pedes tumidos efficit; Quā theoriam mirifice confirmes ad aures Aristotelis ex obseruatione putrescentium; nam quæ putrescunt, id patiuntur vt ab externo calore tum absumatur humiditas pinguis, & aerea; tum præcipue calor insitus foras euocetur à calore consimili, & eo facilius, quo non solum sponte inhiat extra mistum ad supera, sed etiam sublata est pinguis humiditas lentore suo illum vi retinens cum ceteris alligatum in misto; euocato autem calore, aereoque humido consumpto, remanent aqueæ, terreæque partes; aquæ vero humiditas non habens amplius quo coerceatur, ac terminetur, primum diffluit ex intimis terræ partibus ad extimas ab illis omnino separanda, quo tempore apparent putrescentia maxime humida; demum effluxa iam aqua remanet nuda terra sicca, & arida: Sic in viuente corpore, atque adeo in homine contingit, vt calore consumente humiditatem aeream, & ideo fatiscente, partes aquæ diffluunt à membris superioribus, quæ idcirco attenuantur, ac tabescunt arescentia in pedes, qui propterea tument. Sic igitur cachectæ possunt esse ieiunantes ab omni cibo penitus, ac etiam ab esu terræ, aliorumque prauorum abstinentes.

4 de morb. in fine.

Colliquatio cur tumidos pedes efficiat.

Colliquationis, ac tabi, mali que habitus theoria. Calor insitus quid. Humidū radicale quid. Vnde partes habeāt soliditatē, & consistētiam. Vnde cohærentiam, & tumorē. Calor qua vi detinea tur in corpore. Caloris vsus in parte solida. Caloris actio in humorem. 2. de gen. c. 35. 2. meteo. cap. 4 & 38.

Calor cum sum pto humido quo fatiscat, si nō ob defectū pabuli. Cur ossa non decrescant post finitū longitudine, at senum corpora, sed incuruentur potius. Senes cur alimenta solidiora humidis, ac vino postponere debeant vera. Alimenta vt consulant absumptis humidis, & solidis. Aer in misto vt possit aquam sustinere. 2. de gen. t. 50. 3 ph. t. 67 4. cęl. t. 35 4. meteo cap. 1. Quo pa[ct]o putred[o] ...

Cur putrescentia primo humida, post sint arida.

Lupi fame vrgente cur terram comedant, si ea non aluntur. Cap. CIII.

QVæ postea dicuntur de Lupis, eos nempe cruciatos fame terram deuorare, ac proinde γεώφαγους appellari, ab Aristotele velut aliena pro- *8. hist. c. 5* muntur, non ex propria sententia proponuntur; inquit enim ab alijs dici lupos esurientes terram deuorare, non audet ipse id absolute pronunciare. Deinde vero monet Aristoteles lupos, quum esu- *Lupi esurientes quã terram comedant.* riunt, edere terram quandam, non terram quamcunque indifferenter; quare suspicari liceat huiusmodi terram non esse hanc vulgatam, qua de agimus, sed aliquod inter terræ species numeratum medicamentum: Magnus Albertus ait eam esse *7. de animal. c. 5.* terram tenacem, quæ glis vocatur, & argilla: Porro autem lupos ea terra vti non ad alimentum corpori subministrandum, sed ad medicamentum fami sæuienti, ac iam morbificæ, bellissime declarat tum terræ glutinosæ illius conditio, quæ optime lenire potest sensationem tristem, & extendere *Terra lupis quomodo famem tollat.* corrugatum ventriculum ac temperare si quid in eo fuerit acrioris humoris famem exasperantis; tũ quod mox subdit Aristoteles inquiens terram aliquam in fame comedere luporum esse peculiare, ad differentiam esus herbarum, qui ad morbos tollendos communis est lupis, & canibus; ceterum *Canes, et lupi morbos curant esu herbarum.* ad alimenti penuriam infantes etiam terram ingurgitant, vt hoc iam non sit luporum peculiare: Ac sane mihi magis probatur Aristotelis sententia statuentis lupos esurientes deuorare terram tanquam medicamentum tristis illius sensationis in ore ventriculi, quam opinio Alberti asserentis lu- *Alberti sententia postponitur Aristoteli.* pos terram deuorare vt grauitatem sui corporis augeant, qua facile obruant pondere animalia quædam maiora, quæ inuadere lupi consueuere; sic enim haud oporteret terram comedi lupis esurientibus, sed prædiaturis: tum vero tantum terræ citra vitę dispendium non possunt deuorare lupi, vt inde grauescant adeo, quod pondere illo aduentitio maiora comprimentes animalia suffocent: sed illud etiam addere possis lupos non pondere, ac mole corporis animalia comprimere, sed pugnare, ac iugulare dentibus. Si ergo verum est lupos terram edere, quum esuriunt, quando Aristoteli ea non est terra communis, nec vsui veniat lupis vt alimentum, sed vt medicamentum; iam non colliget inde vir Clarissimus terram alere, atque illa sola clandestine nutriri nostros abstinentes. Im- *38 probl. 5. & 6.* mo quemadmodum sitis Aristoteli definitur esse cupido & alimenti, & refrigerij adeo vt quædam *Sitis cupido est alimenti. & refrigerij.* potulenta sitim ea ex parte sedent, qua est appetitus refrigerij, non item alimenti, cuiusmodi est aqua; quod antea fuse ostensum est; ita quamuis fames moderata, & naturalis sit appetitus cibi tan- *Cap 58. 61 & sequentib.* tummodo; immodica tamen iam naturæ infensa, & sanitatis metas præteriens fortassis esse poterit appetitus medicamenti, quo leniatur, ac sede- *Fames quę sit appetitus medicamenti, & non alimẽti.* tur tristis illa sensatio in ore ventriculi, ac tollatur eius nimia corrugatio prope ad conuulsionem accedens; quocirca dari poterunt, quæ in fame vehementiori expetantur, & assumantur, non vt alimenta, sed vt medicamenta lenientia tristem sensationem ventriculi tollẽdo eius corrugationem, ac fere contractionem, quæ tristem illum sensum efficiunt; corrugatum autem, & contractum ventriculum extendere poterunt mole sua, suoque pondere ingesta omnia corpora, sed suauiter glutinosa; quid ni ergo terra tum lupis, tum infantibus famelicis hac ratione vt medicamentum assumatur, non vt alimentum?

Serpentes etsi latentes non ali terra, & cur terram comedere dicantur.

Cap. CIV.

DE serpentibus agens Aristoteles nunquam illis terram in alimentum concessit, sed ali- *8. hist. c. 4* quando illos omniuoros esse ait, quia carnẽ edant, *Serpentes vt Arist. dicantur omniuori.* & herbam; ex quo loco Peripato initiatus necessario colliget serpentes non ali terra, eamque non comedere, sed in alimentum assumere sibi plantas solum, & animalia; secus enim vere dici non potuisset ab Aristotele serpentes omniuoros esse, quia carnem comedant, & herbam, si præter hæc terra comedi posset, ac alere. Nec sane quia hyeme lateant in terræ cauernis, ideo terram serpẽtes *Latentia hyeme in cauernis non ali terra.* in nutrimentum sibi deuorare dicendum est; tum quia ibi præsto herbas parietibus speluncæ innascẽtes, & animalia possunt habere, quibus alantur; tũ quia & his deficientibus toto eo tempore sine cibo viuere posse monet Aristoteles dum statuit ser- *Ibid.* pentes, & phalangia diu sine cibo vitã producere, deducto experimento a pharmacopolis, qui multũ temporis absque pabulo serpentes seruant. Quod *Genes. 3.* imperatum est serpenti ab immortali Deo terram comederet cunctis diebus vitæ suæ, non angues respicit vulgares, de quibus agimus, quorum escã ex putri, cœnosoque limo esse posse nõ infitiabor, ex quo eorundem generatio, non ex terra sola esse valet; sed antiquum humani generis hostem, cui eo præcepto indicitur, vt intactis animis pie, ac iuste viuentium, rabidos exerceat semper dentes solum in terram, hoc est tum in corpus mortalium, quod creatum est e limo terræ; tum in eos, qui terrena solum sectati post mortem Satanæ cruciandi committuntur; illud euidenter pateat in Iob; hoc autem in diuite, qui epulabatur quotidie splendide Lazari non misertus: sed hæc Theologis relinquamus.

Bufones terra non vesci communi, & argumento non esse ad humanum alimentum demonstrandum efficaci.

Cap. CV.

BVfones vero pariter in genere insectorum tum plantas, tum quoque animalia sibi deuorant in alimentum, non terram solam; quod animaduertisse, ac explicasse decebat acutissimum *Exer. 183 ar. 1.* Scaligerum de animalium cibo ex instituto agentem, & de rerum subtilitate sibi proposita philo-

ſophantem, deditaque opera Cardani placita religioſe nimis conuellentem. Ac ſi velis cum tanto viro bufones terram comedere, terram illis vt in originem, ita in alimentum dabimus cænoſam, & putrem, e qua ſibi familiarem, congenerémque ſuccum haurire valeant; terram ſolam non dabimus: ſed tamen proinde non colligas & homines conſimiliter poſſe terra nutriri: quum enim alimentum trahatur ab alendis partibus ob ſimilitudinem eſſentiæ, tam diſſita eſt natura bufonis ab humana, vt quemadmodum bufonis ſubſtantia homini venenum eſt, non alimentum; ita ſuccus illæ terræ lutulentæ, quem bufones hauriunt, nobis veneno item, non alimento vlla ratione ſit exiſtimandus.

Bufonum ſubſtantia venenum.

Columbi cur tunſis lateribus, & rubrica veſcantur, ſi terra non aluntur. *Cap. CVI.*

OBſeruatio autē doctiſſimi Bonamici de Columbis, quibus in cibum proponuntur tunſi lateres, & rubrica, addimus & placitum Nemeſij, cui Coridi, & columbæ, ſæpenumero & perdices terram pro cibo habere dicuntur, egregij Viri ſententiam ſatis in communit, nobiſque non perſuadet hominibus alendis aptam eſſe terram, quā terimus, quia quod vni ſpeciei animalium congruum eſt alimentum, non protinus alteri opportunum eſt item; aluntur veratro ſturni, cicuta coturnices, paleis, ac fæno iumenta, quorum nullum homini alimentum eſſe poteſt, ſed veratrum eſt medicamentum, cicuta venenum, fænum, ac palea excrementum inutile. Deinde vero columbis ſi ſolos tunſos lateres, ſolamue rubricam (quæ terra eſt colore minio proxima μίλτος græcis appellata) neque inde alentur, neque fortaſſe comedent, ſicuti nec homo ſolum ſalem, aut piper comedet, qui tu ſum edulijs permiſſum iucunde ingerit: ſic ergo putamus communiceri trituram laterum, & rubricam alimentis columborum vt illis reddantur ſapida, & ſuauia, quomodo & noſtris alimentis ad condimentum tritura ſalis inſpergi conſueuit: Et quemadmodum illa edulijs gratum ſaporem conciliant, ita corpori nullum alimentum afferunt, ſed condimenti munere functa, cum excrementis reliquis demum extra pelluntur: Idemque iudicium eſto de terra, quam cum alijs cibis ingerunt infantes, & adultiores citra morbo laborantes, nimirum expeti ad ſuauitatem, ac vt condimentū, & cum excrementis propelli foras, & ad cutem.

De nat. hom. c. 2.

Rubrica quid.

Terra gratiæ & infantib. devorata cum excrementis redditur.

Elephas Ariſtoteli quomodo lapidem voret, ac terram; & de vſu Opij apud Aſianos. *Cap. CVII.*

QVod ex hiſtorijs affertur, lapidem ab Elephanto coqui, Ariſtoteli non conſentit, qui ſtatuit elephantem lapides interdum deuorare; mihi enim longe aliud eſt deuorare, & coquere; quum & pueri ceraſiorum nucleos deuorent, non autem concoquant, ſed integros cum reliquis excrementis aluo expellant, ex ijs nihil nutrimenti haurientes. Addimus ex Ariſtotele, ſi terram comedant Elephanti, ægrotant, niſi ea frequenter vtantur; nam ſi frequenter, nihil mali ſentiunt; certum indicium illis terram non alimento, ſed medicamento eſſe, quo ſi abſtineant, morbus inuadat; quum impune poſſit quodcunque animal ex multis alimentorum ſpeciebus vnam ſemel ingerere, ac deinceps ea nunquam vti, vel raro vti; quid enim mali contrahat quis eſum piſcium, vel ouorum non frequentans, ſed intermittens, ac penitus omittens? Sed quod Elephanto euenit ex eſu terræ, id ipſum & hominibus Aſianis contingere videtur ex vſu opij; quicunque ſiquidem eius eſui aſſueti ſunt, ſi abſtinuerint, ægrotant, & vitæ diſcrimen ſubeunt; quod obſeruauit Garzias ab Horto: Opium tamen alimento non eſt, ſed medicamento, ac veneno, vt placuit Dioſcoridi, Galeno, Aetio, & Plinio aſſeuerantibus illi vim ineſſe non ſoporiferam modo, verum, ſi copioſius hauriatur, etiam mortiferam; ſic interemptum Licinij Cecinnæ prætorij viri patrem in Hiſpania Baiulicum, quoniam valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet: item pleroſque alios: vt propterea inter venena reponatur à Nicandro in alexipharmacorum opere his verſibus belliſſime a Gorræo Latio datis

8 hiſt. c. 26.

Nō omnia quæ deuorantur, coquuntur.

Hiſt. ſimpl. arom. cap. 4.

Opij vim Lib. 4 cap. 60. 3. de ſimp. cap. 4. Lib. 6 & 17. & 18 Lib. 20. cap. 18. Vid. diuerſam quo abrūpat.

Fecundi lachrymam quicunque papaueris hauſit,
Hunc ſopor altus habet, glaciali frigore ſummi
Torpeſcunt artus, nec lumina ·æ·a recludit,
Commiſſis ſed vincta genis immota tenentur.
Vndique permulto corpus ſudore, graniique
Extillat, pallet facies, ſunt ſtruida labra:
Vincula malarum ſoluuntur; anhelitus imo
Exiguus, frigenſque ſimul ſpiratur ab ore.
Sæpe etiam obtorta nares, vel liuidus vnguis,
Aut oculi ſunt certa cani præſagia mortis.

Sed redeamus ad penſum. Non itaque vtuntur Elephanti terra, & lapide ad nutricationem, verū ad præſeruationem a morbis, ceu medicamento, vt Indi opio exigua doſi; nam multo ceu veneno interirent haud ſecus ac Licinij genitor.

Camelus cur biberitur fontem pede turbet; Struthiocamelus autem cur terram, oſſa, lapides, & ferrum comedat; an ea digerat ſibi in alimentum. *Cap. CVIII.*

QVod autem de Struthiocamelo affertur, nimirum terram coquere, addunt alij oſſa, lapides, & ferrum, ſigillatim expendendum eſt: ſane coctionis nomen tam late patet, vt ex Ariſtotele conueniat omni alterationi cuiuſcunque materiæ à calore noſtro, ſeu illa ſit alimentum, ſeu excrementum, ſeu pus, ſeu alterius naturæ; quāuis præcipua illius notio cibi digeſtionem, tanquā nobilius, ac principale magis analogatu à natura intentum deſignet: quum ergo terra in ventriculo poſſit vi caloris quoquopacto alterari, ac præparari, non quidem ad nutricationem, ſed ad faciliorē exitum, vel ad promptiorē coctionē alimentorū, vel ad conciliandum alimento ſaporem, vel ad curandum morbum, vel ad præſtandum aliquod aliud animanti emolumentū; quidni eā à Struthiocamelo

4. meteor. cap. 3. Coctio cuil alterationi conuenit.

Terra vi in ſtomacho digeritur coqui.

camelo coqui dicamus existimantes tamen illam ipsi non cedere in alimentum? Et certe vti verisimile est Camelum bibiturum pede aquam turbare non alia de caussa, quam vt saporem admista terra aquæ sibi gratum conciliet, limpidam velut insipidam, sibique ingratam respuendo; quod notat Magnus Albertus asserens *Camelos bibere aquã turbidam, siue turbatam, puram autem non libenter bibere*: Sic probabile videtur Struthiocamelos ferrum, lapides, ac terram deuorare ad condimentum, & saporem suæ naturæ gratum ingestis alimentis impertiendum. Ossium vero alia iam fit ratio; namque in ossibus alimentarius succus inesse potest, quem calor ventriculi foras euocet in congruum animalis nutrimentum: Quod si ossa minutatim concisa calore vegeto contendas à Struthiocamelo in alimentum digeri; ex Magno Alberto habebis ossa magna in frustula redacta à Struthiocamelo auide ingesta, sed non habebis ea omni ex parte in alimentum conuersa: Quin & canes alimentarem succum ex ossibus ex sugentes nihil aliud inde struthiocamelos haurire probabili satis argumento demonstrant. Nisi ad alimentorum ingestorum faciliorem coctionẽ ossa solidiora deuorent struthiocameli; nouimus enim ex eodem animali frustum carnis, cui os adhæreat, in lebete citius concoqui quam caro exossata, ob rationes mox afferendas cõmodiori loco. Neque enim illud accipimus à Plutarcho *Esse spiritum lupi adeo feruidum & ignitum, vt ossa etiam durissima in ventre colliquet, atque emolliat: atque ideo à lupis morsas carnes ouium celerius quã alias liquescere; ac proinde suauiores, dulcioresque percipi*; nam id à metu fortiuntur oues, vt demorsæ à lupis carnes earum flaccescant sanguinis, calorisque celeri agitatione, motuque ad partes intimas; tale quid enim obserues in auibus ab accipitue renatione captis; ita etiam vetustos gallos vt apti sint esui, gustuique necamus verberibus sensim metu longiori eorum carnes duriores flaccidas red dere tentantes. De lapidibus à Struthiocamelo deuoratis idem esto iudicium; nam si lapides integros, & solidioris naturæ, vt puta silices, ingerat, eos ad coctionem alimenti promouendam illum deuorare dicimus, nempe in ea densiori materia calorem actuosiorem fieri, qui cibos promptius digerat, vt mox innotescet: Sin autẽ (quod aiunt) animal hoc lapides non integros ingurgitet, sed frustatim dissectos auidius deuoret; indicium hoc est ipsum ijs vti ad saporem cibis conciliandum; tunsi enim lapides alimentis saporem impertiri, & à calore alterari quoquopacto possunt in condimentum; integri non possunt: ceterum nulli, nec tunsi, nec integri lapides alimento esse queunt; siquidem lapidibus humor adeo exilis est, multoque sicco adeo arcte commistus, vt non nisi ab adurente, ac igneo calore inde separari valeat; qualis non est calor viuentium nutricationis autor; quic quid hac in re censeat Plutarchus in opusculo de capienda ex hostibus vtilitate asserens *animalium ea, quæ validissimo sunt ventriculo, & sanitate firmissima, lapidibus, & testis ali vigore, & calore spiritus alteratis*; nam vix ignis potest lapides domare, cuius vigore comparandum non est vlla ex parte robur caloris natiui: Sed Plutarcho fortassis imposuit copia lapidum in animalium stomacho reperta eum vulgo putanti, aut rhetorice, vel probabili argumento accipienti quicquid in stomachum ingerunt animalia, eo enutriri; quod certe in Physiologia, & in acroamatica disciplina non acciperet vel ipse Plutarchus. Deinde vero lapidum humiditas ob maximam terræ participationem est impurissima, & iccirco excrementum potius quam alimentum, si à calore viuentis educi posset ratione vlla e lapidis materia. Quod lapidibus obijcimus, idipsum & omnibus metallicis obijciendum arbitramur ijsdem argumentis. Nõ sunt ergo lapides, aut metalla vlli viuenti aptum alimentum; immo vero nec iam vlla ex parte vlli viuentium generi nutrimentum esse possunt. De ferro sane vulgatum est, quod à struthiocamelo & comedatur, & digeratur, & in alimentum conuertatur; vulgari opinioni detrahit Fernelius vltimũ placitum inquiens struthiocamelum ferrum coquendo atterere, tali attritione, concoctioneque ferrum à struthiocamelo in alimentum verti dicere non audens: Albertus vero cognomento Magnus audacter vniuersum vulgi placitum de Physiologiæ area exterminat asserens in hanc sententiam, *De hac aue dicitur quod ferrum comedat, & digerat; sed ego non sum hoc expertus; quia ferrum à me pluribus strutionibus obiectum comedere noluerunt, sed ossa magna ad breues partes truncata, & lapides auide comederunt.* Si post tantorum sapientum sententiam quid mihi diu cogitanti hac in re tandem in mentem venerit studiosis afferre debeo; Ego quidem vt inueteratæ opinioni concedam libenter struthiocamelum comedere ferrum, ita fortasse non omne ferrum edere, sed tamen ingestum non exteri, neque alimento esse opinor: Sicut enim lupos dudum notauimus non omnem terram deuorare, sed glutinosam, cuiusmodi ea est, quam cretam, & argillam dicimus; ita struthiocamelos primum non quodcunque ferrũ edere arbitramur, sed minutim concisum, & rubiginosum; illud quidem vt ipsum struthiocamelus facile ingerat, & egerat; hoc autem vt rubigine vel curetur aliqua interior affectio præter naturam, vel gratos sapores alimentis inferat: quare ab Alberto propinatum ferrum struthiocameli omnes ideo fortasse respuere, quia tersum erat, politumque, non rubiginosum; quum ipsis sola rubigo sit vsui. Deinde vero, & fortasse melius, arbitramur ferrum à struthiocamelo deuorari ad coctionem alimenti promouendam; nempe quia natura comparatum est animalia non solum alimentum ore assumere, sed vna cum alimẽto ea etiam, quorum interuentu coctio nutrimenti, distributioque promouetur, ingerere: Sic animalia cuncta, quorum nulli aqua cedit in alimentum, præter cibum, aquæ potione vtuntur, tanquã eo, quod alimenti coctionem, coctique distributionem perficiat; siquidem coctio alimenti elixatio quum fit, in humido fieri debet; quare præter

Camelus bibiturus cur aquã turbet.

22. de animal cap. 1

Struthiocamelus cur terrã deuoret.

Cur ossibus idem vescatur.

23. de animal. cap. 24.

3. sympos. quæst. 9.

Cur lapides ingerat struthiocamelus.

Plutarch. tenetur.

2. de abd. rer. caus. cap. 2. & 9.

Lib. 23. de animal. cap. 24.

Struthiocamelus quod propter ferrũ deuoret.

Rubiginosum ferrũ cur deuoret struthio.

Ferrum quomodo à struthiocamelo deuoratum coctionem promoueat.

Cur animalia cum esca bibant aquam.

alimenta, necesse est humiditatem, & aquam sumere animalia, vt cibum valeant concoquere, ac distribuere in vniuersum corporis habitum; quibus officijs functa quam fuerit aqua, inepta nutritioni extra corpus in vrinam pellitur: Quum itaque ferro insit vis attenuandi, & incidendi adeo vt vino, & aqua, in quibus vel decoctum, vel etiam infusum fuerit huiusmodi metallum, quotidianis experimentis Medici discutiāt obstructiones viscerum ab humoribus crassis, & viscidis prouenientes; quid ni putemus natura comparatū esse vt struthiocamelus vna cum alimētis ferrum appetat, & hauriat nō nisi vt alimēta in stomacho attererentur ad coctionem, & inciderentur, quæ in ore vim dentium, attritionemque vllam expertanon fuere? Insuper autem quum ferro, & rubigini vis insit adstringendi, autore Dioscoride; quumque ventriculi adstrictio tum appetentiam suscitet, tum quoque coctionem adiuuet; quo enim arctius alimentum à stomacho complectitur, eo melius concoquitur; si receptum est à medicis omnibus ex liene melancholicum succum in ventriculum ferri ad excitandum appetitum: cur naturæ instinctu non dicamus struthiocamelum deuorare ferrum, vt ab eo ventriculi adstrictionem, corrugationemque fortiatur, qua & melius appetat, & cibos assumptos arctius complectendo melius concoquat? post coctionem vero (vt succo melancholico e splene ad stomachum traiecto contingere supra nouimus apud Hippocratem) ferrum per intestina extruditur ad aluum. Addere quoque liceat ferrum, & lapides sola sui densitate posse coctionem adiuuare strenue roborando calorem; sic nux, lapillus, & aliud quodcunque solidioris, densiorisque substantiæ carni duriori alligatum eam faciliorem coctu efficit; sic etiam caro prope ossa facilius coquitur in cacabo; nimirū duriori, densiorique corpori calor impressus vegetior est, & actuosior, quam aquæ inditus ab igne; vt iccirco promptius alimenta coquantur alligata subiecto crasso, & duro, quam in aqua simplici elixata: sic norunt Medici quibus deest omenti densa, & crassior substantia, eos coquendis alimentis minime valere; quippe non parum ventriculi calor ab omenti densitate roboratur ad alimentorum digestionem: Quid ni ergo & à natura doceantur struthiocameli, aliaque bruta nonnulla, ferrum, & lapides ingerere cum cibo, non vt illis alantur, sed vt ipsis ob densitatem substantiæ roboretur calori, ceu in reflexione, ad faciliorem coctionem alimentorū; vt docti fuere canes herbam comedere ad vomitum prouocandum? Equidem hoc mihi probabilius est, quam ferrum digeri a calore ventriculi, & in alimentum cedere; & eo magis hoc asseuerandum puto, quo animalia quæcunque ferrum, & lapides deuorant, ingesta hæc eadem corpora indigesta egerunt, referente Alberto si quædam animalia videntur deglutire lapides, vt struthiocamelus, & aliæ aues nonnullæ, absque dubio indigesta emittere, nec ex eis alimentū sumere. Deinceps autē Fernelio damus ferrum à struthiocamelo cōcoqui posse, non damus ea coctione atteri posse; coquitur quidem ferrum in ventriculo, dum externa rubigine spoliatur, & ita expulsioni redditur aptius, quæ est propria excrementorum coctio: huiusmodi vero coctionem haud patitur, qua conteratur; tantus enim non est in calore vigor, ac in temperamento ventriculi, cuius propria est functio coquendi munus, quantus ad indomitam ferri duritiem vincendam sufficere possit: hanc autem actionem digerendi tollere ab elementari calore, ab insitoque ventriculi temperamento, eandemque concedere naturæ totius essentiæ, vt efficit Fernelius, nihil est aliud quam velle medicum non remedijs, sed eloquentia ægrotos curare; atque omnino artificem absque instrumentorum ministerio operari; nam totius essentiæ natura est mera rei quidditas, & substantia consurgens tertia ex materia & forma, seclusis omnibus accidentibus; quam tertiam substantiam scholastici formam totius appellant; quæ vt est agens absolutum in omni vitæ functione, nullam tamen earum moliri potest sine instrumentis idoneis, quæ sunt insitum partis temperamentum, & calor innatus, quem alias ostendimus esse elementarem: Ac speciatim conficiendo alimento necessariam esse caloris operam aperte nos docuit aliquando Aristoteles inquiens, omne alimentum necessarium est concoqui posse; operatur autem concoctionem calidum; vnde omne animatum habet calorem: Quinimmo & alibi fusius explicat Aristoteles omnem concoctionem cuiusque materiæ, siue alimenti, siue condimenti, siue excrementi, siue alterius naturæ, in viuente non effici, nisi à propria illius caliditate: quum igitur in viuente animali tam actuosa caliditas esse valeat, quæ rubiginem affusa humiditate de ferro tollere queat; tam vehemens calor esse non possit, qui ferrum atterere valeat; dicemus in struthiocameli ventriculo à totius essentiæ natura, beneficio insiti temperamenti, & opera innati caloris, ferrum cōcoqui; ea vero coctione rubiginem amittere posse, atteri non posse. At minime omnium probamus ferrum animali se alimentum exhibere, tum quia mistum est imperfectum, quod nequit animari, ac proinde nec in substantiam viuentis commutari, quod est alere; tum quia dilui nequit, atque actione caloris in succulentam substantiam, ac omnino in sanguinem conuerti; quo solo proxime aluntur partes omnes animalium sanguineorum, quibus de agimus. Itaque struthiocamelus ferrum deuorat, non vt ex eo alimentum sumat, sed tum ad saporem, & condimentum ex rubigine hauriendum; tum ad appetentiam excitandam; tum ad coctionem alimenti promouendam; tum demum ad ægritudinem tollēdam; quæ omnia fuse nuper explicauimus.

Marginal notes (left): *Ferro inest vis attenuandi, & incidendi.* — *Ferro & rubigini vis inest adstringendi. Lib. 5. cap. 46.* — *Ferrum, & rubigo vt appetentiam, & coctionem iuuent.* — *Melancholia vt appetentiam excitet. Cap. 69.* — *Ferrum, lapides vt sola densitate coctionē iuuant.* — *Omentū li quis eur debiles co ctione.* — *Canes cur herbam comedant.* — *De nutrimen. & nutrib. cap. 1.*

Marginal notes (right): *Fernelij placitum expenditur.* — *Ferrū vt coquatur in ventriculo, et ... modo.* — *Propria excrementi coctio quæ sit.* — *Artifex non sine instrumentis operatur.* — *Totius essentiæ natura quid sit.* — *Quod sit absolutum agens operationum vitæ.* — *Instrumenta, quibus vitæ actiones obeuntur.* — *De ort. an. hum. 2. de an. tx. 40. 4. meteor. cap. 3.* — *Omnis coctio à calore.* — *Ferrū cur nequeat esse alimentum.* — *alere quid sit.* — *Sanguine vt sola alantur partes omnes.*

Mures Parios, & Armadillos, Codertosque Indicos non ostendere abstinentibus nostris terram cessisse in alimentum. Cap. CIX.

MVres autem Cycladum in Aegeo Parij terram comedentes, atque coquentes infesti haudquaquam sunt opinantibus abstinentes nostros sola terra non ali, immo vero nec eam sibi coquere in alimentum; nam præterea quod muribus in Ponto cedere terra potest vt lupis esurientibus, ac struthiocamelis in medicamentum, aut in condimentum veri alimenti; dicere posset non inepte quispiam ipsos ingluuie infami dum terrenos vermes ad pastum insectantur, vna cum vermibus promiscue deuorare terrã, vt pisces vna cum cibo aquam ingurgitare consueuerunt alia de caussa, quam explicauimus antea ex Aristotele: ceterum quia nihil à terra læduntur, sed eius noxijs qualitatibus retusis, eam aliò excludunt; ideo coquitur eorum calore terra per coctionem excrementorum, non alimentorum propriam. Deinde vero si mures Parij terram cõ coquant, non id proinde hominibus etiam conueniet; quando coquere non possumus elleborum, neque cicutam; quibus tamen coctio est in coturnicum, & in sturnorum stomacho. Deinceps esto muribus in Paro ex terra cibus coctilis; addatur & nutriens, nihil hoc illis imponet, qui huiusmodi alimentum hominibus non concedunt; si enim eadem est vbique generationis, constitutionisque, ac nutrimenti materia; sane muribus, quorum exortus est e terræ limo putrescente, terra putris hausta commode potest concoqui, & alimento esse: hominibus autem, quorum e sanguine, ac semine natura est, terra nutrimento esse non potest. Quod autem de Muribus Parijs dictum est, id ipsum de Armadillis Indiæ Occidentalis, de que Codertis Orientalis asserendum est: quæ animalia neque certum est an terra vere alantur, vt proponi possint in argumentum; si quidem Monardes ait ea intra terram morari, ad instar Talparum & vulgo dici ex terra nutrita, quia nihil ea comedere videntur præter quam terram: sed nõne clam intra terram vermes habeant, quibus alantur vidente nemine?

Cap. 67. & 93.

Lacertum indicum non ali arenulis, aut lapillis, etsi ijs onustum ventriculum gerat. Cap. CX.

LAcertus autem Indicus, cui arenulis, atque lapillis scatet nimium ventriculus, nobis doctissimi viri placitum non persuadet, nec probat necessario, qui multoties in turdorum, anatum, & auium aliarum stomacho arenas, & lapillos vberiori copia vidimus, scientes illos hæc non in cibũ, aut digerenda, sed cum cibo, & egerenda ingurgitasse: sic enim, & lacertus ille dum arenæ, lapillisque obuolutam escam comedit, seu illa sit herba, seu vermis, seu terra putrida excrementorũ colluuie sordida, simul cum alimento arenas, & lapillos ingerit; quos non ideo simul cum alimento digerit, sed bene cum alimenti excrementis egerit: Neque hoc mirum sit, quum & hominibus mytulos, tellinas, & alia id generis ρυγχόδομα comedentibus male coquis expurgata contingat cum cibo simul & arenas, lapillosque deglutire incoctiles, caloris que interni actionem haud patientes vllam. Præterea vero quum, & illud probatum iam sit quotidiano experimento, & obseruatione illustrium medicorum tum veterum, tũ recentiorum in humani corporis partibus plerisq; omnibus, in vesica tam vrinaria, quam fellea, renibus, hepate, venis, cerebro, corde, pulmone, lingua, dentibus, articulis, vtero, intestinis, ac speciatim ventriculo arenulas, & lapides e crassiori materia gigni; quod apud Mathiolum ex Camenice no, Fernelio, & apud Rodericum Fonsecam Medicum egregium perlegas; sane vt horum prouentus in animalium partibus nusquam non sit belle conuincitur contra Plutarchi placitum, qui lapides in ventriculo nunquam concreuisse asserit: Quinimmo, & hoc Persicorum, Indicorumque animalium peculiare est, ventriculum habere lapillorum feracissimum; quemadmodum Garzias, & Monardes in opusculis de Indicis medicamẽtis cuique demonstrant apertissime: Quid ni ergo vt Caimanorum, Caprorũque stomacho gignuntur apud Persas, & Indos lapilli, ventriculus quoque Indici lacerti arenas, & lapides procreare possit? Ceterum quæ intra ventrem oriuntur sabulosa, & lapidea corpora, nec digeri, coquiue, nec in alimentum verti eo constat euidentissime, quod semper in dies talium augetur moles in corpore, noua illis accedente, adhærescenteque materia excrementitia; quum secus assidue alimentum vi uenti subministrando imminui tum numero, tum mole deberent necessario.

Lapides gigni posse ĩ omnes fere corporis humani parte.
5. epistola ru. medic. 2. 3.
Lib. de calculo rum.
7 Sympos quæst. 1.
Plutarch. notatur.
Animalia Indica ventriculo calculis onusto.
Cap. 45.
Cap. 3.
Lapis vt augeatur in corpore.

Non omne mistum humido pingui scatere; nec omne humidum pingue alere. Cap. CXI.

IN Cardani ratione, qua scribitur omne mistũ humido pingui præditum esse, & omne humidum pingue alere, ac proinde omne mistum, quocirca lapides, ac terram vim nutrimenti in se habere; primum quidem negare libet omne mistum humido pingui refertum esse; quum enim Aristotele autore duplex sit in mistis humidum, aqueum, & pingue; sane vt aqueum misto inest ab aqua, pingue inerit ab aere; ignis etenim, ac terra naturam siccam obtinuere nullius humidi feracem: quumque in mistorum vniuersitate multa imperfecta sint ex terra, & igne solum constituta, vt exhalatio fumida, & omnia illius apotelesmata in sublimi exorta; vel ex aqua, & terra, sine igne, & aere, aut saltem sine aere, vt lapides, & metalla quamplurima; proculdubio non omni misto generatim humidum pingue inerit, ac speciatim nõ inerit id terræ, neque lapidibus; quod vel ex eorũ nimia grauitate conijcias; si cum vulgo putes aerem mistis leuitatem dare, aut grauitatem adimere attollendo partes grauiores; quod aliqui cen-

De long. & breu. vit. cap. 3 & 4.
Duplex humidum in mistis Arist.

sent

sent in caussa esse cur cadauera pondo sint grauiora viuentibus, e quibus cum vita nondum effluxit aerea portio, & spiritus membra regens: at hos arguit Aristoteles aeri grauitatem tribuens, vtremque inflatum exhausto grauiorem statuens. Dein de vero quid concedimus omne humidum pingue alere? nutrient sane venena, & pharmaca, qui bus inest humidum pingue: sed tamen, & ipsamet nō alit pinguedo pura; est enim vel Galeno potius condimentum, quam alimentum; atquæ in fame diuturna consumitur adeps, non eo quia vertatur in alimentum partium, sed quia facile a calore liquatur, & dissoluitur in halitus; deseruitque partibus exsiccatis humectandis, non autem alendis eodem autore. Amplius esto humidum pingue, mistum, & demus terram, lapidesque simpliciter esse in alimentorum genere; haud tamen propterea fiet, vt abstinentes nostri, & homines vniuersim quouis humido pingui, quouis misto, terra, & lapidibus nutriri valeant; sed magnum discrimen est alimentorum in relatione ad alenda corpora; nam quod inter viuentia fere homogeneum est, parumque discriminis in partibus obtinet, id alimento vnico sibi congenere poterit nutriri semper; sic plantæ semper eiusdem fere sortis succum impune sibi hauriunt in alimentum; sed animalia, & homines, quibus corpora sunt multiplici mēbrorum varietate constructa, diu nequeunt vno, ac pene simplici alimento sustineri, cuiusmodi terra est. Vlterius autem ad hoc vt humidum pingue in misto existens nutriat, necesse est ipsum separari a misti partibus terreis, ac fæculentis alendo ineptis; huiusmodique separationem opus est fieri a calore natiuo, qui mitis, ac blandus est in ventriculo nostro; verum inter mista sunt quædā humido pingui adeo exiguo, adeoque confuso, & impacto tenaciter cum sicco terreo, vt non nisi ab ingenti calore colliquante segregari valeat; cuiusmodi esse terram, & lapides aperte indicant lateres, & calx; quæ sunt partes siccæ, ac terrestres, a quibus ignis actione humiditas educta est, quam minor vlla caliditas educere non potuisset: quomodo ergo humidum pingue lapidum, ac terræ cedere poterit in alimentum homini, ceterorumque animalium; quum tam vehementi calore non polleant, quo possint hoc humidum a partibus siccioribus nutricatui non aptis separare?

a cal. te. 30 & 39

g de alim. fac. ca. 31.

In fame longa cur absumatur adeps, si nō cedit in alimentum.

Vsus adipis viuenti. 16. de vs. par. c. 2.

Plāta cur eodem, ac vnico semper alimēto vtātur.

Quid sint lateres, & calx.

Homo terram edens non alitur luto facto ex terra & saliua, seu pituita in ventriculo exundante. Cap. CXII.

AD aliam vero rationem Clarissimi viri asserentis qui terram comedunt, eos ex terra, & saliua in ore, vel pituita in ventriculo efficere lutum, quo ali possint; quum testimonio Aristoteleo cænum plerisque animalium cedat in alimētum; respondere licet quod vni alimentum est, haud protinus alteri nutrimento esse; sed plerunque inutile excrementum, aliquando etiam morbificum, nonnunquam letale, ac præsentaneum quoque venenum; sic fænum, & palea gratum, & vtile nutrimentum iumentis afferunt, quæ hominibus sunt inutilia excrementa; sic sturnis veratrum alimento est, hominibus nonnisi medicamento; sic ex buffone deuorato nutrimentum hauriunt serpentes, vnde venenum homines haurirent; sic demum ex terra, & saliua, seu pituita limus confectus, licet insectis quibusdam dicatur alimento esse; homini tamen excrementum est inutile; & nisi cito, ac penitus eijciatur, concrescet in lapides, ac tophos; & quas ad sanitatem peruias esse oportet, obstruendo vias inuias efficiet; ac malum habitum inducet protestante Hippocrate, Celso, & Aristotele in locis antea explicatis: itaque terra vice alimenti hominibus erit morborum procreatrix. Deinde vero lutum, quo ali notat Aristoteles vilia quædam animalia, & plantas, ne putes esse conflatum ex terra, & humore aqueo solū; sed multa in se continet stercoracea, & putrida; quorum præsentia succum satis heterogeneum de se potest exhibere in commodum illorum viuentium alimentum; at longe alia fit ratio de luto ex terra, & saliua oris, seu pituita ventriculi confarcinato; quis enim illum non dicat ineptum esse homini alendo propter homogeneitatem? homogenea etenim est eius natura magis quam debat esse nutrimentum homini proportionatum, non solum quia est mistum imperfectum fere ex terra & aqua conflatum, nihil habens ignis, minimumque aeris; verum etiam quia saliua purum excrementum est, & pituita ex Aristotele visa superius est non alere nisi permista cum cibo puro, nō autem vllo modo cum terra sordida, quam clandestine sibi e pauimento verrere dicuntur ob verecundiam abstinētes: quocirca oporteret eos vel terra sola nutriri. Deinceps autem quemadmodū a terræ comestione, quæ siccissima est, paucis diebus totam oris saliuam, & ventriculi pituitam vniuersam absumi verisimile est; ita sane abstinentes nostros ad multos annos terram solam comedentes perpetuum ex saliua, & pituita terræ assumptæ perfusa sibi limum ad nutricationem assiduam efficere probabile non est.

Cap. 102.

Ex ferro, & lapide vi caloris, ac spiritus interni nullum succum alimentarem educi nec rubiginem alere. Cap. CXIII.

QVod autem postea ex acutissimo Bonamico proponitur, *fieri posse vt per aspirationem humoris interni, afflante spiritu natiuo, ferrum, aliaque huiusmodi, aliquid materiæ siccioris exhaletur, quo nutriatur*; quodque multo prius à Plutarcho propositum fuisse videtur in libello da capienda ex hostibus vtilitate, *animalium quædam lapidibus, & testis enutriri vigore, & calore spiritus alteratis*; hoc inquam mihi recipi non potest, quia tam densam obtinet materiam ferrum, & lapis, vt ex humoris interni substantia natiui caloris actione expirantes vapores, flatusque, ac spiritus crassiusculi ad interiores partes penetrare nequeant, nullis vel cæcis, vel exilimis sibi reclusis meatibus à superficie ad centrum: Quod si contendas

3. de alim. cap. 38.

tendas non carere meatibus ferrum, & lapides; ex tollique ab humore spiritus etiam tenuiores, quibus perui) sint angustiores illi pori ad intimos vsque recessus; neque id satis erit ad hoc vt ex ferro succum alimentarium educere possis; nam tenues illi halitus cum crassitie amittunt etiam lentorem, ac visciditatem; priuati vero glutine, vel minimum visciditatis habentes quomodo poterunt de ficciori ferri, lapidumque substantia humidum alimentarium extrahere ficco exactissime, tenacissimeque commistum? adeo enim hærere in his humidum ficco nuper ostendimus, vt non nisi vehementissimo calore ignis colliquantis educi valeat. Deinde vero neque illud accipere possumus, e ferro halare materiam ficcam alendis corporibus idoneam; quando alimentum vbique formam humoris habet, non materiæ ficcæ, potissime vero alimentum caloris actionem aliquam iam expertum; quæ siquidem ex ingestis alimentis educta est ab insito calore materia nutriendo corpori apta, chylus est, ac succus, in quo partes etiam ficcas dilutas fluere oportet; quod olim notauimus ex Arist. Adiectæ autem ex codē Philosopho rationis alterū placitū accipimus, nō accipimus alterū; accipimus quidem ex ferro in locis humidis, quare & in ventriculo rubiginem educi; addimus etiā illam diuturna mora polito ferro induci: non accipimus autem rubiginem sic e ferro eductam in ventriculo cum alijs cibis permistam fieri partem alimenti; nam etsi struthiocamelo cedat rubigo in condimentum, vt nuper obseruauimus; ipsi tamen nullo pacto potest alimento esse, multo minus homini, cui potius venenum esset, quæ virus conciliat fungis apud Dioscoridem; aut eodem Dioscoride medicamentum, aut saltem purum excrementum; nulli tamen alimento est, quia mistum imperfectum, & longe a viuentis substantia alienum; nec ex permistione in stomacho facta cum alijs edulijs huic vitio satis occurri posse crediderо; quippe illa confusio est, & aggregatio multorum in vnam congeriem, quæ mole vna est massa, sed substantia multiplicem obtinet naturam diuersarum formarum; atque ad summum huiusmodi massa veluti mistura est vini & aquæ; quum autem inferius demonstrandum sit ex vino & aqua misturam fieri, vtrisque seruatis, & integris formis, qua mistura non ideo aqua sit pars alimenti; sic rubigo purum excrementum existens, etsi cum alijs edulijs permisceatur in stomacho, ea tamen permistione haudquaquam euadit pars alimenti, quia non fit vera mistione mistum vnū per se, ac essentia vna, quale oportet esse alimentū; sed permistione, seu aggregatione, confusioneue fit quædam mistura, & quædā massa, in qua multæ cum alimento continentur excrementitiæ partes, ac fæculentæ, quæ actione caloris primum in ventriculo, tum etiam in iecore, tum demum in membris solidis ab alimentari succo segregandæ sunt velut inutiles alendo corpori, & excernendę velut noxiæ, viuentique morborum procreatrices; e quarum numero rubigo est: si enim rubigo est ferri excrementum, metallique pars impurior

Visciditas, atque lentor non est sine vnsctione. (margin)
Cap.108.
Ex ferro non halare siccum alendo aptum.
Cap.71. 1. sect. prob. 15.
In locis humidis ferro rubiginem, & extra educi.
Rubiginē cum cibo mistum non fieri partem alimenti.
Cap. 108
Lib.4.ca 71.
Li.5.c 53
Fungi propter rubiginosum ferrum excremento morisferi.
Lib.4.ca. 38.
Rubigo est ferri excrementum, et pars metallorum impurior.

ex Galeni obseruatione; quomodo non sit animalibus item excrementum, sed alimentum? par est enim si ex metallis alimēti quid suscipere possunt animalia, id ea ex metallorum substantia puriori suscipere, non ex impuris sordibus, ac excrementarijs fæcibus.

1. de ani. cap. 8.

Terra, & lapides vt mista sint; quam nos habeamus cum plantis similitudinem; & cur vni tertio similia inter se non sint necessario similia. Cap. CXIV.

QVod insuper affertur, terrā, quam terimus, ac lapides mistam obtinere naturam, aut saltem in se continere succum alimentarem, quo vt aluntur plantæ, protinus & nos ali posse, qui quum plantis nutriamur, similitudinem naturæ cum stirpibus, & cum alimento stirpium non possumus non obtinere; quia quæ similia sunt vni tertio, similia esse debeant inter se; quemadmodum quæ sunt eadem vni tertio, illa inter se eadem esse dicuntur; hoc inquam multiplicis indiget animaduersionis; ac primum etsi lapides mista sint corpora, eiusmodi tamen haud sunt, quæ verti valeant in substantiam viuentis, ac subire vices alimenti; quum sint mista imperfecta, nihil in se ignis, & aeris continentia; sunt enim grauissimi crassissimi, frigidissimique, ac proinde leuium, tenuium, calidorumque elementorum expertes: qui autem ex eorum attritu excutitur ignis, in iis non præexistebat, sed ex aere inter duo solida violenter attrito, ac humiditate priuato vnius ob motus celeritatem, enascitur, vt docuit Aristoteles non vno in loco. Terram quidem concedimus inter omnia elementa esse impurissimam, sed eo quod syncera non sit, haud protinus mista nuncupari debet: ac si mistam esse contendas, mihi nunquam in genere misti perfecti esse illam persuadebis; quare nec ipsa cedere potest in alimentum: plantæ siquidem ad suas partes alendas sibi terram non hauriunt, sed existentem in terra succum, vt si nos e spongia mero madida vinum exsugeremus, vinum attrahere de spongia, non spongiam diceremur haurire; sic terræ natura ficca est ad instar spongiæ; accidit autem illi a caussis externis, & potissimum ab ambiente varijs humoribus imbibi, quibus terræ quidem puritas alteratur; at substantia, & natura interna nō mutatur; quod & spongiæ contingere quisque nouit: Quare iam stirpes ad sui alimentum sibi terram non hauriunt, sed terræ succos aduentitios; quod inde manifeste conijcias, quia plantæ quum sint diuersæ naturæ, atque sigillatim alantur succo sibi familiari; profecto ali terra nequibunt, quæ vnius est speciei; nutriuntur ergo varijs humoribus in terra, vt in spongia varijs cellulis distincta permanentibus: Quod & inde pateat, quia non omnes plantæ in omni loco promiscue nascuntur, & viuunt; quum tamen vbique vna, & eadem sit terræ natura; sed quia varij succi diuersis plantarum speciebus alendis idonei vno in loco esse nequeūt, verum in varijs locis necessario reperiuntur, pro-

Lapides 3 quo genere misti reponendi.
Ignis e lapide vt excutiatur.
Terra est impura, nō mista, & præsertim mistione perfecta.
2. cal. t. 42. & 1. meteor. ca. 4.
Plantas non ali terra.
Terra spōgia similis.
Cur non vbique terrarum eadem stirpes & omnes plantæ viuant.

pterea

Virg. 2. Georg.

pterea fit vt recte canamus:

Nec vero terra ferre omnes omnia possunt,
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni;
Littora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem, & frigora taxi.

Qua nobis cũ plãtis similitudo inter cedat.

Præterea etsi nos, qui plantis alimur, cum stirpibus habeamus naturæ similitudinem, quæ necessaria est inter nutrimentum, & nutriendum; haud tamen propterea fit vt eandem familiaritatem cũ alimento plantarum habere debeamus; quod & sensu, & ratione comprobatur facile; sensu quidē, nam experimur homini familiare alimentum præbere sturnos, & coturnices; quum tamen veratrum, & cicuta sturnis, & coturnicibus idoneũ sit alimentum, naturæ autem humanæ noxium venenum: Ratione vero, quia similitudo requisita inter alimentum, & alendum corpus duplici fundamento innititur; alterum est accidentale, substantiale alterum; accidentale quidem est dispositio prævia in alimento, velut in materia, quæ induere debet formam alendi corporis, in cuius naturam trasmutari eam oportet; substantiale vero est materia nutrimenti, quam ita essentialiter perfectam esse necesse est, vt apta sit proxime verti in substantiam viuentem; quum non ex quolibet quodlibet oriri possit, sed semper determinatum in determinatum transmutetur, progrediente natura in pangendis rebus vbique gradatim ab extremo ad mediũ, & ab hoc ad oppositũ: Nunc ratione vtriusque huius principij plantæ possunt esse alimentum hominum, quos non potest alere id quod alit plantas; in primis enim succus ille terreus mistum corpus est, quod habet dispositiones ad induendam formam plantarum, quæ infimus est gradus animæ; at ille idem succus dispositus non est ad subeundam animam humanam, ad quam induendam præparatæ sunt plantæ, quarũ essentia longe perfectior est quam essentia succi terreni, quem sibi hauriunt in alimentum; is enim viuens non est, licet viuenti proximum, quum plãtæ in viuentium numero collocentur. Deinde vero materia succi terreni essentialem huiusmodi perfectionem obtinet, quæ sit in potentia proxima ad animam infimę sortis, qualis est anima plantarum; at eam perfectionem intrinsecus non habet, qua sit in potentia proxima ad animam perfectioris naturæ, euiusmodi est anima nostra; quum plantæ adeo perfectæ sint essentiæ vt proximam sortiantur potentiam ad subeundam formam humanam sub ratione alimenti: sic ergo plantæ illam nobilicum habent naturæ similitudinem, qua proxime verti valeant in nostri substantiam, & nos enutrire; quum huiusmodi similitudo non intercedat inter nos, & alimentũ stirpium. Quod autem in proscissæ familiaritatis proportionalis confirmationem adducitur ex innouato a veteri dogmate, nimirum quæ sunt eadem vni tertio, dicuntur inter se item eadem esse, veritati non respondit; nam identitas ab essentia tota dependet, quæ vna est, atque indiuisibilis; quocirca vere quę sunt eadem vni tertio, ea inter se quoque sunt necessario eadem: at similitudo pendet à qualitatibus ex Aristotele, ac omnino ab accidentibus; quũ autem accidentia multa sint in eodem coniuncta, quæ in alijs dispersa esse possunt; propterea fit ut quę similia sunt vni tertio, quandoque nullam inter se similitudinem obtineant; sic frigidum simile tepido est, qua particeps est frigidi; quum etiam calidum tepido simile sit, qua particeps calo ris existit; attamen calido cum frigido mera discordia, nullaque inest similitudo: familiaritas etiam naturę pēdet à varijs gradibus perfectionis, qui quum sint inuicem subordinati, de ratione ordinis est ut secundo cohęreant vtrinque primus, ac tertius, qui tamen inuicem cohęrere nequeunt, necessario intercedente secundo: quo nomine fit vt à terreno succo alatur planta, ab hac nutriatur homo, cui terreus ille succus alimento esse non potest: perinde nanque à frigido mutatio fit in tepidum, à tepido in calidum, in quod a frigido immediate mutatio non fit, progrediente vbique natura gradatim, non saltante de primo ad tertium. Sed alia etiam ratione possunt plantę de terra sue cum sibi haurire in alimentum, homines autem, præsertim abstinentes nostri non possunt; nam plãtę radices habent alte defixas, terræq; semper inhærent; quo fit ut sufficientem humorem sibi elicere valeant, qui terræ partes imas plurimus obsidet: ieiunantes vero custoditi parum terræ sibi clã destine corrogare possunt in escam, illudque aridum de humi superficie in speciem pulueris; cui adeo paucus humor inesse potest, vt nemo non uideat hac ratione illos sufficienti ad vitam alimento carentes cito interituros.

Similitudo alimenti cum alẽdo in quo consistat.

Accidentalis habitudo alimenti ad alendum corpus quę sit.

Essentialis habitudo alimenti ad alendum. 3. phy. t. 43. et seq.

Infimus gradus animę.

Cur similia vni tertio nõ sint inter se similia, vt eadē vni tertio sunt.

inter se eadem. Identitas vnde pendeat. Similitudo vnde pendeat. Cap. de Qualit.

Familiaritas naturę vnde pendeat.

Frigidum vt nequeat in calidum mutari.

Vt eadem sit animalibus materia generationis, & alimenti; vtque mures Thebani e terra nascantur. Cap. CXV.

AD nouum illud argumentum, quo dicitur eandem esse adeo materiam originis, & alimenti, vt quicquid animalium generationi materiam suppeditat, id ipsum ijs in alimentum cedere possit; ac proinde terram esse alendo animali, quũ ex gleba mures genitos notet Diodorus; respondemus primum caute accipiēda esse proposita theoremata; non enim si quid materia est originis vni animalium speciei, propterea hoc idem possit alimento esse cunctis animalibus; sed proportio seruanda est vbique, vt ex eadem materia nutriatur illud ipsum, quod inde habuit suę natiuitatis exordium; sic homini, cui e sanguine in vtero fuit prima constitutio, e sanguine quoque extra vterum est perpetua nutricatio; adeo vt quæ sanguinis naturam induere nequeunt, illa homini alendo sint penitus inepta: si ergo ex gleba terræ muribus exortus est in agro Thebano, unde mures illi sibi poterunt alimentum capere, homines autem capere nequibunt; vt enim plurimum diffidet hominũ, & murium natura; sic vtrorumque alimenta non parum differre necesse est; quod & scite notauit aliquando Galenus, & belle cecinit Lucretius tũ loco dudum citato, tum alibi quoque scribens elegantissime,

Quomodo eadem sit materia originis, & alimenti.

Alimẽta hominis, & muribus differunt.

6. de san. tuen. c. 3. Lib. 4.

Nunc

Nunc alijs alius cur sit cibus, ut uideamus
Expediam; quarene alijs quod triste, & amarum'st,
Hoc tamen esse alijs possit prædulce videri,
Tantaque in his rebus distantia, differitasque'st,
Vt quod alijs cibus est, alijs fuat acre venenum.
Est utique vt serpens hominis contacta salinis
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
Præterea nobis veratrum est acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Deinde vero & illud recte accipiendũ est ex Diodoro, mures e gleba nasci; ne putes illorum ortui solam terram suppeditare materiam; quando apud Aristotelem neque ex terra sola, neque ex misto terreo à prædominio vt planta constituitur, ita cõstitui potest animal sensitiuum; quippe sensus organum postulat cum maiori elementorum æqualitate, quam ea sit, quæ in plantarum corpore inuenitur: sed quum scribat Diodorus murium ex gleba prouentum fieri certis temporibus in agro Thebano, illud inde mihi persuasum est significare uoluisse Diodorum exoriri mures e limo putrido; gleba enim semper ibi murium ferax non est, sed certis temporibus, vbi scilicet post imbres, aut fluminum inundationes calore solis putrorem gleba cõceperit; quod Albertus in murium genere de talpa speciatim obseruat; & Plinius in Aegypto monet decrescẽte Nilo) quod stato quodam tempore fit) exiguos mures reperiri inchoato opere genitalis aquæ, terræque, iam parte corporis viuentes, nouissima effigie etiamnum terrena; quod luculente descripsit Ouidius.

Mures e gleba ut nascantur. 2. de an. t. 123. & seq. 3. de an. t. 66.

Lib. 22. de anim. Murium prouentus e limo. Lib. 9. c. 68. 1. metamorph.

Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alueo,
Aethereoque recens exarsit sydere limus,
Plurima cultores versis animalia glebis,
Inueniunt, & in his quædam modo capta per ipsũ
Nascendi spatium, quædam imperfecta, suisque
Trunca uident humeris, & eodem corpore sæpe
Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.

6. hist. c. 37.

Qua quidem in re mirum non sit mures post imbres natos superuenientibus imbribus interimi, vt notat Aristoteles; nam vbique res, quorum mediocritate nascuntur, atque seruantur, eorundem excessu facile perduntur: mures ergo ex gleba siccatis magna ex parte aquis, & frigore temperato à solis calore, in limum tepidum, putidumque versa exorti, quid ni nouis aquis affluentibus intensiori frigore necentur? idipsum enim quotidie videas in stellionibus, quibus e putri limo est ortus, & ex magno imbre interitus.

Mures post ĩbres nati cur nouis imbribus intereant. Idem mediocre generat, & seruat, excedens perdit. Stelliones unde oriãtur, & occidãt.

Hominis etymologia non conuinci nobis ortum, & victum e sola terra esse valere.

Cap. CXVI.

QVod vlterius additur argumentum ex hominis etymologia, nimirum hominem dici quia ex humo sola illi vt origo, sic etiam nutricatio esse valeat, si rei naturam spectes, longe tenuiori fundamento innititur, quam si viri præstantiam, cuius autoritate munitur: & sane in rei natura vt cõstat homines non gigni e terra sola, nec ex misto simpliciter a prædominio terreo, cuiusmodi est lutum; quandoquidem vt nuper ex Aristotele habuimus organum sensus, ac præsertim tactus, cuius naturæ fere totum est corpus humanum, mistum esse debet cum elementorum omnium symmetria proxime ad æqualitatem accedente; indicio sint hominis partes à prædominio terreæ, capilli, & ossa, quibus non sentimus, quia sunt a prædominio terrea: sed vere homines gignuntur sanguine, ac semine, in quibus terra ceteris elementis apta proportione miscetur; ita satis apparet illis nomen inde non impositum quia sola ex terra nasci, & enutriri valeãt: secus enim hac ratione decuisset magis talpas, ranasque, & alia nobis longe terrestriora vocare homines quam nos: sed ut alia pleraque, nostri etiam generis vocabulum est uoluntarium, seu ad placitum primi impositoris: qui si hac in re aliquam rationẽ habuit vt nos ab humo appellaret homines, quod Varroni, & Firmiano placuit, nulla certe alia mihi esse videtur, quam vt nobis perpetuo ponens ob oculos alteram essentiæ nostræ partem corpus esse tum terræ infimi elementi particeps, tum etiã mortale, ac morte humo condendum vermibus, ne animam solam spectantes incorpoream, cælestem, æternitatis compotem, felicitatisque capacẽ, superbia tumidi aliena cuncta spernentes, nostraque nimium facientes Diuina mandata negligere, atque in terris nosmetipsos Deo summo æquare auderemus; quod olim magno suo malo in cælis Dæmonum malorum princeps temere ausus est: Quo sensu tum in hanc vsque diem homines mortalitatis nomine appellamus; quum tamen fortasse iustius fuisset, Aristotele decernante, propter animum homines viuentes, seu immortales etiam dicere, quam propter corpus mortales; tum Poetæ olim cecinere gigantes, quia forent superbia infames, terræ filios, vt legimus apud Ouidium.

Argumentum ab etymologia tenuis fundamenti esse.

Organum tactus ut mistum esse debeat. Corpus humanũ fere totum est organũ tactus. Cur ossa & capilli non sentiant. Homines ab humo, non dicti quia ex terra sola orti, ex ea viuere queant. Homini nomen voluntariũ est. Cur homines ab humo appellati.

4 meta. t. 23.

1. Meta.

Affectasse ferunt regnum celeste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sydera montes:
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympũ
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossa:
Obruta mole sua cum corpora dira iacerent,
Perfusam multo natorum sanguine terram
Immaduisse ferunt, calidumq; animasse cruorẽ,
Et ne nulla suæ stirpis monimenta manerent,
In faciem vertisse hominum, sed & illa propago
Contemptrix superum, sæuaque auidissima cædis,
Et violenta fuit; scires e sanguine natam.

Cur si homo à Deo ex terra sola conditus esse dicatur, non ideo ex ea sola nutrietur.

Cap. CXVII.

QVod posterius afferebatur à Deo summo primam constitutionem hominis fuisse de limo terræ, ac proinde terræ glebam solam humano corpori alendo nunc sufficere posse, cui ab initio suffecit constituendo; multis nominibus elui potest; primum quidem non ausim ego cum viro doctissimo ex principijs Theologicis conclusionem physicam deducere; quum physico transcendere non liceat

1. post. anal. t. 29

Physicis nō licet transcendere ad theologica principia in demonstrandis suis cōclusionib. ex alio genere scientiæ citra subalternationem demonstranti propria problemata. Deinde uero axioma vulgatum, ex ijs vnumquodque ali, ex quibus primum constituitur, scite intelligendum est; quũ enim alendi munus sit mere physicum; hominis autem constitutio duplex esse perhibeatur; naturalis altera, qua homo à parentibus interuentu seminis procreatur; altera supra naturæ metas, qua homo à Deo summo sine ministerio seminis efficitur; hoc animaduertimus, eādem esse materiam alimenti, & generationis physicæ, non autem illius etiam, quæ naturæ limites egreditur; quare unumquodque ex ijs enutritur, ex quibus primum physice constituitur: quum ergo naturalis hominum constitutio non sit e limo terræ, sed e sanguine parentis, qui mistum est perfectæ naturæ; iam cōstet homines terræ glebis ali non posse, licet primi hominis exortus Deo plasmatore fuerit e luto. Quod inde magis apertum fiet, si meditaberis Deum ut ex luto, sic nullo negocio constituere potuisse hominem ex elleboro, cicuta, veneno; immo etiam ex nihilo; quum tamen constitutus homo veratro, cicuta, veneno, aut nihilo nutriri non valuisset: Omnipotenti Deo siquidem cuncta parent; & cuius est conferre naturæ leges, eius est & auferre; at constitutioni hominis natura determinatas leges habet, quibus coercetur; quarum una ea est, ut nutriatur alimento simili sibi iam constituto, siue sibi similis, siue dissimilis materia fuerit, ex qua primum conflatus est homo. Amplius e sacris litteris habemus primum virum solū e gleba fuisse à Deo summo plasmatum; cui adiuncta est uxor efformata immediate ab eodem opifice, non ex terra; sed ex costa viro dormienti subtracta: quapropter vi sui argumenti colligere solum posset vir egregius homines masculos terra nutriri posse, non item feminas; quæ tamen plurimæ numerantur inter abstinentes celebriores. Præterea quod asseuerare possumus terræ nomine in sacris litteris intelligi mistum ex omnibus elementis, denominatione facta ab eo, quod magis sensibile est, & à cælesti corpore magis distinctum; sic in principio creauit Deus cęlum, & terram; hoc est cælestia, & elementaria corpora; formatusque homo fuit, non de cælesti, sed de mundo terreno, conuocatis tamen una cum terra ceteris elementis ad eius misti constitutionē; at vir doctissimus de terra loquitur, ceu de quarto elemento distincto à ceteris sub luna, non autem de omnium elementorum congerie in unam massam diuersæ naturæ à corpore cælesti, quo sensu de terra sermo est in sacris paginis; quod aperte psalmista concinit inquiens Deum terram dedisse filijs hominum, quibus Moses ab initio dixerat dedisse Deum omnium elementarium dominium.

Hominis ortus duplex.

Ex ijs ali, ex quibus constituuntur quodq; ut verum sit.

Deo cuncta parent.

Cuius est conferre, illius est auferre. Natura lex.

Genes. c. 2

Terra in sacris litteris quid significet.

Homo ut dicatur de terra factus.

Psal. 113.

Vltimo & illud obseruámus theorema vulgatum eo sensu accipi debere ut unumquodque alatur ex ijs, ex quibus constat, & constitutum est proxime, non item ex ijs, vnde post multas mutationes constituitur; quod nos docuit Aristoteles, suadetque ratio; quum enim unumquodque remote constituatur ex materia prima nuncupata, ea tamen idoneum nulli fuerit alimentum: Quum ergo Deus Optimus in Adamo constituendo sic terram insumpserit, vt glebæ partem unam in ignem prius commutauerit, alteram in aerem, tertiam in aquā (nisi hanc terræ ad lutum efficiendum extrinsecus addiderit) quæ tria residuæ parti adiungens mistum perfectum constituerit; quod efformando humano corpori demum apta materia redditum est; profecto & primi hominis origo ex misto perfecto immediate fuit, ex terra vero etiam vulgari non nisi remote; quare non poterit vir acutus ex habitis colligere terram hanc nostram, quam terimus, cedere potuisse nostris abstinentibus in alimentum. Ita ergo siue à Deo summo conditus sit homo primus e nihilo, siue ex terra sola, siue ex limo terræ, nimirum ex aqua, & terra, vt interpretatur Vallesius, siue potius ex misto perfecto elementari terræ nomine insignito ad cælum excludendum; id certe non efficiet vir egregius quominus homines, & speciatim abstinentes nostri terra vulgari nutriri nequeant. Ceterum de eo, quod est an homo vi naturæ possit ex terra gigni, siue, ut aiunt, ex putri materia, quando controuersa res est in Peripato, nos alibi oportuniori loco in opere *De Spōtina viuentium generatione* late disquirimus ad Aristotelis, & Platonis aures.

Quodque vi alatur ex ijs, ex quibus cōstat.

2 de gen. t. 50

2. phy. t. 82.

Vt ex gleba terra factus Adā.

De sacr. Phil. c. 4

Sexta opinio doctissimi Medici opinantis Ieiunantes nostros à cibo quidem omni abstinuisse, at vini potione vsos, vnde alimentum sibi comparauerint. Cap. CXVIII.

POst hæc se se nobis offert sententia Medici præstantissimi, qui de proposito consultus pronunciauit eiusmodi homines tam longo temporis tractu à cibis solidioribus abstinentes abstemios non extitisse, sed vinum tum meracum, tum etiam aqua dilutum bibere consueuisse; epoto autem vino solo diu salubriter vitam ducere potuisse; quippe vino nutriendi vis adeo inest vt citra interuentum alterius alimenti ex se ad nutriendos homines diutissime sufficiat; hoc autem pluribus rationibus confirmari posse; primum quia homines solo sanguine defæcato à sordibus terrenis alūtur incolumes tota vita; quum ergo vinum solum Galeno in purum sanguinem facile transmutetur à calore natiuo; quippe inter habentia symbolum facilem mutationem nouit Aristoteles; cum sanguine uero intercedit vino summa familiaritas tū ratione substantiæ, quia vtrique inest natura fluxa, & spirituosa; tum ratione temperamenti, quod Aristoteli, & Medicis ferè plurimis ambobus contigit calidum, & humidum; proculdubio vinum solum nutriendo corpori nostro sufficiet ad multos annos. Quin & apud Plinium legimus ex Androcide sapientia illustri vinum esse sanguinem terræ; quum itaque sanguine quelibet ali queamus, siue sit ouis, siue bouis, siue alterius cuiusque rei; equidem vino, quod sanguinem terræ protulit Androcides ali poterunt abstinentes. Insuper quum vinum in se contineat partes omnes proportione sanguini respondentes, pro secto qua ratione sanguis solus sufficit alendis hominibus,

Quod. mem. seq. com. c. 3.

2. de gen. t. 25.

Cum sanguine vino intercedit summa familiaritas.

3. probl. 16. & 17.

Lib. 14. c. 1.

minibus, eadem sufficiet vinum solum sine alio alimento vllo; proportione vero respondere penitus vinum sanguini, autor est Alexander, qui vtriusq; liquoris quatuor partes tātummodo numerat, florem, qui eminet, quam partem in sanguine bilem flauam dicimus; fæcem, quæ pars crassior in vino residet, in sanguine trahitur secundum magnam partem à splene; humidum aqueum, quod in vino ætate consumitur; in sanguine vero per vrinas, ac sudores pellitur; & humidū alimētarium, quod in vino vinosum, in sanguine uocatur sanguis defæcatus ab omni excremento. Deinde vero lac substantiæ fluidæ, vt vinum, nihilo crassioris, alit tamen sine alterius cibi solidioris interuentu infantes biennio; quin & adultos, ac senes itidem diu sine alio cibo nutrire constat cum ex Galeno afferẽte aliquos citra noxam lacte perpetuo esse vsos, imo etiā cum maximo fructu, uelut agricola fuit, quem supra centum annos vixisse scribit; & alibi dicente nos viuere posse, modo succos aliquos assumamus, vt multis in nationibus lac solet: tū ex Aristotele, ac Theophrasto (referente Athæneo) affirmantibus Philinum quendam nullo alio cibo per totam vitam nisi solo lacte vsum fuisse; nõnullisque alijs absque vlla siti fuisse semper in usu: tū demum ex Plinio adnotante una cū Valerio Maximo plebeiam mulierem capitali crimine damnatam Romę a Prætore in carcere necandam triumuiro traditam fuisse, quam custos carceris misericordia motus non protinus strangulauit, sed aditum ad eam dedit filiæ puerperæ, diligenter tamẽ excussæ ne quid cibi inferret, existimans futurū, vt inedia consumeretur: quum autem iā dies plures intercederent, secum ipse quærens quidnā esset, quo tandiu sustentaretur, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem; qua pietate filię matri salus donata est, ambæque perpetuis alimentis: Id ipsum de pietate Ruis existimetur, quæ patrem suum Cimonem consimili fortuna affectum, parique custodiæ traditum iam vltimę senectutis velut infantem pectori suo admotum aluit: His addere liceat Hyginum simile quid asseuerantem de Xantippe filia erga Myconem genitorem: Solino quoque gnata fortassis alia carceratum patrem intermendum fame interdictis omnibus edulijs proprio lacte ad multos dies in vita seruauit: cur itaque vino solo abstinentes nequeant diu sibi protogare vitam? Adijciendum est his experimento id comprobatū fuisse, hominẽ scilicet carceri traditum ad inediæ mortem, amico per fistulam (quando aliter fieri non poterat) clandestine vinum subministrāte ad vigesimam diem superuixisse; tunc autem fraude cognita iudex alio genere mortis facinorosum hominem interimendum pronunciauit: sed & alios plures absque vllo cibo vitam solo vino dies multos sustentauisse nouit, & obseruauit una cum alijs doctissimus Costæus. Deinceps quotidie quoque videmus seniores fere nihil solidi alimenti esse, soloque vini haustu ad multos annos perdurare; quo circa Plato senibus vberem vini vsum præ alijs ætatibus concedebat, veluti auxiliare medicamentum aduersus senectutis austeritatem, quo & iam senes repubescant, & mæstitiæ obliuiscātur: quod lepide Zeno afferebat inquiens apud Galenum ut amari lupini aqua macerati dulces euadunt, ita etiam se a vino affici. Quinimmo Galenus ad gracilia corpora reficienda (huiusmodi habitu fuisse abstinentes omnes obseruatum est) quibus neque opportuna sunt maxime nutrientia, neque ea quæ facillima sunt concoctu, ut quæ minimū nutriant, solum vini potum proponit, ut quod contrarijs indicationibus satisfaciat, nutrire inquam valeat nõ leuiter, & facile concoqui; quid ergo aliud alimenti genus quærimus, quo abstinentes alantur, si vinum bibunt? Amplius quod maxime propriū est alimentum, per se solum alendo viuenti sufficere posse certum est; quum quæ ad nutriendum ex se non sufficiant, sed alijs indigeant, vere alimenta maxime propria non sint; quum itaque uinū Galeno sit maxime proprium alimentum, cur nobis per se solum sufficere non poterit ad alendos ieiunantes? Præterea vero satis est ad alendos homines vltimum alimentū vtile, quod scilicet omnes coctiones passum, extra venas capillares effusum, partibus affusum, iamque adhærescens est, cuiusq; partes tenuiores, oleosæque magis superabundantes cedunt in materiam spermatis, quod propterea dicitur excrementum, seu redundantia ultimi utilis alimenti; quum autem vinum moderate sumptum augeat adeo seminis exortum, vt propterea vulgo etiam lac veneris appelletur, & in prouerbiū cesserit sine Baccho Venerem frigescere, canente etiamnum Poeta

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Vinum igitur velut ultimi, & utilis alimenti feracissimum, sufficere solum ad nutriendos ieiunantes probabile est. Insuper quum alimētum extrinsecus omne fit obiectum famis, & sitis; quarum illa definitur Aristoteli esse appetitus calidi, & sicci; hæc vero frigidi, & humidi; proculdubio quod vtrique desiderio satisfaciens reficere potest id calidi, frigidi, humidi, & sicci, quod e nostri substantia corporis effluxit, hoc sufficiens per se alimentū esse valebit; quum præter quatuor hæc nihil in alimentum corporis cedere necesse sit: Quando igitur vinum solum simul sitim, & famem sedat; nam si nos inedia præmat una cum siti, & alia omnia deficiant, conuersi ad potum vini primo sitim sedamus, & post sitim etiam tollimus inediā; quod etiam notauit Hippocrates; profecto vinum solū sufficiens homini potest esse alimentum ad longū tempus. Demum apertissima est Galeni sententia vinum solum nutrire asseuerantis. His concludit vir optimus difficilem, & controuersam adeo quæstionem de abstinentium victu explicari.

Examinatur allata sententia ostendendo abstinentes nostros non ipsos, nec enutritos fuisse vino; solum que vinum alere non posse partes corporis solidiores; nec sufficere ad alimentum multo tempore.
Cap. CXIX.

Qvicunque vino vim alendi omnem interdicere ausi sunt viri magni nominis, hi quidẽ facile huic opinioni occurrere possunt; quoniam vero

Vini & sanguinis proportio. Probl. 71.

3. de san. tuen. c. 7. bello lacte sua vita enutritos ad senium

6. de plac. c. 6.

Lib. de ebriet.

Lib. 7. c. 36.

Lib. 5. cap. 4.

Cap. 254.

Cap. 7.

2. de pot. in morb. c. 30.

2. de Legibus.

Cur scrib. vinum in dulcet Plato.

Zenonis dictum.

Quod an. mor. c. 3.

7. meth. c. 6.

Vinū contrarijs indicationibus satisfacere.

De caus. morb. c. 3.

Vltimum alimentū utile quod sit.

Materia spermatis quæ sit.

Semen ut sit excrementū alimenti.

Vinū cur lac veneris dictū.

2 de an. t. 25.

2. aph. 21

De vr. aff. c. 6.

3. de ali, De pot. in morb.

vero nos in eadem hæresi non sumus, quam funditus nobilis philosophus Bonamicus euertit, & ante illum grauissimus Medicus Costæus; Accipientes vinum alere, eo tamen abstinentes nostros enutritos non fuisse multæ rationes suadent euidentissime, quæ simul efficiunt ne propositam a Clarissimo viro sententiam recipiamus; in primis enim nullis fere abstinentium nostrorum in usu fuit vini potio, non Lucomoris, nō Timonis auiæ, non puellæ Spirensi, non Consolentaneæ, non sexcentis alijs, vt diligenti obseruatione comperias in historijs de proposito exaratis in superiore libro; vbi solam puellam Pedemontanam legas vino assuetam, ceteris omnibus ieiunantibus abstemijs: Non ergo absolute de omnibus abstinentibus pronunciari debet, ipsos ali vino, quum id uni soli conuenire possit. Deinde vero neque pedemontanæ puellæ vini usus ille fuit, vt ipsa eo nutriri potuisse credatur; nam prudentibus hominibus summa cum diligentia per multos menses custodita primo apud Serenissimum Allobrogum Ducē; postea quoque Genuæ apud Excellentissimum Principem Doriam, visa est quotidie fide dignorū testimonio sibi os, & fauces vino limphato abluere, omne aliud nutrimenti genus abhorrens; quomodo igitur eam vino enutriā dicere possimus, quæ illo ad fauces, & os abluendum vtebatur, ipsumque mox expuebat? certe vinum nisi ab ore in stomachum feratur, & inde in iecur, & a iecore in corpus vniuersum, vbique locorum concoquendum, nō alere, cuique compertissimum est. Quod autem inter abluendum os nonnihil in ventriculum descendere potuerit, vltro concedimus; sed eam ipso ali potuisse non concedimus; id enim tātum non erat, vt singulis corporis particulis sufficiens alimentum subministrare potuerit; quippe vna non magis quam alia nutritur, sed homo dum alitur, penes omnes corporis particulas, quantumuis minimas decreto Aristotelis necessario alitur.

3. de gen. c. 35.

Præterea nouimus passim à clarissimis autoribus afferri, & quotidianis experimentis comprobari, vinū ieiunio stomacho ingestum homines quammaxime lædere; quomodo ergo impune abstinentes nostri solo vino uti potuere? Sed vinum absolute, siue meracum, siue dilutum accipias, si solum potetur, non posse homini ad multum tempus sufficiens alimentum suppeditare perspicuis verbis admonet Alexander (huius enim libenter autoritate utor, quia & uir doctissimus quo cum disserimus eam in argumentum sumere non dubitauit) dum silente Gaza, Bonamici traductione inquit Alexander

Vinum ieiunos lædere.

2. probl. 67.

3 de ali, c. 5.

„ *ex quo illud Homeri*

„ *Et Cererem, & Bacchum; nanque hinc vires, animique.*

„ *Rursus autem vino panem præposuit Homerus quod etiam solus sine vino potest alere; solum vero vinum sine pane non potest.*

Et sane abstemij plerique uiuunt homines, & absque potu uini romanæ mulieres cunctæ olim uiuebant, omnesque uiri etiam num uiuere ualemus; quum tamen solo uino nulli diu uiuere queamus.

Solo vino diu viui non posse. Vinum, ut pane quomodo non alat.

Quod autem ait Alexander uinū solum alere non posse sine pane, caute accipimus, non quidem interdicentes uino facultatem alendi, sed concedentes, comparatione tamen facta uini cum pane, idest cum cibo solido, non fluxili, dicimus panem, hoc nomine complectentes omnia nutrimenta solida, nutrire posse homines diu absque uino; uinū sine pane, uel alio consimili alimento solido diu alere quemquā non posse; ut enim proprie nutriuntur partes solidæ, quæ plures in animali extant; & in cibo solido succus adest proportionate qualitatis, & quantitatis partibus solidis, & mollibus nutriendis: quum in uino solo tantum haud sit succi solidioribus partibus familiaris, quantum ad eas alendas necessarium est; ita solida nutrimenta citra uinum alunt sufficienter homines, vinū autem sine solidiori cibo non potest id efficere.

Propriè partes solidas.

Id ipsum alia ratione confirmatur; vinum enim solum, siue meracum, siue dilutum bibatur, quum uel parce, uel moderate, uel etiam uberius potari possit; sane illud experimento comprobatū est, si largiori mensura ingestum fuerit, in uentriculo non retineri, nec concoqui, ac citissime fere immutatum per urinas diffluere pari pene quantitate; nihil ergo, uel minimum quum remaneat in corpore vini supra modum ingurgitati, ex eo sane sufficiens alimentum bibacioribus prouenire nō potest: rationi quoque consentaneum est idipsum ijs contingere, qui vicissim parce nimis eo uti consueuere; siquidem exiguus liquor, cuius multa pars aquea est in urinas excernenda, ut corpori alendo inepta, pauciorem succum alimentosum in se continet, quā quo indiget homo ad corpus uniuersum enutriendū: si demum hauriatur uinum in eā moderatione, qua ob sui copiam non diffluat illico e stomacho, sed possit a calore subigi; quia tamen fluxilem materiam habet, etiam moderate sumptum, nisi solidioris alimenti permistione fluxibilitas eius coerceatur, nihilominus citius e ventriculo dilabetur, quā in chylum transmutari valeat: immo quum serosus liquor in vino multus sit, qui nō est alendo corpori, etiamsi demus epotum in stomacho solum retineri, & concoqui, quod tamen ex eo educitur, alimentum tantum non est, quo abunde queant partes corporis vniuersę nutriri:

Vinū large sumpū non manere in stomacho, nec coqui. Vino quo magis impleatur et minus alimur.

Vinū frano in stomacho detineatur. In vino multus serosus humor.

Addimus uini solius succum alimentarem aptum non esse ad alendas partes solidas in nobis, ac terreas à prædominio, quæ multæ sunt; quippe aluntur omnia simili, ac familiari nutrimento; quæ familiaritas consistit in similitudine temperamenti, ac elementi prædominantis; argumento sint plantę, quarum natura terrea existens a prędominio Aristoteli terreno succo, id est terreo a prædominio nutriuntur: quum ergo vinum simile sit partibus mollioribus carnibus, nempe ac præsertim adipi, ac semini (si & hęc inter partes connumerari debeant) vt fere totam sui alimentarem substantiam in carnes, & pinquedinem, ac sperma conuerti patitur (indicio sint præpingues, quorum nullus non multum bibit parce comedens) ita minima sui parte reficit solidiora membra, ossa nimirum, neruos, ligamenta, membranas, cartilagines, & si quæ sint

2. de an. 123. 3. de an. 66.

Vinū quas partes alat.

Pingues cur parce comedāt.

aliæ

aliæ huiusmodi; quare licet molliores partes faci lius absumantur, & ideo maior sit, magisque urgeat liquidorum vsus quam solidorum; quia tamen opus est nutriri corpus omni ex parte, siue secundum vnumquodque signum sensibile, vt docet nos Aristoteles; propterea fit vt sola vini potio, quousque non urgeat necessitas auocandi calorem à solidarum partium consumptione, ad alẽdas molliores partes sufficiat. Et sane vinum solum mollioribus partibus alendis, & pinguedini augendæ inseruire, non esse item solidioribus mẽbris nutriendis, clare demonstrat tum Galenus, tum experimentum, quo passim liceat quotidie obseruare illos, qui vino plurimum indulgent parce solidiora edulia comedentes, ventricosos esse, obæsos, & flaccidis carnibus toto corpore turgidos: quum ergo abstinentes nostri plerique omnes opposito habitu fuerint, graciles, nullo ventre, nullaque pinguedine tumentes, quod ex allatis historijs in priori libro apparet; necessario ab his dissentire cogimur, qui arbitrantur abstinentes nostros vino enutriri. Accedit quod inter abstinentes multæ puellæ connumerantur in ætate augumenti cõstitutæ, quibus tunc nutriri non licuit sine incremento, quum nondum peruenerint ad consistentiæ, vel diminutionis ætatem: quum autem quod cumque alitur simul necessario vel crescat, uel decrescat, vel in eodem statu consistat; sane vt decrementum est passio senectutis, consistentia virilitatis, incrementum vero affectio primarum ætatũ; ea ratione fit vt quicunque pueri, adolescentes, & iuuenes non augentur, ij vere non alantur; & viciffim quicunque ijs ætatibus aluntur, ij necessario augeantur; eodemque simul alimento nutriãtur, & crescant; quippe Aristoteli res una & eadẽ, licet diuersa ratione, nutrit, & auget; nutrit quidẽ qua substantia est, auget qua particeps quantitatis: quum autem ad alendum idem corpus citra incrementum longe minor copia nutrimenti sufficiat quam ad alendum simul, & augendum; nã nutriendo sufficit tantundem alimenti, quãtum substantiæ corporis effluxerit, augendo autem pluri opus est alimentariæ substantię, quam ea portio fuerit, quæ fluxit e corpore: quod suauissime nos docuit Lucretius

Cur magis urgeat liquidorum vsus quã solidorum 1. de gen. t. 35. 2. de an. t. 14. 4. de vs. par. c. 9. 3. de men. vict. c. 2.

Habitus vino indulgentis.

Decrementum passio senectutis

Qui vere non aluntur. 2. de an. t. 37.

Lib. 2.

Vt sit, vbi nihilo iam plus est quod datur intrà
Vitales venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet consistere rebus:
His natura suis refrenat viribus auctum.
Nam quæcũque vides hilaro grãdescere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ,
Plura sibi adsumunt quam de se corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur; & dum
Non ita sunt late dispersa, vt multa remittant:
Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas.

& reliqua: si ergo abstinentes iuuenes non augentur, certe non aluntur; quare nec vini potione viuunt: si vero augentur; quum augeantur partes solidæ crassum, ac solidum alimentum in multa copia expetentes; profecto illis alendis, & augendis, quæ multæ sunt, & magnæ in homine, solum vinum haudquaquam sufficiet, cui minimum inest solidioris succi: Nulla ergo ratione dicas absti nentes nostros vino fuisse nutritos. Et eo magis, quo in vino multæ sunt partes aqueæ alendo ineptæ, quæ calore nostro separantur à vini succo alimentari, & expelluntur per vrinarium meatum, & aliqua ex parte quoque per cutis poros in sudorem, nonnunquam etiam per sputamina; qui ergo fieri potest ut abstinentes nostri tantum vini bibant, ex quo sufficientem succum toti corpori nutriendo hauriant, quum tamen omni exeretione priuentur? legimus enim supra ex obseruatione multorum ijs neque vrinam reddi, neque sudores effluere, neque sputa excerni, neque aliud ullum excrementum egeri, præsertim quod hausti vini soboles esse potuerit. His ergo rationibus permoti à Clarissimi viri sententia stare non possumus.

Occurritur argumentis probantibus abstinentes nostros solo vino enutritos, ostenditurque primum quomodo si solo sanguine alimur, solo vino ali non possumus, quod tamen in sanguinem verti potest licet non absolute id pronunciandum sit. Cap. CXX.

Argumenta vero, quibus ipse aeriter sua dogmata tuetur, diligentius nobis inspicienda sunt, si quid contineant, quod aliter interpretandum, & accipiendum sit, ac existimet vir insignis; atque in primo quidem, quo dicitur homines solo sanguine defæcato à terrenis sordibus incolumes ali tota vita; vinumque solum actione caloris in purum sanguinem facile transmutari; ac proinde abstinentes nostros per totius vitæ spacium alere potuisse; animaduertimus in alimento, cuius beneficio possit homo viuere diutius, duo necessaria esse; nimirum quantitatem proportionatam alendo corpori, & similitudinem substantiæ cum omnibus partibus nutriendis; quorum altero, uel vtroque deficiente, alimentum diu hominem seruare nequit; quare ad rem: dum scribitur homines solo sanguine defæcato à terrenis sordibus ali posse diutius, absolute verum non est; si enim sit exigua sanguinis copia, sufficiens diu alendo nõn erit; quapropter cito interire oportebit: sin autem agamus de sanguinis copia corpori nutriendo proportionata, concedentes eam homini alendo sufficere ad multum tempus, negamus vsu vini solius tantum sanguinis comparari, quantum satis est nutriendo corpori, propter caussas dudum expositas. Deinde vero sanguini ad hoc vt alat hominem, quoad omnes corporis particulas (quod fieri necessarium esse multoties notauimus ex Aristotele) præterea quod à terrenis sordibus, defæcatus esse debet, similitudinem, familiaritatemque naturæ proportionabiliter eum omnibus corporis partibus nutriendis non obtinere non potest: modo falsum est sanguinem ex vino solo genitum habere hanc similitudinem cum partibus solidioribus, quæ plurimæ sunt inter alendas; quare vinum solum maxima ex parte mutatũ in sanguinẽ familiarem pinguedini, & carni molliori, minima uero in similem offi, neruo, venæ, arteriæ, ligamento, car-

Alimento qua duo sint necessaria.

Vt solo sanguine non alamur diutius.

Vino sufficiens alimentũ nõ comparari 1. de gen. t. 35. 2. de an. t. 15.

Sanguis quo ali nequeunt solidiores partes.

tilagini, & alijs partibus solidioribus, alere quidem homines aliqua ex parte, ac breui tempore potest; omnino autem, ac diutius alere non potest; quum ex se omnibus partibus solidis satis alimenti nequeat impertiri. Deinceps neque illud sicco pede transeundum est, vinum solum in sanguinem facile à calore transmutari posse, quia similem obtineant temperaturam, vtroque ad calidum & humidum inclinante; nam præterea quod apud viros doctissimos lis nondum terminata est de prædominantibus qualitatibus in vtriusque temperie; dantes coincidere temperamenta hæc in calidi & humidi prædominio; notamus ad hoc vt quid in aliud mutari facile possit, aut simpliciter mutari possit, necessariam quidem esse familiaritatem naturæ, quam symboleitatem nuncupant, sed non sufficere; nec enim aer, cuius natura item calida est & humida, in vinum, aut sanguinem mutari valet: reperiri præterea multa alia, etsi non essentialia, sine quibus mutatio non fiat, & potissime in proposito, vinum solum caloris opera facile in sanguinem verti posse ob naturæ similitudinem, per se quidem verum est; per accidens tamen non verum; quia quum versio vini in substantiam sanguinis momento non fiat, sed in tempore debito, nec vbicunque locorum obeatur, sed in hepate, vel corde; quoniam vini materia fluxilis est, si solum bibatur, nihil reperiens in stomacho solidi, quo eius fluor cohibeatur, facile dilabitur in intestina per aluum, & ad officinam sanguinis non permeans, sanguinis naturam non induit: Immo & si vini portio aliqua in fame ab hepate de stomacho trahatur; non ideo illa in sanguinem vertetur, aut abstinentibus nostris opem ferre dicenda est: non quidem primū, quia trahentibus in fame venis, & alijs partibus ab hepate, qua ratione iecur suxisse dicitur e stomacho priusquam vinum flueret ad intestina, eodem sane pacto materia vini fluida statim ex hepate labetur in venas priusquam in sanguinem mutetur; quando etiam partes exinanitæ per venas de substantia iecoris vi trahunt chylum, & succum crassiusculum nondum plene coctum, quamuis hic motui sit longe ineptior, quam vinum; quanto magis vinum immutatum surripietur hepati à partibus famelicis? ita ergo vinum solum non potest in sanguinem verti, potissimum in abstinentibus, quia tandiu nequit in eorum visceribus contineri, quorum calore digerendus est, quantum satis est ad induendam sanguinis naturam; licet per se, si retineatur, in sanguinem mutari posse dicatur: Non secundum, quia trahentibus omnibus partibus tandem continuatis ductibus à ventriculo, necesse est in eius ore sensum exquisitissimum habente sensum indigentiæ vehementem fieri, ac molestam famem excitari, appetentiamque insignem; quam tamen in abstinentibus nostris non comperias, qui potius inappetentia, non certe appetentia nimia laborabant.

Vinū cur omnino, ac diu hominē alere nequeat.

Symboleitatem non sufficere ad facilē versionē.

Requisita ad mutationem.

Vinū solū cur in sanguinem verti non possit.

Vinum vt sit sanguis terræ: non omni sanguine nos ali posse: an vinum sit venenum cicutæ, vt fertur. Cap. CXXI.

QVod autem postea ex Androcyde apud Plinium dicitur vinum esse terræ sanguinem, nos vero ali posse quocunque sanguine; ac proinde abstinentes potuisse vino nutriri; multis nominibus non recipitur; primum enim suspicamur homini sanguinem venenatorum animalium letalē futurum; immo & edocemur ab Auicenna, Dioscoride, Galeno, & à Nicandro in Alexipharmaca taurinum sanguinem venenum esse, suauissime canente apud Gorræum de proposito Nicandri Musa,

Lib. 14. cap. 5.

Lib. 4 fē. tr. 3 c. 16. lib. 6. c. 20. 2. de med. c. 7 & de vul. n. spir. Sanguis tauri venenum.

At si quis tauri nigrantem forte eruorem
Sorbuit, afflictus sæuo iacet ille dolore.
Nanque eruor subiens penetralia corporis alta
Concrescit, mediaque coit glaciatus in aluo;
Aeris arcta via est, presso quem gutture clausū
Intus pulmo tenet; conuulsus at ille frequenter
Conentitur saliens, & spumis oblitus ora.

Quo genere potus mortem vltro sibi consciuisse Midam illum priscum memorat Plutarchus in suo de superstitione libello. Quamobrem audacter infitiari possumus quemcunque sanguinem salutari hominibus alimento esse. Deinde vero adnotamus Androcydem eo loci liberaliorem vini vsuram Magno Alexandro non laudare tanquam alimenti, sed veluti veneni vsum prohibere, pro eodem accepto terræ sanguine, ac veneno, inquit enim, *Vinum potaturus o Rex, memento te bibere sanguinem terræ; sicut venenum cicuta vinum est, sic & vinum cicuta homini; quibus præceptis si ille obtemperauisset, profecto amicos in temulentia non interemisset*; hæc Plinius; quibus duo Androcydis præcepta proponuntur nobis explicā da; primum est, potaturum Regem meminisse oportere se bibere sanguinem terræ, ut propterea vel ab eo penitus abstineret, veluti à potu horrido, & abominabili; præsertim si cum antiquioribus terram animo concipiat esse Deum matrē, matremque ferarum, & nostri genitricem, quinimmo commune sepulchrum; nec non etiam, ut ex Eudoxo ad mentem sacerdotum Aegyptiorum memorat Plutarchus lib. de Iside, & Osiride, *Reges ante Psammeticulum neque bibisse, neq; Dijs libasse vinum, id rati esse illorum sanguinem, qui aliquando bellum Dijs intulissent; ex quorum cadaueribus terra permistis putant vites esse ortas. Itaque etiam ebrietatem insanos facere, & abalienare mentem impletis hominibus sanguine suorum maiorum.* Vel eo parcissime vteretur; hoc etenim veteribus in more positum fuisse scimus in contrahendo aliquo magno fædere, sanguinem ex eodē póculo gustare parcissimo haustu, libantibus labijs potius quam bibente palato; cuius rei luculentissimum testimonium habemus apud Sallustium in coniuratione Catilinæ asseuerantem *fuisse ea tempestate qui dicerent Catilinam oratione habita, quum ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret, humani corporis san-*

Plinij locus illustratus.

Lucret. lib. 2. & 5.

guinem

guinem vino permistum in pateris circumtulisse; inde, quum post execrationem omnes degustauissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consueuit, aperuisse consilium suum: Quin & Plutarchus in vita Poplicolæ coniurationes humano cruore degustato sanciri notauit asseuerans, *omnibus visum est homini ingulati sanguine libato, & visceribus tactis, magnū, & dirū iusiurandū cōcipere.* Præcipit ergo Regi temulētiæ obnoxio sapiens Androcydes, meminerit quando vinum biberet, tunc terræ se sanguinē bibere; scilicet vinum ad instar sanguinis cuiusdā, seu etiam materni vel abominari, & abhorrere, vel summis labijs libare, modiceque assumere debere: quamuis enim ex animali eductum non fuerit vinum, putet ipsum tamen esse terræ sanguinem, quasi magni cuiusdam animalis, & matris omnium cruorem, quem potare magis horreat, quam olim ex Ouidio Pyrrha

Lædere iactatis maternas ossibus vmbras,

cui post vniuersale illud terrarum orbis Diluuium ad reparationem generis humani Dea Themis edixerat, & Deucalioni coniugi solis superstitibus

Et velate caput, cinctasque resoluite vestes,

Ossaque post tergum magnæ iactate parentis. A terræ lapides indicans, qui ossa æmulantur in animali. Alterum sane præceptum Androcydis est, bibiturum Alexandrum more suo intemperantius, meminisse oportere vinum copiosius haustum esse homini uenenum ad instar cicutæ, vti prodidit etiam quandoque Aristoteles; quod etenim legitur in vulgation codice Plinij, *sicut cicuta homini venenum est, sic cicuta vinum,* id mendosum existimamus; quandoquidem etiamsi cicutæ remedio sit vinum, quemadmodum insinuasse visus est Plato in Lyside; atque experimento confirmasse Plutarchus, dum ait, *Lacedemone Mineruæ Chalciaci templum repertum est compilatum, intusque iacens inanis lagena; ea de re quum inter multos, qui accurrerant, disquireretur, quidam e corona hominum, si vultis audire, inquit, ego vobis exponam quid mihi in mentem venerit de hac lagena; existimo sacrilegos ita periculosam, prius cicutam bibisse, ac vinum secum attulisse, vt si fallerent, epoto mero vim veneni diluerent, incolumesque discederent; si vero deprehenderentur, ante tormenta facili & doloris vacua morte decederent: Hac illo fato, res tam intricata, ac perplexa visa fuit non suspicantis aliquid tale, sed scientis; itaque circumfusi hominis, alius aliunde caperūt interrogare quisnam esset, cuine notus, & vnde ista haberet cognita: denique hoc modo examinatus, confessus est se vnum de istis esse sacrilegis.* Quare sicut gallinacea caro nobili metaphora Plinio dicitur esse venenum auri, quia si auro liquescenti gallinarū mēbra misceantur, consumunt illud in se; ita plane vinū haud immerito vocari valeat quodā modo cicutæ venenū; scilicet si post cicutæ assumptionem bibatur; nam si cicutę admisceatur, efficit ut resistu veneno plane non possit ob calorem celeriter ad cor penetranti; quod alibi Plutarchus adnotat. Qua ratione tamen huiusmodi placitum pronunciare debuerit Androcydes Magno Alexandro immodicum vini vsum interdicturus, ego quidem non assequor: quinimmo Principibus venena nunquam nimium timentibus vini vsus vltro laudandus esset, qua est veneni remedium; belle tamen velut homini venenum, haud secus ac cicuta est, vinum immodicum damnare potuit Alexandro sapiens Androcydes, vt Aristoteles etiam asserens veluti ex cicuta, sic ex multo mero interire homines, præsertim graciliores: sed & vinum homini venenum esse sapientissimus omnium Salomon inter prouerbia numerat, *Ne intuearis (inquit) vinum quando flauescit, quum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet:* Quocirca legendum arbitror apud Plinium, *sicut cicuta homini venenum est, sic ad instar cicutæ vinum:* sed & aliam lectionem in Plinio Dalechampico ad marginem adnotatam habemus, quam supra posuimus, *sicut venenum cicutę vinum est, sic & vinum cicuta homini;* quæ lectio, ut nostra, ex Aristotele probe interdicere potest vini usum vberiorem; quippe uinum immodicum fit homini cicuta, seu uenenum nihilominus quam cicuta; etiamsi opposita ratione mortem arcessat cicuta, & uinum; illa etenim refrigerando, & extinguendo calorem enecat; vinū autem nimio calore suo calorem hominis modicum absumendo, quemadmodum Aristoteles admonet, siccato humore, quo continebatur. Sed hæc obiter, & fortasse fusius quam par esset hoc loco. Deinceps uero & illud obseruare licet nos enutriri sanguine proprie dicto, non autem æquiuoce nuncupato, ac metaphorice; ceterum vinum ambigue, seu æquiuoce, ac secundum metaphoram terrę sanguis appellatum est ab Androcyde, scilicet fortassis colorem uini respiciente, qui sanguinem refert; loquitur enim de uino rubro, quod & usitatissimum, & ualidissimum ueteribus erat: quamuis etiam flaui coloris uinum haud multum a floridi sanguinis natura sensui dissidere uideatur, adeo ut uini genus uniuersum sanguinis substantiam æmuletur, ac propterea nuncupari probe potuerit sanguis terræ a senioribus: quo nomine in sacris litteris habemus tum *Onia filium Simonem libauisse de sanguine uuæ;* tum etiam *exercitum Regis Antiochi iunioris pugnaturum aduersus Iudam suis Elephantis ostendisse sanguinem vuæ, ac mori ad acuendos eos in prælium.* Denique vero ex huiuscemodi placito Androcydis, concessis in disputationem omnibus argumenti propositi principijs, colligere sane poterit Medicus eximius vinum alere simpliciter, quod & nos vltro confitemur; vino autem solo ad multam temporis intercapedinem enutriri posse homines (quod modo in controuersia positum nobis est) haudquaquam colligere poterit.

Plin. lib. 14. c. 63.

3. probl. 33.

Vinum cicutæ remedium, & venenum

Lib. de Curiositate.

Lib. 29. c. 4.

Auri venenum.

Lib. de adul. & amic. discri.

Loc. cit.

Cap. 23

Vinum, & cicuta opposita ratione interimunt.

Vinū cur terræ sanguis dicatur.

Ecclesiast. c. 50

Elephas quo irritatur ad prælium.

De vini, & sanguinis mustia proportione Alexandri placitum explicatur, Cap. CXXII.

QVod autem subinde proponitur ex Alexandro, vinum scilicet in se quatuor illa continere; florem, qui leuissimus innatat; faecem, quae corpulenta subsidet; humorem aqueum, qui temporis spacio consumitur; & partem vinosam alimento idoneam; id totum admittimus; quod sanguis alia quatuor his proportione respondentia iisdem contineat, nempe bilem flauam, melancholicam, serosum excrementum, & alimentarem sanguinē defaecatum; concedimus nihilominus: hinc autē fieri vt quemadmodum pars sanguinis alimentaria per se hominibus alendis sufficit, vinum solum consimiliter ad nutriendos abstinentes satis esse valeat; hoc quidem non damus viro egregio; etenim cum proportione allata totius vini ad totum sanguinem, dissimilitudo ea coniuncta est, intercedens inter partes vini, & sanguinis alimentares, cuius merito vinum solum alendo corpori non est ad longum tempus, quod sanguini conceditur; quoniam in sanguine sunt portiones vniuersis, ac singulis corporis nostri particulis idoneum, sufficiensque nutrimentum subministrantes, quae non reperiuntur in vino, quod solis mollioribus partibus alendis sufficit, solidioribus non sufficit, insinuante Galeno; quum tamen sanguis omnibus aeque sufficiat; obtinet enim multo plures crassiorū partiū sanguis quam vinū. Sed hac de re supra.

1. de tuen. val. c. 2.

Vini & lactis proportio explicatur, & vtrum lacte solo totam vitam viuere possimus. Cap. CXXIII.

QVod adijcitur de lacte, primum quidem vt accepimus infantes toto biennio solo lacte ali posse, ita lactis substantiam nihilo crassiorem vini materia esse, non accipimus; quum enim vtrunque corpus fluidum sit, fluxilius tamen, ac longe tenuius est lacte vinum; quo fit vt quibus lac solum sufficiens alimentum praebet, ijs vinum solū praebere nequeat: quis enim putet infantes vino solo educari posse, qui solo nutriuntur lacte? vt inde pateat ad alendum vino cum lacte haud paruum interesse discrimen. Deinde uero notamus vim, ac sufficientiam alendi non inesse lacti a tenuitate partium, atque a natura fluxili, vt propterea vinum in his lacti simile solum possit homines alere, quod efficit lac; secus enim alere consimiliter deberet oleum solum, alijque liquores omnes lacti aeque ac vinum in tenuitate, fluxilitateq; coparab.les; verum lacti soli sufficiens portio inest succi ad alendos homines, nō autem vino, quia lac familiaritatem obtinet naturae cum singulis partibus nostri corporis proportionatam, quam non habet vinum; ac proinde hominibus alendis biennio lac sufficit, vinum haud sufficit. Quod autem affertur ex Galeno scribente aliquos citra noxam lacte perpetuo esse usos, acutissimi viri placitum non firmat; quia lactis solius vsum nō memorat Galenus, de quo est controuersia, sed lactis usum simpliciter: & ego quidem lubens dabo aliquos posse quotidie lac impune assumere; at solo lacte viuere diu posse adultos non dabo; quod & apertum est Galeni dogma. *Nonimus* (inquit) *senem quendam agricolam, qui amplius quam centum annos ruri vitam egerat; huic plurimum nutrimentum caprinum lac erat; quod alias cum mica panis in eo macerata statim sumpsit, alias coxit, etiam thymo cacumina una cum pane injiciens; alij citra noxam lacte perpetuo sunt vsi, immo etiam cum maximo fructu, uelut agricola, quem supra centum annos vixisse diximus*: ex quibus Galeni verbis liquido iam constet adultos non solo lacte nutriri. At uero alibi Galenus asserens generationem sanguinis multo magis necessariam animalibus quam vētriculi operatio sit; quod vel inde patet, quia licet ventriculus cibos omnino conterere nō ualeat, modo succos aliquos assumamus, vt multis in nationibus lac solet, viuere possumus; si sanguinis generatio tollatur, vitam quoque tolli necesse est: Galenus inquam haec proferens Clarissimi viri sententiam non roborat; his enim tantummodo asserit Galenus multas nationes lacte ali ad notabile spacium temporis, manifeste innuens victum Scytharum, quem esse scribit Athaeneus, & Hippocrates plurimam temporis partem ex lacte, seu caseo equino: ceterum Hippocrates admonet praeter lac Scythis in alimentum venire carnes coctas, vt solo lacte perpetuus eorū victus non sit: Immo & illud constat Scythis victum popularem esse ex pulte confecta ex farina, & lacte, quod nutrimentum ingestum necesse nō est in uentriculo conteri; lac autem appellatur Galeno à praedominante in mistura; multo enim lacti parum farinae admiscebant; si vinum dicimus Hecet non merum fuerit, sed aqua temperatum à praedominante in mistura, vt monuit Aristoteles. Deinceps vero quum haud praefiniat vllum temporis spacium Galenus, quo vnius lactis vsu homines viuere possint; solum lac homines alere dicemus ad multos dies, addas etiam ad plures menses, si verum de Zoroastre fertur, qui lacte solo interdum sex menses transegisse dicitur, quod Athenaeus de alio quodam narrat; certe ad multos annos lacte solo nutriri homo non poterit praesertim qui prius communibus edulijs fuerit assuetus; nec asserit eo loco Galenus. Sed obiter in hac sententia Galenum non audio ventriculi operationem esse proprie ciborum contritionem; haec enim dentium, non autem stomachi functio est: Neque putes contritionis vocabulo hic significari quamcunque cibi subactionem, ac propterea coctionem quoque illam, quae fit in ventriculo; quia falsum diceret Galenus succos aliquos, ac praesertim lac ore sumptum in stomacho non subigi, ac digeri, proindeque ventriculi functionem haud simpliciter esse necessariam; si quidem obseruamus pueros lacte solo nutritos aluo faeces excludere, ac vrinas effundere, quae sunt exceremēta primae coctionis in stomacho perfectae; lac enim etiā partes habet excremētitias, quae in chylum verti nequeant, e stomacho extrudendae sunt ad aluū. Sed redeamus ad pensum. Quod Atheneus, qum & Plutarchus deinde referre dicitur ex Aristotele, ac Theo-

Lac vino crassius.

Vino solo infantes educari nō posse.

Cur lac solum alendis nobis sufficiat, non suffi ciat vinū.

1 de tuen. val. c. 7.

6. de plac. c. 6.

De aer. aq. & loc. 4. de morb.

1. de gen. c. 34.

Zoroastres diu solo lacte ad plures menses.

Gal. notatur.

Lac bene sumptum subigitur primo coctionis.

4. Sympos. quaest. 1.

ac Theophrasto Philinum quendam nullo alio cibo potuue per totam vitam nisi solo lacte vsum fuisse, non nullisque alijs sine vlla siti fuisse semper in vsu, ita nobis accipitur, vt concedamus lacte recenti, nondum coagulato belle sitim sedari alijs posse, quæ tollitur infantibus: & quando spacium vitæ Philini non determinatur, putamus eum infantiam quidem excessisse, pueritiam vero, & ad summum adolescentiã non absoluisse; tunc enim corpus adhuc molli substantia præditum est, vt solo lacte nutriri valeat. Sin autem quis adultiores etiam lacte solo nutriri posse contendat; non repugnabo, quum in lacte videam partes caseosas plures, quæ solidam substantiam obtinent; vt mirum sit quidem prouectiori ætate hoc vno alimento viui; supra naturæ vires tamen haud fit: vt rite inter mira naturæ Schenckius reposuerit obseruationem Bruyerini asserentis lib. 2. cap. 6. de re cibaria, se nouisse quandam puellam in Gallia Belgica Ghauniaci natam loco non paupere, quæ annos iam nata sedecim, aut eo plus, solo lacte educata fuerat, alterius cuiuscunque cibarij expers.

Obser. medic. lib. 7. Puella solo lacte nutrita ad annum ætatis 16.

Ceterum longe alia ratio est de vino solo, cuius vnius vsu alendis partibus mollioribus abunde prospicere possumus; at solidiorum partium nutricatui sufficienter prouidere non possumus; quum paucæ nimium sint in vino partes crassæ solidioribus membris nutriendis aptæ. Præterea vero admittentes exempla omnia ex historijs petita de mulieribus, quæ proprios parentes in carcere ad multos dies lacte proprio aluerunt; negamus tamen illos multo lõgiori tempore huiusmodi alimento seruatos iri; natura enim quibus dentes tribuit, ijs vt substantiam solidiorem concessit, sic solidioris quoque alimenti necessitatem incussit, vsumque imperauit; sufficit autem dentatis, hoc est adultis ad multos dies lac solum, solumque vinũ, quia partes corporis nostri solidiores, vt quæ difficilius, minusque absumuntur quam molles, non ita cito requirunt alimentum solidum, ac molles dilutum; & eo magis, quo nonnihil etiam solidæ substantiæ sibi hauriunt solidiores partes ex lacte, ac vino; sed quum plus solidi de lacte trahant, quam de vino; hinc fit vt lactis vnius vsu diutius perduret homo, quam vini solius: Quod autẽ dentatis fortasse non sufficit biennio lac solũ, edentulis pueris sufficit, ideo fit quia hi tenellas obtinent omnes partes corporis, quæ alimentum sibi familiare postulant vino solidius, lacte non solidius.

Lac solum cur adultis ad multos dies sufficiat.

Cur lac vitam diutius producat quam vinum.

Cur pueris solum lac sufficit.

Vino solo si carceratus vixit ad viginti dies: si senes maxime vtantur Platoni, & graciles Galeno; non tamen abstinentes ali potuisse.
Cap. CXXIV.

QVod posterius adducitur exemplo de carcerato, qui amico clanculum suggerente vinũ solum hauriens absque alio nutrimento ad vigesimam diem superuixit, non arguit eodem victus genere vixisse, aut viuere potuisse ieiunantes, de quibus instituta nobis est contemplatio; quod enim solum alimentum vitam conseruare potest ad viginti dies, non propterea ipsam conseruare poterit ad plures menses, ad annos integros; nam superius etiam notatum est aquam solam conseruare vitam quoquopacto eius, qui aquam non bibens citius interijsset: Ob rationes ergo repetitas antea contingit belle vt solo vino ad viginti dies, vel paulo plures ali, & viuere possit homo, ad plures menses, & annos haudquaquam possit; vt propterea ieiunantes, si qui vinum bibant, eo solo nutriri dicendi non sint. Senibus autem Plato vinum tribuit veluti medicamentum potius, quam vt alimentum, pulchre nobis insinuans ætate matura homines vberiori potione vini vti debere, quia senectuti vinum confert non solum vt alimentum, quod vulgo etiam notũ est, sed præsertim vt medicamentum, quo calor innatus ad extinctionem vergens viuidior fit, & frigiditas repellitur; vnde viribus quoquopacto redintegratis vsu vini reiuuenescit senior; siquidem senex non est, qui vires habet integras ex Galeni decreto: Vt autem laudamus, & concedimus largiorem vini vsum senibus, quam iuuenibus, quia iuuenes a vino nullam medicamenti rationem desiderant, a quo seniores alimentum simul, & medicamentum postulant; ita non concedimus vino solo senes nutriri posse ad multum temporis, minusque iuuenes, cuiusmodi fuere plurimi, ne dicam omnes abstinentes: iuuenibus enim ad incrementum partium solidarum plurimum solidi alimenti opus est; ad caloris æstũ temperandum aqua potius quam vinum requiritur; senibus contra vinum summe necessarium est ad calorem labantem sustinendum, ad partium molliorum effluxum quoquopacto supprimendũ; solidum vero alimentum minori copia, aliqua tamen copia conuenit ad alendas etiam partes solidiores, quæ, dum molliores vino aluntur, vino ali nequeuntes absque alimento esse non possunt: siquidem non alitur in corpore vna pars, alijs non enutritis. Nihil ergo sibi ex Platone corrogat vir sapiens, qui censet abstinentes vino solo nutriri.

2. de Leg. Senibus vinũ vt conueniat ex Platone. Vinum senibus vt sit medicamentũ. Senex non est, qui vires habet integras Galeno 11. meth. cap. 9. Cur senibus vinũ largius quam iuuenibus bibendũ sit. Solo vino senes non ali posse ad multũ tempus.

Quã sententiã longe minus persuadere potest nobis allatũ posterius ex Galeno placitum; quia dum alendis, reficiendisque corporibus gracilioribus, æque improbato absolute alimento maxime nutriente, & nutrimento coctu facillimo, vsui maximo vinum esse scribit Galenus, haud sane vinũ solum, remotis alijs omnibus edulijs amplectitur; sed censens vno vino in potu vtendum esse cunctis, quibus nó febrientibus refici corpus est opus, in cibo tamen & lac, & panem purum, & obsonium ex piscibus saxatilibus, & alas, testesque gallinacei lacte nutriti, & perdices, & passerculos ijsdem nuper concesserat, durasque carnes, glutinosa, & omnia coctu difficiliora nutrimenta, licet maxime alerent, interdixerat; vt ex Galeno ibi non constet gracilia corpora solo vino refici, quod affertur ab egregio viro.

9. meth. cap 6.

Alimentum maxime proprium an solum sufficiat alendo corpori; vinumque vt sit alimentum tale; quod omni viuenti competat, brutis praesertim, & plantis.
Cap. CXXV.

De caus. morb. cap. 3.

PRaeterea & in alio argumento citata Galeni sententia scribentis vinum maxime proprium alimentum esse, nobis recipitur; quod autem addidit vir doctus alimentum maxime propriū per se solum nutriendo viuenti sufficere posse, non recipitur; nam eo non determinatur id quod est esse alimentum maxime proprium, quod solum sufficiat alendo corpori, sed eo quod possit alere simpliciter, ac ex se mutari in substantiam viuentis, & hoc ad salis, & saporis differentiam, qui potius est condimentum alimenti, nec per se solus alere potest: immo etiam ad aquae discrimen, quae alimenti vehiculum est, non alimentum proprie; secus enim mutata materia, eodem argumēto fieri oporteret vt corpus solum sufficeret ad constituendum hominem, quum illud sit hominis pars constitutiua maxime propria; sed quia id a veritate longe abest hominem solo corpore contineri, nec dignū vt Aristotelis autoritate confirmetur; falsum est ergo quod maxime proprium est alicui, hoc ipsum illi ea in re solum sufficere, in qua illi maxime proprium esse dicitur: Ad confirmationem vero negamus absolute quae sola nutriendo corpori sufficiunt, sed alijs indigent, vere, ac maxime proprie alimenta non esse; nam brassica, vel cucurbita, licet ex se sola non sufficiat homini nutriendo, maxime proprium tamen est alimentum; quid olera connumerem? panis duplici coctura siccior, quem biscoctum vulgo nuncupamus, maxime proprium est homini alimentum, nihilo minus quam vinū; & tamen haud solo pane viuere possemus; indigeremus enim liquore, quo posset in ventriculo panis concoqui, & coctus sub forma chyli, & sanguinis per venas angustiores deferri ad hepar, & ad partes corporis vniuersas. Tum vero demus quae non ex se alendo corpori sufficiunt, non esse alimenta maxime propria; non tamen proinde fit vt quae sunt alimenta maxime propria, ex se sola sufficiant alendo corpori; alioquin mutata materia ijsdem terminis fieri deberet vt quemadmodū accidentia, quae per se sola non sufficiunt constituendo animali, non sint maxime propria principia constituentia viuens; ita prorsus anima sola, quae est maxime proprium principium constitutiuum animalis, per se sufficeret sine corpore ad animal constituendum, quod nemo dixerit extra Academiam, potissimum in Peripato. Deinceps autem si liceat rem acriter expendere, notamus ex Porphyrio, & Aristotele maxime proprium dici quod competit omni, soli, & semper, non quod solum sine alijs sufficere possit: sic maxime propriū hominis dicitur esse admiratiuum, & risibilem; ac maxime proprium substantiae susceptibilem contrariorum esse; quum tamen hoc solum substantiae non sufficiat, neque alterutrum illorum homini; modo Galenus animaduertens vinum conuenire posse tanquam alimentum quoquopacto omni viuentium generi, soli, & semper; probe dicere potuit vinum esse maxime proprium alimentum: conuenit quidem vinum sub ratione alimenti omni viuentium generi quoquopacto, id est generatim, non sigillatim; nam tria quum sint viuentiū genera, quibus alimenta in vsum veniunt, homo, brutum, & planta; vinum singulo generi cedit in alimentum; de hominibus certum est viro doctissimo, & vnicuique nostrum; de brutis testimoniū perhibet Clarissimus Bonamicus se nouisse quendam, qui vinum canibus venaticis offerret ad cursum; nosque nouimus conductitios equos mire vino refici, & excitari ad cursum; oblatum enim panem vino maceratum ingerentes, & reliquum in vase vinum haurientes mirifice roborantur omnia iumenta, vt non ab re canat Homerus Hectora suis equis propinasse vinum, eosque proinde monuisse vt Andromachae faueant si *apposuit*

Vobis primis melleo dulcedine oblectātem cascū
Vinoque infuso bibere quantum animo liberet:

Vtque mirari non desinam finxisse Apuleium, non ignobilem alioqui Philosophum, olim tantopere admiratos fuisse Thyasi Epulones asinum meri mulsi grandissimum calicem libentissime bibentem; erat autem mulsum vinum austerum cū quinta mellis parte, quo viri delicati vterentur in prima mensa. cuius diligentem apparatum Palladius, & vsum Catius edocet, vel Bonamico notante. Quin & serpentes vinū praecipue appetere notauit Plinius. In plantarum autem genere quasdam esse, quę vini potius quam aquę affusione delectantur, vt platanus ante Bonamicum obseruat doctissimus Costaeus, & ante Costeum Plinius. Quum ergo vinum (quod vix vlli alteri contingit alimento) omni viuentium nostratium gradui alimentum praebeat, ac soli; nam praeter plantas, bruta, & hominem, nihil vino ali potest, ac semper; nulla enim temporis differentia est, qua uinum moderate sumptum non alat praedicta uiuentia; scite Galenus ait uinum esse maxime proprium alimentum; inde tamen haud fit ut solum sine alijs nutrimentis homini alendo sufficiat ad longum tempus.

Marginal notes: Vinum est alimen. & ad salis, & aquae discrimē. — 3. phys. t. 25. — Maxime propriū alimentum solum id sufficere. 2. phys. t. 31. — Vinum vt Galeno sit maxime proprium alimentū. — 3. de alim. cap. 6. — Vini brutis quibus conueniat. — Lib. de Asin. 10. — Apuleius notatum asino vinum bibente. — Lib. 10. cap. 72. — 3. de alim. cap. 9. — Lib. 12. cap. 1. — Plantam vino aleri. — 2. de Symp. cap. 19. — Cap. de proprio — Cap. de subst. — Maxime proprium quid.

Vltimum alimentum vtile quod sit, an ex vino solo fiat, & vtrum omnibus partibus alendis sufficiat. *Cap. CXXVI.*

AD aliam uero rationem concedentes uinum per se solum multiplici actione caloris tandem uerti posse in ultimum alimentum utile immediate uertendum in alendarum partium substantiam, & in seminis materiam, quae reliquum illud esse dicitur ultimi alimenti utilis, quod superest membrorum nutricatui; quod gratis accipitur, & indistincte, alendis hominibus sufficere alimentum utile omnes coctiones passum, a uenisq; capillaribus iam effusum, & partibus adhaerens proxime nutriendis, id nobis distinguendum est; nam hoc ultimum alimentum non unius ubique substantiae, ac naturae est, sed uariae, ac multiplicis, tū quia ex assumptorum diuersa essentia uarij succi eliciun-

Vltimum alimentū cur varię naturę.

eliciuntur; tum etiam quia varijs membris constituitur homo, quæ sigillatim non aluntur nisi humore sibi congeneo, adeo vt succus aptus alendo cerebro ineptus sit nutriendo cordi, & ossibus; consimiliter in alijs: Itaque vltimum illud alimentum, quod per se solum sufficiat alendo corpori, necessario in se continere debet succos varij generis proportione respondentes varijs naturis alendarum partium; neque enim aliquæ tantum partes ali possunt in viuente, ceteris non enutritis, sed omnes æque aluntur Aristoteli, quod sæpenumero notauimus antea. Adijciendum his est, non sufficere in alimento, quod solum homines enutrire valeat, reperiri tot numero partes, quot sunt mēbrorum nutriendorum naturæ, his familiares; at vlterius opus esse vt proportionata quoque sit succi cuiusque moles quantitati partium sibi familiarium; si enim alendum corpus multas obtinuerit partes solidas, & consistentes; profecto illi nutriēdo alimentum id non sufficiet solum, cuius natura fere tota est fluxilis, minimumque solidatis, & cōsistentiæ particeps: Quum ergo vinum huiusmodi sit, etiamsi absolute verti queat in semen, & in vltimum alimentum; quia tamen hoc vltimum alimentum ex vino solo genitum ferme totum est fluidum, paucissimasque, ne dicam nullas, continet in se partes consistentiæ, soliditatisque compotes; proculdubio vt mollioribus alendis carnibus, pinguedinisque, ac seminis procreationi sufficit; certe ossibus, neruis, venis, cartilaginibus, alijsque membris solidioribus nutriendis non sufficit: Eo itaque solo ali non potuere ieiunantes nostri.

3. de an. t. 14. 3. de gen. t. 35. Alimētu, quod solū sufficiat alendo corpori, quæ necessaria

Vino sedari famem non posse, sitim posse; fame simul ac siti animal angi non posse; famemque, ac sitim ad varias partes attinere, et quid proprie sit fames, ac sitis explicatur.

Cap. CXXVII.

AD posterius argumentum concedentes omne alimentum externū generatim esse obiectum sitis, & famis; illamque definiri appetitum frigidi, & humidi; hanc vero calidi, & sicci; quinetiam vltro dantes alimentum per se solum vtrique desiderio satisfaciens reficiendo id omne calidi, frigidi, humidi, & sicci, quod e nostri corporis substantia effluxit, sufficere homini posse diu sine alijs edulijs; negamus primum vini vnius vsu famem, & sitim sedari; satisfacere quidem vinum siti potest, fami non potest: quod autem affertur in oppositum, si nos premat inedia simul & sitis, vino ingesto primum tolli sitim, deinde famem quoque sedari; multiplici de caussa non admittitur; ac in primis quia falso nititur supposito, nimirū nos fame simul ac siti posse torqueri, sunt enim passiones incompatibiles; quod & Aristoteles innuit aperte statuens ab exercitatione statim ob laborem nos sitire, ac propterea non esurire; idipsum & ratio persuadet, quum enim vtraque affectio, fames nimirum, ac sitis, ad eandem facultatē pertineat, videlicet ad eundem appetitum, naturalem Medicis appellatum, qui reuera determinatur ad vnum, nec simul contraria desiderare potest; profecto simul cupere non potest sensus idem calidum, & frigidum, humidum & siccum; proindeque animal simul fame, ac siti affligi non valet; quarum illa desiderium calidi & sicci definitur, hæc autem frigidi, & humidi cupiditas. Deinde vero esto fames cum siti coniuncta, sane vtraque simul angi non possumus; quia quum vtraque, Platone quoque adnotante in Philebo, sit vel doloris species, vel interuentu doloris, tristisque sensationis affectio nos angens; quumque diuersas partes obsideant fames, ac sitis; nam fami subijcitur potissime os ventriculi, siti vero guttur, ac pulmo præcipue; plane quum ex Hippocratis oraculo duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus vehementer alterum obscuret; propterea simul fame, ac siti molestari non possumus, vehementiori alteram obscurante. At sunto disputationi fames, ac sitis, vt rentur viri Clarissimi ex Galeno, affectiones vnius, & eiusdem partis; profecto quemadmodum duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus vehementior alterum obscurat; sic vicissim eundem locum torquentibus alter alterum auget, immo potius in vnum confunduntur; quo factum est vt altero sedato, alter mitescere videatur; vel etiam summo dolore magna ex parte affatim sublato, vniuersus uideatur extirpatus; vnde simul esurienti & sitienti vinum ingestum vere solam demit sitim, sed sensui quoque fames leniri, tollique uidetur, quum reipsa non auferatur. Vlterius autem & hoc obseruandum est, alimentum illud solum sufficere homini ad uitam, quo plene tum fami, tū siti satisfieri potest; sed uinum tollit quidem sitim penitus, famem uero lenit, at funditus non demit; quippe illam sicci alimenti copiam homini non affert, quæ ad omnia solidiora membra reficienda sufficiens famem radicitus extirpet. Præterea uero propria ratio, qua vini potio sitim tollere possit, famem non possit, ea est, quæ desumitur ex famis, ac sitis definitione; hæc igitur expendenda: Qua quidem in re, ut plerique uulgo existimant, calidum illud & siccum, frigidum & humidum cuius definitur Aristoteli esse cupiditas famis, ac sitis, non sunt sigillatim primæ qualitates, simplicesque elementorum essentiæ; nanque absolute fames citra sitim est appetitus misti perfecti, quo restaurari valeant solidæ partes, in quibus præter calidum & siccum, frigidum quoque, & humidum reperitur; id ipsum iudices de siti: Sed calidum & siccum, cuius appetitus est fames (vt de hac primum loquamur) est mistum potentia calidum, & prædominio siccum, seu actu solidum, atque consistens; vbi enim absumitur solida partium substantia, simul calorem illa innixum dissolui necesse est; quoniam vero consumi nequit solida partium substantia citra continui solutionē, & calor dissipari non potest sine intemperie; proinde necesse est vtrisque his exolutis, doloris sensum obrepere, quo stimulata natura facultatē excitat ad ea appetenda, quæ deficiunt, & ex quorum defectu sensus male habet; hic autem appetitus pro-

Nos famē, ac siti non posse simul torqueri 5. sect. 38. probl. 30.

Fames, ac sitis ad eādem facul

talem pertinet. Appetitus qui determinetur ad vnum.

Fames, ac sitis vel dolor est, vel nō sine dolore. Fames, ac sitis diuersas partes obsident. 2. aph. 46

Duobus doloribus eundem locum infestantibus quid accidat.

Vino cur fames leniri videatur.

Alimentū quod solū sufficiat ad vitam. Vide lib. 4 cap. 50.

Definitio famis, & sitis explicatur. 2. de an. t. 28. Calidum, & siccum, frigidum, & humidum in fame, ac siti non esse qualitates primas. Calidum, ac siccum, cuius appetitus est fames, quid sit. Vnde proxime fiat dolor, & sensus tristes in fame discruciant.

proprie fames est; vt propterea recte supra cum Platone diximus famem esse dolorem quendã, vel dolori quid necessario coniunctum; neque ab re nuper statuerimus siccum illud, cuius appetitus fames est, non esse simplicem aut qualitatem, aut elementi naturam, sed mistum perfectum, actu solidum, & (si libet) à prædominio siccum; verius tamen simile sicco; nam quum natura sicci ea esse perhibeatur Aristoteli, vt proprio termino coerceatur, non alieno; solida partium substantia quum alienis terminis haud terminetur, sed proprijs, sicci naturam æmulata rectissime sicci nomine insignitur: At quemadmodum dissipatione substantiæ solidæ partium, opus est calorem illarum satisfcere; ita plane ipsius materiei densioris instauratione calorem adolescere necesse est; nam vbique in consistentiori, solidiorique subiecto calor vigescit. Sic ergo fames est appetitus calidi & sicci, hoc est cibi solidioris, quo densior consistentia partium refecta calor insitus intenditur; seu (quod pridem monebamus) calidi potestate, ac sicci, solidiue actu: Alioquin etenim pellitur fames cibis tum actu, tum quoque à prædominio frigidis, vt pane hordeaceo, cucurbita, & consimilibus. Vbi vero consumatur partium nostrarum humiditas tenuis, ac mollis, seu illa sit propria, & interior, seu aduentitia partibus, & extrinsecus affusa; quod ob laborem statim contingere maxime docet Aristoteles; necesse est inducta siccitate calorem acui præter modum; vrgente vero intemperie, & humidi necessitate, sensus male afficitur, ac suscitat facultatem ad appetendum calori refrigerium, & siccitati humorem; hic autem appetitus sitis est. Ac porro si calor æstuet, consumpta humiditate partium propria, quia humiditas hæc aqua simplex non est, sed mistum perfectum; sitim efficit, quam vino sedari oportet: Sin calor ardeat consumpta maxime humiditate aquea partibus extrinsecus affusa, vt ob laboris vehementiam, salsorumque, ac desiccantium puluerum ingestionem, sitis exoritur, quã vino puro augeas, aqua sola, vel paucissimo vino, acetoue temperata extinguas; quo nomine messoribus ad sitim Galenus aquam, vel poscam laudat, vinumque non concedit nisi dilutissimum: At vero æstum caloris temperat corpus actu frigidum; siccitatem vero molestam tollit humidum illud corpus, quod sit actu liquidum, & fluxile, minimeque cõsistens: Sitis ergo est appetitus frigidi, & humidi, hoc est, corporis actu frigidi, & fluidæ substantiæ, quo simul possit caloris incendium extingui, & molesta siccitas emolliri: Quum ergo vinum actu frigidum sit, & liquidum, minimeque consistens, nulliusque particeps soliditatis; plane illius vsu sitim, non famem omnino tollere poterimus: Et quum vini potio apta sit omnino sitim extinguere; famẽ ea ex parte ad summum lenire poterit, qua potestatem habet calefaciendi, penitus autem tollere non poterit, quum solidam partium substantiam non habeat, cuius fames est appetitus non minus quam caliditatis: Quare ad argumentum, id alien dis hominibus satis est, quo simul fames, ac sitis

Natura sicci qua. 2. de gen. t. 9. Solida cur vocentur sicca. Refecta substantia solida cur calor adolescat. Vide lib. 4. cap. 24. Fames vt sit appetitus calidi & sicci. Origo sitis. 5. probl. 50. Siccitate calor acuitur. Vnde dolor, ac tristis sensus in siti. Vide lib. 4. cap. 51. & 52. Sitis, qua vino sedanda. Sitis, qua vino augeatur, aqua extinguatur. Sitis vt sit appetitus frigidi & humidi. Vino cur sitis, nõ fames, tollatur. Vino qua ex parte fames leniatur.

pellitur ex toto, non ex aliqua parte solum; at vinum soli sitienti omni ex parte consulit, non item esurienti, sed ea ex parte tantum, qua fames est libido calidi; qua vero siccum, solidumque desiderat fames, nihil à vino recipit, cui liquida prorsus inest, fluxaque materia. Amplius neque illud absolute concedendum est, vino solo id omne refici posse calidi, frigidi, humidi, & sicci, quod e nostri corporis substantia effluxerit; nam particula illa, *Omne*, vel respicit numerum, vel molem; si numerum, conaedimus vini potu refici posse singulas partes elementares nostri corporis; quippe vinum est mistum perfectum omnium elementorum particeps; sed admonemus hoc non sufficere alendo corpori, vt humidum, calidum, siccum, & frigidũ apponatur; at oportere apponi hæc singula in debita mensura, quæ magnitudini alendarum partium respondeat; vinum autem quum tantum solidi, ac sicci alimenti non afferat, quantum satis est solidis partibus enutriendis, propterea solum alendo corpori non sufficit: sin vero molem respiciat, vt libenter damus eo solo nutriri posse hominem, quo refici potest illud omne, totumque humidum, frigidum, siccum, & calidum, quod e corporis partibus effluxerit; sic infitiamur solo vino refici posse tantum solidioris, ac siccioris materiæ, quantum e corpore dissolutum fuerit; quum vinum minime consistens sit, habeatque totam suã materiam fluxilem, ac liquidam. Vltimo hac in re animaduertere liceat nomine famis, ac sitis nos posse duas affectiones intelligere, nimirum & peculiarem passionem ventriculi, ac faucium, quæ fames est animalis cum sensu suctus, de qua nuper actum est; & passionem vniuersi corporis, quæ est defectus humidi, & frigidi, calidi, & sicci in toto corporis habitu; quæ fames est naturalis cum suctu, sed citra sensum suctus; quæ communis etiã est plantis; de qua passione loquitur cum Plato famem ac sitim appellans euacuationes, & indigentias habitus corporis, seu corporis, vt quid est contradistinctum ab anima; tum quoque Aristoteles dum admonet esurientibus, ac sitientibus illico ingesto cibo, ac potu, non tolli famem, ac sitim; quia non protinus ac repletus est ventriculus, ceteris partibus exinanitis prospectum est: Vel potius dicamus famem, ac sitim exactam illam esse, in qua hæc omnia conueniunt, exinanitio partiũ; appetitus naturalis in partibus; suctioque continuata vsque ad ventriculum, & os eius; inde in ventriculo, & faucibus sensus molestus suctionis; & appetitus animalis rei externæ; ut pulchre insinuauit nobis Aristoteles loco citato; quem non animaduertens subtilissimus Scaliger famem non vult dici iecoris, & aliorum membrorum, licet velit in illis esse suctionis sensum: quorum dogmatum neutrum recipimus; non postremum, quia sensui non respondet in iecore, & alijs partibus omnibus (præter stomachum) exinanitis, exsuctisque alicunde, inesse illius suctionis sensum; neque rationi; non enim oportet sensum suctionis inesse nisi ei parti a qua sugunt aliæ, non autem sugentibus suæ suctionis sensus tribuendus est; ceterum partes,

Vino solo non refici omne quod effluit e corpore. Vinum solũ singulas partes ... Fames, ac sitis duplex affectio ... Vide lib. 4. cap. 50. & sequ. Fames naturalis quæ. In Philebo & 9. de Rep. 22. sect. probl. 2. Famis, ac sitis exacta ... Notatur Scaliger. Exer. 343. Vide lib. 4. cap. 52. 53.

tes,

In fame, ac siti omnia membra fugũt e stomacho, non vnum ex alio.

Sensus suctus nulli parti inest nisi stomacho.

Molestia partium aliarũ in fame vnde sit, si sensu suctionis non angũtur.

Vide lib. 4 cap. 50. & sequ.

lib. 4. cap. 52. 53. 22. probl. 2.

tes omnes per venas continuato ductu fugunt à stomacho, non aliam ex alia, vt neruus e musculo, digitus e manu, manus e brachio, & ita de ceteris; quare sensus suctionis in solo stomacho inesse debet, a quo solo per venas omnia membra fugũt. Deinde vero suctus si alijs quoque partibus præter quam stomacho inest, profecto citra sensum illis inest, vt inest partibus plantarum: quis enim famescens in iecore, ac reliquis partibus sensu suctionis angitur? angitur quidem fortasse defectu, ac debilitate ob inopiam spirituum, nequeunte virtute rectrice sustinere membrorum molem, vt in animi deliquio; non angitur tristi suctionis sensu, qui famem, sitimque constituens proprius est oris ventriculi, ob rationes infra commodiori loco afferendas: multo minus primum dogma recipimus legentes in Aristotele, ventre repleto nihilominus superesse sitim, ac famem; quia membra corporis nondum commodum sibi humorem & alimentum attraxere; quod vbi contigerit, tum sitim, ac famem tolli, nec aliter euenire posse. Sed redeamus ad pensum. His positis concedentes viro subtili quoquopacto vinum solũ tollere posse sitim, ac sedare famem, quæ sunt affectiones particulares gutturis, ac ventriculi; negamus vino solo prospici sufficienter illi indigentiæ sicci, quæ pertinet ad vniuersum corporis habitum; adnotantes alimento, quod solum vniuerso corpori nutriendo sufficere debet, id opus esse, vt sitim, & famem tollat, quæ respicit consimiliter vniuersum corpus, non quæ solius ventriculi, & gutturis passio esse dicitur.

Hippocrati vinum sedare famem, vt medicamentũ, non vt alimentum: Galeno autem vinum solum nutrire inter alios liquores, non corpus vniuersum sufficienter alere.
Cap. CXXVIII.

Aph. 21.

QVod autem ex Hippocrate affertur asseuerã te famem solui à vini potione, facile potest explicari; nihil enim fauet hoc placitum viro doctissimo, tum quia ibi sermo est Hippocrati de fame particulari, quæ affectio est vnius ventriculi, non autem de illa quæ totius corporis inanitionẽ sequitur vniuersalis cupiditas, & suctus membrorum omnium; vinum autem si tollat famem ventriculi, non autem prospiciat inanitioni vniuersarum partium, certe solum homini alendo non sufficiet; tum quia ibi notante Galeno fames duum generum spectatur in homine; alia est affectio naturalis ob effluxum substantiæ corporis nostri, quacunque de caussa fiat; alia vero est morbosa constitutio ex frigida intemperie stomachi; vinum tribuit Hippocrates velut medicamentum morbosæ famis, non vt alimentum in ea, quæ dicitur secundum naturam; immo ex Galeno citra morbum fame laborantes, si vini ea potione vtantur, quam morbosæ fami concedit Hippocrates, tantum abest vt inde bene habeant, quod potius multa morborum grauiorum genera incurrant. Addimus Hippocrati aliquando naturalem famem,

Fames duum generum.

Lib. de flatib.

Naturalẽ famem cur

quam eo quod homini molestiam, tristitiamque inferat, communiori vocabulo morbum appellat, cibo sedari, non autem potu; quo tamen sitim pariter vrgentem auferri scribit ipsemet eodem loco ad famis differentiam: cui viro assentiens Plato ait cupiditatum manifestissimas esse sitim, & famem, illam quidem potus, hanc vero cibi. Quod vltimo loco ex Galeno proponitur eximij viri placitum non munit; perspicuis enim verbis asserit Galenus vinum solum inter alios liquores vim habere nutriendi, quod & nos lubenti animo suscipimus; non scribit autem ibi Galenus vino solo vniuersum corpus sufficienter ad multum tempus posse nutriri, quod putat vir egregius, & nos negamus audacter. His ergo rationibus viro doctissimo abstinentes nostros vna vini potione fuisse nutritos existumanti subscribere non possumus.

Hippocr. morbũ appellat.

4. de Rep.

De ven. aff. cap 6.

Septimá opinio decernens abstinentes nostros ali pituita, & succis crudioribus, qui vlteriori caloris actione in probum alimentum vertantur; quod Magni Alberti placitum recepere plurimi.
Cap. CXXIX.

POst sententias abstinentibus nostris alimentũ externum concedentes, illæ nunc se se nobis offerunt considerandæ, quæ ipsos interno quopiã alimento nutriri afferunt; inter quas vulgatissima illa est, quæ à Magno Alberto proponitur, & à quamplurimis alijs fusius excolitur; nempe diuturnæ huius abstinentiæ caussam ad vnius pituitæ, crudiorisque succi redundantiam redigi; oportet autem neque recentiores viros in his defraudare, quæ vel inuenerunt, vel sequuti sunt; & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos posita sunt, autoribus suis reddere: neque dubitari potest quin latius quidem, & dilucidius quomodo, & qua pituita nutriantur ieiunantes nostri Ioubertus, Citesius, Portius, Conciliator, Bottonnus, & alius quisque explicauerit; nihil tamen reperijsse videntur, quod non à vetustiore Alberto breui theoria comprehensum fuerit; quamobrem licet philosophorum, medicorumque plurimi eam de proposito sententiam habuerint, vt opinarentur abstinentes nostros ali crudiori succo, & pituita; quia tamen primus omnium hanc sententiam in vulgus extulit Magnus Albertus, propterea illum huius placiti autorem appellamus, in quo tamen afferendo aliorum etiam si quæ occurrent propria dogmata referemus. Albertus quidem sic de proposito philosophatur, Animalia frigido temperamento prædita voracia sunt; proinde multas cruditates phlegmaticas, & viscidas intra corpus accumulant, quibus a calore debili sensim consumptis, & in alimẽtum mutatis diu nutriri possunt, citra vllum aliorum nutrimentorum vsum: quum autem abstinentium temperies frigida fuerit, calorque debilis, idcirco multa pituitæ, crudiorisque succi copia congesta illis ab omni cibo abstinentibus diu alimento esse potuit. Quibus autem frigida temperies inest, seu calor imbecillis; quinę frigidis, & viscidis

De nutrimen. & nutr. tra. 1 cap. 4.

7. de animal. tr. 3, cap. 3.

viscidis valde cibis vtuntur, & voraces sunt, meatuumque cutis constrictione rigentes, aut densati; ij omnes facile diu possunt abstinere, illaque omnia perpeti, quæ hyeme latentibus, & abstinentibus accidere compertum est, vt scilicet nullo cibi, potusue desiderio teneantur, & diu sine alimento externo superstites esse valeant; namque frigiditas, quacunque de caussa ventriculum afficiat, inordinatum, intensumque appetitum excitat; quo nomine aquam potãtes voraces esse admonet Hippocrates, & melancholia stomachum ex liene petente famem procreare obseruat Auicennas: Esurientes igitur multa ingurgitant edulia, quæ si cum frigiditate coniunctam crassitiem habuerint, ac viscíditatem, ab imbecillo calore nequeunt probe digeri, & in chylum, sanguinemque coctum transmutari; fiunt ergo inde multi succi crudi, crassi, ac lenti, quibus communi nomine pituitæ nuncupatis nõ modo ventriculus, & intestina, sed mesaræi venę, iecorisque, ac vniuersi corporis vasa replеãtur: quæ igitur pituita in venis vniuersi corporis continetur, nomine sanguinis crudi, & semi cocti, non nisi lente consumitur, & sensim à calore debili vlteriori actione coquitur in sanguinẽ, quo aluntur partes omnes assidue; quæ vero in hepate continetur, paullatim etiam chyli crudioris naturam exuit, & prima sanguinis induit rudimenta, fluxuri ad partes alendas; quæ in mesenterio est, nihilominus lente coquitur, quæquæ in stomacho seruatur, haud solum & ipsa sensim, ac tarde mutatur in chylum fluxurum ad hepar, sed etiam lentore suo nauseam, & ciborum odium accersit; & quemadmodum repletæ venæ vltimæ nihil, aut minimum trahunt à maioribus, itã hæ ab hepate, iecur à mesenterio, mesæreum a stomacho nihil, vel insensibile quid exugit: nullo itaque facto suctionis sensu, nulla vrget fames; quinimmo lenta pituita, viscidisque succis ventriculum infarcientibus difijcitur appetitus, euocatur inappetentia, cibique fastidium, & odium: Calore autem debili existente, cuteque adstricta, neque multa portio substantiæ defluit e corpore, neque magna copia pituitæ redundantis consumitur in alimẽtum, nisi post multum spacium temporis; immo vero quæ pellebantur ad cutem excrementa, & partium substantia in vapores caloris actione dissoluta, extra corpus egredi gestiunt, non patente exitu, & a cutis frigore natiuo (orta est enim ex humido crasso, & viscido ab ambientis frigiditate coacto) euaporantia ea inquit frigore cutis densata reflectuntur iterum ad partes interiores in phlegmatis naturã, quod obseruare licet in olla feruentis aquæ; atque ita sæpius iterata circulatione, coctioneue transmutatur in sanguinem, & alimentum partium; quibus ideo sufficit, quia circuli nullus est finis; sic enim Aristoteles generationem circulo perpetuã efficit ex eadem mole: Abstinentes vero nostros frigido temperamento, & calore debili extitisse, voracesque, ac frigidis, lentisque, seu viscidis alimẽtis assuetos, cutique constipatos, inde coniectari liceat, quia fuerint omnes fere feminæ, vel viri melancholici, & in regionibus frigidioribus, atque

Aquam potantes voraces. 6 de morb. vulg. t. 20. L. 3. f. 13. tr. 2 c. 12.

3. de gen. t. 68.

torpentes, somnolenti, ac desides; nanque mulieribus cum temperies frigida, calorque debilis, tum propria est voracitas, vt pueris; his quidem ob caloris consumentis robur; illis autem ob substantiæ mollitiem, dissolubilitatemque: melancholici quoque frigido sunt temperamento, & ingluuiosi; at regio frigida frigidorum, lentorumque ferax est alimentorum; torpor autem, desidiaque oritur interclusis vijs ob copiam phlegmatis in venis, & arterijs; vnde prohibetur spiritui transitus ad mouendas partes: sed somnolentia fit calore debili occupato in crassioris phlegmatis elaboratione, vnde multi vapores densi oriuntur longi, & profundi somni autores. Hæc omnia de proposito facile collegimus ex Alberto. Cuius vetustam opinionem non aspernatur N. Rapinus illis versiculis de abstinente Consolentanea editis,

Aut magico fallax in corpore spiritus errat;
Aut pasta exili lampade flamma subest;
Maiorem humanis legibus esse Deum.

Amplectitur Citesius Rapino respondens

Nec nostra fallax in Virgine spiritus errat,
Carmine nec magico fascinat ille oculos:
Nec, veluti inciderit nũc dignus vindice nodus,
Quas posuit leges transilit ipse Deus.
Sed quod versiculo tua, magne vir, annuit vno
Musa, alita exili lampade flamma subest.

Et multo ante hos viros innouauit Conciliator, & inter iuniores Portius, Ioubertus, & alij, quorum præstat rationes afferre, quas in Alberto non habemus, sed ipsi e suo condo vere depromunt; atque vt a senioribus exordiamur, Apponensis ratiocinium texit ex autoritate Hippocratis, & Galeni haud vno in loco asseuerantis eos, qui prædiri sunt frigido, & humido temperamento, habituque pituitoso, non assuetam etiam abstinentiam facile tolerare, pituita caloris ministerio temporis processu in sanguinem commutata, & in alimentum concedente. Simon Portius primus omnium occasione puellæ Spirensis dedita opera de hoc argumento libellum scripsit, in quo suse disputans abstinentes aere non ali, breuiter decernit ijs pitui tam alimento esse, in suæ opinionis confirmationem Albertum candide appellans nonnullas e suo marte rationes promit; primam quidem elicit ex Aristotele dicente animalia ea esse voraciora, magisque cibum appetere, quę rectum intestinum habent, quam quæ anfractuosum; quin & pituita abundantia minus cibum decoquere; quibus ergo vtraque hęc insunt, quæ inesse nostris abstinentibus certum est; ea facile poterunt diu non appetere, atque ab externo alimento abstinere. Deinde vero ex Hippocrate senes nõ alia de caussa supra omnes ætates ieiunium tolerant, nisi quia frigido sunt corporis temperamento, caloreque imbecillo; ergo in quibus vna iunguntur caloris infirmitas, & pituitæ copia, vt in senibus plerunque accidit; hi longam poterunt abstinentiam tolerare: nil itaque aliud quæramus in abstinentibus nostris, quos esse calore debili, & pituita refertissimos plura demonstrant apud Albertum; quid recenseamus sexum mulicbrem, ociosam vitam,

Pueri cur voraces, & mulieres. Torpor vnde sit.

Alberto consentit Conciliator.

Differ. 11. 3 aph. 3. acut. 1. 30. 8. meth. cap. 6.

Portius Alberto dat manus.

Animalia voraciora quæ sint. 3 de part. cap. 14.

1 aph. 13

tam, pigram, segnemque, & somnolentam, inappetentiam, scabiem, pustulas phlegmaticas, & alia sexcenta frigiditatis, ac humiditatis indicia ieiunantibus propria? Verum & Auicennas ipse aperte fatetur phlegmate copioso alimentorum externorum necessitatem tolli, subeunte illo vicem alimenti; quin & appetitum deijci; quod in brutis hyeme latentibus obseruare liceat; si ergo appetitus prosternitur a phlegmate plurimo viscoso replente ventriculum, & corpus vniuersum, à quo nihil, vel parum admodum effluit substantię, vt in febribus accidit, in quibus longo tempore ieiuniũ toleratur, quia solidarum partium natura non sugit ex venis, neque venæ a stomacho; quippe occupata in expellendo noxio non vacat attrahendo proficuo; & sicut abstinet vrsus, & eritius, & plurima animalia a cibo in hyeme tempore longiori, quoniam occupatur naturalis calor in elaborandis humoribus crudis in eorum corpore aceruatis, ijsque apponendis in locum substantiæ fluxæ; quũ enim cibi necessitas sit ad restaurandum id quod e corpore diffluit; vbi nulla, vel exigua sit corporis dissolutio, tunc necessarius non est cibus exterior; quid ni hoc locum non habeat in nostris abstinentibus? Indicio sit, quod puella Spirensis aliquando cibum sumere coacta, eum mox euomẽs simul putridum, pituitosumque humorem eiecisse dicitur; signo euidentissimo multitudinis pituitæ, cui comes est calor imbecillus: at quemadmodum pituitosus humor absolute caloris ope in sanguinem verti, & in alimentum corpori concedere potest; sic multa pituita, & crassa, viscidaque pusillo calori sustinendo citra vllius alterius nutrimenti ministerium diu sufficere valet. Ioubertus à Portio eandem sententiam pluribus argumentis roborat, Animata (inquit) sybcælestia cuncta tandiu viuunt, quandiu calor natiuo, & radicali humore fruuntur, sine quo illis calor inesse nequit; sed calore iugiter absumente humidum, citò viuens occumberet, nisi humidi exterminium alimentis calorem ad se conuertentibus retardaretur; itaque vitæ longitudini alimenti vsus necessarius est: qui ergo diu non comedentes, neque bibentes viuunt, interno aliquo alimento perfrui opus est, eoque crasso, ac multo; at in humano corpore nihil reperias, quod alimento esse queat abstinentibus ad lõgum tempus, nisi pituita dulcis, quæ sanguis est semicoctus: non aliunde igitur caussam desumas tantæ abstinentiæ, quam ex pituitæ, crudiorisque succi vbertate. Insuper autem semina, & plantarum genera multa diu viuunt absque eo quod externo alimento vtantur, quia calor insitus versatur circa humorem viscidum, quo intrinsecus affluũt; quid ergo prohibet hoc ipsum hominibus accidere posse, vt alantur succo pituitoso viscido ad multum tempus? id enim experimur quotidie in grano, & in alijs plantarum seminibus, quæ fecunda seruãtur in horreo, viuaque ad multos annos haud alio succo redundasse plurimum, vel inde manifesto constare potest, quod Spirensi puellæ cutis tota pustulis de phlegmate scatebat. Amplius autem appetentia quum sit naturalis affectio, non actio voluntaria, quæ rationi obtemperet, orta ex indigentia cibi; sane quicunque non appetunt externa nutrimenta, ijs indigere nequeunt; at vero calore iugiter absumente humidum, fieri non potest quin (saltem post notabile spacium temporis) viuens indigeat alimento saltem interno, quo humi di consumptio retardetur; at internum hoc nihil aliud afferas quam pituitam; hanc igitur abstinentiæ caussam existimes. Vltimo Galenus aliquem sine alimento permanentem ob virium iecoris imbecillitatem posse diutius sufficere nos docuit; cer tum est autem imbecillitatem hãc esse caloris inopiam frigidæ temperiei sobolem, frigidæque materiæ procreatricem: nihil igitur obstare videtur quominus in frigido corpore tanta humoris crassi, & glutinosi manus aceruata nonnunquam offendatur, vt ad multos annos nihil aliud agat insitus calor, quam illius absumptionem; interim vero corpus nouo alimento non indiget; cuius hoc indicium, quod nulla sit appetentia: Præter hæc nihil ex Iouberto habeas, quod ex Alberto, & Portio non colligas. His addidit subtilissimus Citesius primo experimentum, quo compertum est abstinenti Consolentaneæ crescere pilos, & vngues; immo & vniuersum corpus; at augumentum haud est sine nutricatu; nihil autem assumens nul lo alio quam pituita nutriri potest; alitur ergo abstinens pituita: Mox & Aristotelem adducit statuentem homines principio viuere vitam stirpis, solamque tunc animam habere vegetantem; dein tempore procedente subire sentientem, tandem accedere intelligentem; non enim simul animal fieri, & hominem; nec animal, & equum (quamquam, subdit, hęc sententia Christiano philosopho non ita digna; esset enim primum beta, aut lactuca; deinde canis, aut equus, aut quid huiusmodi; tandem cæsar, aut cato) quia ergo plantarum vegetantem vim, & belluarum sentientem includimus, ideo dicitur corpus nostrum ali vt planta, sentire vt animal, ratiocinari vt homo; quare plantæ, animaliaque diu sine cibo viuendo interiori ali mento frigido, viscido, & lento, argũmentum non leue præbent caussæ consimilis ieiunij nostrorum abstinentium. Sed & acutissimus Fernelius crudiori succo perpurgando, secernendoque a sanguine nullum ideo instrumentum a natura designatum fuisse, quia humor is in sanguine confusus per misceri, non excludi debuit; quippe quasi dimidio coctum est alimentum, quod manens cum sanguine rapitur in venas, vt per inedias, & cibi penurias tempore mutetur, & integre coquatur, fiatque sanguis commodus, & salutaris: Neque vero vt sanguinis forma plene exornetur, necesse est in iecur hæc pituita recurrat; sed venæ ipsæ ad id operis perficiendum satis virium, & caloris obtinent.

Hæc de proposito sensit Magnus Albertus, & post eum quamplurimi sapientes viri tum diuturnę abstinentiæ caussam in caloris imbecillitatem, & pituitosi, crudiorisque succi vbertatem referentes.

[Marginal notes: L. 3. f. 13. tr. 2. 8 7. — 5. de loc. aff. cap. 1. — Citesius Alberto assentitur — 2. de gen. an. cap. 3. — ... de cad. ... ad. 2. ... ubertini ... Alberto ... stipula ... — Fernelius Alberto suffragatur. 6. de fãct. & hum cap. 3. & cap. 9.]

Examinatur allata sententia, ostenditurque primum abstinentes non fuisse calore imbecillo, cui sustinendum ad multum tempus sola pituita sufficiat. Cap. CXXX.

QVando hæc Magni Alberti sententia passim a viris doctissimis excepta profundas iam egit radices in mentes hominum; haud parum negocij nobis impendet, qui aliter opinantes de proposito ab ea studiosorum animos ad nostra dogmata conuertere tentamus; siquidem ab Hippocrate didici multa necessarium esse adducere argumenta ad opiniones (ait ille) fortiter inhærentes, si quis velit auditorem à priori sententia conuertere vt suis verbis fidem adhibeat. Sed veritatis amore flagrantes age arduam hanc palestram ingrediamur, in qua vel vinci ab his litterariæ militiæ antesignanis nobis sit gloriosum. Vt autem nostra hæc exercitatio cum Viris Clarissimis dilucidior vnicuique appareat, ante omnia examinandæ sententiæ summa capita recolenda, & distinguenda; ceterum abstinentiæ diuturnę duas esse caussas pręcipuas contendunt, caloris imbecillitatem, & pituitæ, succiue crudioris vbertatem: sed hæc multiplicia sunt singula; discernenda itaque: id si placet, ex Aristotele faciamus, qui hoc negocium alicubi subtiliter explicat, *Calor* (inquit) *concoquere non potest, non modo quia exiguus est, verum etiam præ nimia cibi assumpti copia; fit enim exiguus comparatione tanti cibarij: duplex autem exuperantia cibi est, aut enim quantitate, aut qualitate, id est modo, & genere; quippe quum cibus non æque concoctu facilis quisque sit.* Calor itaque imbecillius bifariam dici potest ad concoquendum alimentum, vel absolute, vel comparatione facta ad alimenti exuperantiam; quæ item gemina est, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, cuiusmodi est alimentum viscidū, densum, crassum, ac duræ substantiæ: Profecto quomodocunque de calore, & alimento abstinentium nostrorum sentiant viri doctissimi, rationes multas habent suis dogmatibus aduersantes; nanque in primis verum non est abstinentes nostros habuisse calorem imbecillum, & exiguum absolute, nulla facta comparatione cum alimenti exuperantia, vt ideo illi exiguo sustinendo sufficere potuerit ad multos menses, & annos pituita latens in corpore; inter abstinentes enim primum legimus iuuenem scotum, pilis rubeis, ac temperamento bilioso; deinde ieiunantes plerique fuere puellæ adhuc adolescentes, qua ætate calor vegetus est, ac multus decreto Hippocratis: certe ieiunantium calorem absolute imbecillum, & exiguum non ponet Loubertus, qui superiori paradoxo humanum corpus omnibus vel calidissimis longe calidius esse contendit. Deinde vero demus disputationi abstinentes calorem simpliciter exiguū, & debilem obtinuisse, si non natura, saltem ex accidenti; non tamen illud concedere possumus, vt ei calori sustinēdo sola pituita sufficiat, crudusue succus, quantumuis in corpore affluens, atque redundans; sic enim decrepiti, quibus inest calor innatus longe debilior, & pituita dulcis, crudusue succus longe vberior, sine cibo diu viuere possent; qui tantum abest vt multum abstinere valeant, quod potius cogantur in die multoties esitare, alioquin defecturi, vt adnotauit etiam Albertus. Quinimmo exilis iste calor in ieiunantibus quomodo a tāta pituitæ, succiue crudi copia, quæ sufficiat alendo corpori ad plures annos, non extinguitur? illud enim metuit Hippocrates dum statuit senibus paucos cibos exhibendos esse, nam exiguus illorum calor à multis extinguitur; quod etiam fatetur Albertus asserens copiā alimenti, potissimū frigidi, & viscidi calorem extinguere, & mortem arcessere. Insuper quomodo calor debilis in materiā humidam operans flatus plurimos non suscitat, qui rugitibus viscera omnia compleant, & doloribus assiduis circa ventrē maxime abstinentes vexent? Neque vero illud absolute recipimus, quod in abstinentibus nostris calor imbecillus extiterit, ac exiguus collatiōne tanti alimenti, quod vires caloris exuperet adeo quantitate, aut qualitate, aut vtrisque, vt solum sufficiat occupando calori ad multos annos; etenim, vt de quantitate loquamur, si mente concipiamus inter abstinentes reponi tum ab Alberto virum melancholicum, atque ideo corporis habitu sicco; tum ab alijs iuuenem biliosum, puellamque spirensem colore fusco, consolentaneam ventre pene desiccato, Etruscā corporis habitu gracilimo, & omnes taciturnas, meticulosasque, quibus omnibus indicijs nō pituitę, sed melancholię copia, vel potius humiditatis, & alimenti demonstratur inopia; profecto in ijs tantū humoris crudi, pituitosique abundantiam non reperiemus, quanta opus esset ad sufficientem alimoniā plurium annorū. Et eo magis hæc ratio vrget, quo ex Aristotele habemus haud vno in loco animalis non vnam tantum particulā nutriri, sed vel vnamquamque simul quantumuis minimam, & secundum omnes illius dimēsiones, vel nullam penitus: quare si continue perennare debeat per multos menses, & annos nutricatio, ita vt assidue vnicuique particulæ corporis aliqua noui alimenti portio adiungatur; oportet sane in his corporibus tantam pituitę copiam præfuisse ab initio, dum alimenta externa recusare cæperunt abstinentes, quantum in ipsis contineri nec sensus percipere, nec imaginatio vllo pacto excogitare potest: Quamuis enim ratione caloris exigui vltro daremus id fieri vt absumeretur pauca admodum propositi humoris copia, hoc tamen parum, aut nihil confert ad quantitatem alimenti requisitā pro sufficienti nutricatione omnium particularum corporis; aliud enim est humorem radicalem, atque alimentarem a calore natiuo consumi; aliud est humidum alimentare in substantiam partium nutriēdarum conuerti; dato nanque a calore nil prorsū humoris consumi, confiteare tamen opus est, vbi oporteat corpus secundum omnes sui particulas etiam minimas ali per spacium multorum mensiū & annorum, molem corporis nutriendi ex se non tolerare, vt ea pituitæ copia, quæ simul vnica vice in corpore contineri potuit, sufficiat ad subministrandum iugiter nouum alimentum omnibus, ac singulis particulis etiam minimis in humano corpore

Margin notes (left): 4. de mor. — 3. de par. cap. 5. Calor cur coquere non possit Aristoteli — Cibi exuperantia duplex Aris. Calor imbecillus bifariā dicitur. — 2 aph 29 Crescentibus calor vegetus.

Margin notes (right): De tumi. men. v. 1. cap. 5. — Cur senibus pauci sint exhibendi cibi 1. aph. 14. — loc. cit. — 5. de gen. c. 35. 3. anim. c. 14. — Calor ... quid ...

pore

pore, secundum quas nutricationem fieri docuit Aristoteles. Obseruo hic etiam non recte fortasse statui viri doctissimis tum à calore naturali solo dissipari humorem internum, tum quoque calore consumi humorem alimentarem antequam nutriat; nam reuera & calor innatus dissipat, depasciturque non humorem alimentosum antequam is in partium naturam per nutricationem fuerit conuersus; nisi huiusmodi conuersio dicatur humoris consumptio in partes; & corporis nostri substantia dissoluitur, consumiturque non solum à calore naturali, sed etiam ab extrinsecus occursantibus omnibus, à motibus cũ animi, tum corporis vehementioribus, & precipue a calore ambiẽtis; quo fit etiam vt æstate quamplurimi emacientur, qui pingues, carnosique hyeme visi fuere.

Corpus à quibus dissipetur ossi dua.

Vide lib. 4 cap. 90. & sequ.

Abstinentes nec pituita crassa cruditatibusue abundasse, nec enutritos fuisse.

Cap. CXXXI.

13. meth. cap. 3.

Amplius ex Galeno habemus quicunque maximam crudorum succorum copiam vna cum stomachi offensione vel ex cruditatibus, vel quauis alia occasione congesserunt; his præter febrem, præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole, quam pro naturæ modo, conspici; quorũ signorum nullum in abstinentium historijs comperias; at potius oppositam his præcordiorum, & vniuersi corporis maciem reperias. Præterea quũ illud quotidie liceat intueri, pituitæ affluxu ad articulos intensissimis doloribus homines cruciari, etiamsi pituita illa dulcis existat, & alendo corpori, solaque vbertate peccet; qui fieri possit vt nemo abstinentium cum tanta pituita podagricis, & articularibus alijs doloribus cruciatus fuerit? Viterius calore simpliciter valido existente, nequit exuperare pituita, succusue crudior, nec mole, nec qualitate, nisi præcedente ingluuie, ac voracitate; at ieiunantes nulli leguntur à crapula incæpisse abstinentiam; immo vero plures obseruantur ante ieiunium frugali, parcoque victui assueti. Addo si (vt inquiunt doctissimi viri) calore ieiunantum & debili, & occupato penitus circa elaborationem cruditatum, ac exundantis pituitæ, parum admodum e corporis substantia diffluit; quum iugiter e ventriculo, intestinis, ac venis pituitæ portio cedat in alimentum corporis; cur abstinentes non pinguescunt, vt vrsi, & glires, sed potius contabescunt assidue? certe hoc illis id accidere non posse, quod vrsis, & gliribus euenit post crapulam hyeme latentibus, vt internis cruditatibus alantur, apertissime conuincit. Illud quoque suspectum est, quod ponunt in abstinentium corpore pituitam, & humorem hunc crudũ crassæ, viscidæ, lentæque substantiæ, quo diutius calori possit obsistere; nam si (vt aiunt) adeo exundat hic humor, vt eo ventriculus, intestina, mesærei vasa, hepar, venæ corporis omnes repleantur; quid ni à tam crassa, dẽsaque materia fiant obstructiones vbique in toto corpore, sed præcipue in vijs angustioribus, & post obstructiones oriantur febres, alijque morbi sæuiorum symptomatum.

Signa redũdantis cruditatis

Quando existente calore valido non redundat pituita.

procreatores? certe vt nullo ex his malis abstinentes nostros cruciatos legimus, ita eos crassa, lentaque pituita refertos vndiquaque fuisse probabile non est. Adijciendum his est pituitam, crudumque succum cedere non posse in alimentum corporis nisi digeratur, & à calore vlterius concoquatur; ceterum coctio quælibet ferax est excrementorũ; ea quidem, quam obit stomachus, fæcum alui, & vrinæ; quam iecur efficit, bilis, & melancholiæ felle, ac liene primum excipiendæ, mox ad intestina per aluum cum fæcibus extrudendæ; pituita igitur, crudusque succus in ventriculo exundans, atque caloris opera chyli naturam perfecte induens, cur aluo, & vesicæ sua non reddit excrementa in nostris abstinentibus? Similiter quæ ab hepate coquitur in sanguinem, quum vtranque bilem tali coctione à succo alimentari necessario segreget calor in splenem, felleamque vesicam; & inde iugiter propellatur portio ad intestina, cur tandem non exeunt in excrementa hæ biles, quę non sunt alendo corpori, vt monuit Galenus? an quia permanent in liene, ac felle, aut disperguntur in habitum corporis vniuersum? Sed cur non intumescit lien omnibus abstinentibus? cur ijdem morbo regio non inficiuntur? Insuper quum serum, quod non maxime redundare nequit in tanta pituitæ vbertate, vesicam per renes adeat, quomodo non egerant excrementa consueta, & præsertim lotium ieiunantes? quomodo autem ijs non redditis cito insigni morbo, & morti non succumbant, vt comedentes, difficile est assequi: difficilius quomodo in tanta ventriculi humiditate assidue non euomãt, non expuant: Porro Philippus Riminaldus, quẽ Brasauolus se vidisse testatur bis per quatuor integros dies, & noctes nihil penitus cibi, & potus accepisse; cuique sine iureiurando fidem adhibendam esse inquit ennarranti se alias etiam bis per spacium octo dierum integrorum sine cibo, potuque vixisse; is inquam pituita, & melancholia refertissimus interim mingebat, excernebat, expuebat, nares emungebat. Et eo magis viget argumenti vis, quo per inedias, ut pulchre admonet Fernelius, maxime solent extra corpus excrementa propelli: Huc mirifice illa facerent, quæ à doctissimo Laurentio scribuntur, si reuera expultricis facultatis maior esset, quã tractricis necessitas, & natura perpetuo magis esset diligens ad expulsionem rei noxiæ, quam ad tractionem utilis, & necessariæ; ac ideo iam iam morientiũ expiratio, qua pellitur fumidus uapor cordi molestus, foret inspiratione ualidior, qua trahitur aer cordi consocialis: inquit enim *Quod quidam dicunt inspirationis maiorem esse quam expirationis necessitatem, distinctione eget, in sanis maior est inspirationis necessitas; in febricitantibus præsertim qui putrida febre laborant, maior est expirationis necessitas; propterea morientium systole & expiratio inspiratione maior est, quia natura magis est diligens ad exclusionem noxij, quam ad tractionem vtilis; aer, qui inspiratur, est quid vtile; fuligo, qua extruditur, naturæ molesta est.* At hæc suspecta est theoria; cur enim & sani hominis eadem ratione haud sit expiratio

Omnis coctio excrementorum ferax.

2. de vict. acut. t. 30

1. de vict. acut. com. 44.

Per inedias maxime pelli excrementa.

1. de mor. caus. c. 14

De ven. sect. cap. 9 & 20.

Lib. 3. anat. qua 10.

Cur morientium expiratio sit inspiratione validior.

inspiratione validior, si studet natura magis expellendo noxio, quam trahendo proficuo? sed forte proxime morituris expiratio validior inest inspiratione, quia languida virtus nequeat in inspiratione pulmones attollere, ac dilatare, qui mox grauitate sua cito in se se concidentes expirationē vehementiorem, validioremque reddunt: sed hæc obiter. Deinceps, vt distinctius appareat vis huius argumenti, consideremus seorsum pituitam, crudumq; succum in ventriculo, in mæsereo, in hepate, in venis, & in toto habitu corporis redundantem, vnde ali dicuntur viris doctissimis nostri abstinētes: Ac primum pituita in ventriculo redūdans vel ibi genita est, vel eo influxit aut à capite destillata, aut ab hepate demandata; nam iecur vbi totam ex chylo massam genuerit sanguineam quatuor vulgatis humoribus coagmentatam, secernens ab ea humores excrementitios, vt bilem flauam ad cystim felleam detrudit, melancholiam ad splenem, & serosum excrementum ad renes; ita pituitam excrementitiam, quæ sui crassitudine cum lotio reddi non poterat per densam renum substantiā, ad ventriculum, & intestina deturbat cum fæcibus alui excernendā; quod supra nos docuit Hippocrates;

Ieiunātes non ali pituita de ventriculo.

Ventriculus vnde habeat pituitam.

Cap. 69. 4. de morb.

Pituita, quæ fit mere excrementum, non alimētum.

Pituita quæ vlteriori coctione vertatur in sanguinē. 2. de vict. acut. com. 30.

Porro pituita cum destillans à capite, tum retrocedens ab hepate in ventriculum, mere excrementū est; & corpori alendo inepta non minus quam vtraque bilis, siquidem Galeni testimonio per inedias id pituitæ genus vlteriori coctione in sanguinem verti potest, cuius origo e cibis sanguinis generationem antecedit, mediūque est per quod efficitur mutatio ciborum in sanguinem; huiusmodi profecto nō est pituita exorta post sanguinis productionē, & e sanguine secreta; & a capite destillata, vel ab hepate regurgitata in stomachū; hæc igitur alimenti rationem quum subire nequeat, meri excrementi naturam obtinebit; nihil aliud ergo eius copia in abstinentibus quam morbos parere potest, si per vniuersum corporis habitum ad instar alimenti dispergatur; inde siquidem obstructiones, febres, hydropes, arthritides, & alia innumera mala prodibunt, quorum hic humor autor est vel sola quantitate peccans; neminem tamen abstinentium legimus his malis obsessum. Amplius esto etiā per inedias naturam abuti hoc excremento ad alimentū; qui fieri poterit vt excrementitio succo malus habitus non contrahatur? immo vero qui fieri poterit vt ex puro excremento nihil prodeat excrementi? Sed totum à calore debili adeo subigatur, vt cedat omne in alimentum? Videmus enim ex historijs nullum fere abstinentē cachexia, maloue habitu affectum, aut excremētis, alui potissime assuetum. Neque prætereundum est pituitam esse mistum à prædominio aqueum, ac temperamento frigidum, & humidum; si ergo tali humore onustus est abstinentium ventriculus, immo & repletum corpus vniuersum; qui fieri possit vt vnquam sitiant? sitis enim definitur esse frigidi, & humidi cupiditas; in tanta vero frigidi, & humidi vbertate citra putredinem, quæ sitim procreat hydropicis, abstinentes sitire probabile non est: certum est autem ieiunantium commemoratorum nullū esurire, complures autem siti compelli ad potum, aut aquæ, aut vini dilutioris; indicium certissimum ijs pituita non repleri stomachum.

Pituita quod mistum sit.

Vnde in tanta humoris vbertate sitiāt hydropici.

Ceterum pituita, cruditasque in ventriculo genita, quum a calore debili seu absolute, seu comparato ad cibi exuperantiam, exoriatur nequeunte ingesta edulia penitus subigere, & in chylum laudabilem commutare; quumque vnius caloris opus sit alimentum coquere, coctioneque ab alimentari succo excrementitium secernere; sanè qui calor adeo infirmus est vt cruditates gignens assumpta cibaria nō exactè concoquit, necessario idem in eo succo indigesto non parū excrementi relinquit cum feculenti, tum etiam serosi; quorū nullum quum alendo corpori esse queat, vlteriori cruditatum coctione ab vtili succo separandum est, separatumque inutile aluo, & vesica pellendum; quum ergo nullis abstinentibus fęces, aut vrinę reddantur, necesse est cōfiteri alimoniam ipsis non esse ex ventriculi cruditatibus.

Pituita in stomacho vitiatur.

Eius dem caloris est alimentū coquere, & alimentum secernere.

Succus idem crudus, ac pituitosus quomodocunque chyli naturam adeptus a ventriculo ad mesaræum, & hepar delatus, ibi sanguineam induere nequit alendo corpori aptum, nisi vlteriori coctione transmutetur, & ab vtraque bile excrementitia depuretur; quippe secūdæ coctionis non possunt non esse recrementa bilis nigra, & flaua: Verum assidua nutricatione post longū tempus tantum vtriusque bilis gigni necesse est, quantum in splene, ac fellea vesica, citra vtriusque tumorē ingentem, & incredibilem, contineri posse verisimile non est: Sin autem retinentibus his bilium conceptaculis tantum earum, quantum sat est, reliquo à se discusso; profecto necessarium erit excrementum hoc extra corpus pelli per vesicam, & aluum, vt sanis comedentibus accidit; quibus in vrina, & fæcibus vel visui euidens est bilis, & melancholię portio: Si non pellatur, oportebit vel ad vnā corporis partem decumbere, in eoque sibi nonnaturali loco tumorem præternaturam excitare; vel in venas regurgitare, ac probo cum sanguine totum per corporis habitum dispergi nigrę in speciem histericiæ, flauæque; immo & putredine concepta febrem accendere, aliosque morbos inferre molestissimos: quum igitur abstinentium nostrorum nulli huiusmodi affectibus correpti fuerint, non febre, non regio morbo, non tumore aliquo, non alio malo ex bilis vllius redundantia; quumque nullum ex aluo, aut vesica, vel flauæ, vel atræ bilis vestigium reddiderint; iam satis liquet ijs nullam fuisse toto ieiunij tempore materiam crudam vi hepatis in sanguinem conuersam ab vtraque bile defæcatum, atque ita corpori alendo aptum.

Abstinentes nō ali pituita in mesaræo, & hepate.

Pituita vt alat quā ratione in sanguinem subire debeat.

Nihil minus asserendum est de pituitæ copia, crudaque substantia in toto genere venoso redundante, quam induxit Fernelius; quum enim sanguis in venis indigeat sero tanquam vehiculo tum absolute, tū præsertim vbi crudior extiterit, ac propterea minus defęcatus à sordibus, quarum permistione crassitudinem sibi adsciscit; quin immo quū sanguis pituitosus multo sero abundet, veluti pituitę sobolę; profecto ichore inepto ad alendū corpus; vbi serū vehiculi officio functum fuerit, delato nutrimēto

Abstinentes nō ali pituita de venis.

Sanguis in venis cur sero indigeat.

ad ostiola

ad osciola capillarium venarum, retrocedit in venam cauam, vnde à renibus per emulgentes attractum per vreteres canales in vesicam labitur demum emingendum: quum itaque nemini abstinentium nostrorum toto ieiunio mingere licuerit; signum id est necessarium illis nutricationem haud fuisse ex pituitoso, crudoque succo in venis exuberante. Quod autem Clarissimi viri ponunt, phlegmate hoc in abstinentibus referta esse omnia quoque spacia solidarum partium, maius ipsis negocium facessit; qui enim fieri possit vt phlegmate quantumuis dulci adeo constipatum corpus non tumeat mirum in modum, immo iam vt non laboret eo hydropis genere, quod à Græcis mutuato nomine Leucophlegmatiam, vel hyposarcam nominamus? quum autem abstinentium corpora nulla præter morem tumida, sed alia moderate plena, pleraque etiam nimium extenuata fuerint; iam nemo ambigat ijs alimento non fuisse crudum, pituitosumque succum in vniuerso corporis habitu, atque adeo in solidarum partium omnibus meatibus, & interstitijs exuberantem. Et quum illud sæpenumero experiamur pituita redundante quomodocunque reddi corpus aptissimum ad sudores; quomodo in vltima coctione à calore debili sic verti poterit pituitosus humor in alimentum partium solidarum, quin magna eius portio excrementosa, & viscida foras non erumpat in speciem sudoris? at. ieiunantibus nostris admouent historiæ nullum fuisse sudorem.

Fetus vnde alatur in vtero. Præterea vero absolute consentientibus omnibus, natura rei, & ratione dictante fetum in vtero ali sanguine materno per vmbilicum selecto e puroribus menstrui partibus; decet enim tenella membra puro alimento vesci, à sordido alioqui non leue detrimentum suscepturа; quin & prægnantis

Prægnanti vnde color prauus. color plerunque prauus, minimeque floridus indicio est puriorem sanguinem cedere in alimentũ, & augumentum pueri, e residuo matrem enutriri: quum autem autè nemo ambigere debeat minus excrementosum esse maternum sanguinem antea defæcatum, & perfecte coctum à matre iteratis coctionibus, quam sit pituitosus humor, & crudus, quo abstinentes enutriri dicuntur: Sane videntes nos fetum in vtero ex eo alimenti genere segregare tum serosum excremẽtum, quod etiam ibi min-

Fetus vt meiat in vtero. git per vrachon, qui canalis est a fundo vesicæ ad vmbilicum protensus vrinam euomens in Allantoidem membranam; tum etiam fæces, quas intestinis continet statim ab ortu aluo reddendas, siue sint primæ coctionis, siue secundæ, siue tertiæ recrementa: quum obseruemus abstinentes nullos in tam diuturno ieiunio excrementa vlla vesicæ, aut alui redidisse; quomodo assentiri poterimus viris doctissimis ieiunantes nostros alentibus pi-

De Principijs. tuitoso, crudoque succo, viscido, & crasso? Cuius rationis vim adhuc euidentiorem efficit Hippocrates inquiens fetum in aluo materna vltimis tẽ-

Vide infra cap. 161. poribus grandiorem sufficiens sibi ex vmbilico alimentum non habentem nonnihil etiam ore sugere; ceterum vtero inclusus ore sugere nequit nisi pituitosum, viscidum, crudumque succum, quo referta est tunica fetum ambiens; quod & nos obseruare potuimus Pisis in anatome capræ vtero

Capra vtero gerentis anatome. gerentis; nam in hædo incluso grandiusculo comperimus ventriculum ferme totum plurimo, crasso, & lento humore ad instar pituitæ albæ refertum; vna & intestina omnia crassa fæculento excremento terrei coloris repleto, vt manifesta iam ratione colligere possemus cum Hippocrate fetum in vtero etiam ore sugere humiditatem alimentariam, indicio sumpto ex alui fæce, quam veluti excrementum primę coctionis nuper natus egerit omnis partus; si ergo fetus in vtero ex eo, quod ore sugit vltimis tribus, aut quatuor mensibus, phlegmate crudiori segregat fęces, & vrinam; cur ex eiusmodi phlegmate solo per multos annos etiam enutriti abstinentes nostri nullum alui, aut vesicæ reddunt excrementum? Postea quis neget minus excrementosum esse lac maternum infanti, quam sit pituita, crudusque succus abstinen-

Lac est sanguis multiplici coctione defæcatissimus. tibus? lac enim est sanguis multiplici coctione defæcatissimus; pituita vero ad summum est rudimentum sanguinis; quum ergo infans puro sanguine matris enutritus quotidie multas fæces aluo, & vrinas uesica reddat; qua ratione abstinentes nostri tanto tempore, ne uestigijs quidem horum excrementorum ostensis, ali possint pituita, crudoque succo, & eo crasso, lento, & uiscido, ego quidem non assequor. Et eo magis à viris Clarissimis dissentire cogor, quo ponentes illi abstinentium corpora cute tenus esse adeo adstricta vt nihil, vel parum effluat, claudunt exitum etiam excrementis, quæ per insensilem transpirationem expelli dicuntur; & calorem exilem valde, pituitamque crassam diuturni ieiunij fundamenta ponentes, coctionem illam non admittunt, in qua excrementa ad insensilem substantiam attenuari valeant; quippe certis experimentis assequimur, quod ratione quoque persuademur, scilicet e crassa, & viscida pituita excrementa crassa, & conspicua segregari etiam a calore vegeto, nedum ab imbecillo: quomodo enim calor languens id in auras attenuabit, quod validus non adurens attenuare nequit? Denique illud nunc in memoriam reuocandum est, quod superius et à fuse discussimus, Aristoteli scilicet pituitam alere posse; at solam ex se non cedere in alimentum corpori; sed esse vtilis alimenti feracem, quotiescunque cum cibo puro permisceatur; impermi- 1. de gen. an c. 18.

stam autem de se nullo pacto alere posse; quum ergo ieiunantes nostri ab omni cibo abstinere statuantur, certe vel Aristoteli sola pituita non alentur, quæ alere non posse dicitur nisi cum cibo puro permista. His ergo persuasi rationibus Alberto, & alijs doctissimis viris in proposito subscribere non possumus.

Satisfit argumentis communientibus Alberti sententiam, & ostenditur primo voracitatem non necessario pendere à frigiditate, nec esse caussam cruditatum, nec habere locum in abstinentibus. Cap. CXXXII.

NE vero supersit quidpiam, quod in hac sententia fine ratione videatur improbatum, age nunc ea expendamus argumenta, quibus propria dogmata circũuallarunt Sapientes viri. Quod ergo primum affertur ex Alberto, animalia frigido temperamento voracia esse, ac propterea cumulare intra corpus multas cruditates phlegmaticas, & viscidas, quibus absque alio cibo diu nutriri possint sensim consumptis, & conuersis a calore debili in bonum sanguinem; Abstinentium vero temperiem fuisse frigidam, caloremque imbecillum; atque ideo illis phlegma viscidum redundans in corpore sufficiens alimentum ad longum tempus suppeditare posse citra vllius alterius cibi necessitatem; hoc inquam argumentum multa obtinet suspecta. Suspectum primum est animalia frigida omnia voracia esse; hoc enim experimento non respondet penitus, nec rationi; nam voracissimus leo est, qui calidissimus; minime vorax asinus, & agnus, quorum natura frigida est; quin etiam inter homines minus voraces sunt senes iuuenibus, quibus sunt frigidiores: Ad confirmationem autem, qua dicitur frigiditatem inordinatum facere cibi appetitum; respondemus frigiditatem animalibus inesse multiplicem; alia est vniuersi habitus, alia determinatæ particulæ, vt stomachi; & hæc duplex esse potest, naturalis illi parti, & aduentitia; porro quum appetitus inordinatus, qui voraces nos efficit, sit propria ventriculi affectio, nec vllo pacto pertineat ad vniuersũ corpus; propterea quibus vniuersi habitus temperies contigit frigidior, inde voraces esse non necesse est: Quum etiam non omnia prædita ventriculo, cuius natura vbique frigida & exanguis est, voracia sint; immo & quibus nostrum inest ventriculus natura debilis, ac frigidior, quum appetitus inordinatus, & ingluuies non contingat necessario; iccirco neque ventriculo existentes frigidiusculo voraces esse opus est: Sed frigiditas aduentitia stomacho ingluuiem indere poterit; verum neque omnis frigiditas id præstare valebit; nanque appetitus vehemens est non fine corrugatione ventriculi; quare frigiditas cum humiditate, ac viscíditate coniuncta ventriculum relaxans appetitum non excitabit, sed si vrgeat, potius deijciet: Excitabit autem frigiditas corrugare valens ventriculum; ea vero est, cui siccitas, vel aciditas, vel vtraque ista qualitas coniungitur; quo nomine melancholia e liene ad stomachum labens sopitam suscitat appetentiam, quam etiam excitamus atte acetarijs: Quod autem affertur ex Hippocrate de aquam potantibus, qui voraces dicuntur, Galenus in commentario diluit; non enim hausta quælibet aqua suscitat appetitum, vt in qua æque valet humiditas, ac frigiditas; sed ea solum quæ perquam frigida existens nimia frigiditate stomachum adeo adstringit vt à socia humiditate adstrictus leniri nequeat; docente Galeno cibi appetitiones ab aquæ potu ea plane ratione suscitari, qua & gelidam bibentes, aut frigidum cibarium adstringens assumentes appetentiores euadunt: Quam veritatem comprobat experimentum, quo constat fame tentari maxime, quibus per loca niuibus obsita est longius iter; qua de re pulchrum legimus Plutarchi testimonium 6. Symp. quæ 8. *Vt vero attingimus* inquit *quæstionem de caussa bulimi, id primum dubios nos tenuit, cur maxime bulimus incesseret per altam niuem ambulantes: Brutus quidem in discrimen vitæ adductus bulimo fuit, quum Dyrrachio Apolloniam proficisceretur per niuem copiosam; & eorum, qui cibos gestabant, nemo ipsum consequeretur: ibi quum iam animo deficeret, ac consideret, coacti sunt milites ad muros accurrere, ab hostibus excubitoribus panem flagitare; quo statim accepto Brutum recreauerunt. Isque vrbe potius vniuersos humanissime tractauit.* Quod autem ex Auicenna proponitur de melancholia, facile potest enodari; nam explicat ille author famem suscitari a melancholia, quæ sui aciditate corrugare ventriculum potest, ipsumque abstergere, ac incidere, remouereque ab eo humores viscidos, qui appetitum destruunt; at quæ à viris Clarissimis conceditur frigiditas abstinentium ventriculo, ea est ab humoribus viscidis, aut saltem eorum humorum procreatrix in stomacho, non expultrix, atque destructrix: Si quidem sermo sit de frigiditate corrugante ventriculum, vt aperte fatemur ea suscitari appetitum; sic non probatur à viro doctissimo eam in stomacho abstinentium nostrorum extitisse; nos autem oppositum ex eo coniectamur, quia ieiunantium nemo vorax fuisse obseruatur, immo plerosque frugali, parcoque victui legimus assuetos. Suspicionem & illud incutit, voracia necessario multas pituitosas cruditates congerere; nam leonem, lupum, pisces, & alia voracissima viuentium phlegmate scatere nõ liquet: Ad probationem vero, qua dicitur vberiorem cibi copiam non posse concoqui exacte à calore debili; verum quidem hoc est, sed supponitur homo esse calore imbecillo, qui tamen inter animalia calidissima reponitur ab Aristotele, & à Iouberto quocunque calidissimo calidior esse contenditur; ac speciatim abstinentium vnus commemoratur habitu bilioso, ceterique fere omnes ætate adolescentiæ, cui calor plurimus inesse dicitur Hippocrati. Neque suspicione caret redundans in corpore phlegma fine alio cibo sufficere alendo corpori ad multos menses, & annos; nam & dudum ex Aristotele vidimus pituitam alere non posse nisi permistam cum cibo puro; & facta comparatione cum quantitate ciborum externorum, detractis excrementis, verisimile non est tantam vnica vice contineri posse in corpore pituitæ copiam, quanta opus est ad nutriendum iugiter vniuersum corpus plurium annorum curriculo: Ad probationem, qua dicitur calorem exiguum non absumere, aut in sanguinem conuertere, nisi parum huius pituitæ, quæ crassa, & viscida est, in multo

Nõ omnia frigida animalia voracia esse, nec vicissim.

Senes minus voraces iuuenibus.

2. aphor. 13. 14.

Frigiditas animali multiplex inest.

Ventriculo debili non necessario iungitur ingluuies.

Frigiditas qua stomacho ingluuiẽ indat.

Appetitus vehemens non est sine corrugatione ventriculi.

Melancholia sopitã suscitat appetentiã.

6 de mor. vulg. 1. 20

Aqua que suscitet appetentiã.

L. 3. f. 13. tr. 2. cap. 12.

Voracia non necessario cruditatum genere.

3. de part. an cap. 16

Vide etiam cap. 136.

10. sect. probl. 53. 55. 57.

1. parad. 1. decad.

1 aph. 14

Pituitam solam non sufficere alendo corpori diutius.

Cap. 90. 1. de gen. an. cap. 18

multo tempore; ac proinde quæ in corpore contineri potest, diu sustinere posse caloris actionem; dicimus primo calorem non debere absumere pituitam, si hæc futura est alimentum; actio enim caloris in phlegma cessurum in alimentum corporis non est phlegmatis consumptio, sed versio in sanguinem, qui vltimum, & immediatum alimentum dicitur; si quid uero phlegmatis superfit, quod excrementitiũ sit, nec sanguinis naturam induere valeat, hoc necesse non est a calore absumi; sed tanquam ineptum, ac inutile facili negocio ad loca opportuna expellitur; neque enim natura frustra diu occupatur in ijs consumendis, quæ longè facilius expellere potest: bene quidem verum est calore debili difficilius euinci posse viscidum phlegma, & non nisi diuturniori tempore in sanguinẽ verti; at hoc non sufficit nobis, neque Alberto existimanti animalia abstinentia iugiter nutriri pituitosis cruditatibus internis; dato enim quod caloris exigui ratione sensim, ac lente admodum suscipiat pituita formam sanguinis; tamen si nutriendum est vniuersum corpus assidue ad multos annos ita vt continenter vnicuique particulæ nutrimentũ suppeditetur ex cruditate interiori, tantam phlegmatis crudi congeriem simul contineri aliquando in corpore necesse est, quantam in eo contineri posse credibile non est; tolerari quidem hoc posset, si vnicam tantum particulam, vt cor, iugiter alisufficeret, alijs omnibus à nutricationis munere ociantibus; at decretum obstat Aristotelis, quo sancitur viuentia dum nutriuntur, secundum quamcunque partem sensibilem, & secundum cuiusque partis quamlibet dimensionem semper ali. Maxime vero suspectum est abstinentes omnes temperamento fuisse frigido, & calore admodum imbecillo; quum plurium ætas fuerit adolescentię, color floridus, ac rubeus, non nullorum habitus biliosus, & aliorum εὔσαρκος; quæ omnia vegeti caloris certa sunt indicia: Ad confirmationem fatemur quidem ieiunantium plures fuisse feminas, & præter eas virum melancholicum; sed à sexu feminis, & à temperamento mari tantam non fuisse frigiditatem, quin eam valde in hoc tẽperaret sexus, & in illis ætas florida, crescensque; immo vero feminæ licet sint masculis frigidiores, absolute tamen calido sunt temperamento; quũ temperies humana simpliciter inter calidiores cõnumeretur: Neque omnes abstinentes fuere desides, torpentes, & inertes, vt gratis assumitur; sed puella Pedemontana, Confolentanea, & aliæ fuere vigiles, agiles, & hilares. Haud minus suspectum est abstinentes, ac mulieres esse voraces, quia licet mollitie corporis faciles sint dissolutu, calor tamen exilis, quem illis concedit Albertus, dissolutionem adeo non efficit vt ad restaurandum absumptum cogantur esse voraces, quemadmodum pueri, quibus in molli corpore calor inest plurimus. Sed quando in caloris imbecillitate, atque in cruditatum abundantia non cõueniunt omnes abstinentes, id certo iam fit argumento commune ieiunium haud recte à viris doctissimis in nõ communem caussam relatum esse.

Actio caloris in pituitã quæ sit.

Natura ea non consumit, quæ potest expellere.

2. de gen. t. 35. 2. de an. t. 14.

Abstinentes nõ fuisse omnes temperie frigida.

Temperies humana.

Abstinentes, et mulieres non esse voraces.

Abstinentium cutem non esse ita euaporationi clausam, vt retrocedant semper denuo vapores in alimentum. Cap. CXXXIII.

Quod autem secundo protulit Albertus Animalia ieiunantia obtinere cutem constipatam, & adeo densam, vt nulli sit excremento, nullique penitus substantiæ peruia; quare si quid substantiæ membrorũ etiam, & pituitæ caloris actione dissipatur in halitus; id omne per cutim halare tentans, nulla data via, frigiditate pellis condensatur in phlegma decidens in partes interiores iterũ conuertendum in alimentum corporis; vnde circulari hac mutatione phlegma semel in corpore contentum ad multos annos sine alio cibo externo sufficere potest alendo corpori; hoc inquam argumentum ingenio veritatem superat; in primis enim vt de phlegmatis excremento per coctionem caloris ope à parte alimentari segregato loquamur, falsum est hoc ad cutim simpliciter euaporare; nam phlegmatis, quod in stomacho digeritur, excrementitiæ partes, quæ coctionem subterfugientes vi caloris in chylum transmutari non potuere, non ad cutem, sed ad intestina, & ad vesicam expelluntur; quæ partes sunt à natura destinatæ recipiendis excrementis primæ coctionis, quæ fit in ventriculo: Consimiliter excrementa pituitæ, quæ vi hepatis, ac venarum in sanguinem conuertitur, per cutis meatus non expelluntur, sed in lienem, felleam, & vrinariam vesicam relegantur; inde certis ductibus cum excrementis primæ coctionis detrudenda, vt abunde patuit in superioribus; solis excrementis tertiæ coctionis, quam obeunt solidæ partes, exitus est è corpore per latentes cutis meatus: Ceterum his occlusis, & illis prohibitus perspiratus, vt fieri potest quod huiusmodi excrementa frigore concrescant in solidiorem substantiam, sic ea condensata phlegmatis pristinam vt naturam alimentarem induant fieri nõ potest; non enim ideo veluti excrementa pellebantur, quia tenuia forent; vt crassefacta retineri debeant in alimentum; sed quæ naturam excrementi habebant halituoſa, eandem concreta retinent, adeo vt animalia horum excrementorum exitu prohibito varios morbos incidant; quod Medicis est apertissimum. Falsum & illud est, huiusmodi excrementa nouam subeundo coctionem induere naturam alimenti; coctionis etenim ea non est vis, vt purum excrementum vertat in alimentum; id solum efficit coctio, quod excrementum ab alimento segregat, & alimẽtum potentia reddit actu alimentum; quæ vero semel a succo alimentari seiunxit velut inutilia excrementa calor, ea nunquam vel repetita coctione vertere in alimentum poterit; quibus nanque vrina, quacunque ratione id efficiant, potu iterum ingeritur, ea ipsis noua caloris actione in medicamentum cedere potest, in alimentum cedere non potest. Deinde vero substantia partium, quæ caloris opera vaporare dicitur, ea quidem magna ex parte per cutis poros halare consueuit, sed alias etiam multas, & patentes vias habet, per quas egredi, ac diffluere iugiter e corpore valet, vt occlusis etiam cutis meatibus occul-

Excrementum pituitosum ad cutim non halare.

Excrementorum excipientia partes.

Cap. 69.

Excrementa per nouam coctionem non induere naturam alimenti.

Coctio quid præstet.

Excrementorum tertia coctio.

ris, & porũ ſubſtãtię ſin xus per quas uias.

occultis,non cogatur ideo in corpore permanere; exitus namque illi apertus eſt per nares, & os in fuligines; per aluum,veſicam,oculos,aures, in ichores,& ſordes; quum enim calor intimus iugiter depaſcatur omnes corporis partes, prout harum varia eſt ſubſtantia, variam ex ipſis exhalationem ſuſcitat; nam alias reſoluit in fuliginoſam exhalationem,quæ magna ex parte per arterias (cuti potiſſimum obſtricta) fertur in cor,& inde per expirationem redditur; alias reſoluit in vapores humidiores,qui ſub ichoris,uel craſſiuſculi etiam corporis forma (ceteris vijs obturatis) cum excrementis alui,veſicæ, oculorum, aurium, & nariũ expelluntur. Immo nec, ſi retinerentur, iam eſſent alendo corpori; nam caloris vi conſumpta, deſtructaque temperie partium, quod inde vaporat miſtũ eſt imperfectum, nec amplius ulla coctione aptũ eſt in alimentum verti; perinde ac ſi carnem coxeris,fumus ex ea prodiens purum eſt excrementũ; nec,ſi frigiditate operculi denſetur in craſſiorem fuliginem,naturã propterea ſortietur alimenti: ſic ergo partes noſtræ caloris actione in vapores vertuntur,qui amiſſa priſtina temperie, miſtioniſque proportione,licet frigore cogantur, nunquam tamen alimenti naturam ſubeunt;ſed diutius in corpore ſi contineantur, male afficiunt membra tum corpulentia ſua obſtructiones efficiendo; tum qualitate multiplici humores alimentarios inficiendo, miriſque modis morbos varios inducendo.

Cur halitus, in quos partium ſubſtãtia diſſoluta eſt, non poſſint alere.

Excrementa,& halitus ut officiant corpori.

Deinceps autem non accipimus omnium abſtinẽtium cutim eſſe ſpiſſam, denſatam, & penitus adſtrictam; quoniam vt id verum eſſe poteſt in verſis,& alijs hyeme latentibus, verum tamen haud eſt in omnibus noſtris ieiunantibus, quibus nõ eſt ambiens perpetuo frigore algens;ratioque iſta ualeret ſolum in hyeme; at ieiunantium plurimi abſtinent toto anni tempore in frigida æque, ac in tẽperata,calidaque aeris conſtitutione, hyeme ſcilicet,æſtate,medijſque anni temporibus: ſed abſolute humana cutis apud nos adeo adſtricta eſſe non poteſt,quin per eius poros introitus pateat aeri, & exitus fuligini per arteriatum oſtiola, notãte Galeno alicubi ex Hippocrate beneficio arteriarum cutanearum corpus vniuerſum expirabile eſſe,ac inſpirabile; quo ductu prohibito morbi fiũt graues. Ad probationẽ uero,qua ſcribitur cutim procreari ex humido craſſo, & viſcido ambiente coagulato,& condenſato; concedimus cum Ariſtotele in prima conſtitutione fetus in utero cutim fieri ex humidis corpulentijs coagulatis, vt in pulte fit refrigerata cruſtula; ſed tamen cum Galeno monemus cutem omnem, quæ in primo ſtatim ortu ſibi continua eſt,tem poris ſpacio perforari,ac plurima nanciſci ſpiramenta ritu cribrorum; qualem oportet eſſe cutim abſtinentium noſtrorum, quibus tã procul abeſt ætas a primo exortu. Vlterius admittere non poſſumus circularem illam conuerſionem vaporis a partibus internis ad cutem, & à cute ad partes interiores ſub ſpecie phlegmatis nutriendo apti; nam exhalationes vi caloris interni excitatæ ex humoribus, & membris ſolidioribus, denſatæ à cute, vel alia partis frigida nunquam in

1. de ſimp. cap 12.

Cutis origo. 2. de gen. an. c. 3.

Loc. cit. Cutis foramina quã dã ſint.

Damnatur circularis conuerſio uaporis & alimenti.

phlegma vertuntur, quod vlteriori coctione verti queat in alimentum;ſed in fuligines, & ichores, humoreſue naturæ excrementitiæ, & alendo ineptæ; ſolum alimentum ad caput infirmius delatũ calore debili non tranſmutatur penitus in partis nutriendæ ſubſtantiam,ſed refrigeratur in catharrum deſtillantem ad partes infernas,& ſpeciatim etiam ad ventriculum; in quo medici obſeruant plures ægritudines, prauaſque affectiones moliri, lienterias,nauſeas,vomitus,inappetentias, ſcirrhos, & alia multa; nunquam vero vlteriori coctione in alimentum cedere; & non ſine ratione id factum exiſtimes; cerebro enim ex alimenti maſſa in ſe recepta,quam ob nimiam imbecillitatem virium vniuerſam conficere non potuit, partes puriores, & magis alimentares,quæ nempe facilius calore debili tranſmutari queunt,ad ſe allicit;reliquæ uero deſtitutæ illis,quarum ſocietate gaudentes alere poterant,inſuper & frigiditate alienam adeptæ naturam, non ſunt amplius alendo; quod exẽplo familiari comprobare liceat; nam ouum ſorbile moderate coctum uniuerſum eſt alimentum, nil fere continens excrementi,vt proinde lepide barbarus ille de ouo dixerit,ipſum tantum alere,quãtum ponderat; ſed ſi vlteriori caloris actione nimium indureſcat, iam quod erat alimentum euadit excrementum, immo & venenum: ſic prorſum pituita deſtillans à capite in ventriculum,etſi oriatur ex alimento capitis,ut notauimus,haud tamen poteſt ulteriori actione caloris in alimentum cedere; ſola ea uentriculi pituita ulteriori coctione in alimentum, & omnino in ſanguinem commutari poteſt,Galeni etiam obſeruatione,quæ primum in uentriculo ex edulijs orta nihil aliud reuera eſt,quam rudimentum chyli,quęque ita ſanguinis generationem antecedit, ut per eam ciborum in ſanguinem mutatio efficiatur:ſecus enim cuilibet ex deſtillatione à capite ad ſtomachum liceret diutius abſque alimento externo uiuere; quod nõ comprobatur ſenſu: Ad probationem ex vaporibus aquæ calentis, quos frigiditas operculi denſat iterum in aquam eiuſdem naturæ cum priori; dicimus idipſum non contingere vaporibus elatis à phlegmate calefacto, vt refrigerati à cute denuo cogantur in phlegma eiuſdem naturæ; diſcriminis ratio eſt,quia phlegma eſt miſtum corpus, & quoquo pacto heterogeneum; aqua uero ſimplex, & homogeneum; nam calor in aquam agens ex ea non ſeparat partes vnius generis ab alijs, ſed aquæ partem quamlibet, in quam magis agit, vertit in uaporem,qui frigore concreſcit rurſus in aquam: at phlegmatis corpulentia caloris actione in duas partes diuerſæ naturæ diſtribuitur; altera eſt alimentaris,quæ vertitur in chylum, & ſanguinem; altera vero excrementitia nutriendo inepta, quæ ſi ſub forma uaporis ad cutem moueatur, & ibi à frigore iterum condenſetur, in ſubſtantiam craſſiorem quidem mutabitur, ſed in phlegma eiuſdem naturæ cum eo, à quo ſecreta fuit, nullo pacto mutabitur; quum ſit purum excrementum, illud autem eſſet miſtum corpus ex alimentari, & excrementitia ſubſtantia.

Mala catharro in uentriculo.

Ouum id tum nutrit, quantum ponderat.

Alimentũ coctione ut uerti poſſit in excrementum, & venenũ. 2. de vict. acut. 30. Pituita qua vlteriori coctione cedat in alimentum.

Vapores qui coacti ſeruant naturam, unde halant, & qui non.

Vnde oriatur nausea, inappetentia, & ciborum odium; an hæc omnia fuerint in abstinentibus, & vtrum à pituita sedari possit appetitus, & fiat semper inertia. Cap. CXXXIV.

TErtia deinde ratio, qua demonstrare conatur Albertus abstinentes ab alimentis habuisse ventriculum pituitosa, & viscida cruditate refertissimum ex eo quod tollatur appetitus, immo excitetur nausea, & ciborum odium, & abominatio; nonnulla & ipsa cõtinet, quibus assentiri nequeo. Primo etsi ex abundantia pituitæ viscidæ in ventriculo plerunque tollatur appetentia, & exoriatur cibi fastidium, & odium; id tamen phlegmatis adeo proprium non est, quin ex alijs etiam caussis hæc omnia gigni valeant; nam appetentia quum sit actio propria oris ventriculi, & actionem omnẽ pars nostra quæuis obeat merito proprij temperamenti; profecto quæcunque ventriculi temperiẽ destruere poterunt, eadem & appetentiam demoliri valebunt; sic absque humoris affluxu ob nimiá caliditatem, vel frigiditatem soluta symmetria stomachi cõcidunt in sese tunicæ visceris, & languẽt, nec sentiunt indigentiam; tactus enim, cuius est affectio appetentia, quam suctionis tristem sensum dicimus, Aristotele assertore, mediocritatem primarum qualitatum in organo proprio requirit: sed & nausea, quam putet quis vnius esse pituitæ sobolem, stomacho, non pituita, sed amara, & calida bile syncera repleto accidit frequentissime in sanis nauigantibus, & in cholera morbo nuncupato infestatis; Cuius rei vt veracissimum, ita luculentissimum nobis nuperrime testimonium perhibuit vir spectatæ probitatis, atq; doctrinę Prosper Alpinus, asserens se anno 1580. dum in Aegyptũ pergeret oborta sæuissima tempestate naui iactata per vndas quinque integros dies perpetuo nauseabundum nullo penitus nec cibo, nec potu ingesto, quo ali potuerit, perstitisse: quin & aquam sæpe ab arido gutture auide raptam subuersum, & cuncta renuentem ventriculum protinus euomuisse: sexta die tandem esu allij cocti sitim; & inappetentiam profligauisse: quum tunc habitu bilioso ætatem iuuenilem ageret nullo cum pituitæ aut in stomacho, aut in alia corporis parte prædominio: vt ex eo necessario non colligat Albertus abstinentium ventriculum multa viscida pituita esse onustum, quia non appetant, uel nausea crucientur, & cibos renuant: sed quando considero abstinentem Consolentaneam arefactã ventriculo, & omnibus partibus imi ventris, arbitrari non possum indigentiæ (si quæ in abstinentibus esse dicatur) sensum alia ratione tolli quam destructa symmetria temperamenti oris ventriculi ad tactum necessaria: verumenimuero nauseæ, vomitusque caussa in abstinentibus ab ingesto, seu potius ab intruso uiolenter alimento ea est, quia stomachus diu assuetus cibis non tangi, ubi cogatur eos admittere, fieri non potest quin ab intruso quocunque lædatur, & veluti noxium illud uomitu expellat, & nõdum sumptum nauseet, abhorreatque. Deinde Scotus ille rubeus, vir alter melancholicus Alberti, & alij plures inter commemoratos abstinentes sic appetitu valuere, vt ad arbitriũ sese ieiunijs exponerent, nec cibos oderint assumendos, aut euomuerint assumptos; quare vniuersale non est hoc indicium pituitæ stomachum replentis cunctis abstinentibus. Amplius duplex quum sit appetitus in ore ventriculi, fames, quam definit Aristoteles esse appetitum calidi & sicci; ac sitis, quam ponit esse desiderium frigidi & humidi; quum pituita sit humor frigidus, & humidus, suapte natura magis, quam famem, sitim tollere valebit, vbi redundet in uentriculo: quum ergo abstinentium nostrorum singuli omnes fame careant, plerique sitiant; sane cunctis ventriculum pituitosis cruditatibus repletum esse uerisimile nõ est. Quarta ratio ex Alberto allata, nimirum appetentiam, quum feratur in alimentum velut in obiectum, nonnisi ab alimento sedari posse; abstinentes uero non appetere ob pituitæ copiam; esse igitur illis nutrimentum ex pituita; diluitur primo negantibus abstinentes nostros non appetere ob pituitæ copiam, negationis ratione dudum exposita. Deinde concedentes appetitum ferri in alimentum, vt in obiectum, admonemus longe aliud esse appetitũ sedari, & appetitum tolli, & destrui; illud enim naturale est, hoc præter naturam; sedatur quidem appetitus alimentis; at vero tollitur, destruiturque ijs etiam, quę alimenta non sunt; nimirum puris excrementis, uenenis, pharmacis, nudis intemperiebus, & alijs id generis: modo abstinentibus (si dandum est disputationi eos multo phlegmate redundare) à pituita non sedatur naturaliter appetitus, tamquam ab alimento, sed corrumpitur, ac destruitur præter naturam uelut ab excremento. Quintum eiusdem viri argumentum, quo probatur abstinentia animalia pituitoso humore plenas habere venas vniuersas, & partes corporis omnes, ex eo quod pigra visuntur, & somnolenta; duo hæc obtinet difficilia; nam abstinentium nostrorum plurimi vigiles fuere perinde ac cibis vtentes; plurimique itidem agiles, motuque exercitati; quod fuse constat ex historijs abstinentis Consolentaneæ, Pedemontanæ, & aliorum. Deinde vero somnolentia, & inertia, siue ad motũ ineptitudo haud semper à pituita est; plerunque à nuda intemperie frigida sine materia; nonnunquam etiam a caliditate nimia; vt enim urgente frigore ambientis citra pituitę copiam concentratur calor ad viscera, præsertim vitalia, & naturalia; & propterea priuantur externorum sensuum organa, cerebrum, partesque motui famulantes calore, ac spiritibus; vnde affectus enascitur somno similis, qui est impotentia quædam mouendi pariter ac vigilandi, adeo vt gelu nimio algentes aliquando semimortui iaceant, quod fortasse accidit serpentibus hyeme, & proculdubio Lucomoris; ita nimio calore ambientis maxima spirituum copia resoluitur, vnde languent, & concidunt vniuersi corporis mẽbra fere exanimata, quod in exolutione frequentissime conspexere Medici: adeo vt ex oppositis caussis eadem proficisci videatur affectio. Non ergo necessitatem habere videntur in proposito subtiles Alberti rationes.

Appetentia cuius sit actio propria. Actio qua uis à temperamento.

Appetentia est affectio tactus. 2. de ani. t. 118. 3. de an. t. 66.

Nausea nõ à pituita semper est.

Abstinentibus cur cos detestan- gestum statim cur uomebant.

In stomacho duplex appetitus. 2. de an. t. 28. Pituita sitim potius quam famem arcet.

Abstinentes non appetant non ob pituitã.

Appetitus sedatur alimentis, tollitur non alimentis.

Ex oppositis caussis eadem oritur affectio.

Quo

Quo sensu Hippocrati, & Galeno pituitosi dicantur inediam ferre præter consuetum, & ab ea vtilitatem percipere. Cap. CXXXV.

2. de vict. ra.t.30.

QVam vero nectit Apponensis disertissimus rationem primo ex autoritate Hippocratis, & Galeni asseuerantium pituitosos inediam ferre præter consuetum, admittimus vltro; sed adnotamus ex Galeno Hippocratem loqui de inedia ephimera, quæ vnam, vel alteram diem non excedat; deque pituitosis collatis ad biliosos; at nostra speculatio est de abstinentia plurium mensium, & annorum; deque pituitosis absolute; profecto vt concedimus vtrisque assuetis bis die singula cibari, pituitosos tamen biliosis ferre magis posse inediam præter morem ad integram diem, vel si placeat cedente pituita in alimentum, cuius naturam bilis nulla coctione induere potest; sed fortasse melius, quia biliosorum calor acer, & mordax longe magis appetitum stimulat, & alimento non apposito ferocit in membra; quod neutrum efficit calor mitis, & blandus pituitosorum; sic non videmus loco citato Hippocratem, aut Galenum absolute loqui de pituitosis, aut de abstinentia pluriũ dierum. Alia item ratio ex Galeno petita scribente intemperies frigidas & humidas cum redundantia humorum non corruptorum inediam tolerare, quin & ex ea vtilitatem percipere, propositum Clarissimi Viri fouere quidem, sed non satis firmare videtur; nam ibi agit Galenus intemperiei nomine de habitu ægrotantis, eique inediam laudat veluti medicamentum, quo tolli possit humorum exuperantia, non magis per eorum conuersionem in corpus more alimenti, quam per ipsorum consumptionem, dissipationemque, ac resolutionem in halitus à calore veluti excrementorum vel sola quantitate peccantium: nos autem agimus de homine intra latitudinem sanitatis, cui abstinenti diu cedat pituita redundans in alimentum sufficiens vniuerso corpori. Deinde agens Galenus de redundantia humorum non corruptorum, gratis, ac voluntarie intelligitur à Viro eximio quasi loquatur de pituitæ copia; quamuis enim frigida, & humida intemperies plerunque cum phlegmatis exuperantia coniungi solet; nonnunquam tamen cum omnium humorum copia modum excedente (plethoram Medici nuncupant) esse conspicitur; est autem eiusce modi plethora vniuersæ massæ sanguineæ vbertas, in qua omnes humores nimis excedunt; sed nostra disceptatio erat de vnius pituitæ copia, quæ vlteriori coctione in sanguinem verti posset, non autem de sanguine iam genito. Deinceps quum non præfiniat eo loci Galenus inediæ tempus, de cuius longitudine, ac breuitate controuersia est, & omne nostræ disquisitionis momentũ, vt ipse sibi consentiat, & Hippocrati alio in loco, intelligendus est agere de inedia septimam diem non excedente; quam tolerare posse plethoricos, & intemperie frigida & humida conslantes vltro concedimus; immo & eos inde non modicũ proficere; verum inedia plurium dierum, mensiũque, & annorum neque ibi à Galeno consideratur, neque à sola intemperie frigida & humida cum abundantia humorum incorruptorum nobis enasci posse conceditur.

Cur biliosis pituitosi magis ferant inediam.

8. meth. cap. 8.

Exuperantia humorum quomodo tollatur.

Plethora quid.

Animalia voracia quæ sint Aristoteli, & quomodo abundantia pituita minus cibum decoquant. Cap. CXXXVI.

NEque sane Portius eas rationes habet, quæ necessario propositam sententiam persuadeant; quod enim primum ex Aristotele attulit animalia illa esse voraciora, magisque cibum appetere, quæ rectum intestinum habent, quam quæ anfractuosum; insuper & pituita abundantia minus cibum decoquere; quæ quum insint abstinentibus nostris, voracitas nempe, ac pituitæ abundantia; caussam tribuunt longæ abstinentiæ; hoc inquam argumentum multa continet animaduertẽda; & vt omittamus concedendum non esse Portio, quod prius Alberto dare noluimus negantes abstinentium singulos fuisse voraces, & pituita repletos; primum in Aristotele quidem habemus intestinorum laxitatem sinibus, & anfractibus carentem animalia reddere voracia, & cibi auidiora; eorundem contra orbes multiplices, arctioresque anfractus illa efficere à cibi desiderio, & usu continẽtiora; ceterum quibus abundat pituita, ijs minus cibum decoqui eo in loco ab Aristotele non habemus; Nisi hoc sensu interpretemur sententiam, qua scribit Aristoteles, Genus piscium omne, quoniam cibum minus conficere possit, crudaque egerat, & vorax, & gulosum est; cetera etiam omnia, quibus intestina sunt recta, ciborum auida sunt; quum enim cibus celeriter egeratur, proindeque breuis vsusfruendi sit, breui repetant cibum auida necesse est; cuius loci si Portio dicatur nunc fuisse mentio; cui non constet eum libere nimis Aristotelicum dogma interpretari? certe his monet Aristoteles genus omne piscium ideo vorax esse, quia minus quam par sit cibum in ventre concoquat, sed nondum perfecta coctione paullo post ab esu cum excrementis multam quoque cibi crudi portionem extra corpus per aluum egerat; nam paucissimo alimento ex multo cibo attracto ad sufficientem vniuersi corporis alimoniam cogitur id animal parum concoquens, & cruda tum excrementa, tum etiam alimenta egerens sæpissime comedere, atque ideo vorax, & gulosum existere; quæ cibi auiditas naturalis propria piscium non esse dicitur Aristoteli, sed communis etiam alijs animalibus omnibus, quibus intestina sunt recta à stomacho ad aluum nulla flexuositate distorta; nam breui tramite ab ore transit quod ingeritur ad aluum; cibusque ideo celeriter excretus breuem concedit viuenti vsum fruendi; quocirca paucissimum alimenti ex multo cibo haurire potest; vt ergo sibi ex cibo sufficiens alimentum elicere valeat, breui tempore cibum repetere cogitur auidius: quibus dogmatibus Aristoteleis ne verbum quidem legas pituitæ redundantis: Fortasse quod Aristoteli scribitur cibum minus confice-

3. de part. cap. 14.

Pisces vorax, & gulosi Arist.

Cur pisces voraces.

re, cru-

re, crudaque egerere, Portio accipitur cruditates, ac pituitam congerentia cibum minus decoquere, quanta cum textus mutatione quisque videt; opposita enim sunt egerentia congerentibus. Sed concedamus disputationi Aristotelem dicere pituita repletos minus cibum decoquere; id sane inde non prouenit, quia natura solicite satagat pituitæ coquendæ magis quam cibo; nam quæ semper agit quod melius est, neglecto pituitæ excremento, alimentum melius de cibo sibi per coctionem haurire verisimile est; ac eo magis, quo difficilius est lentam, crassamque pituitam in sanguinem vertere, quam cibum consuetum coquere; quum naturæ peculiare sit etiam faciliora persequi, & difficiliora citra necessitatem non adire: sed qui pituita dicuntur abundare, idcirco cibum minus conficiunt, quia cibo satis elaborando caloris vigore opus est, quem pituitosi non habentes, minus conficiunt propterea cibum: cui enim ex abundantia pituitæ calorem natiuum hebetari vetus non est? cui à calore imbecillo, & obtuso cibum minus concoqui nouum est?

Pituitosi cur minus cibum decoquant. 4. de part. cap. 10.

Natura semper meliora, & faciliora tentat.

Hippocrati senes cur ieiunium tolerent, & quomodo frigidi statuantur.
Cap. CXXXVII.

1. aph 14.

QVod secundo affertur ex Hippocrate, veracius est argumentum, & efficacius; quod tamen absolute intentum non probet; nam concedentes corpora senum frigida esse tum ex natura, seu ætate ob caloris imbecillitatem; tum quoque præter naturam ob pituitæ affluentiam; neque negantes ob id quia parum calidi natiui obtinent senes iuuenibus magis ferre posse ieiunium; inficiamur tamen primo senibus tolerantiam ieiunij ex Hippocrate inesse a frigiditate, inopiaque caloris ob pituitæ copiam illum extinguentis; negamus itē huiusmodi ieiunij facilitatem nancisci senes a frigiditate, calorisque inopia simpliciter; sic enim quū inter senes decrepiti minori, & infirmiori calore constent, vberiorique pituita scateant, quā primo senio constituti, ad quos se habent decrepiti vt viridis senecta ad consistentiam, & hæc ad ætatem adolescentiæ, ac demum adolescentes ad pueros; plane proportionabiliter magis ferre possent ieiunium decrepiti quam in primo senio viuentes, vt hi magis abstinentiam tolerare dicuntur quam consistenti ætate gaudentes: at vero id & Galenus aperte negat, & experientia euidentissime redarguit: non ergo referenda est ieiunij tolerantia senum propria in frigiditatem ex pituitæ copia, neque in caloris inopiam absolute; sed in eam caloris diminutionem, quæ propria est ætatis inclinantis in latitudine sanitatis; nam ibi considerat solum ætatum differentias Hippocrates; quum enim senes medij inter consistentes, & decrepitos locati robusti, & sani esse possint, id tamē ex ætate obtinent vt parum habeant caloris innati ea ratione, qua toto vitæ decursu iugiter effluente humido radicali, cui proportionabiliter adiungitur calor natiuus; in prima senectute multum consumpto humido magnus calor esse non potest; paruus autem paucum alimenti conficere potest, atque à multo facile obruitur; quin & augumento nullam dans operam calor in ætate senili, parūque consumpta substantia corporis, quæ vetustate insigniter exsiccata magis resistit actioni caloris, & aliorum exoluentium; multis nominibus calor viridis senectæ paucis alimentis indiget; vnde senes inter omnes ætates facillime ieiunium ferunt, dum sani degunt: at vero decrepiti non sunt in sanitatis latitudine, propterea ex ægritudine id habent vt voraces, & auidi nequeant abstinentiam tolerare, sed vti pueri semper cogantur nonnihil assumere: ceterum discrimen inter eos est in caussis, inter quos dicitur esse communis effectus; pueri enim abstinentiam ferre nequeunt, quia calore plurimo pollent, quo mollis eorum substantia dissiparetur breui, nisi sæpe alimentis caloris actiuitati obsisterent; sed & alimentis etiam indigent plurimis ad incrementum; nec silentio prætereundum est pueris inesse membra recipiendis alimentis dicata, stomachum, hepar, & alia pusilla, & tanti alimenti non capacia, quanti ad nutricatum, & augumentum indigent; quod ergo vnica vice nequeunt, partitis, multiplicatisque vicibus assumere coacti voraces pueri euadunt, & ieiunij non tolerantes: At decrepitus cum ob pituitæ redundantiam, tum ob caloris innati summam imbecillitatem, spirituumque inopiam, vires, & facultates omnes prostratæ iacent, maximeque omnium retentrix languet: quare labante, immo potius lapso calore quum multum cibi conficere nequeat, parum assumere coguntur, & coctu facile, ac proinde liquidum alimentum ingerere; cui diutius retinendo quum facultas imbecillima insistere nequeat, cito elabitur e corpore nondum plene coctum; crudaque decrepiti egerentes ob retentricis imbecillitatem, vt pisces ob intestinorum breuitatem, ac rectitudinem, consimiliter voraces, & impatientes ieiunij esse coguntur; sed parum, & sæpe illos assumere necesse est: & in hoc alia notanda est voracitatis differentia, quia decrepiti, quibus exigua est substantiæ durioris a calore debili exolutio, nullaque incrementi necessitas, & magnum suffocationis periculum, sæpe comedentes parum semper ingerunt; pisces vero, & pueri vna multum & sæpe hauriunt validiori calori proportionatum cibum ad nutricationem, & augumentum offerentes: Tolerantia ergo ieiunij nostrorum abstinentium, qui fere omnes ætate iuuenili, & crescentes extitere, caloreque vegetiori, & substantia molliori, quam senilia corpora; non debet cum senum abstinentia comparari, atque in easdem caussas referri. Postea vero dantes disputationi senes a caloris imbecillitate, atque à pituitæ affluentia sortiri facilitatem ieiunij, de qua Hippocrates; quum ea tolerantia non excedat numerum paucorum dierum; quippe de senibus agitur collatione ad iuuenes, qui ne vnius dieculæ abstinentiam facile sustinent; quum vel experimento cuique apertum fieri possit senes ab Hippocrate descriptos non ferre facillime inediam septimæ diei;

Senes cur frigidi.

Tolerantiam ieiunij senibus non à debili calore simpliciter, nec à pituita inesse.

Tolerantia ieiunij ex qua caloris diminutione pendeat.

Senes cur parum habent calidi innati.

Decrepiti cur voraces.

Quo differunt decrepiti à pueris in auiditate

Pueri cur ferre nequeant abstinentiã.

Cibus decrepitorũ.

Decrepiti cur sæpe e ita raro gantur. 3. de part. cap. 14.

Decrepiti piscibus in voracitate comparandi.

Piscium, & decrepitorum voracitatis discrimen.

Senum abstinentia breuis est.

diei; sic & nos vltro dabimus abstinentium nostrorum, si qui fuerunt calore imbecillo, & pituita referti, eos inde ad paucos dies tolerare ieiunium potuisse; at non propterea colligat Portius potuisse quoque ad menses, & annos integros; non enim quod potest ferre, ac sustinere onus pondo sex, idè poterit idcirco & pondo viginti, aut centum; nanque vel Aristoteli potentia definitur ad finem sui excessus.

1. cal. t. 116. 117.

Auicenna vt cibi necessitas sit ad instaurationem deperditi; vt appetitus deijciatur, & ocietur; vt vrsi, & latentia hyeme alantur. *Cap. CXXXVIII.*

Lib. 3. fe. 13. tr. 2. cap. 7.

AD tertiam rationem ex Auicenna deprompta concedimus tum appetitū deijci quandoque à phlegmate plurimo viscido replente stomachum, & vniuersum corpus, à quo nihil, vel parum admodum effluit substantiæ: tum id ipsum in febribus contingere, in quibus longo tempore ieiunium toleratur, quia solidarum partium natura occupata in expellendo noxio non vacat attrahendo proficuo, sugendoque ex venis, & per venas e stomacho: tum animalia plurima hyeme diu à cibo abstinere, quia calor insitus occupetur in elaborandis cruditatibus aceruatis, ijsque apponendis in locum substantiæ fluxæ; sed primum illud in Auicenna indefinite pronunciatum, cibi necessitatem esse ad instaurationē fluxę substantiæ adeo vt vbi nulla, vel exigua fit corporis resolutio, tunc necessarius non est cibus exterior; vniuersaliter nō accipimus, sed particulariter in ijs, qui non crescunt, & affluunt alimentari succo interiori; nam crescentibus etiamsi nihil effluat substantiæ corporeę, opus tamen est alimento externo ad augumentum; & quibus parum effluit, ijs parum ex externo restaurandum est, si desit internum alimē tum; bis quidem concessis Auicennæ, Portio concedere non cogimur aliquid ad suæ opinionis cōfirmationem; primum etenim Auicennæ placitū est de appetitus destructione, at nostra disputatio est, non qua de caussa ieiunantes nostri non appetant, sed quamobrem non assumentes diu viuere possint, vndecunque ijs deijciatur appetitus. Deinde vero statuens Auicennas appetitum deijci quādoque a phlegmate plurimo ventriculum replente, non tollit quo minus aliquando etiam alijs dę caussis destrui possit appetitus; immo eodem capite plures alias enumerat caussas appetitū destruentes Auicennas citra pituitæ ministerium; quare inde Portius non habet abstinentibus nostris appętitum deijci ex abundantia phlegmatis. Alterum autem Auicennæ placitum est de febricitantibus, in quibus rectissime sancitur naturam ei quod magis vrget semper attendentem, atque ideo totam in expellendis prauis humoribus occupari longiori tempore, quo non vacat attractioni proficuorū e venis, & e stomacho; tuncque ideo appetitum ociari: Verum nos agimus de abstinentibus febre nō obsessis, sed in latitudine sanitatis degentibus, qui propterea tam prauis humoribus non adeo referti sunt, vt oporteat naturam occupari totam in eorum expulsione, omissa interim attractione alimenti e stomacho, cuius attractionis sensus appetentia est: neque igitur hoc Auicennæ dogma sententiæ viri doctissimi suffragatur. In tertio placito scite sanxit Auicennas Vrsum, & alia bruta, quæ autumno multam cibi copiam ingerendo vberrimas cruditates accumulant, hyeme longum tempus à cibo abstinere, occupato natiuo calore concoquendis ijs cruditatibus, coctisque sensim apponendis in locum effluxæ substantiæ sub ratione alimenti: at nihil horum viro sapienti fauet in proposito; nam abstinentes nostri ante ieiunium nullam ex ingluuie pristinam cruditatum congeriem struxere, vt vrsi, & glyres; sed victum parcum, & moderatum in meram abstinentiam commutauere. At esto disputanti abstinentium transitus de ingluuie ad ieiunium; sane quum vrsi, & animalia hyeme non abstineant nisi per tres, aut quatuor menses ad summum; longe alia est ratio de hominibus, quorum abstinētia plures annos absque proportione superat; eo enim quo possint bruta quaternis mensibus abstinere, necessario non colligas homines quaternis posse, ac pluribus annis ieiunare; siquidem tantam cruditatum copiam in vrsi corpore autumno congeri, quanta sufficiat alendo corpori tota hyeme incredibile non est; at in humano corpore tantum phlegmatis vim accumulari, quanta possit ei ad multos annos alimentum sufficiens assidue subministrare credibile non est. Vltimum etiam dogma nihil adiumenti affert viro insigni; etenim si vniuersaliter illud accipiat, falsam doctrinam leget; haud enim verum est cibi necessitatem omnem esse ad instaurandam substātiam fluxam e corpore; nam indigemus etiam ex Aristotele cibo ad incrementum corporis: neque verum est, quibus exiguum diffluit, ijs necessariū non esse cibum exteriorem; si enim desit internū, ad conseruationem viuentis, quod est finis alimoniæ apud Aristotelem, necessaria est reparatio etiā exigui ex alimento externo: at bene acceptum Auicennæ placitum, vt nuper interpretati sumus, veritatem continet, sed Portio non adstipulatur; nam abstinentes plurimi fuere in ætate crescendi, quibus si ad nutricatum alimentum fuit necessarium, etiam & ad augumentum; quare adeo exili nutrimento indigere non potuerunt, vt solum interno tam longa mensium, & annorum serie sufficienter perfrui valuerint.

Febricitantes cur ieiunium tolerent.

Vrsi nihil effluat e corpore, quibus opus sit alimento.

Natura semper intendit ei, quod magis vrget.

Appetentia est sensus attractionis e stomacho.

Cibi vsus [illegible] ad [illegible] randam fluxam. 3. de an. 59. Finis alimenti. 2. de an. 48. 48.

Humorem, qui vomitu reddebatur abstinentibus, non fuisse partem eius, quo alebantur. *Cap. CXXXIX.*

POstrema ratio Portij desumpta ex vomitu putridæ pituitæ, quo augebatur abstinens Germanica statim ac odiosum cibum assumere coacta fuisset, tanquam ex aperto indicio illi stomachum pituita repletum extitisse, qua nutriretur assidue; soluitur intime perspecta rei natura; in primis enim huiusmodi humorem (cuiuscunque naturæ fuerit) ei cedere non potuisse in alimentum toto

ieiunij

ieiunij tempore illud apertum facit, quod putridus fuisse dicitur; putrida enim alimenti vicem non subeunt, sed mera sunt excrementa, quæ si multa diutius in corpore manserint, etiam non agglutinata visceribus, partibusque reliquis ad instar alimenti, sed à natura in locum nostri corporis vilissimum relegata, quum vapores putridos efficiant, quibus humores inficiant, totumque corpus febre afficiant fieri non potest; quum ergo toto ieiunij tempore febre caruerit, & alio quouis morbo insigni puella Germanica, ipsi nullam extitisse putridi phlegmatis copiam effatu dignam in stomacho, vel alia parte corporis, probabile est. Deinde vero quid prohibet eam pituitam destillatam fuisse a capite in stomachum pure excrementitiam, & nulla ratione alendo corpori, vt fuse antea monstrauimus? Par est enim quæ fer[illegible] pu[illegible] Germanica semper victu parciori v[illegible], eam non scatere cruditat[illegible]bus in stomacho, sed quicquid ex ea parte pituitosi humoris vomitu redd[illegible], [illegible] eam prius e capite destillasse. Deinceps quemadmodum in diuturno ieiunio stomachus desu[illegible] à ciborum complexu, ita post longam cibi abstinentiam nihil in ventrem sine tristi quadam passione mitti potest; ventriculus [illegible] ab ind[illegible] cibo læsus ad eius noxij expulsionem insurgit omni conatu; quumque vomitus fere semper fit cum magna vniuersi corporis commotione; quippe motus est ventriculi præter naturam inde tentantus excernere, vnde aptus natus est hau[illegible], tunc præ[illegible] vehementem laborem a[illegible]rt, quando ventriculum ad vomendum stimulat parua res, & solida, citra viscididatem, [illegible] autem stomachus in difficili vomitu adeo contrahitur, vt ad se trahat promiscue quicquid humoris est in partibus propinquis; quo nomine videas quosdam post ingentes [illegible]natus p[illegible] [illegible] euomentes, & alios bilem flauam [illegible] ve[illegible]. Quid ergo mirum [illegible] Germanica puella, [illegible] Heluetius abstinentia celebres post [illegible] in intermissionem cibi, potusque omnis, ventriculum exsiccati tantum ab ingesto bolo affligerentur stomacho, vt vomitu difficiliori simul ingestum cibum, & ichorem, humoremque pituitam putridam referentem r[illegible]d[illegible]it? reddebant enim quasque humiditates difficultate, ac violentia vomitus a ventriculo ex vicinis quibusque vi[illegible] bus attractas: secus enim repleto stoma[illegible] pituita, bolus haustus ventriculum irritare non debet ad vomitum; quia infarctis eius tunicis humore lento sensus hebescit, & cibi durities pituitæ permistione mollescit; si ergo à pituitę copia, eiusque vi cidæ tum stomachi sensus, tum cibi stimulus obtunditur; profecto abstinens, quæ ab ingesto bolo, liquoreue pauco adeo laborat ventriculo, vt excitetur maximo impetu facultas ad vomitum, pit[illegible] congeriem in stomacho non habet. Quid ni [illegible] dicamus humiditates huiusmodi ab abstinentibus post haustum vi bolum vomitu redditas [illegible] [illegible]ud quam eas c[illegible]ationes, in quas longa abstinentia resolui corporis membra superius obseruauimus ex Aristotele? sane colliquamentis ieiuniō genitis intestina, & partes ventriculo proximas, tanquam à natura excipiendis excrementis dicatas replen verisimile est, eaque in vomitu difficiliori regurgitare, attrahique in stomachum probabile est: Non ergo necessitatem habere videntur argumenta Portij.

Putrida non sunt alendo corpori.

Extremum ex putrida retentione quid proueniat.

Vomitus cū totius commotione.

Vomitus quid.

Vomitus quando laboriosior.

Vomitus sanguinis. & pus a bilis.

Stomacho repleto pituita bolus [illegible] vomitum nō excitat.

Cap. 112. 1. sect. problem. 9.

Calorem non necessario semper absumere humidum, nec necessario si consumptum humidum alimentis restauretur, vitam cito extinctam iri.

Cap. CXL.

SEd & rationes perspicacissimi Iouberti sunt exp[illegible]n[illegible]æ, quæ pulchræ sunt, ac magni admod[illegible] [illegible], in quarum exam[illegible]e spero propositi n[illegible] haud parum illustratam iri. Prima [illegible] [illegible]ta quælibet f[illegible]na tand[illegible] [illegible] & radicali hum[illegible] [illegible] calor [illegible] nequit, a[illegible] [illegible] ment[illegible] radica[illegible], v[illegible] v[illegible]; ac pr[illegible] v[illegible] ad vitæ longi[illegible] viuentibus n[illegible] [illegible]um ext[illegible]um, eos in[illegible] [illegible] necesse e[illegible], hoc a[illegible] nullum esse pot[illegible] al[illegible] ud quam [illegible], & viscida, ta[illegible] alu[illegible] hæc inquam ra[illegible] d[illegible]plici contexta ratiocinio totum sui robur habet in prosyllogismo, cuius quatuor sunt præcipua theoremata; duo nobis vltro conceduntur, duo reliqua suspecta sunt: concedentes enim [illegible] tam nostratem non po[illegible] sine calore co[illegible], neque ca[illegible]em sine h[illegible], ne[illegible] rem necessario iugiter humoris co[illegible]tion[illegible]m moliri, negamus item calore continue humidum absum[illegible] al[illegible]um vsus inte[illegible]cedat, cito mortem obrepere, nec posse diutius vitam produci: Age singulum dogma seorsum explicemus ex rei natura, tanc quodcunque absumit, agens est; quod absumitur, patientis naturam induit, quum autem agens vnumquodque, ad hoc vt possit munere suo fungi, ac speciatim vt valeat patientis naturam destruere, opus habeat vigore supra resistentia [illegible] quumq[illegible] vigoris æqualitate nulla fi[illegible] vnu ab altero [illegible]tio, tantumdem re[illegible] vno, quantum alterum agere contendit; iam [illegible] hi[illegible] ex[illegible]ntur dogmata, vnum est, Calorem [illegible] humoris consumptionem moliri solum, qui vires obtinet supra humoris resistentiam, alterum est Calorem, cui humoris vigor æqualis est, non posse humorem absumere; tertium est, Calorem, qui vi[illegible]bus longe cedat humori, potius ab humido extingui, quam humidi exterminium tentare: modo quum videamus in vita nostrari calorem humori con[illegible] posse in triplici hac proportione, non abre abs[illegible]lute negauimus in vita semper humo[illegible]em a calore consumi; nam vt concedimus humorem viribus ca[illegible]is cedentem ab eo destrui, sic non admittimus calorem viribus humori

Vitam nō sine calore, [illegible] non sine humore in nobis posse subsistere.

Calorem non semper consumere subditum sibi humorem.

Calor qui humorem absumat; & qui nō.

humori æqualem, aut inferiorem, humidum posse destruere: ceterum vitam aliquandiu consistere valere cum humore caloris vires exuperante facile colligas ex Hippocrate, atque ex ipsamet experientia; siquidem & quotidie videmus interire homines calore suffocato ab humoris copia; & Hippocrates athletico habitui scribit consimilem interitum imminere; quin etiam humor calorem tum sui quantitate suffocare, tum sui frigiditate potest extinguere: Quum ergo queat calor innatus viuentium nostratium varijs de caussis adeo hebetari, vt multum cedat humori cum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis; quid ni suspicionem incutiat placitum Iouberti asserentis à calore humorem iugiter absumi? certe vetus illa Timonis amita, quæ semianimis latebat in specu totã hyemem serpentum more, vt vix respirare videretur, calidum non habebat superans humorem viribus, illumue iugiter absumens. Sed in vita posse coniungi humidum cũ calido viribus adeo æqualibus, vt quantum actiuitatis calor obtineat, tantundem humor habeat resistentiæ; vnde per multum etiam temporis nec ille hunc absumere, neque hic illum extinguere, aut suffocare valeat, dogma est multorum sapientum rationibus, & experimentis pluribus circumuallatum; vtamque Aristoteli non vno in loco affertur vulgata dignitas, Quacunque in re potest inueniri plus, & minus, seu excessus, & defectus, ibidem necessario inueniri æquale, ac medium: quum ergo in vita possit esse humoris plus quam caloris, & vicissim caloris excessus supra humorem, vt nuper ostendimus; plane vitã cum humoris, & caloris æquitate consistere posse necesse est: tunc autem neutrum alterius mutationem, destructionemque moliri posse, dudum probauimus, & apertissime colligitur ex Aristotele aliquando scribente omnibus contrarijs perpetuum id esse, vt mutentur in se inuicem, si non coæquentur viribus; calor itaque vbi coæquetur humori, eum in se vertere, atque absumere non poterit. Itaque necessarium non est in omni vita nostrati caloris actione humoris substantiam continenter absumi. Nihilo magis firmum est aliud placitum, quo scribitur, calore assidue consumente humidum, cito mortem obrepere, nisi continue alimentis calor auocetur ab humidi exterminio; quippe in aliquibus animatis adeo lenis esse potest, ac paruus calor [illegible]; adeo multus, ac tenax, densusque ra[illegible] humor, vt hic non nisi longiori temporum spacio illius actione iugi, & non interpollata terminari queat: non enim consistit humor [illegible]uus in indiuisibili, sed obtinet quantitatem effatu dignam, quo fit vt absque alimentariæ [illegible]iditatis, nutricationisque subsidio (etiamsi calore perpetuo consumatur) diutius tamen vitã sustinere valeat. Vita enim consistere potest (exẽpli gratia) cũ humore vt duo vsque ad octo; quum itaque calore miti, ac debili, humore crasso, ac denso, huius ab eo consumptio, imminutioque ab octo adusque duo perdurare valeat multos menses citra vllam deperditi restaurationem, profecto vita nostras cum iugi humoris dispendio citra subsidium alimoniæ diutius produci potest; non secus atque lucerna plena oleo perdurat ardens multas horas absque eo quod nouum oleum in locum iã consumpti continue infundamus: Equidem si vas aliquod oleo plenum, aut alia quauis materia inflammabili ex toto, & vndique ignem conceperit; sufficit qui in illo est humor longe radicali nostro tenuior, ex se ad flammam illam acerrimi vigoris longiori tempore sustinendam: cur multo maiori tempore nõ sufficiet ex se radicalis humor calori miti, & exiguo retinendo? Haud ergo necessarium est vitam cito destrui, si consumenti calori non assidue offeramus alimoniam, eius vim auertentes a iugi consumptione radicalis humidi.

Vitam ad exigere ea lorie domi nium supra humorem. 1. aph. 3.

In vita ca lor, vt humori æqualis esse valeat. 4 ethic. cap. 4. 3. ethic. cap. 3. Vbi plus, et minus, ibi æquale

2 de gen. t. 48. Contraria vt mutentur in se inuicem.

Continuã humoris consumptionem non indigere conti nuo nutri catu. Humor non consi stit in indiuisibili

Semina stirpium extra terram non ali humore interno pituitæ correspondente.

Cap. CXLI.

SEcunda vero Iouberti ratio desumpta ex plantarum varijs generibus ac præsertim e seminibus, quæ diu extra terram secunda viuunt, quibus in alimentum cedere nequit nisi humor internus correspondens pituitæ latenti in humano corpore; solui etiam potest inspecta rei natura: concedimus quidem libenter viro doctissimo hæc vegetabilia extra terram viuere absque eo quod alantur alimento externo; concedimus item calorem illis insitum versari circa internum ipsorum humidum; sed non [illegible]umus admittere humidum hoc subire vices pituitæ viscidæ, quæ vlterius caloris actione cedat in a[illegible], quandoquidem in grano tritici, præter corticem, nihil est quod pituitæ respondeat; vniuersa enim eius substantia interior vniusmodi est, ac ita homogenea, vt partes non habeat varias, quarum vna cedat in alimentum alterius; quod vel sensui manifestum est: in alijs vero seminibus, in quibus est conspicua partium varietas, vt in castanea, cui præter corpulentum illud crassius, in cuspide inest distincta particula, id non euenit, vt altera sit alterius nutrimentum; namque ob vetustatem siccio[illegible] vtræque fiunt, atque frigidæ pariter; secus enim consumeretur alimentaris portio sine detrimento alterius, immo vero cum alterius enutritæ incremento, ex emolumento: Verum in seminibus extra terram omnibus id contingere animaduertimus, vt à calore sensim absumatur humor substantificus, eaque consumptio citra noui pabuli subsidium diutius protrahitur, quia calor mitis ac debilis in humorem compactum, ac solidum, resolutionique contumacem operatur.

Vide lib. 4 cap. 8.

Pustulas pituitæ copiam non indicasse, qua nutriretur puella Germanica, nec abstinens alia.
Cap. CXLII.

Tertia ratio, qua confirmare studebat Vir Clarissimus abstinentes nostros pituita scatere, argumento desumpto à puella Spirensi, cui corpus erat plenum pustulis de phlegmate, non vno modo tollitur; primo quia exoriebantur illi pustulæ, iuxta doctrinam Aristotelis in superioribus fusius explicatam, ex colliquamentis partium ob inediā à calore genitis, & ad cutem expulsis, non ex pituita. Deinde si pituitæ soboles erant, profectò à pituita dulci oriri non poterant, sed ab acri, & mordaci; ab illa enim cutis in pustulas exulcerari nequit; at vero pituita dulcis ea sola est, quæ viteriori coctione in sanguinem, & omnino in alimentum commutari potest. Deinceps autem, si demus disputationi fuisse illam pituitam dulcem, quæ pustulas puellæ procreauerit, eam à capite defluxam, & absolute purum excrementum alendo ineptum fuisse probabile est, quum in tanta cibi penuria velut inutilis pelleretur ad cutem; verisimile nanque est, si alimentum foret, eam auide à natura custoditam, complexam, & arreptam iri, non explosam. Demum quod vni tantum puellæ abstinenti contigit, id necessario non arguit caussam communis abstinentiæ quam plurium, quibus tale quid non euenisse scimus.

3 probl. 5. Cap. 102. Pustulę abstinentis vnde ortæ.

Pustula non fiunt à pituita dulci.

Appetitus vt se habeat ad indigentiam, & indigentia ad alimentum.
Cap. CXLIII.

Quartum argumentum, videlicet non appetere nos ea solum, quibus non indigemus; quū autem abstinentes externa non appetant alimenta, ijs proinde non indigere; non indigere autem quia suppetat internum, hoc vero nihil esse aliud quam pituitam; principia continet difficilia: primum dogma de appetitu absolute non accipitur, non appeti ea solum, quorum non est indigentia; nam febricitantes plurimi, quorum saluti maxime interest vinum vitare, illud tamen ardenti desiderio expetunt; & atrophia laborantes cum inappetentia, vt abstinentium nostrorum quicunque eò tabescunt, quando crescere deberent, externum alimentum non appetunt, quo tamen summopere indigent ad instaurandum quod absumitur, & ad incrementum: Ad probationem concedentes appetitum non esse actionem voluntariam, quæ rationi obtemperet; esse vero affectionem physicam; negamus illum vbique oriri ex indigentia cibi, & vicissim inappetentiam ex cibi præsentia; tum quia morbosus appetitus esse potest cum cibi præsentia, & inappetentia cum cibi absentia; tum quia intra sanitatis latitudinem quoque inappetentia sine cibi præsentia plerunque nascitur ex nuda ventriculi intemperie; atque ex affluxu non alimentaris etiam humoris ad stomachum; sic vulgo appetitum diu tolerantes citra comestionem euadere consueuimus inappetentes, post longam, eandemque molestam suctionem, vel concidente in se se stomacho, & collabente attractoria facultate; vel etiam illapsa vndecunque à vicinis partibus in ventriculum humiditate stomachi substantiam laxante: quod haud nouit Plutarchus lib. cōtra Epicureos edito, vbi asserit per famem corpora cibo destituta cogi contra naturam ex seipsis alimentum petere. Deinde vero non admittimus abstinentes non indigere alimento externo quia suppetat internum; quomodo enim suppetit internum ijs nutrimentum, qui dum crescere deberent, assidue colliquescunt, ac emaciantur? Sed non ne fieri potest vt simul & interno, & externo alimento non indigeant abstinentes? nuper enim visum est viuentia posse consistere sine augumenti necessitate cum calore tum æquali humori, tum etiam cum humoris excessu; & propterea sine alimoniæ vlla necessitate.

Appetitū non esse actionem voluntariam.

Appetitus qui sit cū cibi præsentia.

Cur famelici nullō

cibo: ffum pro inappe tentes fiāt

Quomodo ex Galeno quis absque alimento permanens ob virium iecoris imbecillitatem diu sufficere possit.
Cap. CXLIV.

Vltima doctissimi Iouberti ratio ex autoritate Galeni asseuerantis aliquem sine alimento permanentem ob virium iecoris imbecillitatem posse diutius sufficere, non probat intentum Viri Clarissimi; nam permanere sine alimento ex Galeni sententia eo in loco non est carere alimento externo, & interno perfrui, sed est non nutriri penitus; quod paullo antea Galenus explicauerat, & ex allato etiam theoremate facile colligitur; quandoquidem probare suscepit ibi Galenus Iecoris tēperie deperdita, & actione intermissa, non ideo statim prohiberi quominus cor vitam ceteris partibus influat (quæ est Galeni opinio) id autem eo conuinci putat, quia *si non alatur animal, velut in latentibus euenit animalibus, nihilominus viuere ipsum posse quoad Cor manserit illæsum; quin* (subdit) *aliquis ob virium iecoris imbecillitatem sine alimento diutius sufficere potest:* Equidem actio hepatis ob imbecillitatem virium eius intermissa in vita animalis nulla est alia, quam Medicis nuncupata sanguificatio; hæc autem non fit circa externum alimentum, sed circa internum; & reuera phlegma, crudusque succus aceruatus in ventriculo si debet abstinentes alere, necesse est prius ab hepate in sanguinem verti; sed Galeno hepar viuente animali feriari potest ab eo munere, vt feriari dicitur in latentibus hyeme; quare tantum abest vt inde Galenum sibi fauentem legat vir egregius, quod potius aduersantem habeat: Ad applicationem concedimus virium hepatis imbecillitatem hanc esse caloris inopiam, permittentes eandem frigidæ, humidæque intemperiei sobolem statui; verum negamus ipsam esse frigidæ materiæ, atque ideo pituitæ procreatricem; nam vt quibus extrinsecus alimenta ingeruntur, languens virtus hepatis crudum, frigidumque, ac pituitosum sanguinem generat; ita quibus nihil extrinsecus assumitur, debilis virtus hepatis priuata su-

5 de loc. aff cap. 1.

biecto, in quod operetur, ociosa nihil gignit prorsum: Modo Galenus loco citato agit de virium hepatis ea imbecillitate, quæ sedentaria penitus ociatur nihil prorsus agens, non autem de illa, quæ cruditates, ac pituitam gignit, dum probat sine iecoris actione posse vitam superesse diutius, vt manifestissime cuique patet locum illum diligenter inspicienti. Neque igitur Iouberti rationes Alberti sententiam necessario persuadent.

Abstinentes an creuerint; deque vnguium, & pilorum incremento in abstinente Consolentanea.

Cap. CXLV.

QVæ autem ab eruditissimo Citesio in hanc sententiam proponuntur argumenta, nostram ad se iam trahunt meditationem: Ad primum igitur, quo scribit abstinenti Consolentaneę creuisse pilos, vngues, ac totum corpus; augumentum autem non esse citra nutricatum; & nihil assumentem non nisi pituita posse nutriri; concedentes augumentum vere non esse sine alimento, & nutricatu; insuper & animaduertentes pilos, & vngues æquiuoce augeri, hoc est citra nutricationem, ex puris excrementis exeuntibus e corpore; qua ratione mortuis etiam pilos, & vngues creuisse legimus; infitiamur abstinenti creuisse proprie, ac vere totum corpus; sensui nanque augeri videbatur, quod vere non augebatur, vt historiam recitantes sensu illuderentur: illam vero corpore auctam non fuisse abstinentem illud apertissime suadet, quod obseruat vir eximius, nempe ieiunanti vniuersum abdomen sensim adeo contabuisse, vt ab imis costis ad pubem vsque nihil pristini aqualiculi superfuerit, omnesque musculi, viscera, & reliquæ ventris partes atrophia consumptæ, atque contractæ pateant, vt detractas putes, ceteris corporis partibus multo minus exhaustis, exhaustis tamen; nam ex Aristotele habemus alimentum, augumentumque viuentibus fieri non secundum vnam dimensionem tantum, sed secundum contraria loca, & secundum omnes corporis dimensiones; quæ igitur non crescebat latitudine, ac profunditate, sed tabescebat potius, & euidenter minuebatur abstinens Consolentanea, vere creuisse nutricatu, & alimento non est asseueranda. Sed neque illa in longitudine creuit, nisi secundum apparentiam decepto sensu; quemadmodum enim vnus & idem homo talarem tunicam longiorem indutus procerior apparet, quam in habitu breuiori; sic obæsus, & carnosus si contabescat, mirifice crescere videtur; quod frequentissime accidit in omnibus emaciatis a morbo; neque solum in hominibus, verum etiam in vnoquoque corpore crassities, & profunditas occultat, vtcunque celat, & quasi furatur longitudinem, quam restituit subtilitas: ita enim duarum columnarum æqualis longitudinis, præsertim si eminus disiunctæ spectentur, quæ crassior est, breuior apparebit: tabescens itaque puella Consolentanea κατὰ τὴν φαν-τασίαν crescere videbatur in longum, quia immutata prorsum longitudine, vel minus imminuta, minuebatur vere, ac maxime secundum latum, atque profundum. Nisi quid ipsi contigisse dicamus, quod supra obseruatum est accidere in ocimo in aquis degente; ac in viperis nuper natis; quæ nullum assumendo alimentum crescere animaduertuntur, vt infra explicabitur.

Pilos, & vngues æquiuoce augeantur.

Mortuis pilos, & vngues crescere.

3. de an. t. 14. 1. de gen. t. 35

Augumentum, et nutritionem fieri secundum omnes corporis dimensiones.

Augescere vt videatur, quæ non augetur.

Crassities longitudinem occultat.

Cap. 8.

Fetus in vtero vt simul non fiat animal, & homo; quid proprie sit antequam humanam induat naturam; nos non ali vt aluntur plantæ; Aristotelesque à crimine liberatur.

Cap. CXLVI.

IN alia vero ratione, qua scribitur ex Aristotele homines principio viuere vitam stirpis, solamque tunc habere animàm vegetantem, deinde tempore procedente subire sentientem, tandem induere intelligentem; quippe non simul animal fit, & homo; nec animal, & equus; ac proinde quum plantarum vegetantem vim, & belluarum sentientem includamus, dici corpus nostrum nutriri vt planta, sentire vt animal, ratiocinari vt homo; quamobrem plantæ, ac animalia diu sine cibo viuentia interno alimento frigido, viscido, & lento, argumentum non leue præbent caussæ consimilis in ieiunio nostrorum abstinentium; in hac inquam ratione multa continentur difficilia: Inprimis candide concedendum est Aristoteli, & pietati Christianæ fetum in vtero non simul fieri animal & hominem, eo subeunte longe prius animam sentientem, quam rationalem; hanc enim corpori nondum organizato aduenire negant nostri Theologi, quum sentiens rudi adhuc Embrio inesset: Ad obiectionem, qua dicitur, non simul accedentibus conceptui omnibus animæ gradibus, fore vt esset primum beta, aut lactuca; deinde canis, aut equus; tandem Cæsar, aut Cato; nos licet arbitremur fetum à parente primum simul sortiri vegetalem, ac sentientem animam ob rationes alibi allatas, nihilominus respondere liceat in planta qualibet duplicem gradum animæ vegetalis reperiri, nimirum vegetalem genericam, quam cum cæteris communicat stirpibus, & constituitur in genere viuentis, ac vegetabilis; specificam alteram, qua constituitur in determinata specie plantæ, betæ scilicet, aut lactucæ; cuius animæ beneficio beta dissidet a betonica, serpillo, & olea, ceterisque plantarum speciebus: Consimiliter in brutis adest sentiens anima generica, qua omnia pollent animalia, & inuicem communicant in genere sentientis; ac præter illam inest peculiaris vnicuique specifica, qua determinatur vnumquodque brutum in certa specie canis, vel equi; cuius animæ beneficio equus a leone dissidet, aquila, & alijs quibusque in eodem genere comprehensis: hoc autem interest, præter alia multa, discrimen inter animam genericam, & specificam, quod illa subordinata est ad perfectiorem, hæc autem vlteriori coniungi non potest: quocirca

2. de gen. an. cap. 3.

Aristoteli in eo à pietate n[illegible] scedere, qui [illegible] ait non simul fieri animal et hominem.

Fetus simul à parente sortiri vegetalem, & sentientem animam.

De ort. an. hum.

Planta in plurē insit gradū animæ vegetalis.

Brutis duplicē inesse animā sentientem.

Anima generica quo à specifica differat.

quocirca fetus in vtero primis diebus fit, non quidē planta, sed vegetans beneficio animę genericæ, qua conuenit cum plantis; at vero quia non subit vegetalium animarum specificam, propterea dum animal non esse potest, quum sit vegetans, non tamen necessario est beta, aut lactuca; sed est eius determinatæ speciei, quę in genere vegetantis proxime ad animalis naturam induendam subordinatur: Nisi etiam dicamus, quod fit, dum gignitur, non dum esse, sed fieri; quare fetus, dum solam adeptus est animam vegetalem in vtero non dum est, sed fit, ac tendit ad esse determinatæ speciei; quod esse nanciscitur ab vltimo gradu formæ, nimirum ab anima specifica, quæ in homine rationalis est: Quæ omnia consentientia ijs, quæ profitetur alicubi Aristoteles, alibi fusius explicata fuere: Consimiliter fetui vegetanti merito animæ nutrientis genericę Aristoteles adiungens pro cessu temporis animam sentientem genericam, qua fit animal, non cogitur illum efficere canem, aut equum; hæc enim fetui à specifica sentiente inessent anima, inesse a generica non possunt: dici tamen etiam tunc valeat fetus animal determinatæ speciei; nimirum animal imperfectum eius sortis, quod possit animal rationalem suscipere, & homo euadere, ad aliorum animalium omnium discrimen: Quin & Philosophi Christiani, Theologique pij fetui sentienti anima prædito vltimis temporibus absoluta corporis organizatione rationalem aduenire putantes, eam cani, aut equo accedere non existimant, sed animali, quod futurum est homo: Si enim oporteat fetum primis temporibus habentem ex Aristotele solam vegetalem, & procedentibus diebus obtinentem quoque sensitricem sine rationali, constituere in specie determinata, erit primum conceptum per vegetalem, non beta, nec laurus, embrium, vel fetus per sentientem, non equus, nec leo; licet physiologo specificum esse non nisi ab vltima forma proueniat, quæ ad præcedentium discrimen scite specifica proinde nuncupatur; & conceptus in vegetantium genere nullam speciem adhuc habeat, nec fetus in animalis natura, sed vtrumque tendat in speciem humanam, quam induit in fine mutationis rationalem animam subiens. Deinde concedentes hominibus inesse plantarum vim vegetantem genericam, sentientemque belluarum consimilem, non autem specificam; siquidem bestiæ sunt à specifica, vel plantæ; nos autem nec belluæ, nec plantæ sumus, sed vegetantes, & animalia; negamus corpus nostrum nutriri vt planta, quod vere alitur vt vegetans; vegetantis enim species est planta congenea animali; cuius item species est bellua homini congenea; quapropter homo in genere animalis contradistinguitur à bellua, & in genere vegetantis à planta, non nisi quia communem habet genericam animam tum vegetalem cum stirpibus, tum sentientem cum bellulis, obtinens vnam specificam rationalem, qua differt ab vtrisque. Deinceps non ostenditur plantas, & animalia diu sine cibo viuentia nutriri succo interno frigido, & viscido; quod est vniuersæ disquisitionis cardo; ac proinde non sine probatione gratis accipi debebat. Demum nec proportio est in temporis distantia vtriusque ieiunij, de qua tamen tota fere controuersia est; nam plantę, animaliaque hyeme solum, vel ad summum semestre viuunt sine cibo; quum abstinentes nostri multos annos plerique transigant in ieiunio: si ergo cruda materia interna plantis, belluisque sufficiens alimentum paucorum mensium spacio suggerere potest; non ob id poterit illa eadem crudior substantia sat alimenti hominibus abstinentibus ad multos annos subministrare.

Vegetans sentiens animans planta nō est, sed vegetans. — *Quod sit nondum est.* — *2. meteo. t. 7. De ort. animal. De vita.* — *Quo differt esse vnde sit.* — *Planta est vegetalis species animalis congenea.*

Crudiori succo, & pituita cur nullum à natura datum sit receptaculum, sed cum sanguine labatur.

Cap. CXLVII.

QVod vltimo loco affertur ex politissimo Fernelio, in sanguine, à quo vtraque bilis secreta iam est, crudum quendam humorem confusum permisceri, cui perpurgando natura nullum instrumentum designauerit, quia excludi non deberet; quippe semicoctum alimentum seruatur per inedias integre coquendum; caute accipiendum est: In primis enim vt pituitæ plurimus est prouentus, ita maximam illius congeriem non decuit vllo receptaculo intra corpus retineri: deinde vero eius vsus quum sit pręstare vehiculum sanguini, à sanguine segregari non debuit; nisi vbi eum ad partes nutriendas vexerit; quo tempore per venas ad vesicam labitur in vrinas: deinceps autem quidni ex Hippocrate habentes cerebrum esse metropolim, ac sedem frigidi, & glutinosi, dicamus caput esse pituitæ conceptaculum, & instrumentum in quod ascenderet crudus humor à sanguine segregatus? Sed & in superioribus apud eundem Hippocratem vidimus caput haud minus esse pituitæ fontem, ac bilis flauæ fons sit vesica fellea, & atræ lien! Demum vero illud apertum est in Medicorum schola sanguinis generationem in iecore quidem magna ex parte obiri, semper tamen adhuc etiam in venis perfici, atque compleri, quibus ideo facultatem sanguificam tribuit Galenus; quicquid ergo crudioris alimenti cum sanguine permistum fuerit, hoc sane velut bilis non debuit e sanguine segregari, quia diutius in venis eum cocto sanguine permanens assidue coquitur, & in alimentum digestum commutatur; neque enim venis vim coquendi adimit Fernelius, dum aperte scribit earum eam vim esse, & facultatem vt e iecore in omnes partes corporis alimentum distribuant non modo tuborum, ductuumque similitudine, sed concoquendi quoque viribus insigniri: crudus ergo succus cum sanguine permistus a natura non secernitur, quia semper digeritur, & vlteriori caloris actione in venis etiā coquitur; coquitur autem magis cū alimenti vsu quam per inedias; fame siquidem exinanitæ ve-

De facult. & hum. cap. 3. & 9. — *Lib. de Principijs* — *Cap 69. 4. de mor.* — *1. de fac. nat. cap. 4* — *Venis inesse vim coquendi, et sanguificandi. De hum. corp. par. cap. 12.*

næ calorem validum non habent, quo cruditates concoquant; sed comedentium venæ, sanguineque turgidæ, sanguinis, ac spirituum calore pollentes melius cruditatem concoquunt. Sed vtcunque sit, illud certum est in corpore non posse tantum crudioris succi contineri, quo plurium annorum spacio totum corpus assidue, ac sufficienter valeat enutriri. Non ergo satis firmis nititur fundamentis Magni Alberti vulgatissima sententia, qua suffragantibus, subscribentibusque viris clarissimis constitutum est diu abstinentes ab omni cibo, potuque, iugiter ali pituita crassa, crudiorique materia intra corpus ante ieiunium collecta, & coaceruata.

Cruditatem magis quam per inedias concoqui in vsu alimenti.

Octaua opinio Cardani referentis abstinentium nostrorum ieiunium in copiam humoris melancholici ex lentis, & crassis humoribus exorti.

Cap. CXLVIII.

MIrum profecto fuisset nisi mirabilium rerum condus, atque idem vberrimus pronus Cardanus memorandi huius euentus caussas disquirere non tentauisset; legimus autem eius de proposito huiusmodi theoriam, Duplici ratione ait animal absque cibo, & potu viuere semper posse, aut quia ingluuie pristina reliquias seruet, quod accidit serpentibus, bufonibus, vrsis, gliribus, muribus auellaneis, atque omnibus his animalibus, quæ hyeme quum lateant nihil habent reconditum; aut quia aere, qualicunque nos vtimur, nutriatur; quod cicadis euenit, quæ ore priuantur, & dissectione in ventre nihil habere comperiantur; atque hoc perpetuum, illud vero ad tempus, vt dici solet: Quandoque vero hæ caussæ iunguntur, vt quidam homines diu sine cibo vixerint. Vel potius caussa vera, propter quam aliqui sine cibo diu viuunt, ad melancholiam est referenda; non enim ex humore crudo, vt quidam existimant: Scotus nanque ille, qui tandiu sine cibo viuebat, omnino erat melancholicus, atque stultus; qui quum quadraginta diebus sine cibo clausus in turri Londinensi ieiunasset, lac pro primo cibo, atque potu assumpsit: Refert etiam Albertus se vidisse melancholicum quendam, qui quum diebus pene quinquaginta a cibo abstinuisset, solo aquæ potu interim singulis, aut alternis diebus contentus erat: Addi poterat ex Brasauolo Philippus Riminaldus melancholico succo refertissimus, qui per multos dies ab omni cibo, potuque abstinere consueuerat. Itaque constat eum humorem tam diuturnæ inediæ caussam esse; at non omnis humor eius generis, verum qui ex lentis, & crassis humoribus gignitur, quique in loco sit oportuno, nempe in ventriculo, & mesæreo, atque in iecore; cuiusque pars euinci queat; si hæc conuenerint, vsusque, & natura adfu[illegible]t, longa ieiunia ferent; necesse est autem & [illegible]id cęlum conferre. Ita Cardanus; cuius [illegible]nis fundamenta deprompta esse ab Auicenna, & Galeno videntur viris doctissimis

9. de subtil.

8. de var. cap. 43.

3 de vic. acut. com. 44.

Cardano subscribentibus, & referentibus primum quidem Arabem asseuerare melancholiam non solum inopia, sed nimia etiam copia famem prosternere; sique plurimus succus melancholicus e splene in ventriculum per certum meatum eructet, à cibis hominem fore auersum; atrumque humorem stomacho damnum, nauseamque illaturum, ipsumque ad vomitum, & ad alimentorum repudium incitaturum; huiusque affectionis caussam à melancholię per vomitum reiectione, acidoque sapore, ab anxia hominis cogitatione, ab eiusdem ad nigrum coloris mutatione, & alijs indiciis, quæ ad hypochondriacum affectum internoscendum afferuntur, indicari. Deinde vero Pergamenum ea proponere, quibus videtur Cardani sententia comprobari posse multiplici argumento: in primis quidem Galeno ex humoris melancholici redundantia ventriculus ita afficitur, vt neque totius corporis, neque etiam suiipsius indigentiam sentiat: Tum vero ex historijs connumeratis videre licet ieiunantium corpora fuisse macra, nigra, & flaua, laboribus assueta, solicitudinibus agitata multis, tenuissimoque victu educata, menstruis, alijsque consuetis purgationibus omnibus priuata; quæ omnia melancholicum succum redundare certissimum argumentū præbent Galeni testimonio. Amplius ipsieidem Galeno eodem in loco ex Diocle scribitur eos, qui melancholia hypochondriaca laborant, potissimum ab ineunte ætate, ingestis cibis ventriculo dolere, & vsque adeo torqueri, vt quiescere nequeant, nisi illis vomitu reiectis crudis adhuc vna cum phlegmate, quæ supra obseruatum est inter alios abstinentes celebriores Nicolao Heluetio contigisse; hic enim sine cibo viuens in solitudine coactus parum cibi assumere triduū grauiter stomachi dolore laborauit. Quinimmo & ex Hippocrate paullo post admonet Galenus melancholicos affectus potissime cū metu & męstitia longiore copulari; quum autē compertum sit Etruscam puellam inter abstinentes connumeratam post metum ingentem omne genus alimenti renuisse, ac solo simplicis aquæ potu quindecim fere menses taciturnam vitam traduxisse, haud leue argumentū inde sumitur huic puellæ abstinentiam ex melācholico humore fuisse; atque huius exemplo ceterorum ieiunium ex eadem caussa fluxisse. Hęc pro Cardano militare videntur viris insignibus.

L. 3. f. 13. tr. 1. cap. 7.

6 de lo. aff. cap. 5.

3. de lo. aff. cap. 5.

Perpenditur Cardani sententia demonstrando caussas diuturnæ abstinentiæ redigendas non esse in aerem, aut in reliquias ingluuiei, aut in melancholiam. Cap. CIL.

HInc miram quum subtilissimæ disquisitionis occasionem Scaliger nactus esset, vir ad abstrusa omnia, & difficilia eruenda, explicādaque ingenio aptissimo; nescio qua mente se se in admirabilis huius humanæ abstinentiæ caussa inuestiganda exercere noluerit: haud enim puto virum in aggrediendis litterarijs palestris impauidum, in exercendis ijsdem fortissimum rei difficulta-

te per-

te perterritum negocium detrectasse: An forte Cardano consentit de proposito? non iurarem certe Cardanomastigem ea in re Cardano clam assentiri, in qua illi aperte non dissentiat: Ceterum quando tanti viri auxilio destituimur, age nos à nobismetipsis Cardani positionem expendamus: In primo Cardani placito, Duplici ratione animal absque cibo, & potu viuere semper posse, aut quia ingluuie pristina reliquias seruet, aut nostrati aere nutriatur, magis distinguendum est primum dogma, moderandum est secundum decretum, negandum est demum theorema tertium; Negandum est inquam vllum animal nostrati aere ali ob rationes dudum allatas apud Argenterium: Moderandum est ingluuie pristina sibi recondere animal in ventrem sufficiens alimentum; nam vt certum est voracia ingurgitare vnico pastu nutrimentum ad aliquot dies; illud tamen certum non est, ingluuiem pristinam vlli animali, ac præsertim homini sufficere alimentum ad menses, & annos plurimos: quum igitur abstinentes nostri multos menses, & annos in ieiunio superuixerint; sane ipsis ab ingluuie pristina nutrimentum sufficiens suppeditari non potuit. Addo ferre nullos abstinentium nostrorum voraces fuisse, sed ferme cunctos paullatim à cibis desueuisse, quos antea semper admodum parce assumerent; quod præsertim de puella Spirensi obseruatum est, atque a Cardano propositum de Leonardo Pistoriensi, & Scoto iuuene bilioso: Distinguendum est autem quod primum affertur, animal absque cibo & potu viuere posse semper: quomodo semper? an totius vitæ spacio simpliciter ab ortu ad interitum? an ab initio abstinentiæ semper vsque ad mortem? priori sane ratione in ijs animalibus, quorum generatio multiplex est per gradus varios, diuersasq; species, vt notauit Aristoteles in insectis, quæ primo vermiculum pariunt, qui addito tempore speciem accipit oui (Aurelia enim appellata oui obtinet facultatem) tum ex eo animal nascitur tertia mutatione finem recipiens generationis; in his inquam animalibus verum est Aurelias, chrysalides, Nymphasque vocatas, & oua dum sub tali specie viuūt post secundam generationem nihil prorsus alimēti assumere, nihil excrementi egerere; quum tamē & vermes, erucęque in prima generatione orientes tota vita cibum capiant, & excrementum emittant: sed absolute omne animal ab ortu primo ad interitum vsq; sine alimento viuere, ac præsertim rationale animal, cuius abstinentiam tractamus, aperte negat Aristoteles ea ratione ductus, quia inter animalia, quæ imperfecta sunt, generāt sui prolem imperfectam & quantitate, & qualitate (qualitatem sumit essentialem, vt alibi) quare debent augeri ad acquirendam quantitatem perfectam, & alia mutatione perfectiorem item speciem acquirere; quo nomine ex vermiculo fit aurelia, & ex ouo animal perfectæ naturæ; verum quę perfecta sunt animalia, pariunt quidem sobolem qualitate, hoc est specie perfectam, vnde non transmutantur secundum formam; sed tamen quantitate sobolem suam nullum omnino animal perfectam gignit; indicio illud sit, omnia huiusmodi, posteaquam nata sunt, incrementum suscipere; at incrementum Aristoteli demonstratur esse cum nutricatu ex alimēto intrinsecus assumpto. Si uero semper, hoc est ab initio abstinentiæ usque ad obitum, animal absque cibo viuere dicatur; verum quidē placitum est in his, qui fame pereunt; in plurimis autem nostrorum abstinentium non verum; quippe obseruatum est post longum ieiunium eos denuo alimentis externis assueuisse, ut constat ex allatis antea historijs. In secundo placito explicandum est discrimen, quod ponitur inter alimentum ex aere, & ex ingluuie pristina, quod illud perpetuū sit, hoc non sufficiat alendo corpori tota vitæ longitudine: certe si demus aerem solum alicui animali cedere in alimentum, quum semper vbique aerem præsto habeat animal, nec usquam vniuersum consumere valeat, perpetuo poterit solo aere nutritum ab omni alio alimenti genere abstinere; sed cui ex ingluuie pristina nutrimentum reconditur, quia quod reconditum est tandem consumitur, inde habere potest ieiunium non nisi quod dicitur ad tempus: ceterum vt nostrorum abstinentium plures perpetuo non ieiunarunt, at post longam abstinētiam intermissum ciborum vsum reiterarunt; ita illos aere nutritos dicere absurdum est; quum autem ad plures menses, & annos ex ingluuie hominem sibi alimenta congerere in ventrem probabile non sit; profecto abstinentes nostros ex ingluuie præcedente nutritos verisimile non est. In tertio placito illud suspectum est primum, duas illas abstinentiæ caussas coniungi posse, nimirum vt idem animal & aere tenuissimo, & cibo ex ingluuie crassissimo diu nutriri possit; nanque alimentum cuique animali, immo cuique viuenti consimile necesse est esse, adeo vt alia tenuibus, alia crassis alantur; alia rursum humidis, alia siccis nutriantur solum; propterea plantas succus terrenus; iumenta fęnum, & palea; infantes lac solum alere potest: quum itaque vni & eidem animali naturam consimilem aer, & recondita ex ingluuie obtinere nequeant, potissimum in consistentia, & mistionis perfectione, quæ conditiones álimento sunt necessariæ, vt dudum ostendimus eo quia solæ partes solidæ nutriuntur, quæ mista perfecta sunt consistentiam habentia; profecto haudquaquam conuenire poterunt hæc duo, ut idem animal idcirco diu sine cibo, potuque uiuat, quia nutriatur aere, & recondito ex ingluuie; quod enim ob raritatem, ac mollitiem aptum esset aere ali, vt de rhintace, manucodita, & cane leui fabulantur, huic ineptum prorsus erit crassum, & solidum ab ingluuie nutrimentum; & vicissim cui propter crassitudinem substantiæ oportunus est solidior ex ingluuie cibus, huic alimentum tenuissimum ex aere idoneum nequaquam est. Deinde cur necessarium fuit ambo hæc in homine coniungere, quæ disiuncta reliquis animalibus id præstāt, vt diu sine cibo, potuque viuant? certe si, qua ratione vrsus tres menses ingesto alimento nutriri dicitur, homines quoque redundantibus escis ab ingluuie abstinentes alerentur; vt vrsis aerem alimento

Vt animal sępe dicatur numero abstinens.
2. de gen. an. c. 1.
3. de gen. an. c. 9.
5. hist. c. 19.

Ab ortu ad interitum animal perfectum non posse abstinere
2. de gen. an. c. 1.
Qualitas essentialis 5. meta. c. 19.
Discrimē generationis perfectorum, et imperfectorum animalium.
1. de gen. c. 34. 38. & 41.
2 de an. c. 47.

Discrimē inter alimentum ex aere & ex ingluuie.

Idem animal ex aere, & ex ingluuie ali non posse.
Alimentū cuique cōsimile esse.

C. p. 51. et sequentib.

mento esse non opus est, ita homini sufficere debuisset sola ingurgitati nutrimenti copia: & si, quo modo cicadis aer solus tota vita satis esse dicitur, homines item aere ali possent, ieiunantibus plane præter aerem alimento nullo ex ingluuie opus esset. In quarto placito illud primum occurrit improbandum, quod nulla facta mentione aeris, abstinentium nostrorum ieiunium Cardanus in solam melancholiam refert; quum tamen antea hominis ieiunium ad abstinentiæ ferinæ discrimen in duarum caussarum concursum retulerit. Deinde vero melancholiæ nomine quid intelligẽdum? affectus ne ille, quem dicimus insaniæ speciem; an humorem, qui caussa huius affectus esse perhibetur? certe vtrumque hoc intellexisse Cardanum suspicari liceat, qui Scotum diu sine cibo viuentem ideo abstinuisse scribit, quia melancholicus, ac stultus foret; quique in abstinentibus humorem melancholicum crassum replere statuat ventriculum, mesaræi venas, & iecur: sed quomodocunque id accipiatur, nihil habet inde mens, in quo quiescat: Proculdubio stultitia perciti homines quidem ab omni alimento possunt ob amentiam abstinere; sed tamen affectus melancholicus id efficere nequit, vt abstinentes diutius viuere possint; qui enim melancholia laborans putabat se esse mortuum nolebat quidem aliquid gustare, mortuos existimans alimenta non ingerere; sed sensim tabescens fame consumebatur, ac tandem moriebatur, nisi prudens medicus ad eum homine alio misso, qui mortuum se esse simulans comederet, illique mortuos item verbis, & exemplo manducare persuaderet, ad consuetum alimentorum vsum reuocasset. Addere possumus ex Cornelio Celso tantum abesse vt stultitiæ simpliciter soboles sit abstinentia, quod potius insaniam curet inedia veluti contraria desipientiæ. Sed humor ipse melancholicus ex lentis, & crassis humoribus genitus, profecto eiusdem naturæ non est cum humore ab ingluuie pristina in ventriculo, mesaræi, & hepatis venis aceruato; in quem tamen alibi retulit Cardanus huius abstinentiæ caussam, quã nunc ad solam melancholiam redigit & ita redigit, vt humori ex ingluuie aceruato hunc effectum eripiat, dum eos damnat, quorum opinio est abstinentes ali ex humore crudo; quicquid enim ex ingluuie corrogatur, id crudus est humor: quare qui sibi non satisfacere potuit modo vnam, modo aliam caussam eiusdem propositi afferens, prima repudiata, quomodo studiosis satisfacere poterit? Præterea inter abstinentes nostros multi fuere non melancholici, nec stulti, nec humore melancholico affluentes; nam puellam Spirensem, & alias plures legimus mente constitisse, atque alijs præter melancholiæ dominium humoribus abundasse; quin & puellam Consolentaneam pingit acutissimus Citesius nullum prorsus humorem in stomacho, alijsue imi ventris visceribus habẽtem; effectus itaque vniuersalis, & communis quamplu ribus quomodo caussa esse poterit id, quod conuenit paucissimis? equidem Aristoteles monet effectuum vniuersaliũ caussas esse vniuersales proportionabiliter: Non ergo in melancholicis vel ipsis abstinentibus ieiunij caussa melancholia est, quæ non inest in alijs ieiunantibus, sed quid omnibus commune, vti communis est & abstinentia. Verum & illud receptum est apud omnes vulgatissimum Hippocratis, Aristotelis, & Galeni dogma crudiores humores, ac pituitam speciatim vlteriori coctione in probum sanguinem conuerti posse, & ita corpus alere; bilem autem, ac melancholiam a sanguinis massa quomodocunque segregatam nulla coctione in sanguinem verti, nec alere; quod admonet quoque Auicennas apertissime statuens melancholiam ad pituitæ discrimen improbi sanguinis penuria caloris ministerio non digeri, nec viuenti cedere in alimentum: Aut saltem nec ipse Cardanus ibit inficias, arbitror, collatione facta, pituitam, & humorem crudum longe aptiorem esse ad alendum, quam sit melancholia; quid ergo absolute dixit abstinentes ali humore melancholico? quid negauit ali humore crudo? Deinceps vero quid est huius melancholię ventriculum, mesæreum, & iecur obsidentis portionem euinci debere? sane quum alimentum euinci a calore, subigique debeat; si pars tantum huius melancholiæ possit euinci, non tota; pars eius item, non autem vniuersa corpori cedet in alimentum: quum autem, nec si tota, quæcunque tribus hisce visceribus contineri potest, in alimentum cederet, homini ad longum tempus sola sufficeret; profecto vbi pars eius euinci possit, abstinentiam pluriũ annorum, qua nostri ieiunantes claruere, producere non poterit. Quod autem subditur a tali humore melancholico longa fieri ieiunia in ijs, quibus adfuerit vsus, & natura, aliquid etiam conferente cęlo, nimis ieiune proponitur in tanta rei obscuritate; qui vsus? quæ natura? quid a cęlo conferendum? qua ratione ieiunium longum cum melancholiæ vbertate efficiet vsus? qua natura? qua collatum à cęlo? Ceterum de vsu posterius fuse, vbi de consuetudine; de collato a cælo infra suo loco; de natura illud nunc suppetit obijciendum Cardano, quod olim vitio vertebat Aristoteles Empedocli, & Anaxagoræ, qui quærentibus cur in hac rerum vniuersitate modo quies, modo sit motus, propositum sine certa ratione probantes, idque pro caussa sumentes, quod caussa esse non potest, commentitium quid, & figmento simile respondebant, nempe quia sic aptum natura est vt modo moueantur, modo quiescant, nullam reddentes caussam huius aptitudinis: dum itidem nos quærimus cur diu viuant homines absque alimento, respondens Cardanus id fieri quia in illis adest natura ad ieiunium longum sustinendum idonea, sane quæsito non satisfacit; nã quærimus caussam cur in illis natura sit ad abstinentiam apta, quæque sit huiusmodi natura, dum inuestigamus cur ipsi abstineant. Predigenda igitur non est cum Cardano caussa tam diuturnæ abstinentię in humorem melancholicum ventriculi sinum, mesaræi, & iecoris vasa replentem ex ingluuie pristina exortum, accedente aere, vsu, natura, & aliquo a cælis collato.

Melancholia nomine quid intelligat Cardanus

Melancholiam non esse caussam abstinentiæ.

Lib. 3. c. 18.

Insania curatur inedia.

Ex ingluuie crudus humor corrogatur.

2. phy. t. 38.

1. de gen. an cap. 18. 3. de rat. vic. com. 30.

Melancholiam non vertitur in sanguinem, nec alit.

A. 1. f. 1. doc. 4. c. 1.

cap. 21. & seq.

cap. 37. & seq.

8. phy. t. 14. 15.

Diluun-

Diluuntur Cardani rationes ostendendo cicadas non ali aere; comparatum ex ingluuie non sufficere ad ieiunium multorum mensium, & annorum; caussas istas in abstinentibus nostris non concurrere; nec humorem melancholicum vna cum alus conditionibus propositis huius abstinentiæ caussam esse. Cap. CL.

RAtiones autem, quibus ipse suam sententiam communiuit, adeo firmæ non sunt, vt necessario concludant intentum: Ad primam enim, qua dicebatur, cicadæ cæli rore, vel etiam aere nutriuntur; serpentes vero, bufones, & cetera hyeme latentia ex cibo copiosius assumpto; igitur animal absque cibo viuit aut quia ingluuiei pristinæ residuum seruet, aut quia nutriatur aere, aut vtraque ratione in vnum coeunte; multifariam occurrimus, & primo negare possumus antecedens quoad singulas partes ad primam probationem de cicadarum victu, etsi late superius responsum esse videatur, tamen nonnulla etiam suppetunt hic proponenda; dum ergo dicitur, cicadæ sine ore sunt, & dissectæ nihil in ventre habent; ergo absque cibo, potuque viuunt; si omnia hęc nos concedamus, nihil magis inde habebit vir acutus, quam cicadas non ali simpliciter; aluntur enim omnia vel cibo, vel potu ore ingesto, siue ille sit ros, aut aer crassior, aut aliud quidpiam; siueque hoc bucca sit, vel membrum buccæ proportione respondens. At ex Aristotele cicada, quæ in animalium genere vna ore caret, prolixum quidam compactum, indiuisumque gerit simile ei, quod linguæ speciem refert in ijs, in quibus aculeus in ore, illoque ipso rorem haurit, alimentum vnum, & peculiare: Si ergo cicadis vnum alimentum est ros, vt inquit Aristoteles, haud sane aere ali poterunt; duplex enim illis esset alimentum, ros, & aer: Si dicas roris nomine ob naturæ familiaritatem aerem quoque crassiusculum intelligi; non tamen proinde fiet, vt qui cicadas alit aer abstinentes etiá nostros enutriat; quum aperte statuat hic Aristoteles id, quod rorem nuncupat, esse alimentum cicadis peculiare; non igitur homini, aut alij viuentium generi commune. Ad secundum concedentes vigere cicadas temporibus siccis, & calidis regionibus, & absque pluuia; negamus proinde illis purum rorem alimento esse; pluit nanque rorem temporibus, & regionibus temperatis, vt vere, non æstate media, nec in calidissimis locis, in quibus maxime vigent cicadæ, quas verno tempore, temperatoque loco non audias. Sed reuera roris substantia vernis diebus lapsa de cælo, & à tenellis arborum frondibus excepta, commiscetur cum ceru mine, ac lanugine arborum, sitque tenax, lentaque materia quædam, quæ seruatur ad æstatem in arborum frondibus, tenerisque cacuminibus, vnde illam certatim hauriunt apes crunibus in ceram agglomerantes, & cicadæ proboscide, siue promuscidæ, linguaque in alimentum delibantes; haustamque calore digerunt, eaque coctione segregantur excrementa, quorum vtilia mutantur in oua, inutilia in corticem, adeo vt nihil in ventre superfluum remaneat ex assumpto illis alimento. Ad tertiam probationem concedentes aerem humidum quiddam corpulentum semper continere; quum ipse natura sua sit corpus humidum; negamus propterea fieri vt eo cicadæ, aut alia viuentia nutriantur; requiritur quidem in alimento vt sit humidum quiddam corpulentum, sed hoc non sufficit ad alimenti naturam constituendam; oportet enim præterea vt sit mistum perfectum, & corpus consistentiam obtinens; alioquin aqua pura, quæ simplex elementum dicitur, alimento esse valeret, si reperiretur, multoque magis hæc, quam bibimus; cui nullam vim alendi esse fuse demonstratum est antea: Sin dicas aerem in se continere alienum corpus humidum, quod alimenti conditiones habeat, nempe sit mistum perfectum alendo aptum, & consistens; iam inde non erit animal aere ali, sed eo quod in aere continetur; & certe auibus in aere degentibus alitur homo, qui aere non alitur. Ad probationem de latentibus hyeme, vt concedimus disputationi vrsos, glyres, & alia perfectiora bruta, quę fructibus autumnalibus nutriuntur, autumno in maxima fructuum vbertate plurimum alimoniæ ingurgitasse, multasque cruditates crassas, & lentas in ventre congregasse; quibus digerendis calor eorum natiuus tota hyeme occupetur; negamus tamen insecta, & mollia, exili calore prædita, quæ hyeme quoque latent, nutriri reconditis ingluuiei pristinæ; secus enim conuersis illis cruditatibus in alimentum partium, neque ob caloris imbecillitatem consumpta substantia effatu digna, sensuique conspicua, oporteret serpentes, bufones, & insecta reliqua latentia hyeme pinguescere, vt vrsis euenire monet Aristoteles, & de glyribus canit Martialis,

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

sed vicissim exeunt serpentes, & bufones verno tempore de terra squallidi, luridique, & graciles; indicio manifesto non enutritos hyeme fuisse cruditatibus ab ingluuie. Verum & ex ipsomet Cardano habemus insecta ob mollitiem plurimum alimenti non posse ingurgitare; quin etiam si multum ederent, ob caloris exilitatem, imbecillitatē que, illud non posse concoquere; sed ab alimentorum copia, & cruditatum maxima vbertate calor ab externo frigore quasi extinctus obrueretur penitus. Deinde concesso antecedente disputationi, dantes cicadas rore, & aere ali; bufones, & alia hyemem fugientia cibo copiosius assumpto nutriri, & reconditis cruditatibus; negamus proinde hominem duabus hisce de caussis simul concurrentibus diu posse abstinere, vt euenit ieiunio claris; primum etenim conditio hæc imperfectorum animalium propria est, vt cruditatibus, & rore, aereue alantur, non communis etiam perfectis; hyeme nanque leonem, aquilam, canem, & huiusmodi alia conspicias sine alimento mori, nec ab ingluuie posse ad menses plures ieiunare, nec aere, aut rore vesci; cuius discriminis ea ratio est, quia imperfectorum animalium calor est imbecillior, vt notat aliquando Aristoteles, qui ab hyemis frigiditate

Marginalia (left): *Cap. 85. 86.* — *Cicada sola inter animalia ore caret. 4. hist. c. 7* — *Cicadæ rore vescuntur non aere* — *Cicadæ quando, et vbi vigeant.* — *Apes vnde ceram legunt, & quomodo.* — *In ventre cicadæ*

Marginalia (right): *cur nil reperiatur excrementi.* — *Cap. 58. & sequ.* — *6 hist. c. 30. 8. hist. cap. 17.* — *Vrsi et glyres cur totunc pinguescant. 7. de var. cap. 28.* — *Serpentes hyeme ab alio succo interno.* — *Insecta cur plurimum alimentum nequeant ingurgitare.* — *De respir. cap. 15.*

ditate labefactatur adeo, & opprimitur, vt vires non habeat ad consumendum humidum, nec ad coquendum alimentum, nec omnino ad nutriendum efficaces; quare opera hæc omnia vel intermittuntur, vel tarde, ac longissimo temporis intervallo efficiuntur: ceterum perfectiorum animaliũ calor vegetior ambientis frigore hyeme concẽtratur quidem, at non obruitur, aut fatiscit, verum concentratus virescit, & multo plura postulat, & concoquit alimenta, quam æstate, dum ab ambiẽtis calore dissoluitur, ac eneruatur; quæ manifeste
1. aph. 14. 15. ab Hippocrate docemur: quomodo ergo id, quo differunt imperfecta à perfectis animalibus, consti tuere debemus cum Cardano commune insectis, & homini? Præterea esto non conueniat hoc hyeme latentibus, vt abstineant, quia imperfecta sint, & exiguo calore prædita, sed ob naturam quampiã communem etiam homini; profecto si cruditates illis brutis ad hyemem vix sufficiunt, quomodo humor in corpore nostro contentus abstinentibus ad multos annos possit, aut debeat sufficere, ego quidem non assequor. Amplius autem abstinentes nostros ieiunium ab ingluuie non incępisse; immo potius eorum multos sensim abstinentiæ assue uisse, atque omnes frugali, parcoque victu semper antea vsos fuisse longe patet ex superioribus, quin
11. de sub til. etiam ex obseruatis a viro grauissimo: eosdem vero aere nutriri non potuisse fuse monstrauimus a-
Cap. 7. & seq. pud Argenterium; vt plane iam concidat primũ Cardani argumentum. Ad secundum etiamsi negare possemus iuuenem illum Scotum, qui tandiu sine cibo viuebat, fuisse humore melancholico adeo scatentem, vt eo solo ad mensem, & vltra nutriri potuerit; quum pilis rubeis, & habitu biliofo, ac propterea tenuioribus refertus humoribus habendus sit; nihilominus concedentes eum fuisse stultum, ac melancholicum, vti reuera erat abstinens Alberti, non tamen ideo quicquid in eo mirum obseruabatur, protinus ex melancholico humore proficiscebatur; nam præter humorem melancholicum in melancholicis adsunt etiam aliæ caussæ variorum effectuum, vt in his, qui melancholici non sunt; quare quum abstinentia hæc diuturna obseruata fuerit in pluribus non melancholicis, eam ab alia caussa, præter quam à melancholia prodire verisimile est. Amplius esto ieiunium in melancholicis à melancholia, iam vniuersalis caussa non assignatur à viro doctissimo effe-
2. phy. t. 38. ctus vniuersali, contra decretum Aristotelis; nos vero, qui caussam abstinentiæ in omnibus ieiunantibus inquirimus, ad melancholiam confugere nõ
L. 3. f. 13. tr. 2. c. 7. possumus. Ad tertium argumentum ex Auicenna, & Galeno concedentes melancholiæ copiam
5. loc. aff. c. 1. in ventriculo famem prosternere, inappetentiam inducere, immo & alimentorum odium excitare posse; negamus tamen proinde assignari caussam propositi; non enim quærimus cur abstinentes nõ esuriant, non appetant, alimentaque oderint; sed inuestigamus quare non esurientes, non appetentes, alimentaq; nulla sumentes diu viuere possint, nec paucis diebus fame pereant; profecto melancholia potest appetitum deijcere, haud tamen vt non comedentes diutius vitam protrahant ipsa eadem efficere potest; non enim cedere valet in alimentum. Addere quoque liceat ex Cardano virũ Scotum iuuenem pilisque rubeis, & habitu bilioso non laborasse inappetentia, nec cibos odisse, aut fastidisse; quum sponte se custodibus obtulerit ad fidem ieiunij, quod in plures dies producere consueuerat ad arbitrium, alioquin alimentis vtens; vnde liquido constet ei abstinentiam non fuisse à melancholię copia famem prosternente, appetitũque deijciente, odiumque ciborum inducente. Insuper & ex historijs allatis obseruare licet at puellas aliquot abstinentes vi coactas nonnihil alimenti assumere, illud mox vomitu non cum humore melancholico, sed cum pituitoso reddidisse. Ad quartum argumentum concedentes Galeno cor- 3 de loc. aff. c. 4.
pora macra, nigra, & flaua, laboribus assueta, sollicitudinibus agitata multis, tenuissimoque victu educata, menstruis, ceterisque consuetis omnibus viduata, melancholia vt plurimum turgere, potissimumque ubi hæc signa omnia concurrant; negamus cunctis abstinentibus hæc omnia inesse; nam supra legimus nonnulla ieiunantium corpora εὐσάρκα fuisse, hoc est bono habitu prædita, carnosa, colore albo, sedentariæ vitæ assueta, nullisque agitata curis quamplurima. Quin addimus Galeno corpora illis indicijs prædita non necessario abundare melancholia, sed tantum esse dispositã Corpora quã sposita cumulando melancho lia.
cumulando huic humori, quum tamen etiam sine illius redundantia esse possint, vt vir doctissimus ex eo Galeni loco non necessarie colligat intentũ. Sed (quod nuper obseruauimus) esto melancholica; an ne quicquid melancholicis accidit necessum est ex melancholia esse? Dic etiam ex Galeno ibidem multo maiorem melancholiæ crassioris copiam in ijs corporibus cumulari, quæ bubula carne, salitis, & alijs huiusmodi cibis vbertim utũtur, quam quæ parco victu educantur; nam ex tenui victu minuuntur humores omnes, non cumulantur vlli. Immo & hoc est contra Cardani placitum existimantis homines diu sine cibo viuere, quia nutriantur reconditis ab ingluuie pristina; quum ergo fere omnes abstinentes citra præcedentem ingluuiem ieiunauerint, his melancholiæ crassioris copiam in alimentum diuturnum reconditã fuisse probabile non est. Quintę rationi concedimus item melancholicos ex hypochondrijs, præsertim ab ineunte ætate, ingestis alimentis ventriculo dolere, & dolorem sedari vomitu reiectis edulijs una cum phlegmate; neque negamus hoc ipsum accidisse vni ex abstinentibus, quin & vltro concedimus id accidere potuisse cunctis; sed illud non videmus ideo consequi, vt ieiunium ex melancholia nascatur; nam primum dolor ex assumpto cibo, & vomitus dolorem sedans potest ex pluribus caussis prodire; siquidem stomacho inflammato (quem nupernime Patauij obseruare licuit in dissecto cadauere) & vlcerato, & in hypochondria co affectu cibus dolorem excitat, qui vomitu sedatur: at uero si stomachus etiam diutius desueuerit ab alimentorum vsu, ijs assumptis eum dolere, atque ad euomendos insurgere probabile est; quum ab

Vilium cibo, salsis, generatur crassi humoris, non cumulat humores.

Melancholici hypochondriacis ventri culum dolere.

Dolor ventriculi ex assumpto cibo & vomitus sedato fit.

Ab insuetis passio. ab insuetis patiatur pars quælibet, maximeque stomachus exquisitiori sensu præditus; quæ caussa locum habet in abstinentibus, non autem in melancholicis. Præterea si fuerint homines una melancholici, & abstinentes, sane assumpto cibo, dolore stomachi, & vomitu molestabuntur, uel alterutra seorsum ratione, uel utraque simul; non tamen ideo fiet vt ex melancholia ieiunium prodeat: secus enim cur non omnes melancholici, & præsertim hypochondriaci diu sine alimento viuunt?

Postremæ rationi concedimus puellæ Tuscæ abstinentiæ initium ex metu vehementi fuisse; propterea tamen haud necessum est eam fuisse melancholicam, uel ex melancholia tam longum ieiunium tolerasse; non primum, quia melancholiæ coniungitur ex Hippocrate metus, & mæstitia, non ueluti caussa, sed veluti effectus, & symptoma; quo factum est, ut melancholici fere omnes timeant, & mæreant; non autem vicissim ut omnes timidi, & mæsti sint melancholici: secus enim melancholicæ omnes mulieres essent; quum sexus ille timidissimus existere videatur; & sane puella timida erat, quia femina. Sed neque illud absolute dabimus ex Hippocrate omnes melancholicos esse timidos, ac mæstos; quum ex eo habeamus desipientias cum risu, melancholicosque lætos, & audaces quotidie quoque uideamus: ex eo ergo non colligent viri doctissimi pro Cardano puellam Tuscam melancholicam fuisse, quia timida, mærensque foret.

Metus, & mæstitia vt comitantur melancholiam.

Mulieres timidæ.

Non omnes melancholicos esse timidos, & mæstos. 6. aph. 53

Non secundum; quia coniungi possunt in eodem subiecto melancholia & abstinentia absq; eo quod hæc ab illa oriatur: & sane abstinentium plures ex historijs allatis citra metum, & mæstitiam obseruare possumus, citraque melaucholiam. Nisi etiam dicamus cum Hippocrate metum esse effectum abstinentiæ, non indicium caussę ieiunij; quippe abstinentes propter modum imbecilli, valetudinarij, atque me[illegible] ad queuis opera reddũtur Hippocrati. Neque uero hac in re illi sunt audiendi iuniores, qui melancholiæ nomine, in quã Cardanus retulisse videtur caussam adeo longæ abstinentiæ, dolorem, ac mæstitiam intelligunt; quia vt demus mærore auocari hominis cupiditatem à cibo; eo tamen non efficitur vt homo diu sine alimento viuat; quin potius videtur alimenti necessitatem incutere spiritus tristis, qui veteri iã prouerbio exsiccat ossa; consumptio enim humidi primigenij vltro alimentorum vsum accersit: Quocirca non ab re Lydiæ populi fame premente alternis diebus cibum propterea sumentes ioco se, lusuque oblectando abstinentiam facile tolerarunt, ut autor est Plutarchus lib. de sanit. tuend. Verũ non exsiccet humidum mæstitia, non certe facultatem corpori conciliabit, qua diuturno admodum tempore quis ab alimentis abstinens viuat, ut nostris contigit ieiunantibus; quod & vetustissimus scriptor monuit Homerus in Odyssea concinens

L. de vic. rat. 2. 24. Metum esse effectũ abstinentiæ, non indicium caussæ ieiunij.

Me sinite interea quamuis cœnare dolentem:
Nam nil inuiso ventre importunius vsquã est,
Qui meminisse sui nolentem cogit, & vrget.
Me iubet ille cibum capere, & potare, malorum
Obitumque iubet se tantum explere....

Non ergo abstinentes nostri sine alimento externo propterea viuunt diutius, quia humore melancholico intra corpus redundante nutriantur, quod existimauit superiori tempestate vir magni nominis Cardanus, & post eum nostra ætate Medicus egregius.

Nona opinio Bonamici flatuentis ieiunantes ali colliquamentis internarum partium.
Cap. CLI.

Doctissimus Bonamicus multis in opere suo de alimento profitetur in maximis inedijs nutriri homines colliquamentis, seu eliquamẽtis partium; vt nouã nobis occasionem præbeat de proposito philosophandi acutissimus, demũ; olim dũ viueret, amicissimus Philosophus, huiusmodi autẽ colliquamẽti, eliquamentiq; originem e triplici materia nostri corporis esse opinatur; nimirũ ex adipe, seu pinguedine: ex humiditatibus in secundis iam partibus inspersis, ac agglutinatis, sed nondum in partium naturam transmutatis; ac demum ex partium ipsarummet propria substantia. Porrò in sanguinem denuo mutari posse colliquamenta, quæ prius e sanguine orta fuerant, ex Aristotele colligit vir acutissimus asseuerante sanguinem fieri ex semine, quod est sanguis coctus; de eius sententiæ veritate se dixisse admonet alibi, nũc vero decernit omne id, quo aluendi sumus, qualecũque sit, siue syntegma, siue quid aliud, in sanguinẽ esse conuertendum: Quamuis autem pluribus argumentis hoc placitum non communiat vir egregius, grauia tamen suppetunt, quæ ipsum roborẽt; Ac primum sensu compertum est obæsos homines, & carnosos diutius vitam protrahere, quam faciant macilenti, & graciles, vbi simul vtriusque sortis viuentes ab omni alimento abstineãt; id autẽ aliunde fieri non posse videtur, quam inde, quod hi tantis adipis, & partium colliquamentis perfrui nequeunt, quantis illi abundare possunt. Deinde vero in longiore inedia e tribus istis substantijs colliquamenta fieri rationi consentaneum est; siquidẽ calor innatus in diuturna fame consumptis humoribus ob subiectarum partium siccitatem acuitur; æstuans autem calor quicquid obuium colliquat, pinguedinem, concretos humores, partes ipsas; fluxilia vero hæc in summa nutrimenti necessitate, satagente natura diutius vitam custodire, ad stomachum fluunt, veluti ad promptuarium commune alimenti, quo per nutricationem conseruetur viuens. Aristoteles quoque huic placito aperte suffragari videtur inquiens colliquamentum fieri quemadmodum alimentum inconcoctum; sane inconcocti alimenti locus proprius est ventriculi cauitas, vbi fit prima coctio; & alibi diuturna fame laborantes colliquari admonens; tertioque loco statuens in maxima fame resolutionem, imbecillitatemque sequi; & materiam internam corporis a collecto calore colliquescere, quæ si ad locum cibo à natura destinatum influxerit, pro cibo seipsam corpori applicabit. Nec sane huic doctrinæ non adhærere videtur Plutarchus in commentario,

Lib. 1. c. 5. 6. 7. 12 & 39 Lib. 3. c. 50. & 58

Colliquamenti materia triplex

1. de gen. c. 13

De som. & vig. c. 4.

Inconcocti alimenti locus proprius. 1. sect. pro bl. 5 8. sect. pro bl. 4. &c.

rio, cui titulus est, *Ne suauiter quidem viui posse iuxta Epicuri decreta*, scribit per famem corpora cibo destituta cogi contra naturam ex seipsis alimentum petere: eandem sententiam repetens libello *de fist i[illegible] de citra [illegible]*. Hippocrates etiam aliquan[do] hanc sententiam mirifice confirmare uidetur sæpenumero repetens, *ventriculum, vbi vacuus est, corpore frui colliquescente*; atque aperte statuens *quibus colliquantur partes, eis humorem ad ventricu[lum] [illegible] fluere, & [illegible] ventrem cibum ad uersari, & va[illegible] stringi, nec vesicam excolare*; quæ omnia in abstinentibus commemoratis obseruantur, inappetentia a nimi[illegible], & omnium excrementorum absen[tia]. Sic ergo colliquamentis partium, & pinguedinis, eliquamentisque ultimi alimenti iam concreti, & partibus adhærentis ali posse videntur viro Clarissimo abstinentes nostri toto ieiunij tempore.

4. de mort. k.1.

Perpenditur allata sententia demonstrando abstinentes nostros non potuisse abundare, nec enutriri colliquamentis.
Cap. CLII.

SEd multa sunt, quæ nos à doctissimi viri sententia retrahant; in primis enim haud gigni talia colliquamenta in corporibus abstinentium nostrorum conuincit ratio; nanque, vt bene apud Aristotelem legit Vir egregius, eliquatio cuiuscunque materię duo solet habere principia separatim, vt quæ frigore coguntur, non nisi calore liquescant; & vicissim quæ calore consistunt, solo frigore colliquentur; illa quidem aquea sunt, hæc autem terrea: quoniam vero aquea non nisi a vehementi calore dissoluuntur, quippe quorū prius fuerit a frigore concretio; & vicissim terrea non nisi a frigore validiori colliquata fluunt, quippe quæ prius a potenti calore concreta fuere; quod & Aristoteles aperte docuit non recedens ab experimento, quo c[illegible] pinguedinem, & carnes in sudores, & ha[illegible] (les animaduertimus ab ardenti solis æstu, & ab intenso acutarum febrium calore; a [illegible] moderat[illegible] calore [illegible] quod reperitur necessario intra [illegible] non colliquatur adeps, [illegible] fus, non a[illegible] partes, [illegible] darum partium substantia; q[illegible] nostri neque [illegible] calore æstuarent, quia non febricitabant; neque imp[illegible] algerent, quia viuebant; vita enim pot[issim]um animalium perfectiorum Ar[illegible] est eum dominio, & abundantia ca[illegible] statuemus cum viro [illegible] vitum alimen tiro[illegible] natos, tum partes ipsas sol[illegible] Deinde si fierent huiusmodi co[lliqu]amenta in abstinentium nostrorum corpore [illegible] ad ventricu um non deferrentur multi[illegible] omnibus; [illegible] etenim a calore vehemen[illegible] quo [illegible] membra colliq[illegible] pingue[illegible] ad [illegible] tentesque par [illegible] ha[illegible] pari, a[illegible] tis [illegible] paris habi-

Colliquamenta nō gigni in abstinentibus.

4. meteor. cap.6. & 7.

5. de alimen. cap. 16.

Eliquatio à duo res principio. Liquari [illegible]

De vict. cap. 13. Vita cum dominio, & abundantia caloris.

Colliquamenta nō confluere ad [illegible]

tu ad ventriculum confluere; nanque apud Aristotelē locus secundum naturam nullus colliquamento datus est; sed fluit quocunque facilius ferri potest; non ergo vniuersum colliquamentum ad ventriculum fertur, quum partes prope cutim facilius colliquatæ fluant [illegible] udores; & infra ventriculum liquida deorsum grauitate labantur; & à capite liquata facil[illegible] aut fa[illegible] in thoracem de[illegible] ent, [illegible] fluant. Amplius quæ colliquationes fieri consueuerunt in diuturna fame, decum[illegible] pede tum Aristoteles docet, tum [illegible] quo certo constat longiore [illegible] non aliunde pedibus [illegible] colliquamento a membr[is], habituque corporis vi[illegible] ad ventriculum nullus est [illegible] nec eum illud adibit [illegible] attractum, qui [illegible] ventriculi sensum non lateat, quippe quæ doloris expers non est, constituatque vrgentem famem, [illegible] abstinent[ib]us nostris, quos nulla fames angit, nullaque stomachi suctio solicitat, ab vniuersis corpore colliquamenta non confluent [illegible] Deinceps colliquamenta [si] fierent, si [illegible] in ventriculum confluerent, eo certe contenderent, non alimentorum instar in chylum [illegible] excrementorum more per aluum expurg[illegible]; siquidem primum Aristoteli cum veter[illegible] sertim cum Platone consensus est [illegible] quæ caloris vi ex toto corpore secedu[nt] [illegible] turam esse; nec quicquam secundum [illegible] ex ijs, quæ præter [na]turam sunt; non igitur ex colliquamentis ali potest corpus; quando & nutricatio secundu[m] [illegible] & nutrimentum [illegible] item [illegible] ibi [illegible] contra [illegible] tu[m] ab [illegible] ment [illegible] & ab excrementis [illegible] vi[illegible] tantum nu[tri]mento, & vtili excremento, qu[i]bus decretis omnem vim alendi [illegible] [illegible] interdic[illegible] entit Aristoteles Plato[illegible] de proposi[illegible] [illegible] nutr catum, [illegible] [illegible] pere, vt quantum de carne liqua [illegible] d coctu [illegible] pariter, & alendo corpo[ri] [illegible] tus ineptum, multas necessario inferat noxas valetudini: quum igitur abstinentes nostri sanitatis latitudinem non egrediantur, iam ijs non fient colliquamenta partium; & absolute non erit e colliquamentis nutricatio. Qua quidem [illegible] Aristoteli, atque Platoni pulchre adijcias ex [Hippo]crate Galenum asseuerantem colliquam[illegible] a calore interno velut ineptum ale[illegible] per vrinas extrudi: Quod & ratio [illegible] potest [illegible] ma; nam calore [illegible] te partes; quum eius natura sit Aristoteli [illegible] genea disgregare; par est in huiusmodi [illegible] ne partes igneas liquabilis aut [illegible] pl[illegible] nas euanescere, seu euolare; aeris [illegible] ignē corrumpi; atque [illegible] eo [illegible] mutat[illegible] ergo [illegible] quatione in excrementum, [illegible] imperfectum, aut in quidpiam, cui [illegible] plus

Colliquamentis nullus datus est locus secundum naturam. 1. de gen. an. c.18.

[illegible]

Cap 135. & seq. maxime 133. 1. probl. 5. Vide supra c. 102.

amplius insit alimenti, tum ob rationes nuper apud M. Albertum expositas de pituita, quas non est vt nunc repetamus; tum etiam ob experimentū, quo vel Aristotelis obseruatione patet diuturna fame, ac febre colliquatis colliquamenta deorsum ad pedes labentia non cedere in pedum alimentum, sed eos præter naturam in tumorem attollere sub ratione succi vitiosi, & excrementitij: Non igitur aluntur abstinentes nostri colliquamento. Præterea fieri non potest quin resolutis partibus tenuioribus, & segregatis humidis portionibus a siccis in huiusmodi colliquatione ab adurente calore non vertatur liquescens materia de alimento defæcato saltem in alimentū excrementis refertissimum, ac præsertim ichoribus aqueis; quum itaq; abstinentes nostri nō expuant de ventriculo, non aluo fluant, non vesica mingant, nō corpore sudent, nullumq; prorsus reddant excrementum sensile, ac effatu dignum, vt deceret excerni e colliquamento solidarum partium; procul dubio confiteri opus est illos colliquamēto non ali. Adijciendum est his in colliquatione cuiusuis rei necessario dissipari nōnihil substantiæ in halitus insensiles, ac proinde qui colliquamētis nutriri dicuntur, id non habere vt tantundem alimenti reponatur per nutricationem, quantum substantiæ consumptum est per iugem diflationē, & per colliquationem; cur ergo non æque omnes contabescunt abstinentes, sed aliquibus nullo processu tēporis longissimo videatur contigisse macies, si omnes colliquamentis nutriuntur? Neque omittendū est ali necessario partes, aut omnes, aut nullas Arist. autore; atque singulas alimento suæ naturæ domestico nutricari; quum ergo calore viuentis, quātūuis intenso nō colliquescant ossa, venæ, arteriæ, nerui, cartilagines, membranæ, aliæque partes duræ, quæ vlteriori caloris actione semper magis indurescunt, & exsiccantur; sed colliquescant solum pinguedines, & carnes, ac humiditates concretæ; sanè colliquamentis non poterunt ali partes vniuersæ; quid enim haud colliquatis ossibus, ac neruis, ceterisque huiusmodi, cedet illis in alimentum? profecto liquata caro, vel pinguedo illis durioribus, siccioribusq; familiatem, similemque naturam nō habet. Adhæc si demus colliquamenta simpliciter nutrire posse, inde Matreæ quidem feram, quæ quod ipsa semetipsam voraret, a se nutriri dicebatur magna cum omnium admiratione, perspectā habebimus; quo tamen adeo longa in abstinentia nutriantur ieiunantes nostri apertum non habebimus; nā à calore nimio colliquante magnā adipis, carniumque substantiam propter mollitiem in halitus dissipari probabile est; & in digerendis, coquendisque colliquamentis multa excrementa separari necesse est, ita vt repetita colliquatione, liquatique concoctione, paucis hebdomadis nihil supersit colliquandum, ac in alimentum coctione digerendum: quū itaque abstinentes nostri plures mēses, & annos viuant in ieiunio; certum iam sit eos colliquamentis non ali. Sed seorsum de singulis colliquamētorum speciebus agamus, disputationi dantes cōcreta dissolui in alimentum; & ab alimento partibus agglutinato, nondum tamen assimilato exordientes; huius alimenti substantia quum specie non differat à

Colliquatione dissolui aliquid in halitus.

2. de gen. c. 5. 2. de gen. c. 34.

Ali partes aut omnes, aut nullas.

Non liquari ossa, venas, cartilagines, membranas, neruos.

Colliquescunt quæ partes.

Matrea fera semetipsam vorās. Cel. Rhod. lib 11. ant. lect. c. 13.

sanguine, quem statuit Aristot. & vniuersus philosophorum chorus, non reclamāte medicina, esse vltimum alimentum; nisi quod sanguis ichori, ac sero permistus fluitat per venas; secunda vero hæc humiditas roris, & glutinis nomine Arabibus insignita ob seri absentiam coit, adhæretq; partibus lentior; plane quacunque de caussa liquetur, illico fluet in sanguinē: quid igitur opus est eam iterum ad stomachum ferri? ventriculum enim ea sola nutrimenta petere opus est, quæ in chylum prius, deinde in sanguinem vertenda sunt; at humor hic ex agglutinato alimento liquatus iam sanguis est, frustraque stomachū adiret vt in chylum recrudesceret denuo sanguis euasurus. Itidem quum prima vice destinatus esset hic ros adhærens partibus ijs semel nutriendis; certe liquatus nullum suæ molis incrementum sortitur, vt secunda glutinatione totus non cedat in alimentum partium; non ergo supererit altera die ros eliquandus; quare colliquamētum appositi alimēti vnius dieculæ nutricatui vix sufficiens, quomodo alet abstinentes nostros vltra menses, & annos? Consimiliter partium carnosarū substantia, quæ calore colliquari potest, quū haud sit neruosa illa fibrosaue, quam Medici spermaticā appellant, sed rubra illa, sanguinis concretio, quam affusionē Latini vocant, παρέγχυμα Græci; quumq; illæsis musculorū fibris, albisq; staminibus intactis, carnosa portio, quæ nihil aliud est, quam sanguis concretus, liquari nequeat nisi in merum sanguinem; liquantur enim omnia in ea, ex quibus antea fluidis concreta fuere; quid necessariū sit colliquamentum hoc stomachum repetere? Pariter quāuis e carnosa musculorum substantia tantum colliquari valeat, quantum ad plures appositiones sufficere possit; adeo multas tamen eas esse verisimile nō est, quę paucorū dierum spacio, vel ad summum intra mensem non terminentur; secus enim quilibet famem diutius tolerare posset colliquamentis carniū enutritus; quū ergo ieiunantes nostri sine cibo multos menses, & annos transigant; id apertum facit ijs colliquamenta in alimentum non cedere. De pinguedine ut fateor in lōga fame illam consumi; sic ipsam ideo absumi, quia cedat in alimentum, absolute concedere nequeo; illud propterea censeo, quia materiam obtinet dissipatu facilem; quare nisi continenter instauretur, citissime omnium ab interno calore, ab externisq; caussis dissoluitur in halitus, vel in sudores; quo nomine Galenus, obseruatione quoq; viri clarissimi, breui præpinguē hominem emaciauit vnguentis euaporantibus perfricato corpore, celerique cursu imperato: sed hoc, nimirum adipem in diuturna fame corpus non alere arbitror, quia pinguedo est substantia vnius naturæ, ac temperamenti, orta ex tenuiore, atque aerea, oleosaue portione sanguinis; quamobrem non est apta nutrire ceteras partes omnes, quæ naturam, temperiemque obtinent cum inter se, tum etiam à pinguedine diuersam, & contrariam; quæuis enim pars non quolibet alimento nutriri potest, sed solum sibi familiari, suæque naturæ congeneo; quum itaque verisimile non sit adipem, cuius origo est ex tenui, & aerea, oleosaue portione sanguinis, familiare nutrimentum suppeditare ossibus, cartila

Ros ... tiuus non differre specie à sanguine.

Sanguis vt differat ab vltimo alimento. Auic. 1. 1 doct. 4. cap. 1.

Colliquamenta non oportet stomachum adire.

Quæ substantia carnis colliquetur à calore.

Caro est sanguis concretus.

Liquatio in quæ fiat

Pinguedo in fame cō sumitur, licet nō alat. Vid lib 4. c. 54. 55.

6. de tuēd. val.

1. de alim. c. 39.

Breui ut pingues emacientur

Pinguedinis natura

Adipi vnde sit origo

partium colliquamenta, immo & lac ex habitu corporis, mammisque, intacto ventriculo, ad iecur ferantur, quid ni excrementis omnibus repurgari, & in sanguinem valeant exacte commutari?

An obæsi gracilibus superuiuant in abstinentia; id tamen haud fieri quia illi pinguedine liquata nutriantur. Cap. CLIV.

QVod secundo ex sensu proponitur, nimirum experimẽto comprobari pingues, & carnosos homines diutius viuere in abstinentia, quam faciant graciles, & macilenti; cuius rei nulla sit ratio, nisi dicamus vtrosque ali colliquamentis, quorum longe maiorem copiam pingues obtineant; bifariam tolli posse videtur; primum quidem admonẽdo non absolute verum esse obæsos, & carnosos homines gracilioribus in abstinentia superuiuere; nã abstinentes nostri describuntur ex historia vel in principio ieiunii non adeo corpulenti, & pingues, vt multos nõ videamus illis obæsiores, & carnosiores, qui tamen ieiunium tolerare nõ possent ad alteram hebdomadam, nedũ ad menses, & annos plurimos, vt illi, quamuis longe vberiori colliquamẽtorum copia scatere valeãt quam abstinentes nostri; signum euidentissimũ his in ieiunio colliquamenta non cedere in alimentum. Deinde vero demus disputationi obæsos, & carnosos gracilibus magis durare in fame; id tamen ideo contingere non damus, quia colliquamentis alantur; nam si de carnosis agamus, quum vita perduret quousque calor natiuus in corpore maneat; hic autem tãdiu corpori adsit, quãdiu radicali humido retineatur; profecto qua ratione graiceles id patiuntur, vt citius a calore humor insitus absumatur, quam carnosis eueniat, quia minori gaudent humoris illius quãtitate; propterea carnosi diutius durant in fame, quia copiosior humor diutius calorẽ in corpore detinet vitæ conseruatorem; citius enim paucus quã multus humor absumitur: & eo magis, quo non a calore natiuo solum consumitur humor, verũ etiã ab ambiente, caussisque multis alijs extrinsecis. Sin autem de pinguedine agamus, tum hac ratione illius vbertatem dicimus vitã in ieiunio prorogare; tum etiam quia & non cedens liquata in alimẽtum partium, quoquopacto retardare potest celerem cõsumptionem humidi radicalis calorem ab illo ad seipsam auocando; in gracilibus enim abstinẽtibus calor totus iugiter occupari dicitur in humidi substantifici exterminium, a quo nec alimẽtari, nec alia quauis humiditate auocatus, illud citius absumit, mortẽque animalis accelerat; sed in obæsis abstinentibus nõ ita statim totus calor innatus ad radicale humidum depascẽdum se se applicat, sed prius maxime occupatur in consumenda pinguedine, quæ vitæ non est absolute necessaria, vel saltem nõ ita, veluti est solidarum partium naturalis humiditas; natura enim semper aggreditur id, vnde minus pendet incommodum, quæ vbique id, quod melius est, facere contendit; atque hac ratione pinguedo impedimento est calori natiuo ne tam cito absumat humidum radicale, sine quo vita consistere nõ potest; qua ratione obseruatum est superius solam potantes aquam diutius vitam protrahere quã nihil omnino assumentes, vbi demonstratum fuit solo aquæ potu non posse nutriri. Sic igitur abstinentium ab omni cibo, potuque carnosiores diutius viuunt, quia pluri humore gaudent, qui ob solam vbertatẽ non adeo cito consumitur: pinguiores itidem longius vitam producunt, quia pinguedo distrahens ad se calorem prohibet ne totus ille incumbat in consumptionem humidi radicalis, ne ue humorem primigenium tam breui tempore depascatur.

Calor natiuus fame non intendi ostenditur, siccitate non acui, neque colliquatiuus esse in fanis. Cap. CLV.

QVod tertio cõtenditur in longa fame fieri colliquamẽta pinguedinis, partiumque, & roris partibus adhærentis, & agglutinati, eo quia calor innatus ob inediã consumptis humiditatibus in siccion subiecto intendatur, intensus autẽ ferociat, & quicquid obuiũ colliquet, multa quoque continet suspecta: Suspectũ primo est calorem inedia intendi; quũ enim calor sit qualitas corporea, proinde ad subiecti magnitudinẽ, ac molem intendi debet; quemadmodũ aperte colligis tũ ex Aristotele, tũ ex ratione iuncta cum experimẽto; nã calore natiuo duplici quũ polleamus, fixo nuncupato, qui consistit in temperamento solidarum partiũ humido primigenio nixus; & influenti vocato, qui a corde vna cũ sanguine spiritu fultus in vniuersum corpus illabitur; sane haud alia ratione iuuenes senibus calidiores esse certũ est, nisi quia plus habent cũ sanguinis, & spiritus; tũ etiam radicalis humoris; pueri vero calorẽ fixum maiorẽ virtute, moleque obtinuere, quia plus humidi primigenij retinent: iuuenes vero pueros superãt vicissim caloris influẽtis robore, ac vbertate, quos vincunt in abundãtia sanguinis, & spirituũ; quum ergo per inediã consumantur vtrique humores, fixus nimirũ, & influens, qui calor poterit exacui? Ad probationẽ, qua dicitur calorẽ siccitate intendi, ac proinde inediã consumendo humores corporis calorẽ acuere, duo dicimus; primũ est, duplicẽ esse calorẽ absolute, alterũ igneum, alterum vero vitalẽ; prior quidẽ siccitate acuitur, humiditate restinguitur; quippe ignea natura sine siccitate non est; calor autem vitalis ex aduerso humiditate intẽditur, siccitate marcescit; quando vita in humido ita consistit, vt sine ipso esse non possit, hoc ergo habet calor noster innatus, quia vitalis est, ad externi caloris, igneique discrimen, quod humore sibi proportionato intenditur. Quare inedia consumendo humores, corporaque nostra licciora reddens, potius calorem naturalem eneruat, quam acuat: Et quis non videt famelicos frigere, atque languescere? Secundo adinonemus in corpore nostro duas esse species humiditatũ, aliæ sunt humiditates excremẽtitiæ, atque inutiles, vt pituita, & serũ; aliæ vero sũt vtiles, vt sanguis, & humor implãtatus; porro quemadmodũ qui pollẽt multa pituita, & sanguine serosiore affluunt, hi calore sunt languido; ac viceuersa paucum serum, paucamque pituitam habentes, ceteris paribus, calore vigent; ita quæcunque pituitam, & serum

 consume-

consumere poterunt, intacto sanguine probo, & humido primigenio, ea calorem augere, vegetioremque reddere necessario valebunt; ceterum in abstinentia id non contingit, vt calore absumatur pituita, & serum, intacto sanguine alimentario, & humido radicali; sed e contra potius euenit vt, dú suppetit bonus sanguis, non adeat calor pituitam; vel saltem simul ac pituitam calor absumit, multo magis radicalem humorem, & sanguinem exterminet, quia pituita sui frigiditate, ac densitate calori magis obsistit; sic ergo per inediam non cõsumitur ea humiditas sola, vnde vis calori obtundebatur, sed magis etiam illa, vnde vigor eidem intendebatur: quocirca ieiunio non sortiuntur eã siccitatem abstinẽtes, qua calor natiuus efficiatur acutior. Suspicionem & illud incutit, si demus disputationi fame calorem exacui, quod mox afferitur, calorem scilicet ita intensum colliquare quicquid obuium, rores partibus inhærentes, pinguedines, membra solida; nanque ad horum colliquationem promouendam adeo æstuare calorem opus est, vt in febrilem transierit, atque in igneam naturam; sani etenim animalis calor mitis est, qui sensim agendo partes omnes lente consumit in halitus insensiles; at colliquatio munus est caloris celeritet, ac violentia quadam operantis, cuiusmodi sine febre non est, eaque acuta, vt præclare statuit cum Hippocrate Galenus: quum ergo abstinentes in sanitatis latitudine citra febrim vixerint; certum iam fit ijs ieiunio calorem adeo non accendi, vt eo exardẽte possint colliquari partes. Immo vero etiam demus calorem abstinentibus intendi; sane ijs ab initio abstinentiæ illum intendi verisimile est; tandem vero nulla ex alimentis ope accedente, ipsum ad assiduam humidi naturalis consumptionẽ iugiter fatiscere rationi cõsentaneum est; calor ergo colliquans vigebit solum prima, vel altera hebdomada ieiunij ad summum; eo autem paruo tempore tantam colliquationem fieri a calore vel igneo, & febrili, quæ sufficiat ad alimentum plurium mensium, & annorum, probabile non est; eandem vero per temporum interualla posterius colliquationem iterati calore sensim fatiscente, voluntarium est assertum.

In dia quæ humiditates cõsumantur in corpore.

Calor vi consumat corporis partes.

Colliquatio cuius caloris sit effectus, 7. aphor. 31.

In summa necessitate alimenti colliquamenta non confluere ad stomachum, velut ad cõmune promptuarium vniuersi alimenti. Cap. CLVI.

QVod insuper affertur, colliquamenta exortа, vt pote substantiam fluidam sortita, in maxima nutrimenti necessitate vrgente fame, in ventriculum, tanquam in communem totius alimenti condum confluere, quibus sub ratione alimoniæ diutius vita conseruetur, cui operi natura maxime studere cõsueuit; duo etiam habet, in quibus nos exerceri necesse est; atque illud in primis (dato interim fame colliquamenta fieri, eaque fluxilem substantiam sortiri) quo dicitur in summa nutrimenti necessitate ab vniuerso corpore colliquamenta in ventriculũ confluere; nam vere colliquamento nullus inest naturalis impetus ad stomachum; quare, nisi ab eo attrahatur, in ventriculum nõ confluet: at vero attrahit ad se stomachus alimentum dum se se contrahit; fugit enim solum corrugatus: verum plerunque accidit, quod peculiare est in nostris abstinentibus, vt in lõga inedia, & in maxima nutrimenti necessitate stomachus ad se non trahat, quia relaxatus, quia languidus, extincto fere natiuo eius calore; quia nimium etiã exsiccatus, & aridus, vt in abstinente consolentanea; quod aliquãdo notauit Hippocrates asserens in longa inedia ventriculum adeo exsiccari vt nihil amplius in se suscipiat; quare in abstinentibus nostris a toto corpore ad stomachũ non confluũt colliquamenta, & humores: Quod alia etiã ratio ne pateat; nam in summa nutrimenti necessitate ob maximam inediam æque alimento indigent ceteræ partes omnes, ac stomachus; quæ igitur maior est ratio vt omnibus membris trahentibus, totũ tamen colliquatum alimentum ad ventriculũ fluat, & nulla ex parte ad propinquiora mẽbra labatur? & eo magis, quod vrgente necessitate partes omnes ob inopiã puri aluntur impuro; id in malo habitu correptis, & hydrope certissimum esse constat. Deinde vero neque illud accipiendũ est absolute, ventriculum esse promptuariũ commune alimenti omnium mẽbrorum; siquidem nihilo magis condus est cõmunis alimoniæ stomachus quã bucca; si enim quicquid alendo corpori est, id omne in ventriculum primũ recipi, & ab eius calore in chylum verti necesse est; nihil minus quicquid in alimentũ corpori cedit, id ore prius assumptum fuisse opus est. Sed reuera commune alimenti promptuarium Medicis hepar est, Philosophis autem cor, tum quia sanguis, cuiusduo hæc viscera sunt fficinæ, alimentum est commune singulis corporis nostri particulis, etiam vẽtriculo, ex placitis viri doctissimi; tum quia chylus ad sanguinem collatus alimentum nõ est, sed futurum alimentum; nulla etenim pars chylo alitur, quum omnes alantur sanguine, vel ex placito viri preclari nõ vno in loco; & profecto eatenus alimenti ratione chylus subire potest, quatenus in sanguinem commutari valet: Si ergo cõmune alimenti promptuariũ non est proprie stomachus, sed cor, & hepar; quid opus est in maxima nutrimẽti necessitate, præsertim & vrgente appetitu, colliquamẽta, si quæ sunt in vniuerso corporis habitu, ad ventriculum confluere? non ne sufficeret, ac satius esset ea in cor, & hepar attrahi, & ibi commutata in sanguinem defæcatum ab omni sorde, inde rursum ad omnes partes effluere? ita enim haud minus satageret natura, sed expeditius consuleret conseruationi viuentis.

Natura maxime studet vitæ conseruationi.

Stomachus quomodo fugat & attrahat.

Cur in longa fame stomachus nõ trahat. Lib. 2. Prinrrhet.

Stomachus non est ... alimenti commune promptuarium ...

Commune alimenti promptuarium hepar & cor.

Chylus non est alimentum. 3. de ... cap. 7. 3. de ... cap. 5.

Quo sensu Aristoteli colliquamẽtum fiat vt alimentum inconcoctum, & an ventriculus sit locus alimenti inconcocti. Cap. CLVII.

QVod vlterius adijcitur ex Arist. alicubi scribente *colliquamentum fieri quemadmodũ alimentũ inconcoctũ*, adnectẽdo locũ incõcocti alimẽti esse ventriculũ, in quo prima coctio fit, recte intelligendũ est; nõ enim eo loci significat Aristoteles colliquamẽtũ aut esse alimentũ incõcoctũ, aut cõtineri in loco alimenti inconcocti; sed admonet

De som. cap. 4.

inter

Qui conueniāt colliquamentum, & alimentum inconcoctum.

Somnus vt ab alimento, & à colliquamento fiat.

Calor cum humido vapores attollit vbique.

Locum inconcocti alimenti non esse ventriculum.

Colliquamētis locus proprius.

Cap. 152.

Colliquamenta cur ad stomachum non ferantur.

Cap. 152.

inter alimentum inconcoctum, & colliquamentum intercedere illam conuenientiam, vt vtrumque sit caussa somni eadem ratione; quoniam quēadmodum vbi alimentum in stomacho nondum coctum fuerit, sed adhuc à calore coquitur, ex eo crudiusculo sursum in caput multi vapores attolluntur, qui somnum efficiunt; ita penitus colliquamentum est caussa somni, quia nimirum labore, ac vehementi exercitatione colliquamenta fiunt à calore ob motionem, agitationemque aucto, & vna e colliquamentis multi vapores ascendunt in caput somni procreatores; calor enim vbique in humidum agens vapores suscitat; propterea somnus æque post cibum, & post laborem colliquatiuum enascitur. Sed neque illud accipimus absolute, locum inconcocti alimenti esse ventriculum; quum enim tres præcipuæ coctiones obeantur; singulis non exacte perfectis, nutrimentum inconcoctum, cruditatesque locum habent non in ventriculo solum, sed in hepate, corde, venis, & partibus vniuersis, in quibus aliqua coctio administratur, vbi ea non fuerit completa, & omnibus numeris absoluta: sed colliquamentorum locus proprius est corporis habitus vniuersus, in quo gignitur, & uenosum genus, in quod attrahitur, uel quomodocunque regurgitat; ut superius ex Aristotele, ac Platone obseruauimus. Amplius & si demus disputationi colliquamentorum locum esse eundem cum loco alimenti inconcocti, & hunc esse ventriculū; haud tamen inde necessario colliget vir acutissimus colliquamenta confluere ad uentriculum cōcoquenda iterum in chylum; nam dicimus eo trudi uelut excrementa nutriendo inepta per aluum propellenda; qua de re fuse superius.

Quomodo Aristoteli diuturna fame laborantes colliquentur; & colliquamenta si ad locum cibo destinatum influxerint, pro cibo corpori applicentur: & Plutarchi placitū expenditur. Cap. CLVIII.

... sect. pro... bl. 9.

Colliquatio in fame vt fiat à calore languido.

Colliquamentum ob famem quid sit.

2. de gen. t. 50

3. phy. t. 67.

4. cæl. t. 55.

Calor, ...

Quod autem proponitur mox desumptum placitum ex eodem Aristotele aliquando admonente diuturna fame laborantes colliquari, haudquaquam fauet viro doctissimo; nanque Aristoteles ibi aperte docet eam colliquationem non cedere in alimentum corporis, sed cum vniuersi corporis tabe, ac macie concedere in tumorem pedum. Præterea vero non fit huiusmodi colliquatio à calore immodico fundente concreta, sed à calore fatiscente, ac languido, qui partium internum humorem sustinere non amplius valens, sinit ipsum à sicco, cui antea caloris opera in temperamento admiscebatur, disiungi, & proprio impetu, propriaue grauitate deorsum ad pedes effluere. Postea humiditas hæc aquea fere pars est corporis nostri ab alijs elementis disiuncta; quæ siquidem vigente calore, qui obtinet munus formæ in temperamento, atque ideo continente apud Aristotelem; quæ inquam vigente calore in vnam misti naturam coeunt elementa varia, illa eo languente dissoluuntur ab inuicem; at vero quum alimentum mistum esse oporteat, mistumque perfectum, ac simile naturæ nutriendi corporis; qui fieri poterit vt colliquamenta in fame diuturna ortum habentia cedant in alimentum abstinentis, quæ mista perfecta fere non sunt, sed pars aquea misti ab alijs elementis separata, & a calore non recta, vel ad summum mista imperfectissima, & à partibus nutriendis alienissima? Quod vero adducit vir acutissimus ex admirando præceptore, nimirum ex Aristotele alicubi asseuerante in fame à calore collecto, & concentrato materiam internam corporis colliquescere, quæ si ad locum cibo à natura destinatum influxerit, pro cibo seipsam corpori applicabit; plura continet difficilia; in primis aperte mentio, & speculatio instituta est Aristoteli eo in loco de fame vitiosa, quæ βούλιμος græce nuncupatur, & est cum intolerabili edendi cupiditate; quum tamen abstinentes nostri nullo prorsus comedendi desiderio teneantur, neque alio bulimi signo afficiantur ex multis, quæ accurate hoc in loco recenset Guastauinius; quod ergo bulimo correptorum proprium dicit esse Aristoteles, nimium gratis id commune abstinentibus nostris efficitur, qui bulimo non laborant. Deinde colliquationem hanc fieri monet Aristoteles vi caloris concentrati à frigore ambientis in hieme præsertim; quæ ratio locum habere nequit in abstinentibus nostris, quorum ieiunium extra frigus continentis, & hiemē, temperatis constitutionibus, & ardente Sirio quoque perdurat. Sed etiā materia illa interna corporis, quam a calore collecto statim colliquescere in bulimo scribit nunc Aristoteles, non est ipsamet partiū substantia, nec partibus adhærens vltimum alimentum, nec etiam pinguedo, vt supponitur; quoniam monet Aristoteles huic malo celeriter subueniri, paucisque adeo remedijs, vt esurientes illi, vbi parum sumpserint panis, citissime recreentur, quippe qui parum a naturæ ratione summoti aberrent; at quibus à calore colliquantur statim adhærentes iam membris humores, pinguedines ipsæ, partiumque solidarum substantia, quomodo hi solo calore concentrato statim colliquescent? quomodo ita colliquati parum à naturali statu abesse dicentur? quomodo vel exigui panis esu citissime recreabuntur? quare per huiusmodi materiam internam corporis, quæ a concentrato calore colliquescit, pituitam intelligimus intra corpus contentam, eamque fere concretam, quæ aucto calore facile colliquescere potest, & liquata fluere tum ad membra cibo destinata, ibique vlteriori coctione in alimentum verti; vt nuper apud Albertum obseruauimus; tum quoque ad membra respirationi deseruientia, & ibi vocem impedire, vt monet Aristoteles: ceterū supra fuse probauimus abstinentes nostros toto ieiunij tempore pituita non ali. Idem esto iudicium de Plutarchi placito; & nisi hoc ceu dogma famosum potius quam verum, ad explicandam Autoris mentem accommodatum exemplum potius, quam ad erudiendum lectoris intellectum veram sententiam existimemus: id alioquin probandū erat, quod gratis assumitur, in fame corpora cibo destituta contra naturam à seipsis alimentum petere, si de colliquamentis intelligendum est.

forma, continet.

Alimentū vt oporteat esse mistū.

3. de alim. cap. 58.

8 probl. 4. & 7.

Colliquescens materia in fame quid sit Aristoteli.

Qua ratione Hippocrati ventriculus vacuus dicatur frui corpore colliquescente; ac partibus colliquatis humor ad ventriculum defluat, si non alimur colliquamentis.
Cap. CLIX.

a demonstratis insit.

QVod postremum affertur ex Hippocrate, intime perspectus eius dogmatibus, nihil viro solertissimo suffragari videbitur; nam primo loco statuens ventriculum vacuum frui corpore colliquescente, non vult ille autor colliquatam pinguedinem, vel partium substantiam in ventriculum recurrere; sed humores ipsos suapte natura liquidos in venis per habitum corporis disseminatis cōtentos in stomachum vacuum refluere, qui prius à stomacho pleno in corpus vacuum influxerant; quod ex verbis Hippocratis aperte constat; » Primum, inquit, demonstrare volo quomodo bilis, & » sāguis, & hydrops, & pituita copiosiora, & paucio» ra fiant a cibis, & potibus hoc modo: Ventriculus » dum plenus est, omnium horum corpori fons est; » verum vbi vacuus est, corpore fruitur colliquescē» te: sunt autem & alij fontes quatuor, à quibus » vnusquisque horum humorum in corpus proce» dit, postquam sane ipsi a ventriculo acceperunt; » & hi fontes, caput, cor, lien, vesica fellis, vbi eua» cuantur, de corpore fruuntur: Hæc Hippocrates; quibus aperte agit de fluxu humorum a ventriculo ad corporis habitum, deque refluxu eorundem ab habitu corporis ad ventriculum, non autem de partium colliquamentis; quod enim scribitur ventriculum frui corpore colliquescente, interpretamur ventriculum accipere, attrahereque à corpore liquidam humorum massam, quam corpus intra venas continebat sub forma sanguinis; corpore ipso non demandante, sed eneruato, & languido; & proinde non retinente, nec attrahente id, cuius indiget; vbi enim ventriculus vacuus est, tunc fames vrget, ac priuatur corpus alimento; corpus autem alimento priuatum resoluitur, & colliquatur, f laccescitque; propterea que non attrahens ob virium imbecillitatē humores in venis propinquis, sinit eos ad ventriculum recurrere, vbi solum fames vrget, vigetque vis attrahens, in alijs partibus exoluta; quos humores si dicat quis iterum in chylum verti sanguinis speciem denuo recepturum, is plane statuet coctum recrudescere posse; mihi vero solum in stomachi alimentum conuerti eos probabile est, ac famem sedare; quod innuit Hippocrates inquiens ventriculum vacuum frui corpore colliquescente; fruitur enim tunc vere stomachus vacuus, atque famescens, quando alitur, & satiatur; quare per corpus colliquescens intelligit Hippocrates corpus languēs, atque f laccescēs, concidensque, citra fusionem, aut liquationem solidæ, consistentisque substantiæ in materiam fluxilem; quę sensu corpore liquescere in actu venereo suauissime cecinit Lucretius inquiens,

Melancholiā, bilem, hydropē, alibi a quā vocat Hippocrates. Ventriculus fons est omnium humorum corporis.

Ventriculus vi fruatur corpore colliquescente.

Coctum re crudescere non posse.

Corpus colliquescens quid sit Hippocrati.

Lib. 4.

» *Vsque adeo cupide Veneris cōpagibus hærent,*
» *Mēbra voluptatis dum vi labefacta liquescūt.*

nempe dum a membris liquida seminis materia effluit in venerem: Corpus itaque colliquescens est, quando eneruatum, & f laccidum cōciditin se se, sinitque à se f luere quid liquidum, ac præsertim quod attrahere, continereque pro sui alimento deberet: Idipsum nonnullis interpositis aperit Hippocrates in hanc sententiam, volo, inquit, melius » declarare quomodo vnusquisque horum humorū » in corpore paucior fiat; quatuor equidem humo» res esse demonstraui hominem lædentes; quatuor » item ipsorum fontes; quatuor quoque esse dico lo» cos, per quos homo de singulis his expurgatur; sunt » autem hi, os, nares, podex, vrinæ meatus: & vbi » humor aliquis aff ligens copiosior factus fuerit, si » his locis homo depurgetur, nullus ipsum morbus » ab illo premit; & si ventriculus plenus fuerit, li» quescente corpore ab humore, def luit ad ipsum, » & extra prodit per aliquem horum locorum; & » propterea humor paucior fit in corpore: corpus » enim, velut & antea dixi, ventriculo retribuit, vbi » vacuus fuerit; & fruitur de ipso, vbi plenus existit: » Quibus liquido constat Hippocrati bifariam de corpore ventriculum haurire, semper quidem humores, nunquam vero colliquamenta proposita Viro doctissimo; nimirum & quando vacuus existens fame stimulatur ad attrahendum humores, & quando plenus recipit à membris pellentibus humores noxios, seu excrementitios extra corpus egerendos; vtrobique autem ait ventriculum recipere à corpore liquescente, hoc est liquidam materiam de se emittente, vel eff luere permittente, vt explicauimus: quam si forte fortuna concoquere aggrediatur, & coctam denuo remittat in corpus; eam, si boni succi fuerit, corpus quidem alere, sed ad plures menses, & annos solam nutriendo corpori sufficere, probabile non est: sin autem mali succi fuerit, eandem corpori varios morbos afferre necesse est, ac ipsum dimouere ab area sanitatis, in qua nostri abstinentes viuere comperiuntur. Sed & in fine libri asserens Hippocrates quandoque corporis partes colliquari, & humorem ad ventriculum def luere, & ventrem cibum auersari, & valde adstringi, & post comestionem aff ligi, nihil fauet viro multiscio; nanque ibi loquitur vetustissimus autor de signo hydropis, cui colliquari statuit collum, clauiculas, & pectus; def luenteque humore ad stomachum, & ad partes alias in ventre infimo, totum corpus infra costas aqua repleri intumescere, cum cibi fastidio, & adstrictione alui, ob aquæ redundantiam extincta facultatis cum vtilium attractricis, tum etiam inutilium excretricis operatione; quæ omnia ieiunantibus nostris aduersantur; nullus enim illorum factus legitur hydropicus: immo vero abstinentem Confolentaneam habemus epigastrio vniuerso miris modis consumptam, non ita pectore, partibusque supernis extenuatam; alios toto corpore sensim æqualiter tabescentes, alios vix a pristino statu recedentes. Itaque non satis firmis argumentis nititur sententia viri clarissimi existimantis abstinentes ali posse colliquamentis de toto corpore confluentibus ad stomachum.

Ventriculum bifariam haurire humores de corpore.

Hydropis discrepant.

Decima opinio putantium abstinentes ali menstrui sanguinis portione ab vtero materno sibi recondita. Cap. CLX.

ILlud in arduis meditationibus frequentissimũ obseruare licet, vbi multa, quæ non plene satisfaciunt, à varijs proposita fuerint; noua quædam studiosos homines comminisci; quæ vt ex veterũ Sapientum principijs plerunque colliguntur; ita nulli antiquorum excogitata fuere; tale quid in proposito nostro contingit; nam Vir in medica facultate magni nominis quum nihil haberet ex alijs, in quo mentem firmare posset, ingenio diu multumque agitato, demum in eo se quieuisse mihi retulit amicissimus, quod existimaret fieri posse vt fetus aliquis, dum in vtero materno commoratur, multam portionem benigni menstrui sibi reconderet, qua extra vterum post multos annos ab ortu, citra vllius alterius alimenti vsum, in longum tempus enutriri valeat; qui enim sanguis in vtero nobis potui, ciboque fuit, cur idem natis extra vterum cibi, & potus nequeat item vices adimplere? Sed & seruari posse in corpore nostro sanguinem menstruum benignum post multos annos a natiuitate, inde manifestum fieri, quia Medicis nostratibus fere omnibus persuasum est ab Arabibus Variolas, & morbillos, quibus post ortum, ac plerunque longe ab ortu ætate prouectiores infestamur, non aliunde quam a prauo sanguine mẽstruo nobiscum ab aluo materna comportato efferuescente prodire; si ergo tanta copia menstrui sanguinis vitiosi per tot annos impune delitescere potest in corporibus nostris eruptura demum in pustulas crassissimas vniuersum corpus semel, & iterum non raro nobis occupantes; multo magis contingere potest vt maior benigni menstrui manus ex vtero in corpore fetus recondatur, & recondita diutius innoxie delitescat, statis temporibus aliquã do in alimentum corporis ab omni alio nutrimento abstinentis concessura. Ita ergo censuit vir egregius ieiunantes nostros diu viuere, quia menstruo sanguine benigno ab vtero matris asti luant, quo ad longum tempus nutriantur.

Arabibus Variolæ, & morbilli vnde nascantur.

Examinatur allata sententia demonstrando ieiunantibus alimentu non esse menstruum benignum ex vtero matris comportatum. Cap. CLXI.

INgeniosa quidem speculatio, sed quantum ego puto, cui multis nominibus non debeamus assentiri; ac primo, quia quum videamus pueros in vtero matris menstruo sanguine nutritos excrementa in intestinis coaceruare statim ab ortu egerenda, quin & in vtero degentes mingere; lotij nanque acrimonia nudæ vesicæ vim expultricem stimulat ad mictum; quum lenta & viscida fecũ materia non lacessat intestina multo fumine loricata: itaque si nostri abstinẽtes aluntur menstruo sanguine, cur nullum alui, aut vesicæ reddunt excrementum? Deinde quum pueros in vtero sanguine materno ali simul & augeri cognoscamus; qua ratione abstinentes nostri eodem alimenti genere vtentes in ætate augumenti non augentur? Immo vero cur abstinentium plerique intra se alimentum habentes optimum, & familiare, quo alãtur, & augeantur, nihilominus tum viribus, tum mole iugiter contabescunt? Ac speciatim puella Consolentanea cur imo ventre mirifice tabescebat, superioribus non adeo emaciatis? par est enim dum nutrimur, necessario secundum quamcũque partem aut augeri, aut minui, non secundum aliquas tantum; quod ex Aristotele sæpe collegimus. Deinceps autem qui fieri possit vt in corpusculo infantis enascentis tantum sanguinis materni recondatur, quantum ad nutriendum corpus in adolescentia, & iuuentute per spacium multorum mensium, & annorum necessario requiritur? certe vel si puerulus vterculi more totus repleatur sanguine, ad multos menses, & annos alimentum sufficiens iuuenili corpori non gestabit: non ergo mẽstruo sanguine aluntur abstinentes nostri. Demũ vbinam loci reconditur intra corpus pueri menstruus hic sanguis a natiuitate vsque ad iuuentutem ociosus, & intactus? quinam condus est illius in humano corpusculo? an in venis? sed intra venas quomodo non commiscetur cum illo, qui ex quotidianis alimentis exoritur in massa sanguinea? liquida enim eiusdem speciei, ac naturæ in eodem vase non commisceri probabile non est; ac potissimum vbi calor vigeat, cuius proprium est congregare homogenea: Sed commistis vtrisque in sanguinaria massa, quo delectu in nostris abstinentibus ab ortu ad iuuentutem, & vlterius per multos annos cedit in alimentum sanguis e nutrimentis quotidie genitus, seruato materno sanguine ad tempus ieiunij? Quinimmo vel vtrisque intra easdem venas seorsum contentis, ac si alter sanguis se haberet ad alterum, vt oleum ad vinum in eodem vase; qua ratione, amabo, partes toto pueritiæ tempore trahunt sibi sanguinem ex alimentis proprijs genitum, intacto materno? an ne trahunt alimentum partes cum aliqua cognitione? certe si alterum sine altero ad sui nutricationem trahere possent, oporteret potius, ac prius illas menstruum sanguinem, tanquam sibi magis familiarem in alimentum trahere; nam ex menstruo in vtero & primum constitutæ, & semper enutritæ, auctæque fuere partes vniuersæ. An dices recondi sanguinem hunc menstruum extra venas? quæso qua in parte corporis? certe nisi lateat inter carniũ meatus, & partium interstitia, in alijs locis diu seruari non potest tantus sanguis, quin putrescat, & tumores præter naturã, abscessusque procreet; quod ex Galeno est apertissimum, & experimentis quãplurimis cuique Medico compertissimum: At in carnium, & partium cauitatibus tantus sanguis contineri nequit (quocunque iudice) quanti opus est ad alendum corpus multis mensibus & annis: quinimmo qua ratione partes repletæ alimento, quod in se habent negligentes, toto tempore ieiunium præcedente alienum a venis iugiter attrahunt? non enim trahere possunt, præter vim morbi, nisi

Cur fetus in vtero mingat, aluum non fundat.

1. de gen. c. 35. 2. de an. t. 14.

Menstruus in venis non delitescere puero

Partes non trahunt, nisi indigentes, & exinanitæ

bi, nisi exinanitæ, ac indigentes; at quomodo refertissimæ quum sint benigno alimento, exinanitę dicentur, & indigæ? Quum itaque nostri abstinentes ab ortu tota pueritia, & plerunque vlterius consuetis alimentis externis vtantur salubrem vitam degentes, nulla iam ratione fieri posse videtur, vt in adeo longo ieiunio alantur menstruo benigno sibi ab vtero matris recondito, & in prouectam ætatem comportato.

Respondetur argumentis allata opinionis, demonstrando fetum in vtero non sitire; menstruum haud satis esse nutriendis adultis; nec sitim pellere.
Cap. CLXII.

RAtiones autem, quibus Vir egregius suam opinionem confirmare studet, mentem meã nunc in eius consensum captiuare nequeunt, in cuius obsequium voluntatem mihi dudum captiuarunt, quibus ille conspicuus est, candidi mores: Quod enim primo loco proponitur, sanguinem, qui nobis cibo, potuique fuit in vtero, eisdem iam natis extra vterum posse cibi, & potus vices adimplere; id plura continet exactius disquirenda; atque illud in primis, quod supponitur fetum in vtero sitire; nam humidissimum corpusculum intrinsecus, & humiditatibus vndique circundatum extrinsecus, intra vterum siti molestari, quæ est humidi appetitus, verisimile non est: ac si dandum est disputationi fetum in vtero sitire; sane menstruo illum sitim sibi lenire dandum non est; quando sitis est affectio potissima faucium, & oris; at sanguinem menstruum in vtero non ebibit fetus ore, sed per vmbilicum attrahit. Deinde licet solus menstruus sanguis fetui sufficeret primis diebus à conceptu, dum adhuc pusillum corpus habebat; attamen grandior factus eo, quod per vmbilicum trahere potest, alimento satis non habet; vnde præter sanguinem vmbilico, humiditates alias ore sugere cogitur; quod apertissime nos docuit Hippocrates haud solum libro de Principijs, quem locum fuse alias explicauimus; verum etiam in opere de natura pueri scribens *puellum in vtero vltimis mensibus à matre trahere ad se se quod dulcissimum est in sanguine simulque etiam lacte modice frui*, lactis nomine significans humiditatem illam, quam ore sugit infans in vtero, quia nihil vsu à lacte differat, & minimum substantia: nisi etiam e mammis interno ductu in vterum fluat lac ad alẽdum puerum; illud enim certum est prægnantibus mammas intumescere, non minus quam receptum sit Medicis vtero cum mammis summum inesse consensum: Nec ab re fuerit ex Hippocrate hoc in loco decernere vltimis mensibus puerum in vtero de mammis sugere, ac proinde mammas turgidas nihil extrinsecus emittere, quia quod assidue gignunt lac cæcis ductibus ad uterum deponant, orique puelli exsugendum iugiter exponant. Quod sane placitum hausisse a Democrito uidetur Hippocrates; ille nanque Plutarchi testimonio *cum Epicuro censuit fetum in vtero per os. ali; itaque statim atque natus est, ore ad mammam ferri; nam & in vtero esse vbera quædam, & oscula, quibus alatur*: quas rationes attulit, ijsque alias adiunxit Hippocrates, qui *Democritum* asserit *super omnia sapere, ab eoq; se sapientiorem factum, ac per se omnes homines tales fieri posse* scribit; inter alia vero propositum didicit de fetus alimento. Nec sane mirum sit fetum in vtero & vmbilicali vena veluti radice ad instar plantarum, & ore animalium more, duplicis generis alimentum sibi attrahere; quando spongiæ, vrticæque marinę Zoophytorum species tum radicibus de subiacente terra succum limosum, tum etiam ore prænatantes pisciculos sibi in alimentum attrahunt Aristotele, ac Plinio autore. Deinceps autem qua ratione quod nobis pusillis intra vterum clausis à materno corpore grandi continue cibis refecto sufficiens est alimentum ad nouem menses tantummodo, menstruum nobis extra vterum iam grandibus à pusillo corpore infantuli citra cibi, potionisque vsuram comportatum debeat sufficiens alimentum ad plures annos suppeditare, ego quidem non assequor: & eo magis, quo puer vmbilico incessanter sibi sanguinem ex materno corpore haurit; abstinentes autem nostri aliunde nihil assumunt toto ieiunij tempore. Amplius menstruo sanguine recondito ieiunantes sibi sitim non sedare sensus, & ratio doceat; ille quidem, quia videmus nonnullos ex abstinentibus absque cibi vsu aquam potare, vt Pedemontana, & aliæ puellæ; si ergo menstruo sitim sibi pellere valet, cur aquam bibit? ratio vero, quia ex Aristotele sitis est appetitus cum alimenti, tum etiam refrigerij calori æstuanti; sanguis quidem menstruus vt alimento esse potest, sic refrigerio esse non potest, quum sit sedes caloris; quomodo enim sanguis refrigeret, si nobis sanguis est vehiculum caloris? qua ergo sitis ab ardore nascitur, eatenus præsentia menstrui sanguinis benigni non pellitur, sed potius augetur.

Fetum in vtero non sitire.

Fetum in vtero non lenire sibi sitim menstruo.

Vide supra c. 131. in fine.

1. de ort. an. hum. cap. 44.
3. de ort. an. hum. cap. 2.
Locus Hippocratis illustratur.

An puer in vtero alatur lacte, et quomodo.

Cur mammę grauidarũ turgida lac non extramittant.

Lib. de plac. Phil. cap. 16

1. Epist. ad Damagetum

1. hist. 1. 4. hist. 6. 5. hist. 1. 16. & 18. hist. cap. 3. Lib. 9. c. 45.

2. de part. c. 6.

Sanguis [illegible] non refrigerat...

Variolis, & morbillis origo an sit ex menstruo sanguine ab vtero comportato, & quomodo.
Cap. CLXIII.

QVod autem posterius afferebatur, nos ex vtero nobiscum portare tantam menstrui sanguinis vitiosi copiam, quæ latens ad multos annos in corpore nostro demum nobis adultis, ac non raro senibus per vniuersam cutim erumpat in pustulas Variolarum crassiores, vt propterea multo potiori ratione ab vtero tantam benigni menstrui copiam nobiscum ferre valeamus, quæ similiter occulta in multos annos intra corpus innoxie moretur, ac demum adultis nobis longo ieiunio cedat in alimentum; nihilominus dissolui potest; omittam haud conuenire Medicis omnibus Variolas oriri e sanguine menstruo, nec fortasse rationi ex rei natura desumptæ; nanque Indi tum orientales, tum quoque occidentales ad hæc vsque tempora hoc morbi genere caruere omnes; ab Europæis enim primum ætate patrum nostrorum variolas recepere, quibus non æqua certe communicatione

Indi quondam primũ variolis infectiones...

none

Lues venerea ex India in Europam translata.

tione paullo antea dederant luem veneream; sed fortassis earum gentium mos est vt in mercibus, ita in morbis magna pro paruis rependere: at redeamus ad pensum: si ergo e menstruo sanguine variolarum exortus esset, plane ante nostrum commerciũ ex vtero matris Indi sibi hausissent huius morbi caussam. An Indarum sanguis purior extabat tot sæculis Europæarum mulierũ menstruo, vt nonnisi nostro commercio Indi Variolas contraherent? id certe non consentit naturæ indicæ luis, qua nos ab illis inquinati sumus; longe enim vitiosior est sanguis in lue venerea, quam in variolis correpto corpore. Sed gratia disputationis id & nos in præsentia vltro concedentes Auicennæ, Auerroi, & alijs Arabibus, eorumque doctrinam in proposito sectantibus, negamus doctissimo Viro sanguinem hunc menstruum, ex quo variolæ nasci dicuntur, in corpore nostro fluidum sub forma sanguinis contineri; aliamque menstrui substantiam variolarum procreatricem nobis inesse nullam existimamus, quam partes carneas, & parenchymata ex affusione sanguinis materni prima nostri constitutione in vtero efformata; nanque dum fetus in vtero degit primis quidem mensibus pusillus purissimum e matre sibi sanguinem haurit, dulcissimumque, vt admonet Hippocrates; at grandior factus quum purus sibi non sufficiat, cũ puro impurum quoque sanguinem attrahit, quo alatur; vt notat aliquando Galenus; impurus autem hic sanguis est, non suapte natura, sed ex accidenti; quippe cum vterus, insinuate vel Aristotele, veluti cloaca sit, in quam e toto corpore purgamenta pelluntur, non potest in eo contentus sanguis ab eorum colluuie non inquinari; pueri ergo membra sanguine hoc impura enutrita occultam in se retinent labem huiusmodi, quæ retunditur eius vis ab humiditatis vbertate, quæ illis temporibus in corpore maxime redundat; at vero postea exsiccato corpore, quod alijs citius, alijs autem tardius, pro naturarum varietate contingit, virus antea latens in carnium substantia contactu inficit humores, qui praua illa qualitate accensi febrem suscitant, & naturam irritant ad expulsionem; extrudi autem nequeunt humores eo tabo infecti ab vniuerso corpore commodius, quam ad cutim; ad eam vero pulsi variolas efficiunt, alias semel, alias bis, aut pluries in vita, prout vel facultas expultrix magis, minusue pollet, vel solidas partes magis, minusue infectas vnica vice, aut pluribus elui necesse est ab humoribus ad hoc vt prauam eam auram, & qualitatem tetram amittant; illud enim tunc patiuntur partes, quod Auenzoar appositissimo exemplo mõnet perpeti vasa mucida; hæc mala sua huiusmodi virulentia, & praua qualitate prædita sic vinum inficiunt, vt illud non nisi post multum temporis inquinare valeant, & ipsummet inquinatum in eis efferuescens ab illis omnem labẽ aufert: Ita ergo variolæ nascuntur adultis à praua quadam aura, & virulentia menstrui sanguinis in vtero impressa partibus solidis, quæcunque illo ibi nutriuntur, ac tandem ad instar veneni occultati, a partibus in humores translata, & cum humoribus ad cutem explosa; nõ autem à menstruo sanguine maligno sub forma sanguinis fluidi reseruato in corporibus nostris ab ortu in multos annos demum in variolas excernendi; vt afferebatur in argumento viri doctissimi, qui propterea nihil habet, quo demonstret nos ab vtero nobiscũ deferre posse tantam benigni menstrui copiam, eamque in corpore reconditam seruare in multos annos intactam, quanta satis est ad nos enutriendos, dum adulti, & prouectiori ætate diu viuimus abstinentes. Non ergo hac in re metam tetigit vir eximius putans ieiunantes nostros ali mẽstruo sanguine benigno sibi ab vtero matris recondito, & in prouectam ætatem comportato.

Menstruum, ex quo variolæ fiunt, non esse sanguinem fluidum.

Variolarũ origo ex menstruo vitioso. De nat. pueri.

Fetus vi puro, & impuro menstruo alitur. 1. de symp. caus. cap. 7. 10 hist. cap. 9.

Cur impuro sanguine a'ti pueri non statim laborent.

Variolarũ exitus, & eruptio.

Cur variolæ aliquibus repetant, aliquibus, non.

Vndecima opinio Brasauolæ, aliorumque putantium quod circunfertur de abstinentia plurium mensium, & annorum, fabulosum quid esse, atque fictitium. Cap. CLXIV.

POst hæc eorum placita, se se nobis offerunt expendenda, qui cum grauissimo Scriptore Brasauola arbitrantur famem hanc de hominibus diu multumque ab omni alimentorum genere abstinentibus passim euulgatam mendacem esse, ac falsam, vt quid longe à veritate alienum, ac fabulosum; omnesq; homines necessario vti alimentis extrinsecus assumptis: cui quidẽ sententię vel aperte suffragatur Plinius Scriptor, rerũ alioquin admirabilium, & figmento similium locupletissimus; hac tamen in re dirum mendacium exhortens magnam se inquit fabulositatem in Gnosio Epimenide accipere, quem fama est puerum æstu, & itinere fessum in specu septem, & quinquaginta dormisse annis, rerum faciem, mutationemque mirantem, velut postero experrectum die. Plinio liceat adiungere Aristotelem, & Aristotelis interpretem Simpliciũ afferentes fabulosum esse, quod vulgo dicitur de ijs, qui apud Heroas per multos annos dormiunt in Sardo; quum enim nouem filij, quos Hercules e Thestij filiabus genuerat, in Sardo mortui essent, ferebatur etiam vsque ad Aristotelis ætatem eos dormire, quia corporibus integris, minime putrefactis manebant quasi somno sopiti. Præterea veteres nihil prorsus de hoc argumento vsquam dixere, quod sane intactum non reliquissent, si fabulosum non existimassent. Sed & Plato fabellam in Phædro lepidam se offerre monet dum cicadas alimonia non indigere scribit, verum absque cibo, & potu quandiu vixerint, cantare. Lucretius etiam poetarum more fabulatur forte de Atomis inquiens

1. de rat. vi. in acut. com. 44.

Lib. 7. cap. 52.

4 phy. t. 97.

Lib. 5.

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Quum tamen his posset sine rebus vita manere,
Vt fama'st aliquas etiam nunc viuere gentes.

Immo Pogius Florentinus inter facetias ponit hiẽnalem abstinentiam viri, & duodecim annorum ieiunium puellę cuiusdam. Germanam mulierem triginta annorum inedia claruisse fabularum scriptor insignis testatus est Ioannes Boccacius. At vero huius opinionis fundamentum ex Aristotele tutissi-

tutissimũ illud elici posse videtur in libris, qui Parua naturalia inscribuntur, vbi sæpius inculcat Aristoteles primum quidem animalia hæc subcælestia viuere non posse vllo modo, nisi seruetur in eis calor naturalis, primigenius appellatus; hic enim calor vinculum est iungens animam corpori, & vitam custodiens; quod suauissime concinit Lucretius. *Lib. 3.*

Scilicet & nisi nos cibus aridus, & tener humor
Adiuuat: amisso iã corpore, vita quoque omnis
Omnibus e neruis, atque ossibus exoluatur.

Deinde vero ait Aristoteles calorem insitum in animalibus hisce nostratibus incolumem seruari non posse, nisi assidue refrigeretur; secus enim si caloris natiui æstus continenter aliquo refrigerio nõ temperetur, ab eo facile consumptum iri humidũ radicale, quo tanquam glutine calor ipse alligatus in corpore animantium sublunarium detinetur; humidoque radicali consumpto, statim calorem euolaturum ad æthera, quo propter insitam sibi leuitatem naturali propensione semper ascendere nititur; atque ita soluto eo vinculo, quo anima corpori nectebactur; vitam protinus defecturam: quẽ admodum ergo viuere nequeunt animalia hæc inferiora, nisi natiuus calor in eis conseruetur incolumis; ita calor innatus in viuentibus nostratibus incolumis haudquaquam seruari potest, nisi temperetur iugiter, ac refrigeretur, ne tam cito humidum radicale depascatur: At vero calor hic insitus in toto corpore viuentis non aliunde refrigerium, ac temperationem habere potest, quam ab alimentis, vt pulchre obseruat sapientissimus Marcellus; calor nanque influens est, qui & in corde; & in arterijs aere attracto per respirationem, & pulsum refrigerari solet: Necessario itaque colligendum videtur sublunarem vitam diutius absque alimentis consistere non posse; ac proinde voluntarium dogma esse, imaginariumque commentum, ac figmento simile Homines per aliquot menses, & annos ab omni alimento abstinere; Quod & aperte insinuauit Porphyrius dum exoptat hominibus id a Deo concessum, vt potuissent absque cibo penitus, & absque potu agere vitam. Hæc viri doctissimi quamplures vna cum vulgo hac in re proferre non dubitant, *2. de an. cap. 7.* *4. de abstin. ab esu carn.*

Expenditur allata opinio, monstrando quorum abstinentia diuturna verax fuerit, & quorum mendax, & fabulosa dici potuerit: qualeue sit alimentum. Cap. CLXV.

SEd plura sunt, quæ nos ab eorum placitis auocent; in primis quidem celeberrimorum autoritas virorum, a quibus tam clara, tam multa exempla retulimus superiore libro: deinde vero testimonium hominum integerrimæ fidei, qui quamplures dictorum abstinentium diuturnum ieiunium obseruauerunt, & se obseruasse litteris, ac voce confirmauerunt: deinceps autem diligentia, & exquisitissima custodia, & obseruatio huiusmodi ieiunantium facta per viros doctissimos, & solertissimos tum sponte sua, proprioque motu; tum quoque magnorum Principum iussu; vt his fidem pertinaciter negare illorum sit, de quibus lepidissime Lucretius ait quod

Ardua dum metuunt, amittunt vera viai. *lib. 1.*

Præterea vero diuturnam hanc hominum abstinẽtiam fabulosam nõ esse id optime cõprobat, quod nullus fere Poetarum, quorum in fabulis nectendis maxima consueuit esse libertas, tale quid vnquam inter fabulas posuisse videtur. Quod autẽ nunc de veritate longioris inediæ proferre audeo, id non eo sensu accipiendum esse velim, vt putes me credere nullum ex vulgatis, & a scriptoribus celebratis ieiunijs fabulosum, & fictitium esse; nam vt acriter contendo non omnia diuturnæ abstinentiæ antea notata exempla esse ficta, & fabulosa; ita lubens dabo volenti fabulosa esse, fictaque nonnulla: sic vel Aristoteles aliquando scribit fabulose dici aliquos apud Heroas in Sardo multos annos absque alimentorum vsu dormire: sic etiam Plinius magna fabulositate accipit famam de Gnosio Epimenide, qui sine alimonia quinquaginta septẽ annos dormisse traditur in specu: sic nobis veluti fabula sumendum est, quod a Platonicis affertur de hominibus in sublimi, ac pura illa terra viuentibus, cuius meminit in Phædone Plato, dum ait (referente Ficino) *indigenas illos absque nobis consuetis alimentis puro aere inspirato vitam ducere;* nam & ipse Plato dum huiusmodi terram describere aggreditur, se fabulam perpulchram narraturum pollicetur: sic alij contendunt fabulosum esse casum Eris Pamphilij a Platone relatũ sub apologi titulo; quamuis alij veram opinentur historiã; qua de re supra latius: sic inter fabulas conijcio ieiunium ab Ouidio decantatum non solum de Orpheo, quem secunda vice vxorem ab inferis petiturum *4. phys. 97.* *lib. 7. cap. 52.* *10. de re publ.*

Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arcuerat; septem tamen ille diebus
Squallidus in ripa Cereris sine munere sedit.
Cura, dolorque animi, lachrymæque alimenta fuere.

Verum etiam de Clytie, quæ
...... sub Ioue nocte, dieque
Sedit humo nuda, nudis incompta capillis.
Perque nouem luces expers vndæque, cibique
Rore mero, lachrimisque suis ieunia pauit.

sic purum est commentum quod ab Areosto de Rabicano equo proponitur ex vento & flamma genito, & aere puro enutrito: sic etiam figmentũ, fortassis est, quod Olimpiodorus attulit de Historia, qua se vidisse inquit Aristoteles hominem, qui aere tantum nutriebatur, & Sole; nam & in Aristotelicis operibus, quæ apud nos extant, scriptam non habemus talem narrationem; sique reuera eã legit in aliquo libro, qui olim sub Aristotelis nomine circunferretur Olimpiodorus, huiusmodi tractatum aut non esse genuinum Aristotelis, cuius opinio clara est in oppositum, vt antea explicauimus; aut in eo placitum hoc veluti fabulam enarrasse dicendum; reuera etenim figmentum est dicere hominem ali aere, ac Sole; quamuis enim homo aliquis ex eorum numero, qui diutius ab alimentis *De sen. & sen. cap. 4. 5.*

mentis abstinent ob caussas inferius afferendas, solis radijs gauderet maxime; haud tamen propterea quod cetera edulia renueret, dicendus erat radijs, aut calore solis enutritus, aut etiam aere solaribus radijs illustrato, & calefacto, quasi decocto, & ad instar alimenti ad ignem elaborato; quoniã calor pura qualitas est, atque accidens; homo autem corpoream naturam adeptus corporeo alimẽto nutriri debet, non simplici qualitate, nec omnino vllo accidente; siquidem theorema est Aristotelis ab omnibus in Physiologia receptum, vnumquodque viuens ex ijs tantummodo nutriri, ex quibus essentialiter coagmentatur; coagmentatur autem substantijs, atque corporibus, non meris accidentibus. Immo neque potis est qualitas vlla, vllumue accidens in substantiam conuerti; quum tamen altio, nutricatioue definiatur esse conuersio alimenti in substantiam nutriti; nihil ergo accidentibus ali potest. Amplius alimentum quatenus alimentum est, substantiam esse, non autem accidens perspicuis verbis nos docuit Aristoteles dum inquit alimenti munus esse conseruare substantiã viuentium, eo quia & ipsum alimentum substantia est, & hoc aliquid. Consimiliter de lumine, siue de radijs solaribus afferendum est; sunt enim radij qualitates quædam, & lumen reuera nihil est aliud quam species visibilis, & imago lucis à qua proficiscitur; hanc etenim imaginem appellant Physiologi speciem visibilem; omnis autem species sensibilis in coordinationibus accidentium reponitur: at vero materialem hominem nutriri specie visibili, quæ Aristoteli statuenti sensum receptiuum esse specierum sine materia, immaterialis est, dogma est mere voluntarium. Vlterius alimentum apud Aristotelem corpus est, quum sit substantia quanta; non enim potest inesse quantitas nisi in substantia corporea (de quãtitate loquimur continua; discretam nanque in substantijs etiam immaterialibus agnoscimus; quum ex Aristotele didicerimus incorporeas, diuinasque mentes numerari multas) at vero lumen Aristoteli corpus nõ est; eo igitur tanquam alimento nullus vnquam hominum nutriri poterit; siquidem & nuticatio est conuersio alimenti in substantiam corporis nutriendi; & noncorpus, siue incorporeum in naturam corporis transmutari nequit: figmentum est itaque posse hominem sole, siue Solis lumine nutriri; vt satis constet hoc non protulisse vnquam Aristotelem ex mente propria. Quod autem falsum sit etiam homines ali posse aere vllo modo, & fuse demonstratum est in superioribus, & modo apertum esse poterit vel ex ipso Plinio, qui vbi admonuerit se in plerisque dicendorum non obstringere fidem suam, potiusque nos ad autores, qui de dubijs rogentur omnibus, relegaturum; modo ne sit fastidio Græcos sequi, vt pote in historijs audaciores; satis indicat se dubitare de fabulositate narrandorum, inter quæ valde portentosum illud ex Megasthene, vel Strabone refert, Ad extremos fines Indiæ ab oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hyrtam vestiri frondium lanugine, halitu tãtum viuẽtem, & odore, quem naribus trahant: nullum illis cibum, nullumque potum; tantum radicum, florumque varios odores & syluestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus; grauiore paullo odore haud difficulter exanimari; alioquin si contendas hæc à Plinio dici ex propria sententia, præterea quod maiorem in eo constantiam desiderabis, qui alibi postea fatetur solum Chamæleonem inter animalia nostratia nec cibo, nec potu ali, nec alio quam aeris alimento vti; proxime nãque accedit odor ad aeris naturam; euidens figmẽtum inesse comprobatur ex historiographis nostratibus, & nautis, qui quum magis quam veteres Indiæ partes omnes, & remotissima quæque loca perlustrauerint, earumque regionum admirabilia curiose satis, & diligenter litteris commendauerint, de huiusmodi Astomorum gente ne verbum quidem. Sed & Astomorum etiam Strabo ex Onesicrito mentionem facit, tanquam rei fabulosæ, aperte tique mendacij, vt obseruasse: Rhodiginum legimus. Ceterum quamuis & Astomorum populos, & hominem Olimpiodori, & gentem noui orbis Platonici, & equum Argaliæ, & Gnosium Epimenidem, & dormientes in Sardo apud Heroas diu viuere, aut vixisse citra communium alimentorum vsum ob allatas dudum rationes demus esse quid fabulosum, & fictitium; haud tamen ideo concedemus nullum hominem diu sine alimentis viuere posse, ac fabulosas, & commentitias esse omnes antea commemoratas abstinentium historias; Verum hac in re cum egregio philosopho notamus vulgaribus opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu noua, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videntur; quæ si paullo accuratius homo explorare voluerit, non modo cõpertu euidentia, verum etiam factu facilia sentiet, quod suauissime tetigit etiam Lucretij doctissima Musa,

Sed neque tam facilis res vlla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet; itemque
Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim: vt cæli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunaque, & Solis praeclara luce nitorem:
Omnia quæ nunc si primum mortalibus adsint,
Ex improuiso ceu sint obiecta repente:
Quid magis his rebus poterat mirabile dici?
Aut minus ante quid auderent fore credere gentes?
Nulli (vt opinor) ita hæc species miranda fuisset,
Quam tibi. iam nemo fessus satiate videndi
Suspicere in cæli dignatur lucida templa.
Desine quapropter nouitate exterritus ipsa
Expuere ex animo rationem; sed magis acri
Iudicio perpende: &, si tibi vera videtur,
Dede manus; aut, si falsa est, accingere contra.

Lib. 3. — *Homo quo alimento nutriri debeat.* — *2. de gen. t. 50.* — *Ex ijs alimur, ex quibus constamus essentialiter viuentia, ex quibus coagmentamur.* — *Cur accidentibus ali nequeamus.* — *2. de an. t. 47.* — *Alimentũ substantia est, & hoc aliquid.* — *Radij sunt qualitates, lumen quid sit re vera.* — *Species sensibiles esse accidentia.* — *2. de an. t. 121.* — *3. de an. t. 7.* — *Quantitas continua non inest nisi substantiæ corporeæ.* — *12. meta. t. 43.* — *2. de an. t. 69.* — *Lumen nõ est corpus cap. 7. & sequent.* — *Non ali aere.* — *Lib. 7. c. 2.* — *Lib. 7. c. 2.* — *Astomorũ gens.* — *Lib. 8. cap. 33.* — *Lib. 15.* — *Lib. 24. cap. 21.* — *Apule. 1. Metamorph.* — *Vulgus oua putat mendacia.* — *Lib. 2.*

Soluuntur argumenta proscissa opinionis ducta ex autoritate veterum, & iuniorum.

Cap. CLXVI.

LVcretio Aristotelem dare hac in re socium decreueram, qui alicubi monet id plerunque contingere vt quum nulla rationabilis caussa videtur, per quam fieri possit, tollatur fides; & putet quis impossibile esse, cuius causam non videt; sed ad se se me trahunt rationes allatæ pro viri doctissimi sententia: Quod enim primo afferebatur ex Plinio de Gnosio Epimenide; ac deinde ex Aristotele, Simplicioque de dormientibus in Sardo, & si demus esse fabulosum, quia huius commenti autores id tanquam apologum referunt; inde tamē haud colliget vir eximius abstinentium aliorum ieiunium figmentum esse; nam probatissimi scriptores id verum esse testantur, & plurimi oculata fide testantur; vt innotuit supra ex historijs. Quod mox affertur veteres de hoc argumento nō tractauisse, verum quidem est; attamen ideo non fiet quominus verum sit argumentum; multa enim sunt alia vera theoremata, de quibus antiqui nihil scripsere; ac nisi quis rationibus de proposito dudum allatis acquieuerit, nimirum veteres hanc speculationem non aggressos fuisse aut ob negocij difficultatem, aut alijs frequentioribus insudantes, aut quia hoc apotelesma nouiter contingerit antiquis penitus ignotum, vt de morbis plerisque constat Platoni, Plinio, & Cornelio Celso; dicemus cum Aristotele peccatum seniorum nobis imponere non posse, absurdumque fuisse siue hoc non putauerunt esse, siue putantes hoc ieiunium dari, omiserunt eius considerationem. Quod subinde adducitur ex Platone de cicadis, in eo accipimus quidem fabulā esse cicadas antea homines fuisse, qui Musarum cantu deliniti cibum, & potum negligentes interierint, atque à musis in cicadas conuersi fuerint; quæ sine cibo, potuque canentes semper durent ab ortu ad interitum; sed tamen cicadas diu sine cibo, potuque viuere monuit Aristoteles, & ratio; quia rore ali dicuntur, quem tota æstate non pluit, quo tempore maxime vigent cicadæ: verum hac de re fusè superius. Quod præterea ex Lucretio affertur de gentibus sine Cereris frugibus, & Bacchi liquore viuentibus, id non de Astomis Plinij est interpretandum, sed de barbaris, & feris illis nationibus, quæ piscibus, herbis, & venatu viuunt in terra inhospita, nec fruges, nec vinum agnoscentes; neque enim consueuit Lucretius poetarum more fabulas texere, sed vera, & arcana opera naturæ, carminibus exarare profitetur, vt olim Empedocles; cui vel Aristotelis testimonio poetæ ratio non competit, quæ in fabula, & imitatione potissimū consistit, nō in metris. Quod postea ex Pogio Florentino proponitur, à Iouberto soluitur, nempe inter elegantes quidem suas facetias, sed hoc tanquam serium posuisse ieiunium hominis, quem sibi Pogius innotuisse admonet anno sexto Pontificatus Nicolai Papæ V. quæ cōditiones fabulam procul arcent ab hac abstinētia. Quod vlterius ex Boccacio profertur, nobis facile diluitur, nam vt hoc in operibus fabularum non legitur, ieiunium a Boccacio relatum de muliere Germanica triginta totos annos abstinente; ita non euincat vir egregius esse fabulosum ex autore, qui præter fabulas, multa quoque seria scripsit, quorum hoc est vnum.

Lib. de diuin. per somnium cap. 1.
Fides quando tollatur
Lib. 7 cap. 52.
4. phy. t. 97.
Lib. 1.
In præfat.
3. de Rep.
Lib. 26. cap. 1.
Lib. 1. in præf.
2 phy. t. 42. 43.
A de part. cap. 5.
Cap. 46. 86. et 150
Vide infra cap. 184.
Poetic. c. 1 & 7.

Calorem insitum non refrigerari alimentis intrinsecus assumptis. *Cap. CLXVII.*

QVod autem deinceps proponitur ex Aristotele non vno in loco; Animalia hæc nostratia viuere non posse, nisi eorum calor insitus, quem primigenium appellamus, seruetur incolumis; hoc autem non fieri nisi calor idem assidue refrigeretur; ipsum vero non aliter quam alimentorum vsu refrigerari; quæ ideo vitas hominum, & aliorum viuentium subcælestium sunt penitus necessaria; hoc inquam argumentum partim veritati, & Aristoteli consentaneum, & partim est ab vtrisque dissentaneum: Verum est etenim, & Aristoteleum dogma, tum ad animalium subcælestium vitam conseruandam calorem innatū seruari oportere; tum etiam calorem insitum incolumē haud seruari, nisi refrigeretur assidue, ac temperetur illius æstus: at vero falsum est omnino, atque ab Aristotelis doctrina longe alienum, calorem natiuum in animalibus, quem fixum, & implantatum appellamus, refrigerari alimento per nutricationem, succedente (quod aiunt) in locum eius, quod a calore consumptum fuit; non autem ab ambiente per pulsum, & respirationem, aut quomodocunque aliter aere intus attracto: In primis enim vel ex Aristotele certum cuique est animalia cuncta hic apud nos ali sanguine, vel eo, quod sanguini proportione respondet; sed sanguis est & ipsi Aristoteli a prædominio calidus; id quod etiam inde satis constare potest, nam quibus maior inest copia sanguinis (siue quartum humorem, siue totam sanguineam massam accipias) ij ceteris robustiores, ac proinde caliores existunt; virium enim robus, viresque ipsæ absolute spiritibus fundantur, qui calidissimi sunt; Quapropter Aristoteles alicubi scriptum reliquit animalia omnia euidenter habere spiritum connatum, & ab illo robur accipere; spiritus autem est sanguinis portio purior; atque tenuior; & ideo viri, quippe qui magis abundent sanguine quam mulieres (angustiora nāque, ac exiliora sanguinis vasa obtinuere feminæ; ampliora vero, ac tumidiora masculi) sunt feminis absolute calidiores, & robustiores, quod ait Aristoteles; atque inter masculos athletæ ob maximam sanguinis copiam ceteris hominibus pari ratione sunt robustiores, & calidiores: At vero calor vbique solet frigidis rebus tēperari, & refrigerari (nisi forte per accidens aliter contingat in antiperistasi nuncupata, & in euocatione a simili qualitate validiori ambientis) calidis ex aduerso acui, & augeri. Non ergo verum est quod asserunt viri doctissimi, calorem scilicet innatum in nostris animalibus refrigerari, ac temperari alimento, quum id sit suapte natura calidum. Deinde quum illud apertissimum

Calor si refrigerari alimento.
Vide lib. 4 cap. 16 & seq.
De iuu. & vit. cap. 4.
Alimentū sūccessiū animalibus quod sit & pollet a lib. cap. 5.
Sanguis ipsa vita dominio calidum.
Viribus animantium spiritus, spiritus se calidissimus.
De mot. an. cap.
Spiritus quid.
Viri et magis abundent sanguine quam mulieres
4. probl. 2. & 29.
Viri calidiores, & robustiores feminis.
1. probl. 9. & 5 hist. c.
Calor quibus temperatur.

His fieri sanguinis motum corpus refrigerari.

tissimum fit in quacunque sanguinis effusione (siue sponte à natura fiat, siue ab alia quauis caussa) totum corpus refrigerari, & calorem non modo febrilem, ac præter naturam (vbi febris adsit, vel quilibet alius præternaturalis affectus caliditate peccans) sed etiam natiuum vbique imminui, & hebetari; si oppositorum opposita est ratio in omnibus, proculdubio alimentis, vt quæ nouum sanguinem corpori adiungunt, præexistentisque in corpore molem adaugent, calor innatus augeri necessario debet, & acui, non refrigerari, ac temperari. Præterea si caloris natiui æstus alimentis temperaretur, eiusque vis cibo hebetaretur in omnibus; profecto inter homines pueris adolescentes, adolescentibus vero iuuenes, quibus inest calor acrior, magisque igneus, atque ideo faciliori negocio absumens humidum sibi subiectum, proindeque maioris indigens refrigerij, indigerent inquam iuuenes pluribus, & crebrioribus alimentis, minusque inediam tolerare possent; pueri vero, qui calorem natiuum obtinent mitiorem, & hebetem magis, minusque consumentem humidum substantificum, atque ideo minoris indigum refrigerij, minori sane alimentorum copia indigerent, faciliusque ieiunium tolerare valerent; calor etenim hebes, ac mitis facile à quacunque vel leui caussa refrigeratur; acris autem difficulter, & non nisi à præponenti caussa: verum ex Hippocrate pueri vicissim copiosiore indigent alimento, & crebriore, minusque ieiunium tolerant quam adolescentes, & ij quam iuuenes: Non ergo reuera temperatur in nobis calor innatus ab assumpto alimento per nutricationem. Amplius quum febris, & omnino calor præter naturam in nobis nihil sit aliud reipsa quam calor natiuus conuersus in igneum, seu etiam excedens limitem, & gradum conuenientem habitui sano; proculdubio ab ijsdem temperabitur, & augebitur calor innatus, à quibus temperari, & augeri consueuit calor febrilis, ac præter naturam; quum itaque tota Medicorum schola decernente febrilis, ac nonnaturalis calor alimentis haudquaquam refrigeretur, sed potius exacuatur; nam a morbo calidiori non cibus, sed inedia semper indicatur, qua semper curarētur ægroti, nisi virium infirmitas obstaret alimenta requirens; rationi porro consentaneum est calorem etiam innatum non temperari, sed exacui, & alimentis gliscere. Quod vero deinceps afferebatur, calorem insitum in toto corpore non aliunde quam ab alimento refrigerium habere, sicuti calor influens refrigeratur pulsu, ac respiratione, non est omnino veritati consentaneum; verum quidem est aere intenus attracto per pulsum, & respirationem refrigerari calorem influentem; sed simul etiam eodem aere insitum calorem non posse temperari, verum non est; siquidem aer frigidus necessario refrigerat calorem omnem cuicunque approximetur; sed certo constat aerem frigidum per inspirationem appropinquari, ac tangere pulmonum, & Cordis substantiam, per pulsum vero totum corporis habitum arterijs intertextum; quare asserendum est

Cap. 13. 14.

...bris ...od fit.

Quare, & ...à mor... non in... dicatur el... bus, sed i... dia.

...re ...o refrige... ...ri calo... ...um ...

calorem insitum cordis, pulmonum, & aliarum quarumcunque partium in nobis temperari acre frigido, & per tracheam respirationis opere inspirato, & per leues arterias in vniuersum corpus discurrentes pulsus opera intus attracto. Ceterum quæ dicta sunt omnia vera esse apertissime testatur Aristoteles, calorem scilicet innatum in animalibus refrigerari non posse alimento, sed vel aere tum ambiente forinsecus, tum inspirato intrinsecus; vel etiam aqua; in primis enim reprehendit eos, qui calorem naturalem nutriri, & augeri aere inspirato arbitrabantur, non solum quia sic oporteret omnia viuentia, quibus inest calor innatus, respirare; quod longe a veritate abest; verum etiam quia certum est calorem innatum in animalibus nutriri, aut potius refici, atque augeri alimentis, non aere, nec vicissim alimento refrigerari, & hebetari. Deinde inferius affert Aristoteles duas corruptionis species, quibus obnoxius est ipse calor, extinctionem scilicet, atque marcorem; quarum extinctio species est atoma, & fit à contraria qualitate; quamobrem calor extingui proprie non potest nisi à validiori frigiditate: Marcor autem fit vbique ob excessum caloris externi vel ex se absumentis humidum, quo detinetur calor innatus; quæ vna est species marcoris, quam vocant cum defectu pabuli; vel etiam suffocantis calorem ipsum natiuum, prohibendo ne ab externo frigore mitiori vlla ex parte refrigeretur, quæ altera est marcoris species ab Aristotele nomine suffocationis appellata; hæc autem fit ob multitudinem materiei calidę ambientis, ac suffocantis calorem insitum, propriumque, non quidem ob refrigerationem, velut extinctio; inquit enim Aristoteles eo in loco citatis verbis, Corruptio caloris natiui est extinctio, & marcor; extinctio quidem quæ à contrarijs; quapropter & subito a continentis frigiditate, & celerius adhuc extinguitur distractus. Hæc igitur corruptio violenta similiter in inanimatis, & animatis est; etenim quibusdam organis diuiso animali, & congelato calore propter frigoris excellentiam, moriuntur: Marcor autem propter multitudinem caliditatis; etenim si excedat quod in circuitu calidum, & alimentum non accipiat, corrumpitur quod ignitum, non infrigidatum, se marcorem passum: & paullo infra in alio capite aliam marcoris speciem subdit inquiens, Marcoris enim, quæ propter non refrigerationem, corruptio vocatur suffocatio, & fit corrupta suffocari dicimus & reliqua. Quum ergo mors, quæ athletis accidit ex nimia sanguinis copia, ea fit marcoris species, quæ suffocatio nuncupatur; quumque nullus marcor fit caloris insiti corruptio à frigiditate, sed omnis marcor sit natiui caloris corruptio ab externo, & ambiente calore vel consumente humidum, cui fixus calor alligatur, vel etiam intercipiente refrigerium naturali calori, quæ altera est marcoris species, quam suffocationem appellamus; profecto quicunque nimia sanguinis copia suffocati moriuntur, ij ab exundante calore ambiente, ac suffocante primigenium intereunt, non ab excellenti fri-

Lib. de Resp. passim.

Calor innatus quo refrigeretur Arist.

Quo alatur, & reficiatur calor.

Cap 10. & 11.

Calor obnoxius est duplici corruptioni.

Extinctio caloris à quo fiat.

Marcor caloris quomodo fiat.

Marcoris duæ species.

Suffocatio vt sit marcoris species, & quomodo fiat.

Mors athletarum suffocatio.

gore illum eundem corrumpente, ac extinguente; quod sane verum esse non posset, si alimentum, & sanguis calorem insitum refrigeraret, ac hebetaret, non potius adaugeret, acueretque; siquidem non alia ratione calor suffocatus corrumpitur, nisi quia vndique septus, ac circumuentus a materia calida nequit vlla ex parte refrigerium fortiri, quo hebetetur eius acrimonia; quamobrem viribus non refractus, sed integer, immo valde roboratus ab ambiente calore, cito humidum illum absumit, cui est alligatus; eoque consumpto, atque ita soluto glutine, quo in regione hac inferna vi detinebatur, ilico sponte ob insitam sibi leuitatem euolat ad æthera; & proinde sublatus in auras repente incidit plerunque in validiorem ambientis frigiditatem sibi contrariam, à qua extinguitur; quare hoc ipso calore animans destitutum morti statim cedere cogitur, dissoluto vinculo, quo eius anima corpori nectebatur; in quo quidem nexu vitæ suæ ratio constituta erat. Sed hęc alibi fusius a nobis pertractata fuere. Præterea idem Aristoteles paullo post fusissima oratione demonstrat calorem in animalibus insectis, & sanguinis expertibus, quibus calorem fixum inesse admonet alibi, non influentem, refrigerari ab aere ambiente forinsecus; in sanguineis vero pulmonem habentibus ab aere inspirato intrinsecus; at in piscibus pulmone carentibus ab aqua per branchias interius attracta; neque vllam penitus de alimento ad hunc vsum mentionem facit illis in locis; cuius tamen adeo præclari dogmatis meminisse oporteret solertissimum Naturæ internuncium: Immo potius ibi obseruat Aristoteles eorum piscium genera, quibus pulmones insunt, cuiusmodi sunt balenæ, delphini, & aliæ grandium ceterorum species, calorem sibi refrigerare inspirato aere, non hausta aqua; & icci: co branchijs carere; sed aquam, quæ ne detur vacuum, & ex necessitate materiæ fluxilis per os ipsorum vna cum cibis in ventrem labitur, statim foras emittere per fistulam, nec ea vllo pacto vti ad refrigeniū, quia (inquit Aristoteles) vna refrigeratio sufficiēs est omnibus; quare quoniam frustra nihil videmus facientem naturam, duobus autem existentibus, alterum vtique esset frustra; propter hoc hæc quidem habent branchias, illa vero pulmonem, ambo autem nullum: Quum igitur Aristotelis testimonio natura, ne in superuacaneis frustra redundet, refrigerio caloris innati singulorum viuentiū subcælestium vnica re solummodo consulat, nempe aut aere vel extrinsecus tantum ambiente, vel etiam intrinsecus ope respirationis attracto; aut aqua superfluū erit certe Peripatetico. Naturā alimentis quoque vti ad caloris æstum temperandū in viuentibus hisce nostratibus, ac præcipue in homine, qui refrigerium sumit ab aere tum extrinsecus ambiente, tum intrinsecus attracto non solum ministerio pulsus per capillarium arteriarum in vniuersum corporis ambitum terminatarum furda ostiola; verum etiam beneficio respirationis per patentia foramina oris, & narium in amplum trachea meatum ad pulmones, & cor euidentem adi

Calor quo modo per suffocationem corrūpatur.

Vita ratio in quo sita.

Lib. de vita.

De respir. cap. 15. 12. 13.

Lib. de vi. & mort.

Insecta, et sanguinis experlia carere calore influente.

1u. probl. vlt.

Animalibus quomodo refrigeretur calor internus.

Pisces, qui pulmones habeant.

Vna refrigeratio vt sit omnibus sufficiens.

Cur nullus piscis habeat simul branchias, & pulmones.

tum recludentia. His adijciendum est Aristotelem apertissime docere loco citato alimentum in animalibus ahj vsui esse, quam ad refrigerium caloris naturalis, dum ait, *Quoniam autem ad ipsum quidem esse alimento indiget animalium vnumquodque; ad salutem autem refrigeratione*; & quæ sequuntur; esse etenim animalis, & eius calorem refrigerari, idem non est; quamuis & illud absolute verum non sit, omne animal indigere alimento ad esse simpliciter; neque tale quid absolute velit Aristotelem in proposita sententia, infra suo loco manifestum fiet. Non est ergo alimentum viuentibus subcælestibus à natura datum, vt eo ipsorum calor insitus temperaretur. Quod autem in oppositum ex acutissimo Marcello adducitur, nil facit viris sapientibus, quia solas plantas alimento refrigerari Marcellus ait ad animalium discrimen, quæ vel à loci frigiditate, vel ab aere, aquaue intus attracta refrigerium sortiri statuit: licet nos cum Aristotele negemus plantas alimento refrigerari; qua de re infra commodiori loco. Quod postremum ex Porphyrio proponitur exoptante homines posse sine cibo, & potu vitam traducere, ideo tollitur, quia Porphyrius id exoptabat sibi, & vniuerso generi humano, quod sibi, & cunctis hominibus non inerat; verum inde non colligas idipsum plerisque alijs non extitisse, vt diu sine cibo, potuque vixerint, pro quibus non precabatur Porphyrius. His ergo liquido constare potest non esse omnino falsum, & fabulosum posse homines aliquos diu vitam traducere sine alimentorum vsu.

De respir. cap. 11.

Cap. 170.

2. de an. cap. 7.

Lib. 1. cap. 56 & sequ.

De abstinentia ab esu an.

Duodecima opinio Harueti, & aliorum existimantium præfatos homines fraudolenter abstinentiam simulasse.

Cap. CLXVIII.

Plerique autem alij cordati viri, quos inter Haruetus Medicus insignis, quum aliquos prædictorum cibis non vtentium viderint, & obseruauerint; atque aliorum exempla probis, ac fidedignis testimonijs obfirmata sæpius audiuerint; non esse quid penitus fabulosum, quod circumfertur de huiusmodi longiore ieiunio, existimarunt; sed tamen in eo aliquid subesse fraudis opinati putarunt præfatos homines astu ob inanis gloriæ libidinem, auræque popularis cupidinem, aut quapiam consimili alia de caussa dolose tam longam abstinentiam simulasse, in tali portento aut vitæ suæ prauitatem occultare, aut falsam coram hominibus sanctimoniam profiteri, aut vtrumque studentes admoliri; Quæ quidem opinio suis non caret argumentis, quibus cum magna vulgi manu ostendere conantur viri celebrati nominis diuturnum istud ieiunium & cum fraude simulari ab improbis, & physice non dari a Philosophiæ primatibus: Primum quidem conuincere se sperant argumento quorundam, qui diligenter obseruati dolose ieiunium mentiri comperti fuere; vnus horum pridem extitit Antonius quidam Picen-

Picentius, qui tempore Alphonsi Regis inuulgans se integro quadragenario ieiunasse, & cum Angelis loquutum fuisse, tandem fraude sua detecta, famam sanctimoniæ in Europa iam acquisitam amisit: hunc asserunt alij ex l. Iouiniani Pontani lib. 2. de sermone quendam fuisse anonymum, qui abstinentiam ostentans a custodibus compertus est victitare candelis ex gallinarum pectoribus minutissime contusis saccaro, & cinnamomi puluere in massam redactis consistentem, ex qua candelæ fierent superficietenus vndique sæuo illitæ, quas ipse ad nocturnas tenebras pellendas flagitabat. Secundus vero fuit Sabaudicus quidam vitam Eremiticam ostentans: Tertio numeratur loco Anna quædam meretrix, quæ virginitatem, & sanctimonium insimulata dolo malo abstinentia ab omni ciborum genere, & inmentita perpetua vigilia subdole profitebatur; cuius detecta fraus, & vitæ turpitudo iuste, impulit Viros Principes, à quibus ob perpetrata scelera digna factis recepit capitali pęna multata: Sed quarto quoque inter has puellam Etruscam recensent viri docti, quam scimus dum Pisis diligentissime custodiretur, clandestinam sibi escam à matre comparare solitam; quod à custodibus animaduersum, & Serenissimæ Chistinæ Magnæ Duci nunciatum, cuius iussu obseruabatur, eadem imperante parentibus, & ruri patrio restituta famam admirandæ abstinentiæ cum igno minia mentiti ieiunij turpiter commutauit: Quintum his adiungitur vafræ cuiusdam mulieris exēplum, quæ diuturnam ab omni esculentorum, & potulentorum genere, præterquam ab aqua simplici abstinentiam professa, à quibusdam solertis ingenij viris in conclaui, quasi carcere custodita, proprijs vestibus omnibus exuta, & nouis induta, dum vnus illorum diligentiori perscrutatione vetera vestimenta feminæ introspiceret, quærens an aliquid Magiæ scriptum latitaret, cuius merito illa tandiu vitam sine cibo traducere posset, insutos reperijt inter vestis rugas, & in vltima fimbriæ plicatione cartaceos cucullos plurimos substantia carnis in tenuem puluerem redacta repletos; vnde mox innotuit callidam mulierem sibi alimentum sumere solitam, quod erat pulmentum ex aqua simplici, & puluere, seu quinta essentia, seu extracto carnium, pabuli genus optimum, plurimi scilicet alimenti, & minimi excrementi. Alterum vero suæ opinionis decretum confirmare student viri grauissimi Aristotelis multiplici autoritate, primo quidem afferentis vnumquodque animalium indigere alimento ad ipsum esse; deinde vero alibi statuentis Necessarium dici sine quo non contingit viuere, tanquam concaussa, vt respirare, & alimentum animali necessarium est; impossibile nan que sine his animal esse: Postremo autem & alio in loco apertissime dicentis alimentum esse conser uatiuum vitæ: Non ergo sine alimento possint viuere homines diutius.

De respir. cap. 11.

... meta. ... 6.

... de an. ... 41.

Examinatur allata opinio, demonstrando qui dolose ieiunium simulauerint, & qui vere à cibis abstinuerint; puellæque Tusca historia explicatur.

Cap. CLXIX.

Ceterum his non obstantibus, propositæ opinionis assertores non adhuc ea in medium attulisse videntur, quæ menti omnino satisfaciant; quoniam ad hoc vt ipsi constituere valeant vitæ sublunari generatim necessarium esse alimentorum vsum, haud satis est aliquot eorum, qui diutius a cibis abstinuisse profiterentur, dolose ieiunij mentiti obseruatione comperisse; quum ex aduerso nobis asserentibus vitam subcælestium animatorum posse diu sine alimento consistere sufficiat vnum tantummodo ex prędictis hominibus vere ieiunasse. Logicum etenim axioma, quo statuitur ad destruendum sufficere vnum, veritati con sonum est in ijs quæ actu considerantur; at in possibilibus locum non habet; in quibus vnum sufficit vicissim ad adstruendum. Præterea ex eo quod semel, aut iterum compertum sit hominem prauæ institutionis dolo malo abstinentiam diu simulasse, colligi non potest necessario quotquot hactenus diuturno ieiunio claruisse obseruatum, & litterarum memoriæ proditum est ab illustribus viris, omnes fraudolenter abstinentiam fuisse mentitos. Amplius huiusmodi suspicio fraudis longe præter rationem ponitur in puellulis minoris ætatis dolis minime aptis, & in diligentissime custoditis fraudes texere nequeuntibus; cuiusmodi quāplurimæ numeratæ sunt in superioribus. Et eo magis ab hoc argumento doli suspicio abesse debet, quia commemoratorum diuturno ieiunio celebrium multi nihil sibi à tanta inedia laudis, aut honoris, aut vtilitatis compararunt, vel comparare tenatuerūt; vt quid ergo tot homines dolose adeo longam abstinentiam simulasse credendum est, cum tantis incommodis, periculisque tum famæ, tum etiam vitæ, si viros Principes, qui rei nouitate permoti obnixe huius euentus veritatem, & caussas assequi studuere, deludere, ac defraudare tentassent? Neque sane spe lucri tantum facinus patrare ausos esse credendum est; quippe tenue lucrum apud homines facere valent sanctimoniam in ieiunio simulantes; quum & infimum vulgus, ignaraque plebecula non ignoret abstinentes ab omni ciborum genere pecuniarum nihil, aut parum indigere. Vlterius autem quid asserendum erit de brutis, quæ per quatuor integros, pluresque menses ab omni cibo, potuque abstinent? dicendum ne fortassis & illa subdole ieiunium simulare, quæ simulationis, ac doli participia esse non possunt? quid insuper dicendum de Lucomoriæ populis? vnde quotannis habeant caussam simulandæ quimestris abstinentiæ? At vero dum mihi probare persuadeo illos, qui diuturnam ob inediam celebres habentur, ieiunium haud simulasse; ne quis propterea me putet existimare non potuisse aliquos im-

Ad destruendū non semper suf ficit vnū.

ter eos extitisse scelestos, qui dolose abstinentiam mentiti fuerint; assentior lubens & ego propositis exemplis tum Antonij Picent j, tum Sabaudici Pseudanachoretæ, tum Annæ meretricis, tum vafræ illius feminæ, quæ puluere carnium vestibus insuto clanculum nutriebatur. De puella Etruriæ non audeo aperte dolum confiteri; arbitror enim eam vltra annum vere abstinuisse; at misella dum diligentissime custodiretur post tantum ieiunium demum fame correpta (quod puellæ Tullensi ex Rondeletio, & plerisque alijs abstinentibus contigisse obseruatum est, ob caussas imposterum afferendas) & alimoniam assumere coacta, veritane, si aperte cibis vteretur, a custodibus antea quoque dolose ieiunium simulasse argueretur, atque a Magnis Principibus putati doli pœnam aliquam lueret, clandestinam sibi escam opera matris comparare studuit; sed a custodibus vigilantissimis hoc animaduerso, eam illis ipsa suspicionem incussit, quam ab eisdem adimere tentauerat, & sane multo maiorem, quam si palam rei veritatem illis ab initio significasset; neque enim mater illi aderat ad suggerendum clandestine alimentũ, sed od opem illi ferendam in morbis, quibus male afficiebatur: Alioquin si dolo malo abstinentiam simulabat, cur dum aperte cibis vti cæpit, protinus a murbis conualuit? an sine remedijs sola nutricatio euidens, quod non potuit occulta, morbos curare valet? an tabem, & virium languorem, & alia symptomata multa peritissimis Medicis vt ieiunium fingere potuit? certe quando ex alimentorum vsu sine alio præsidij genere conualuit, eam prius vere a cibis abstinuisse credendum est: verisimilius itaque mihi sit ipsam ieiunium haud semper, sed paucis diebus, nec fraude, sed metu simulasse; neque enim caussam reperio vllam, ob quam puella ruri degens, annum decimumquintum non attingens, miseram vitam agens cum parentibus, qui summa in paupertate vix habebant vnde quotidie parum panis multo sudore conquirerent, debuerit per quindecim menses, & vltra, ociosa & ægritudinem, & abstinentiam simulare; nec potius una cum miserrimis genitoribus ad acquirendam escam anxia diu noctuque validioribus viribus insudare, quemadmodum nunc efficit, quã do palam alimentis vtitur: sed esto etiam huius abstinentia mendax; illud inde non colligent viri doctissimi præter eos, qui dolose ieiunium mentiti fuere, alios non extitisse, qui reuera citra vllum alimentorum vsum vitam traduxerint; quod nos ex præclarissimis autoribus ostendimus priore libro.

Lib. 3.

Diluuntur argumenta virorum sublimium, ostendendo alimentum, & respirationem haud esse ad vitam simpliciter necessaria, licet eam conseruent.

Cap. CLXX.

Quæ vero à viris egregijs proponuntur argumenta in oppositum, sic firma non sunt, ut nobis eorum opinionem persuadeant; nam quod in primis aiunt certo experimento iam constare in diuturno isto ieiunio subesse fraudem, ideo tollitur, quia ex eo, quod ter, & amplius obseruatum sit homines aliquot dolose abstinentiam simulasse, haud licet protinus colligere quamplurimos alios, qui summa cum diligentia custoditi, & obseruati per plurium dierum, & mensium curriculum, omnem de se suspicionem purgauerunt, ieiunium mentitos esse. Quod autem deinde Aristotelis autoritate confirmatur, alimenta non minus ad esse, hoc est ad vitam animatorum necessaria esse, quam ad animalium salutem necessaria sit respiratio; sine qua tamen animalia viuere non posse compertum est vnicuique; hoc inquam non est insolubile argumentum; in primis etenim quemadmodum verũ absolute non est respirationem esse simpliciter necessariam ad animalium salutem; ita nec penitus ad eorundem vitam necessaria est nutricatio, & alimentum: Et quidem saluti animalium non esse necessariam omnino respirationem, inde vel manifesto constare potest, tum quoniam animalia multa sunt, quæ a natura non respirant, vt pisces plurimi, & insectorum genera multa, ne in medium afferam animalia cælestia; tum etiam quia eorum, quibus à natura data est respirandi facultas, & præsertim hominum aliquot reperire liceat, quibus per effatu dignam temporis differentiam respirandi actio intercipi consueuit; sic enim plerique homines in Ecstasi vel plurium dierum citra nutricationem, & respirationem superstites fuere; nimirũ anima illorum rationali occupata omnino in profunda cuiuspiam vehementis obiecti meditatione, sensitrice vero, & vegetali eorundem anima proinde mentis auxilio destituta, & ab omnibus consuetis officijs vacante; quam affectionem inferius cõmodiore loco exactius explicandam multis contigisse certum est sanctitate præclaris, & fortassis ob metum præstantissimo illi viro Armenio apud Platonem, qui quum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus ceteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore compertus fuit, domumque delatus vt sepeliretur, duodecima iam ab obitu die (dictum est antea veritis ab Ecstasi ob metum) dum pyræ impositus esset, reuixit, & quæ interim viderat, retulit; viderat autem multa, & rara in ea consternatione, quæ à Platone commemorantur; quæ narratio etsi apologi nomine Platoni conscribatur, vera tamen historia censetur a Iustino Platonico, eodemque martyre Christiano, & ab Olimpiodoro, haudquaquam reclamante Ficino; siquidem obseruarunt doctissimi viri Platonem historias. & rationes sæpe fabulas appellasse: sed & apud recentiores illud habemus Ioannem Duns Scotum subtilissimo ingenio pollentem adeo deditum profundiori meditationi fuisse, vt frequentissime rigeret in Ecstasim; quod illi demum immaturam mortem intulisse fertur; nam semel in Ecstasi deprehensus ab ignaris suæ affectionis mortuus putatus viuus dicitur fuisse ad internecionem sepultus: sic etiam

De respir. cap. 11.

Respiratio non est simpliciter necessaria.

Ecstasi quomodo fiat.

Cap. ... 10 ... pub. Vide ... præf. 3.

Plato historias ... appellat fabulas.

Scoti ... in Ecstasi.

ab

Spiritus animalis necessitas, & vsus.

quamplures alij quotidie visuntur in medicina facienda correpti attonito morbo, quem cum græcis etiam apoplexiam vocamus, repente, ac sæpenumero diu respirationem intermittere; quippe spiritus animales, quibus opus est tum ad motum respirationis in pulmonibus, & propinquis partibus; tum ad alias motiones, & sensationes omnes animalis in reliquis membris; spiritus inquam animales ob pituitosum excrementum spinalis medullæ, ac neruorum cæcos illos, & latentes canales occludens, a cerebri ventriculis ad ceteras corporis partes non transmissi eas a proprijs muneribus ociari cogunt. Addo etiam plerasque mulieres vteri præfocatione adeo male affici, vt plerunque ad multos etiam dies veluti mortuæ iaceant sine vlla respiratione.

Cur sine respiratione perdurent homines.
Lib. 7. cap. 52. lib. de anim. lib. 1. c. 6. lib. 22. in Apolog. 2. hist. cap. 11.

Ad hæc tria capita, Ecstasim videlicet, apoplexiã, & vteri suffocationem plurima exempla illorum reducuntur, quæ apud Plinium, Plutarchum, Fulgosium, Volaterranum, & alios celeberrimos autores leguntur de ijs, qui nullam habentes respirationem mortui sunt habiti, eamque denuo acquirentes reuixisse, vereque a mortuis resurexisse ab re putati fuere. Sed & ipsemet Aristotelis consulto, ac dedita opera de respiratione agens apertissime quandoque fatetur hominibus dari viuendi facultatem, etiamsi desit respiratio; vnde scite colligas allatum a viris egregijs dogma non esse absolute intelligendum absque limitatione vlla, vt quum scribat Aristoteles animalibus necessariam esse alimoniam, & respirationem, siue fieri non posse vt sine alimento, & respiratione animalia viuant, atque saluentur; intelligendus sit quasi ad amussim negauerit animal ullum posse absque duobus his vlla ratione consistere; sed asserendum est reuera hoc esse theorema physicum eius generis, quod verum est vt plurimum, non semper. Addo primũ dogma in Diuina Philosophia Præceptori promulgatum fuisse aliud agenti ex professo, & exempli gratia; proindeque tanti faciendum non esse viris clarissimis, vt efficax argumentum pro sua opinione valeant inde constituere; nanque in exemplis pura veritas non requiritur autoribus, sed mera declaratio, seu manifestatio propositi; quocirca sapiẽter aliquando monuit lucidissimus ille Themistius exempla non continere vim probationum; reuera enim exempla in physicis infirmum nimis argumentum præbent ad fidem aliqua de re faciendam. Secundum vero dogma sententia est ab Aristotele prolata secundum communem vulgi opinionem, non acroamatice; propositiones autem famosæ, ac exotericæ aliquando veræ sunt vt plurimum, non absolute, cuiusmodi sunt hæ, quibus illustrium virorum ratio nititur: Quum itaque propositiones illæ ab Aristotele promulgatæ asserente fieri non posse vt animal sit, ac saluetur sine alimento, & absque respiratione, veræ sint secundum famam, atque vt plurimum; propterea his non obstantibus ex Aristotelis mente decernimus fieri potuisse vt aliquot homines per notabile temporis interuallum sine respiratione vixerint, & diutius etiam sine alimento. Ad postremam rationem ex Aristotele item allatam asseuerante alimenti naturam in eo consistere vt sit conseruatiuum viuentis, & propterea viuens diu sine alimento consistere non posse; respondere liceat caussas conseruatrices duplicis esse naturæ, nimirum alias, quæ proxime, aut per se primo conseruare dicuntur, & sine his quod conseruari dicitur, ne tantillum quidem consistere potest; sic sine calore natiuo esse nequit animal, cuius vita calore proxime, ac per se primo conseruatur: alias vero dicimus esse caussas conseruatrices remote, ac secundaria quadam ratione, vel etiam per accidens, & sine his potest diutius consistere, quod conseruari dicitur; modo alimentum, & respiratio sunt caussæ conseruatrices secundi generis, vt fuse alibi demonstrauimus; quare sine his diu poterit animal consistere. Non ergo satis firmis nixa est fundamentis illorum opinio, qui rentur homines diuturno ieiunio claros omnes dolose abstinentiam simulasse.

5. meta. t. 6. De respir. cap. 11.
Quo sensu Aristoteli animal sine cibo, et respiratione viuere nõ possit.
5. meta. t. 6.
1. de an. cap. 24.
De respir. cap. 11.
2. de an. t. 47.
Caussas conseruatrices duplicis esse naturæ.
2. de vita. cap. 11.

Decimatertia opinio eiusdem Harueti cum alijs dicentis huiusmodi ieiunium a supranaturali caussa prodire, ac miraculosum esse.

Cap. CLXXI.

Exod. 24. 34.

Distrahitur Clarissimi viri opinio in duas varias maxime sententias; quum enim sacrarũ litterarũ autoritate retrahatur ab infitiando absolute longiore ieiunio, qui prius dixerat homines lõga inedia celebres dolo malo ieiunium simulasse; nunc id ex parte retractans prophanos tantum abstinentiam fuisse mentitos asseuerat, viros autem sanctitate præclaros, Mosem scilicet, Eliam, Redemptorem Dominum, & si qui fuerunt alij vete diu abstinentiam tolerantes, non puris naturæ viribus, sed summa præpotentis Dei virtute supra naturæ conditionem operante tam diuturnum ieiunium sustinuisse; vt absolute longioris abstinentiæ caussam ad miraculum referendam existimet vir acutus: Alij multi Harueto consentientes adeo longam abstinentiam inter physicos euentus connumerandam non esse vllo modo, sed effectum supra naturæ leges dici debere, hoc aiunt illud esse Diuinum, quod aliquando Hippocrates Medico in morbis prænoscendum præcipit; quippe qui arbitrentur homines tandiu a cibis abstinentes minime sanos esse. Ad hanc opinionem ea ex parte confirmandam, qua statuit diuturniorem hanc abstinentiam naturalem non esse, illud ex eodem Hippocrate afferre non dubitant Doctores magni nominis, Quod vero vita hominis septem dierum sit, etiam ex hoc manifestum redditur, quod si quis in septem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur: sunt autem qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur: quam sententiam plane confirmatam volunt a M. Varrone, qui apud Gellium testatum reliquit hoc etiam esse ad vim, facultatesque septenarij numeri augendas, quod quibus inedia mori consilium est, septimo demum die

1 prænoss. init.
lib. de Princip.
3. noct. cap. 10.

mortem oppetunt; numeris autem nullam inesse à natura vim, aut facultatem, sed tantummodo diuinitus pro confesso habetur. Ad ipsam vero alia ex parte roborandam, qua decernitur huiusmodi ieiunium Diuinæ potestatis esse miraculum, proponunt Viri Clarissimi plurima exempla eorum, qui longo ieiunio claruere, quos omnes homines fuisse Deo charos, & sanctitate præstantes certum est; nam vt omittamus silentio venerantes vetustiora illa ieiunia miraculosa Christi Domini, Eliæ prophetæ, ac Moysis, recentiore historia obseruatum est primo septem illos dormientes in spelunca montis Oelon per tot annos ieiunasse, quos S. M. Ecclesia Sanctos Dei colit in gloria: Deinde certo constat Ludouicum Pium Galliæ Regem, qui vltimis quadraginta diebus vitæ suæ post assumptum sacrosanctum Hostiæ panē à cibo potuque penitus abstinuit, sanctum fuisse regem, & Deo dilectum: Idipsum fateri oportet de Sacerdote illo, qui totidem dies absque alimento vixit Romæ sub Leone Pontifice Maximo, deque Palumba Intermanensi Virgine Perusina tempore Innocentij Octaui; de Nicolao Heluetio Eremita; de Diua Agnete; de beata Catherina tum Genuensi, tum etiam Senensi, alijsque plurimis, quorum diuturnum ieiunium post sacram communionem cum certa vitæ sanctimonia coniunctum, vero miraculo adscribendum est. Quin & hoc priuilegio donare voluisse aiunt Deum optimum Virginitatem, quam pridem in Sybillis etiam Ethnicis propterea illustrare voluit; quare de Spirensi, & Confolentanea ieiunāte pulchre lac. Lectius referente Citesio,

Tu quoque Teutonicæ nihilo cessura puellæ:
En cui magnos Galla puella sophos.
Fallor, an ista viris, nutpisque exempla negātur,
Crescat vt intactæ virginitatis honos?
An mag s atheriæ sunt hæc primordia vitæ?
Irritus & caussas poscit ab arte labor?
Iamque noui veniunt soles, noua sæcula, quando
Nec tua dona Ceres, nec tua Liber erunt.

His contendunt Viri Clarissimi multorum dierū, ac mensium ieiunium naturæ limites egredi, & miraculosum esse.

Expenditur allata opinio, monstrando quale nam miraculo sit adscribendum ieiunium, & quale natura viribus.
Cap. CLXXII.

VEritas vna est, eaque simplex; quando itaque de proposito vir egregius duas adeo diuersas protulit sententias, hoc nobis certum est indicium in neutra ipsarum autoris mentem potuisse quiescere; quomodo ergo nos alteri subscribere poterimus? Nunquam certe infitiabor Dei Maximi virtutem immensam supra naturæ gradum non raro quędam opera moliri admiranda, quocirca & vitam nostratium animatorum, si vi naturæ alimentis indigeret necessario, sine cibo potuque diutius mirabiliter conseruare posse. Fatebor insuper constantissime sanctorum Dominum mirabiliter supra naturę decreta, & Diuina virtute quadraginta diebus in deserto ab omni esculentorum, & potulentorum genere sine vlla integerrimæ sanitatis læsione abstinuisse; siquidem in sanissimo Domini corpore calor necessario præualens humori, hunc naturaliter non consumere non poterat; ad huius vero consumptionem nullo extrinsecus alimento indito corpus emaciari, & elanguescere necesse erat: quum itaque Christus Dominus in flore sanitatis calorem habens humori prędominantem sine corporis decremento, & absque virium languore totum quadragenarium ab omni cibo potuque abstinuerit; asserendum est hoc miraculosum fuisse ieiunium, in quo virtute Diuina calor præpotens detinebatur ne humidum subiectum absumeret, quod natura sua vim caloris actiuitati resistendi non habebat. Neque negabo plerosque sanctitate præclaros, qui diu multumque ciborum vsu caruere, diuina potestate admirabiliter seruari potuisse, quod asserebatur de Moyse, ac de septem dormientibus, qui somno centum sexaginta sex annorum celebres habentur in sacris litteris, & fortassis etiam nūc de viris incolentibus Paradisum voluptatis, vnde olim primi Parentes nostro magno malo exularunt, Enoc scilicet, ac Elia, quibus tertium addunt plurimi Diuū Ioannem Apostolum, quem sibi dilectissimum Redemptor Dominus haud moriturum dixisse videtur, sed sic eum velle manere donec veniat ad vltimū orbis iudicium: Nisi dicamus hos alimentum sibi quotidianum in Paradiso sumere de ligno vitæ, illos vero naturæ legibus ab omni cibo abstinuisse, ob caussas imposterum afferendas: Sed esto prædictorum abstinentia supra naturæ ordinem admirabilis, non tamen propterea de omnibus indifferenter, qui longiore ieiunio celebres habentur, hoc affirmare audeo, quod non physice, sed miraculose tandiu ab omni alimento abstinuerint; quia plerique illorum aut Ethnici fuere idolorum cultui dediti, ve Lucomoriæ in vlteriori Sarmatia incolę apud Citesium; aut nulla sanctitate præditi, sed potius terrenis addicti voluptatibus, vt puella Pedemontana, quæ abstinens Genuæ ad citharam choreas ducere, & canere consueuerat; talibus certe verisimile non est a summo Deo speciale hoc datum fuisse priuilegium, vt diuturno admodum temporis tractu sine cibo vitam ducere possent, qui primis hominum parentibus ob perpetratum scelus indixit vt vna cum posteris in sudore vultus sui pane vescerentur. Addo etiam Deum Optimum, etsi ad nutum suæ voluntatis admirabile hoc opus efficere valeat, haud tamen id, & consimilia miranda facere consueuisse absque aliqua vrgentissima caussa; & præcipue vt vel inde homines improbi resipiscant a peccatis; vel Deus ipse Maximus inopem sibi charum omni prorsus alimonia carentem ab imminentis mortis periculo liberet; vel mundus agnoscat aliquem Deo dilectum, eximia, sed occulta sanctitate spectabilem; secus enim Deus vbique in hæc subcelestia operatur naturalium caussarum interueniente ministerio; immo sæpenumero etiam in operibus ipsis admi- Lib. 3.

admirandis physici agentis opera vti consueuit; ita Danieli posito in lacu leonum cibaria misit per Angelum suum; ita Eliæ transfugæ ob Iezabelis Reginæ minas; ita Diuo Paulo primo Eremitæ, & alijs sanctitate præstantibus panem, aliosue cibos aut cælitus per coruos, aut aliunde, alioue modo demittebat ad sustinendam vitam, quum tamen sine cibo eos incolumes admirabilius seruare potuisset: si ergo Deus Optimus prædictos insigni sanctimonia celebres in tanta ciborum penuria seruare voluit incolumes cibo ipsis vel mirabiliter subministrato; cur sine cibo in vita seruare voluerit mirabilius alios, qui nulla sanctitate pollêtes tam longo ieiunio mundum non per contritionem ad pœnitentiam, neque per admirationem ad omnipotenti Deo laudes celebrandas, sed per ignorantiam ad stuporem solummodo traduxere, difficile est assequi: Ceterum neque vt affirmem omnes, qui eximia sanctitate clari diu absque alimentis incolumem vitam egere, supra naturæ leges miraculosum sustinuisse ieiunium, vnum illud efficit exemplum Nicolai Heluetij Vnderualdensis, qui post susceptos ex coniuge liberos ad solitudinem profectus, ibique annos quindecim moratus in ieiunio tali, tantaque sanctitate excelluit, vt Diuino spiritu afflatus futura prædiceret; nam suæ abstinétiæ caussam esse naturalem, non autem miraculosam tum ipsemet asseuerabat, quem tam diro mêdacio Dei summi potestatem, ac benignitatem in mensam in hac re occultare nefas esse putarem, ac piaculum grande; quum sancti viri, ac timentes Deum vel magis quam mortem horreant leuissima crimina; tum aperte satis indicauit dolor ille stomachi triduanus, quo laborauit acriter ab assumpto pauco cibo, quem renuens deglutiuit coactus sub imperio sanctæ obedientiæ ab Episcopo Constantiensi, cuius in Diœcesi vitam agebat; neque enim verisimile est sanctum hominem Dei omnipotentis gratia peculiari sine cibo, potuque diutur nam vitam ducentem stomacho eam morbosam affectionem contraxisse, ob quam ab ingesto quomodocunque alimento doloribus conflictaretur; quum ex aduerso probabile fit iis, qui Diuino fauore diu ab alimentorum usu queunt abstinere, nihil pati viscera, nec stomachum, sed bene posse cibaria sustinere; quod Christo Domino contigit, qui post quadragesimale ieiunium in deserto bene tolerauit alimenta sibi ab Angelis ministrata: Potius igitur asserendum est vi naturali probum hominem hûc Heluetium ab omni eduliorum genere abstinentê in stomacho, qui tandiu nullo humore fuit irrigatus, eam siccitatem contraxisse, ob quam fere conglobatus, & côstrictus, corrugatis, conniuentibusque in seipsas ventriculi tunicis, dolorosam pateretur quamlibet sui distensionem, ac dilatationem ab ingrediente alimento. Vlterius autem plerique horum in tanto ieiunio languidi obseruati fuere, qui ad vsum ciborum reuertentes iterum sani, & robusti euasere, vt puella Tusca, & aliæ multæ; nô ergo supra naturę vires, diuinum, ac miraculosum extitit eorum ieiunium; quippe nefas est miracula esse imperfecta, & aliquo morborum labe inquinata. Quamobrem licet fieri valeat vt Diuina virtute homines diu ab omni alimento abstineant; id tamen asserendum non est quotquot hueusque diutius ieiunasse obseruatum est, eos omnes supra naturæ fastigium miraculoso ieiunio claruisse; nam secus vererer mihi obijci posse illud Lucretianum

Non omnium sanctorum ieiunium miraculosum.

Abstinentium sancte ingesto cibo doluit stomachus, & nonnulli. Vide supra. Lib. 1. c. 2

Quorum operum caussas nulla ratione videre Possunt, hæc fieri Diuino numine rentur. *Lib. 6.*

Satisfit rationibus allatæ opinionis, declarando quid sit Hippocrati Diuinum in morbis; abstinentes non omnes ægrotare; nec septima diei abstinentiam esse letalem. Cap. CLXXIII.

SEd neque rationes, quibus proposita opinio fulciri videtur, viros egregios voti compotes efficiunt: Quod enim ante omnia dicunt homines istos diuturno ieiunio celebres haud esse sanos; quo factum sit vt admonuerit Hippocrates medico in morbis prænoscendum esse an lateat quidpiã Diuinum; atque hoc nihil aliud esse quam Dei summi virtutem immensam, quæ supra naturæ cardines opus aliquod in morbis efficiat admirandũ; cuiusmodi est tam diuturna abstinentia; hoc in quam argumentum non vna ratione tollitur; in primis enim falso assumitur omnes, qui diu miraculosum ieiunium sustinuere, morbo aliquo ægrotasse; neque profecto dicendum censeo miracula esse vllo imperfectionis liuore conspurcata; neque probari posse arbitror septem dormientes ab Ecclesia celebratos ducentis fere annis mala valetudine laborasse; multo minus absque piaculo asseret quis Dominum Christum, qui Diuina virtute supra naturæ normam admirabiliter quadragenario ieiunio claruit, in huiusmodi abstinentiam vi morbi alicuius incidisse. Deinde vero diuinum illud, quod in morbis latere non semel admonuit Hippocrates, haudquaquam esse potest opus miraculosum, quod immensa Dei summi virtus efficiat, tũ quia miracula Deus non efficere solet in Ethnicis, quales erant ægrotantes Hippocratis; tum quia miracula, quę Deus in morbis facere consueuit, eiusce modi non sunt, à quibus Medici desumere valeât indicationes præsagiendi, præseruandi, & curandi morbos, vti est Diuinum illud, cuius meminit Hippocrates; sed talia, quibus ilico ægroti supra naturæ consilium ab omni morbo sanentur. Ceterum percunctanti quid reipsa sit Diuinũ latens in morbis, de quo sermo est locis allegatis Hippocrati, nisi cum Galeno dicamus id esse aeris ambientis conditionem, quam vocat aliquãdo Hippocrates morbidam aeris excretionem, qua totus aer conspersus est, ut notat etiam Fernelius; nihil aliud respondêdum esse reor quam id esse occultas morborũ caussas, seu vires humanæ mentis captum subterfugiêtes; abdita nanque omnia Diuinitatis nomine veteres appellare passim consueuere; sic & ipsemet Aristoteles, qui proprijs maxime vocibus utitur in rerum quarumcunque natura explicanda, Diuina quandoque nuncupat ea, quæ immanifesta latent humanum intellectum. Quod autem secundo loco affertur argumentum probare tentans diuturã

1. progno.

1. progno-sti. & 1. de mor. mulier.

Diuinum in morbis quid.

De nat. hum.

2. de abd. rer. cau. c. 10.

Abdita uocabant ueteres nomine diuinitatis.

2. phy. c. 47.

 istam

istam abstinentiam non esse naturalem, sed miraculosam, quia vita hominis naturæ decreto sit septem dierum, vt aiunt Hippocrates, & Varro, ita vt si quis in septem diebus, vel paullo pluribus nihil edere, ac bibere velit, necessario mortem obeat; soluitur & ipsum, quoniam Hippocratis, Varronisque sententia ex earum numero est, quæ veræ dicuntur vt plurimum, & secundum communem, & ordinariam naturæ consuetudinem; nos vero loquimur de re præter vulgarem naturę cursum, quæ raro admodum contingit: Quapropter etiãsi frequẽtissimum sit homines septimanæ inedia mori, nec posse vlterius refici, quia membra coctionibus dicata, quum tandiu caruerint consueta humiditate, talem siccitatem, intemperiemque contraxerint, vt apta non sint amplius ad pristina munia obeunda, sine quibus diu quamplurimi homines viuere nequeunt; illud tamen etiam quandoque accidit, vt (quod itidem obseruat Plinius) hominibus haud vtique septimo die letalis sit abstinentia, sed plerosque & vltra vndecimum durasse; atque in superioribus item obseruatũ sit nonnullos alios vltra menses, & annos plurimos absque alimentis vixisse. Quod autem postea dicitur hoc esse speciale quoddam priuilegium, quo Deus Virginitatem etiam non sanctarum mulierum dotare voluerit, qui eandem ethnicarum munere Prophetiæ dudũ illustrauerit; voluntarium est assertum; nec verum est solas virgines abstinuisse diu; constat enim & viros, & nuptas plurimas diuturno ieiunio claruisse ex allatis antea historijs; Lectium Poetica licentia id lepide comminisci putamus, quod reuera nõ sentit; alioquin ab eo dissentimus falso dicente viris, nuptisque longum ieiunium negari. Sed etiam si solius id virginitatis esset priuilegium, ut diu a cibo abstinentes viuerent; haud tamen hoc necessario caussam supra naturæ vires operantem sequeretur; si quidem apud Oribasium legimus ex Rufo per veneris vsum multos ab inedia ad cibum facile sumendum rediisse; quibus scilicet veneris abstinentia inediam conciliauerat naturæ vi; nempe vbi minus e corpore effluit, ibi minus opus est nutricatus. Non ergo absolute verum est, quicunq; ad hæc vsque tempora diu ab omni cibo abstinuere, omnes sui ieiunij caussam Diuinam, supra naturalem, & miraculosam penitus habuisse: Nisi miraculi nomine intelligamus id omne, quod licet naturæ limites non excedat, occulta nihilominus obtinet primordia: sic Valerius ille Maximus multa inquit accidere, quæ quia vnde manauerint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est, merito miracula vocantur: sic ante Valerium Aristoteles miracula ea scribit esse, quæ natura contingunt, quorum ignorantur caussæ: certe hoc sensu non reclamabo ieiunium huiusmodi tam diuturnum quoddam esse naturæ miraculum, cuius latentes caussas non ex immensa Dei virtute solum, sed ex intimis naturæ penetralibus haurire debet Physiologus.

Lib. 11. c. 14.

1. synops. c. 6.

Quo sensu ieiunium abstinentium sit miraculosum.

Lib. 1. c. 8 Quæst. mec. c. 4.

Decimaquarta opinio ex Diogene Laertio, ac Demetrio statuens ieiunantes clam ali consueuisse cælitus ab Angelis cibo aliquo pretiosissimo. Cap. CLXXIV.

NEque defuerunt insignes viri, qui arbitrati sint præfatos homines tandiu a cibis nostratibus penitus abstinere, quia clandestine, uel ipsis nõ animaduertentibus, cibentur ab Angelis, aut sanctis Dei ministris nutrimento aliquo cælesti, aut pretiosissimo, & naturæ humanæ consimillimo, quod nullis inquinatum excrementis totum facillime vertatur in corporis substantiam: Inter huius opinionis assertores licet multos neotericos numerare possemus, satis sit seniores duos afferre, Diogenem Laertium, atque Demetrium, qui de abstinẽtia Epimenidis Cretensis agentes ipsum scribunt accipere solitum a Nymphis cibum, eumque intra bouis vngulam conditum seruare, nullaque inde egestione indigere, neque ullum vnquam edere: Alioquin sine vllo penitus alimenti genere diutius hominem aliquem viuere non posse, inde necessario concludi opinantur, quod Aristoteles aliquando monuerit quietem animæ nutrientis a sua operatione in subcælestibus animantis esse illorum interitum; dogma in Peripato vulgatissimum; quum autem eodem Aristotele autore nutrientis animæ operatio non obeatur nisi circa nutrimentum; necessario sequitur qui diutius ab omni alimento abstinent, in ijs animam nutrientem a propria functione vacare, atque ideo statim obire; quare & qui non intereunt, eos alimento vti vel aperto, vel abdito; sed obseruatum est plures ab alimentis externis, & apertis diutius abstinuisse, qui nec ipsi se intrinsecus alimento refici animaduertere potuerũt; opus est ergo ijs clandestine purissimum, & substantiæ propriæ simillimum ab aliquo Angelo sub ministratum fuisse iugiter alimentum, quod quam facillime in eorum naturam assidue opera vegetantis animæ transmutaretur sine vlla excrementorũ exclusione. Adijcitur celebris alia ex Aristotele sententia alibi dicente Alimentum non sumentia & animalia, & plantas corrumpi; consumit enim ipsum seipsum; quemadmodum enim multa flamma comburit & corrumpit paucam, eo quod alimentum consumat; sic naturale calidum primum concoctiuum consumit materiam, in qua est. Ita de proposito cum Diogene, ac Demetrio sentiunt viri celebres.

1. de vit. philos.

2. de an. t. 33. & seq.

De long. & breu. vit. c. 2. & 3.

Perpenditur adducta opinio monstrando non omnes commemoratos abstinentes enutritos esse cælitus ope Angelorum clam illis optimum alimentum suggerentium. Cap. CLXXV.

NVnquam sane hoc ausim ego negare, Angelos Dei ministros clãculum posse optimum assidue subministrare alimentum homini, eo vel non animaduertente; hoc modo fortasse in terrestri Paradiso viuũt Theologis nostris Elias, Enoc, & Diuus Ioannes Euangelista (si tertius hic viuus prioribus datus est socius) cibo purissimo nutriti

triti ex arbore vitæ: Nisi dicamus tres Heroas absque cibo penitus supra naturæ leges Dei nutu incolumes seruari vsque ad postremum Domini aduentum. Sed tamen quum e sacra pagina didicerim Deum Optimum sanctis viris in ciborum inopia mittere consueuisse Angelos, aliosque sucs ministros apparentes cum cibis euidentibus, quod nuper obseruauimus in Daniele, Elia, Diuisque Antonio, & Paullo primo Heremita cognominato; & dicere non dubitem de Virgine Palumba, Beatis Catherinis Senensi, & Genuensi, & alijs aliquot, quibus ab assumpto sacrosancto Eucharistiæ sacramento ieiunium in plures dies, ac menses produci consueuit: Nisi etiam à pio viro dicendum sit potius admirabile hoc opus effectum esse sacratissimę Hostiæ Domini, qui verus Angelorum panis speciali priuilegio deuotis hisce virginibus, quæ illum digne sumpserunt, & animam, & corpus toto illo tractu temporis aluit ineffabiliter absque vllius alterius cibi nostratis interuentu, vt pijs hominibus, sanctisque virginibus hanc gratiam inter multas alias in hac vita etiam largiretur Deus Optimus, qua & mundus famulorum Dei sanctitatem agnosceret, ac veneraretur; & ipsi deuotionis suæ fructus in terris etiam colligerent. Quæ omnia vt sanctitate præstantibus contingere potuisse fatemur, haud tamen ita facile mihi persuadere possum alijs hominibus tum nulla insigni probitate pollētibus, tum etiam Deo verum cultum non exhibentibus, ethnicis nimirum id mirabiliter euenisse, vt clanculum à Deo cælitus per Angelicum ministerium alerentur; ad sanctorum hominum discrimen, qui bus minori sane cum admiratione sacrosancti panis assumptio alimoniam in diuturnum tempus suggerere posse videtur; neque vllam reperio caussam, quare Deus Optimus ethnicos clam alere decreuerit, sanctos vero palam visibili cibo nutrire. Et eo magis hanc sententiam probabilem illud efficit, quod ipsemet Deus post quadragesimale ieiunium in deserto fame correptus Angelos habuit, qui euidenter illi apertum ministrabant alimentū. Præterea illud etiam mihi verisimilius esse videtur Deum Optimum, quos gratuito & nobili hoc fauore cumulare voluerit, vt non indigeant cibis nostratibus, illis aperte alimēta meliora diuinitus suggerere, quo ipsi animaduertentes se à Deo sic enutriri, eius hanc peculiarem erga seipsos beneficentiam agnoscentes, quod Diuino fauori tribuendū est, naturalibus caussis non adscriberent; quod efficere consueuisse Nicolaum Heluetium supra notauimus; constantissime nanque diuturni sui ieiunij caussam naturalem esse asseuerabat, non Diuinam, aut Angelicam. Vrgent aliæ hic etiam rationes, quas & in præcedentem opinionem adduximus, nempe horum, qui longiori abstinentia clari habentur, plurimos ethnicos fuisse, alios sensuum affectibus maximopere deditos, & quamplures nulla insigni erga Deum deuotione, aut sanctitate præclaros: Addo etiam non pauca e brutorum genere per aliquot menses ab alimentis abstinere solita; quibus certe rationalibus, irrationalibusque Deum Optimum alimoniam vllam neque clanculum, neque palam manibus Angelorum ministrare par est. Adijciendum est illud insuper istorum tam longo ieiunio celebrium plerosque ita infirma fuisse valetudine, vt consuetis vitæ muneribus aut nullo modo, aut vitiose fungi valerent, dum ab alimētorum vsu abstinebāt; qui quicunque se se iterum assueuerunt, denuo ad sanitatem, & actiones pristinas rite obeundas redierunt; indicium euidentissimum tempore abstinentiæ per manus Angelorū enutritos haud fuisse cibo pretioso sibi quomodocunque suppeditato; non enim rationi consentaneum est corpora, quæ vsu cibi nostratis excrementto affluentis ad pristinam sanitatem reducuntur, ciborum cælestium, & optimorum esu languere, ac morbis assidue conflictari. Non est itaque probabile qui diuturno ieiunio claruere, omnes Angelicis manibus cælesti alimento clanculum fuisse nutritos.

Occurritur allatis rationibus in oppositum; & primo explicatur vtrum nutrientis animæ quies a sua operatione sit mors. Cap. CLXXVI.

Sed & rationes, quas ad sui dogmatis confirmationem ex Aristotele deducebant huius opinionis assertores, id non habent virium, vt necessario intentum concludant: Quod enim primo inquiunt apud Aristotelem tum quietem animæ nutrientis a sua operatione in subcælestibus animatis esse mortem; tum quoque in ijsdem animæ nutritiuæ operationem haud fieri nisi circa nutrimentum; atque ideo quicunque ab alimentis abstinēt, paucos inter dies necessario mortem oppetere; nō vnica ratione tollitur; in primis enim reuera nusquam hoc præcise scripsit Aristoteles (quod ego viderim) quietem scilicet animæ nutrientis à sua operatione esse mortem; immo potius aliquando huic oppositum dogma sanxit, dum apertis verbis scribere non dubitat, In parte animæ nutritiua impulsus esse non videtur, sed igni videtur esse consimilis, cui quicquid immerseris, absumet; at si nō obijceris, ne quidem ad capiendum impellitur; ita hæc haber pars animæ, vt si alimentum obijcias, alat; sin minus, ne quidem ad alendum commoueatur, ne dum alat: Quum ergo multa viuentia sint, & homines cibum non assumentes, ex hoc Aristotelico dogmate ipsis nutricatio concedenda non est: Vnde constat apertissime tum posse animam alentem in alimenti defectu sine nutricatu quiescere, vt ignis absque consumptione alienę substantiæ in propria sphæra; tum necessario ea viuentia, quæ ab alimentis abstinent, non ali, nec etiam eorum animę partem nutritiuam ad nutricatum impelli; qua de re infra commodiori loco. Neque obstat oppositum dogma in Peripato esse vulgatissimum, nam haud semel id contigit, ut quod prima fronte videtur verum theorema seniori alicui ex interpretibus velut Aristoteleum promulgatū, illud omnes passim absque trutina recipiant, ac indulgent; quum reuera nec Aristoteli pronunciatum sit, nec veritati consentiat; cuiusmodi sane inter alia non pauca propositum est, quo communiter a Doctoribus ex Aristo-

1. mag. mor. c. 5.

Animā nutritiuā non impelli ad cibū.

Quando alens anima quiescat à suo munere.

Lib. 3. c. 17. & c. 59.

Aristotelis mente affertur, Quietem nutrientis animæ a sua operatione esse mortem: & quidem loca, vnde clarissimi viri occasionem huius placiti ex Aristotelis mente vulgandi videntur habuisse, si recte consideres, plane tibi constabit nostræ sententiæ veritas aperta; tria nanque nobis occurrunt huiusmodi loca; etenim primo legitur animatum sub cæleste nutriri quousque saluum fuerit; deinde alimentum eousque esse, quousque animatum alitur; deinceps viuens sublunare priuatum alimento esse non posse: quæ sane dogmata sigillatim diuersa sunt ab eo quod est Quietem animæ nutritiuæ à sua operatione esse mortem; nec propositæ opinioni validum satis robur afferunt; etenim quod scribitur animatum sublunare nutriri quousque saluũ fuerit, id non simpliciter protulit Aristoteles, sed collatione facta ad augumentum, & decrementũ; si nanque augumentum consideres, hoc non viget ab ortu animatis in toto vitæ curriculo, sed vsque ad ætatem mediam, quam consistentiæ tempus appellamus; consimiliter decrementum non lacessit corpus animati per totum eius vitæ spacium, at solum à consistentia vsque ad interitum; sola nutricatio ad horum differentiam à primo vitæ initio ad mortem vsque (siue continua, siue interpollata functione) perpetuari, ac produci potest, consueuitque; licet absolute non ex necessitate perennet; quia nutricatio, vt alia quælibet vitæ sublunaris operatio, intermissione debita, & certa quiete opus habet; quod fuse ostendimus in opere de vita.

2. de gen. c. 41.
2. de an. t. 47.
2. de an. t. 48.
2. de gen. c. 41.
Animatũ sublunare nutriri quousque saluũ fuerit, quo sensu dixerit Aristoteles.
Augumentum nõ vigere tota vita.
Decrementi tempus.
Lib. 3.

Accedit huic etiam allatum dogma ex Aristotele eius esse generis, quæ vera sunt, non simpliciter, & absolute, sed ut plurimum tantummodo, & secundum consuetum Naturę stilum; at nos in casu raro admodum contingenti versamur, & de re pręter ordinariam naturæ consuetudinem prouenienti loquimur. Quod autem secundo scripserit Aristoteles alimentum eousque esse, quousque animatũ alitur; soluitur quoniam alimentum bifariam considerari potest, actu nimirum, & potentia; si sermo sit de alimento in actu, quum alimenti actus sit ipsamet altio; vere scribitur alimentum eousque esse actu, hoc est fungi suo munere, quousque animatum alitur; nã peracta nutricatione, nihil amplius alimenti superest; per eam nanque mutatum fuit in substantiam viuentis: at uero id nihil officit existimantibus animata diu viuere posse absque alimento; etsi enim alimentum sit quousque animatum alitur; quia tamen animatum diu esse valet absque eo quod alatur; propterea diu etiam alimẽtorum vsu carere potest; non enim sunt vnum & idem animatum ali, & animatum esse, ac viuere, quod supponunt viri doctissimi: sin autem loquamur de alimento potentia, falsum est id apertissime, tale alimentum esse, quousque animatum alitur; siquidem alimentum nondum ab animato susceptum potentia est alimentum, nec ad eius esse pertinet vt viuens alatur, vel non alatur: sed neque dicturos arbitror viros egregios animata esse non posse absque alimentis in potentia; quum viuenti sufficiant alimenta in actu. Tertium vero placitũ, quo scribit Aristoteles viuens sublunare priuatum alimento esse non posse, eodem prorsus modo intelligẽdum est, quo dudum primam thesem interpretati fuimus, nimirum subcæleste viuens priuatum alimento esse non posse, quemadmodum potest esse priuatum augumento ab ætate consistentiæ ad obitum, & decremento ab initio vitæ ad consistentiam. Quin etiam animalia nostratia priuata nutrimento esse non posse vt plurimum; nihilominus aliquando, licet raro admodum, secus euenire; huiusmodi enim theoremata multa sunt, quæ vera sunt vt plurimum, ac vt in pluribus, non autẽ semper, & in omnibus; sic nouellam, & senescentem ætatem feminas generare; florentem masculos; sic masculos esse feminis calidiores; sic viros barbam emittere, non autem mulieres; sic feminas etiam in brutorum genere mitiores, cicuriores, & masculis ingeniosiores; sic hyemes humidiores, & æstates sicciores esse alijs anni temporibus fatetur passim Aristoteles; sic Poetæ concinunt,

Vt alimentum eousque sit quousq. viuens alitur.
2. de an. t. 47.
Alimentũ actu, & potentia.
Alimenti actus quid.
2. de an. t. 48.
Vt viuẽtia alimento priuata esse nõ possint.
Iunior. & senior ætas feminarũ procreatrix.
4. de gen. an. cap. 2.
de long. & br. vit. c. 3.
9. hist. c. 1.
Femina mitior, cicurior, ingeniosior masculo.

Vere sinum tellus aperit, floresque ministrat,
Tempore Solis ager messes fert pinguis opimas,
Fecundos autumne lacus de vitibus imples,
Vis hyemis glacie currentes alligat vndas.

& pleraque multa legas in Aristotele. alijsque autoribus placita, quæ vera sint solum vt plurimum, siue vt in plurimis, non semper, nec in omnibus.

At esto etiam in Aristotelis officina cusum vulgatum dogma, Quies animę nutritiuæ ab operatione sua est obitus, dicimus identidem verum hoc esse vt in pluribus, raro tamen aliter contingere, nempe citra mortis periculum animam nutrientem quiescere à sua functione, ac pręsertim in animantibus nostratibus perfectioris generis; nanque in viuentibus imperfectis, cuiusmodi sunt oua, & semina cũ stirpium, tum etiam brutorum animalium plurima, id sæpenumero contingit vt anima nutriens quiescat à sua functione, qua de agimus, scilicet a nutricatu; oua etenim, ac semina plantarum, & animalium, quibus nihilominus quam stirpibus vitam inesse scribit Aristoteles, multo tempore seruãtur absque eo quod valeant vlla ratione nutriri.

2. de gen. an. c. 3.

Dicimus deinde geminam esse posse quietem animæ nutrientis a sua operatione; alteram, quæ tollat actum nutricationis tantummodo; alteram vero, quæ tollat etiam aptitudinem ad alendum; & quidem dato, sed non concesso, quietem illam altricis animæ a sua operatione obitum inferre, quę tollit actum altionis, & aptitudinem ad ipsam; falsum tamen illud semper esse contendam, Quietem, quę tollit actum nutricationis, aptitudine illęsa, esse mortem: modo in his, qui diu sine alimento viuũt, ponimus animam nutritiuam quiescentem ab opere nutriendi cum aptitudine tamen, ac facultate redeundi ad altionis actum illibata. Cui quidem explicationi manifeste fauet Aristoteles alibi quasi propositum dogma interpretaretur inquiens Vegetabilia vniuersa viuere semper quousque accipere possunt alimentum; ecce illęsam aptitudinem; non autem quousq; illud actu accipiunt. Dicimus deinceps animam alentem, vt ceteras alias, duo genera functionum obire; quorum alterum genus est functionis communis omni animæ, alterum vero spe-

Quies animæ nutrientis duplex est.
In abstinentibus quomodo anima nutriens quiescat ab operatione sua.
2. de an. t. 34.
Anima duo genera functionum obtinet.

Et omnis animæ functio.

speciale cuique parti animæ; communiter enim omnis anima suo munere fungitur, dum subiectũ sibi corpus actuat, perficit, ac suo modo viuificat; in qua functione agit anima, patitur corpus, licet passionem perfectiuam; agit inquã anima vt principium quod, & adæquatum à scholasticis appella tum; corpus autem nulla ratione agit, neque sub ratione instrumenti, sed mere patitur, cõpositũ vero proprie nõ agit, sed quoquopacto patitur, quia per talem functionem primo constituitur, deinde conseruatur in esse: Quo factum est vt desistente anima viuificare, seu perficere, atque actuare corpus, illico necesse sit compositum mortem oppetere: speciatum vero vegetalis anima suo munere fungitur, dum eius beneficio alitur viuens, augetur, & generat sibi simile; in quibus operationibus adæquatum principium, quod agit, est compositum viuens, vnde uocantur operationes vitæ; principium autem, quo primo fit operatio, est anima; principium, quo secundario, ac sub ratione organi eadem functio editur, est calor natiuus, & corporis membra; patiens est alimentum, quod vertitur in substãtiam viuentis; nutricatione viuentia seruantur in esse diutius, non absolute; auctione acquirunt iustam membrorum magnitudinem ad generandũ; generatione sibi acquirunt æternitatem in specie; quo factum est vt quiescente anima ab his operationibus secundi generis non ideo statim subsequatur interitus: est autem id potissimum discriminis inter hæc duo genera operationum, quod operatio hæc propria, seu specialis accidens est, distinctum ab anima, & vitam consequitur, estque vera totius viuentis operatio; communis vero illa functio non est proprie accidens, nec operatio vitæ, aut viuentis, immo nec quid ab animæ substantia distinctum, sed ipsamet animæ substantia participata, seu etiam animæ ipsius participatio, quæ definitur esse perfectio corporis, quæ principium est constituens in esse vitam, & communiori vocabulo dicitur operatio; quæ omnia fusius alibi sunt explicata: Quare ad argumentum, si sermo sit de nutrientis animæ actione communi, qua scilicet communicat cum ceteris animis, quæue proprio nomine dicitur actuatio, siue animatio, & viuificatio corporis, a qua sequitur immediate constitutio viuentis, concedentes quietem animæ nutritiuæ a sua operatione esse mortem; protinus enim moritur viuens ac anima definit actuare corpus; negamus quod in altera propositione argumenti subdebatur ex Aristotele, nimirum alentis animæ operationẽ non esse nisi circa nutrimentum; nam dum hæc profert Aristoteles aperte agit de operatione speciali, quæ est altio, auctio, & generatio; quam vltro concedimus necessario fieri circa nutrimentũ; sed modo nos agimus de functione communi, quę est viuificatio, siue animatio, & actuatio corporis, vt ita dixerim; quam certum est vel Aristoteli fieri, non circa nutrimentum, sed citra, & ante alimentorum vsum circa subiectum corpus; nam & Aristoteles promiscue definit animam actuare, ac viuificare corpus organicum, quod est habens vitam in potentia; & certum cuique est animam primo viuificare corpus ante omnem alimentorum vsum: sin autem mentio sit de alentis animæ operatione speciali, concedentes eam non fieri nisi circa nutrimentum, negãdum audacter quietem animæ a tali functione esse mortem; quum enim talis actio subsequatur vitam, tolli propterea potest, sine vitæ discrimine; siquidem non tollas priora, sublatis posterioribus, sed viceuersa; & proinde quum vita sit opus animationis, quies animæ ab actuatione corporis vere mors esse dicitur, siue mortis caussa immediata.

Anima in qua functione sit principium quod. Vide li. 4. c. 62.

Anima vegetę functio specialis.

Principia operationũ vitæ.

Lib. de vita.

2. de an. t. 33. & sequentib.

Operatio circa nutrimentũ quatruplex

2. de an. t. 6.

Posterioribus sublatis non tolli priora.

Vita est opus animantis.

Quomodo Aristoteli alimentum non sumentia animalia, & plantæ corrumpantur: & qua ratione ignis paruus a magno extinguatur, si non ad consumptionem pabuli. Cap. CLXXVII.

Qvod autem secundo loco ex Aristotele affertur, non leuem sane continet difficultatem, quę tamen nos ab incepto non deterreat; nam propositio vera est vt in pluribus, ac secundum vulgi famam, non absolute, ac ex rei natura, Corrumpi animalia, & vegetabilia alimentum non sumentia, vt sæpe sæpius obseruauimus antea; quod aperte indicat tum locus, in quo eam exarauit Aristoteles; tum quoque probatio, quam ipsi adhibet; locus est in Paruis naturalibus in scriptis, quæ opuscula multis referta sunt exotericis, vulgaribusque placitis, inter quę iuuat connumerare propositum; probatio est, quia calor innatus præsto non habens alimenta, in quæ operetur, materiam humidi substantifici depascitur, ad cuius consumptionem & ipse fatiscit, desumpto exemplo a multa flamma, quæ paucam corrumpit eo quod eius alimentum consumat, ad cuius consumptionem parua illa flãma corrumpitur; hæc sane probatio vt vulgaris est, atque famosa, ita veritati, & Aristoteli exquisitius philosophanti refragatur; veritati quidem, quia quantum pertinet ad consumptionem humoris a calore innato in penuria ciborum, quemadmodum si contingat humidum calori cedere, vere id affertur; ita non vere, si secus accidat calorem superari ab humore, aut illi æquipollere; semper enim agens vires habet supra robur patientis: at illud euenire potest, vt humor æquipolleat, vel etiã præualeat calori; quare iam sine alimentis in vita durare poterunt animalia, & plantæ. Sed hac de re fusius infra; Quantum vero spectat ad exemplum flammæ maioris consumentis minorem, illud ingenue fatebor ex rei natura lucernam, vel ardentem candelam in magno aliquo igneo positam protinus extingui, non (vt vulgo dici consueuit) quia maior ignis absumat humorem, quo minor sustinetur, & alitur; nam si, vbi minor flamma in maiori extincta fuerit, statim lucerna, vel candela extrahatur, in ea conspiciemus tantum adhuc liquoris, humorisque superesse, quantum satis esset ad continendum etiam per notabile spacium temporis extinctam flammulam; quæ denuo eodem in liquore accendi potest, & accensa diutius perdurare: sed reuera dicendum est magnum ignem ad se rapere, attrahereque paruum ob familiaritatem naturæ,

De long. & breu. vit. cap. 2. & 3.

Agens vires habet supra robur patientis.

Lib. 3. cap. 18. & 19. Vide li. 4. cap. 63. & sequentib.

Paruus ignis non a magno extinguitur, quia consumatur eius pabulum.

Paruum ignem a magno rapi, ferri ad magnum ferri, vt ad simile.

naturæ, ipsumque ab humido diuellere, quo prius
continebatur; quippe tanta non est vis humori ad
exiguum ignem retinendum, quanta vis inest igni
maiori ad illum ad se attrahendum, se rapiendú;
nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapa-
cius quam natura, & inter naturas, quam natura
ignis: & eo magis, quo pusillus ignis naturæ im-
pulsu ad maiorem collimat; siquidem veluti dissi
Contraria sese fugant, similia ad se trahunt. milia, siue contraria omni conatu se se mutuo fu-
gant; ita vicissim consimilia vniuersa naturali quo
dam instinctu, vbi valentiora sint, ad se alliciunt,
rapiuntque minora; vbi vero debiliora, sponte con
tendunt ad potentiora; sed speciatim calorem, si-
ue ignem validum ad se rapere imbecillum sibi vi-
cinum, certo experimento comprobatur in æstate
a magno calore ambientis pusillum calorem tum
animalium, tum etiam terræ aduentitium a cen-
tro ad circunferentiam rapi, non consumpta inter
na humiditate; quod aperte indicat grandiorum
fluuiorum, ac fontium, quorum a terræ visceribus
origo est, vbertas maior æstate quam hyeme. Ari-
stoteli vero ex propria sententia procul a vulgi opi
nione differenti lucernam in magno igne non ex-
tingui ad consumptionem pabuli, verum quia ma
ior ignis minorem ad se allicit, ac rapit, liquido cō
1. meteor. cap. 10. Cur cometæ raro fiant, iugiter ascendente illarum materia. stare potest ex eo, quod ipse decreuit multis in lo-
cis; ac primo vbi caussam assignat cur ascendente
iugiter de terra sursum exhalatione ignea, nō mul-
ti, neque sępenumero cometæ fiant; decernit hoc
inde contingere, quia maxima exhalatio ardens in
circulo lacteo ad se assidue trahit minorem ascen-
dentem, quæ secus extra lacteam Zonam sæpius
in cometam refulgere posset; illud enim a natura
insitum est cuique rei, vel inanimatæ tum vt con-
trarium fugiat, & ad simile, congeneumque spon-
te contendat; tum vt a simili potentiori trahatur
simile debilius huic tractioni minime resistens, &
3. probl. 57. Cur ante febris accessionem corpus sit calefaciendum ab opposito fugetur oppositum: Deinde vbi per-
spicuis verbis asserit Aristoteles, vbi multum supe
rest ignis, lucerna nequit ardere; exiguum quippe
ignem multus ille ad se trahit; ita fit vt ante febris
accessionem corpus extrinsecus calefaciendum
sit, siue, vt ipse ait; multum ignis in corpore prae-
parandum sit; febris enim exiguum continet ignē;
1. probl. 58. multusque proinde ad se ducet exiguum: Dein-
ceps vbi hoc ipsum repetit paullo post inquiens,
" Videsne lucernam, vbi multus ignis perflagrat, suā
" asseruare flammulam minime posse? multus enim
" ille exiguum ad se rapit: Vlterius vbi docens cur
3. probl. 23. Vini calor vt magorret calorem natiuum. extenuati ex largiore vini potu moriantur, deter-
minat vinum sua caliditate macerare calorem na-
turalem; & quomodo ab igne nimio, aut sole exi-
guus ignis extinguitur; sic intimū corporis calorē
a vini calore, si nimius est, superari, atque extin-
gui: certum est autem a vino calorem naturalem
non extingui, quoniam ab eodem subiectus ca-
lori humor absumatur; nam potius augetur; sed
quia calorem ad se rapit, & remouet a partibus so-
3. probl. 65. lidis, quo ipsæ destitutæ moriuntur: Vltimo vbi
ex professo agens de caloris corruptione statuit
corrumpi calorem aut extinctione, aut marcore;
extinctu quidem a contrarijs, hoc est frigido, atque
humido; marcore autem vel indigentia nutrimen
ti, vt lucerna eum fomite, aut oleo caret; vel ab a-
lieno calore, vt ignis in sole, & lucerna apud ignē;
quo loco liquido constat Aristoteli marcorē ignis
ad humoris subiecti consumptionem esse corru-
ptionem specie diuersam ab eo ignis marcore, qui
fit ab alieno calore vehementiori. Ceterum dato,
& non concesso Aristotelem adducto loco ex pro-
pria sententia, & acroamatice fuisse philosophatū;
dum ait alimentum non sumentia animalia, & plā
tas corrumpi, nihil officit asserentibus posse viuen
tia sine alimentis per spacium temporis effatu di-
gnum perdurare; non enim ait Aristoteles ab ali-
mentis abstinentia illico interire, sed simpliciter
corrumpi; hoc autem intelligendum est citius quā
si cibos assumerent; quod & nos vltro concedi-
mus. Non est igitur inexpugnabilibus septa pro-
pugnaculis opinio Laertij, Demetrij, & aliorum
asserentium homines tam longo ieiunio celebres
non semper ab omni alimento abstinere, sed enu-
triri cibo quopiam optimo, vel cælesti sibi ab An-
gelis, vel quouis alio modo clāculum suppeditato.

Decimaquinta opinio existimantium abstinentes nostros non esse corpora viua, sed cadauera Dæmonibus assumpta.
Cap. CLXXVIII.

INualuit præter ceteras hac in re quoque apud
viros magni nominis opinio statuens quotquot
hactenus obseruatum est diu multumque ab omni
esculentorum, ac potulentorum genere penitus ab
stinere, non esse corpora vere, ac physice viuentia;
sed cadauera Dęmone ab aliquo, siue bono, siue
malo assumpta, & mota; hoc placitum quum ido-
neos autores ex populo habeat, quamuis in monu-
mentis sapientum scriptorum non legatur, inseren
dum tamen huic operi meo credidi vulgare com-
mentum; inquiunt enim plures æque fieri non
posse vt corpora veram, & naturalem vitam agen-
tia huc apud nos diu viuant absque alimentis; &
cadauera, seu corpora dæmonibus assumpta ciba-
rijs vllis vtantur, atque indigeant; quorum sane
dogmatum primum satis apertum indicant ex Ari *1. politic. cap. 5.*
stotele, qui de viuentibus hisce nostratibus in mun
do sublunari sermonem faciens posteritati scriptū
reliquit alicubi fieri non posse, vt viuatur sine ali-
mento; secundum vero theorema rationibus con-
firmare nituntur asserentes, quodcunque corpus
ex elementaribus ingrediantur, & moueant Dæ-
mones, illud propterea cibis vti minime posse, tum
quia Dæmon quilibet corpori subcælesti adiun-
ctus non constituit vitam naturalem, sed æquiuoce
dictam; quum alimentorum vsus haud conueniat
viuentibus æquiuoce, sed ijs tantummodo, quibus
vita viuitur naturalis, & proprie dicta: tum etiam
quia corporibus elementaribus Dæmones non
vniuntur mediante anima vegetali, qua quæcun-
que corpora non gaudent, ea omnia citra vsum ali-
mentorum consistere necessariū est omnino; quip- *2. de an. 34.*
pe vel Aristotelis testimonio alimentis vti propriū *134.*
est vnius animæ vegetatiuæ nuncupatæ, non sen- *& 42.*
tientis,

1. mag. mat. c. 5. tientis, neque ratiocinantis. Huiusmodi rationibus persuasi viri nonnulli minime vulgares in eam deuenere sententiam, quam magna etiam vis turbæ simplicioris accepit, vt omnia quæcunque in hac elementari regione sine alimento vitam diu degere videntur, corpora non sint vere, ac physice uiuētia, sed ab aliquo Dæmone assumpta, & mota cadauera, & omnino corpora æquiuoce viuentia: in cuius opinionis confirmationem adhibere se putant signum efficacissimum, pij aliqui, probique homines, nimirum non alio argumento demonstrare voluisse Redemptorem Dominum post sui resurrectionem Discipulis nondum credentibus ipsum verè a mortuis resurrexisse, verum se esse hominē, non spiritum, aut phantasma ludicrum, sicut ipsi existimabant, quam postulando ab ipsis alimenta, & oblata secum manducando, clare semper supponendo alimentorum vsum pertinere solummodo ad corpora physice viuentia. Luca. c. 24.

Cribratur adducta opinio, demonstrando posse corpora physice viuentia diu viuere sine alimentis; & à Dæmonibus assumpta cibarijs vti valere.
Cap. CLXXIX.

Quorum tamen opinioni mens nequit omni ex parte acquiescere; quum in primis obseruem quotidianis experimentis plantarum semina, & brutorum animalium oua tum fecunda, tum etiam infecunda (quę omnia ex Aristotele viuunt non minus quam stirpes) diutius integra, sana, & prolifica seruari sine alimentis: quod ergo stirpium seminibus accidit, & irrationalium animantium ouis, cur alijs viuentibus subcælestibus contingere nequit? ceterum quid semina, & oua commemoro? nonne perfecta ipsa viuentia glyres, vrsi, serpētes, & alia in brutorum genere multa quotānis per plures menses innocuum tolerant ieiunium? Non est ergo absolute verum dogma illud, quo statuunt viri graues fieri non posse vt corpora physice viuentia in subcælesti mundo diu sine alimento viuant. Nec minus à vero abest aliud eorum placitū, quo dicunt corpora Dęmonibus assumpta non posse vlla ratione alimentis vti; nam Eudæmones assumptis sibi corporibus aereis comedere, ac bibere posse, atque hac ratione alimentis vti, licet non ad nutricationem, apertissimum faciunt sacræ paginæ, quibus admonemur olim primum quidem Abrahæ tres Angelos, siue Deum Optimum sub trium virorum specie sibi architectatis, & assumptis tribus aereis corporibus apparuisse, & apud Abraham comedisse panem carnes vitu'i, butirum, lac, & alia quæ plus senex comedenda illis apposuerat: Deinde vero etiam sedēti Loth in foribus ciuitatis duos Angelos assumptis sibi corporibus apparuisse, atque apud ipsum pariter in conuiuio azyma comedisse: Quod modo nouimus in bonis Dæmonibus, idipsum certum est etiam de malis; non enim semel, sed multoties certis experimentis compertum testantur viri religione celebres, & fide dignissimi, Ananias, Mengus, Delrius, & scholastici Theologi

2. de gen. an. c. 3. et 4.

Corpora dæmonibus assumpta posse alimenta vti.

Genes. c. 18.

Genes. c. 19

De nat. dæmon. de art. exorcist. & de eis vers. dæmon. Disquis. mag.

passim, Cacodæmones assumpto sibi aereo, uel corpore quouis alio, etiam cadauere, in humanam, & quandoque in ferinam etiam figuram verti, & hominibus, quos decipere anhelant, inseruire, & cum ipsis comedere, ac bibere consueuisse. Prætereo apud Gentiles legi simulachra idolorum non semel comedisse; atque apud nostrates quoque grauissimorum autorum testimonijs præstigiosos homines, veneficasque mulieres noctu uarijs in locis cū Dæmonibus impuris impie conuiuare, crapulæ, ac omni tripudiorum generi promiscue operam nauātes: Porro & idolorum simulachra, & boni, malique Dæmones cum hominibus sensibilem consuetudinem habentes in conuiuijs corpora nō sunt physice viuentia, sed æquiuoce; vt quid ergo negant viri præclari corpora Dæmonibus assumpta, & proinde naturalem vitam non agentia cibis vti non posse ad manducandum? Attamen etiamsi demus corpora ista æquiuoce viuentia Dæmonibus assumpta cibis non uti, aut indigere vllo modo; haud propterea colligendum erit homines, quos diu sine cibis viuere obseruatum est, esse corpora Dęmonibus assumpta, & æquiuoce viuentia, non autem physice, multis nominibus; & primo quia potest hoc esse commune vtrisque, physice nimirum, & æquiuoce viuentibus, vt diu abstinere valeant a cibis; quemadmodum vtrisque commune est ambulare, loqui, & alia multa vitæ opera obire: Deinde vero corpora Dæmonibus assumpta æque se habent ad cibum, & potum; possuntque ad libitum vtroque alimenti genere carere; quum tamen inter commemoratos ieiunantes nonnulli a potu nunquam abstinere potuerint: Deinceps autem corpora æquiuoce viuentia, seu dæmonibus assumpta semper eodem modo se habere possunt ad alimēta; sed prænarratorum abstinentium aliquot post longam abstinentiam famescentes ad intermissum alimentorum vsum redire coacti fuere: Denique viuentia hæc non physicam, sed æquiuocam vitam sortita ex assumptis corporibus à Dæmonibus, mori nequeunt veram, & naturalē mortem ob vim morbi, sed absque morbo esse desinūt euanescentia, vt laruæ; quum tamen omnes prædicti abstinentes nostri post morbos veram mortē obiuerint. Quicunque igitur diuturno ieiunio claruere, non omnes esse Dæmones asserendum est, qui sibi assumpserint varia corpora in figuram hominum; Et eo magis, quo inter superiores abstinentes quædam mulieres post diuturnum ieiuniū cibis assuetæ, maritisque nuptæ liberos habuere; quum certum sit Dæmones assumpto corpore posse quidem succubas feminas implere ad prolem, non posse uero ab incubis masculis impleri ad partum, ob rationes multas a Delrio, & alijs Theologis allatas, hic non recensendas. Non tamen negabo fieri posse ut assumente Dæmone corpus aliquod, siue cadauer, siue alterius cuiusque conditionis, ipsum per longum temporis tractum seruet à putredine, ipsumque sic afficiat, vt hominibus viuere videatur citra omnem alimentorum vsum; quemadmodum propositis de caussis obnixe semper infitiabor quotquot hactenus

Dæmones implere posse feminas à masculis impleri non posse. 2. disq. mag. q. 15

abstinentia diuturna celebres habentur, fuisse corpora æquiuoce viuentia Dæmonibus assumpta.

Respondetur argumentis allatæ opinionis, ostendendo quo sensu Aristoteli fieri non possit vt viuatur sine alimento; & vtrum alimentis vti possint viuentia æquiuoce, sine anima vegetali. Cap. CLXXX.

EO etiam nomine probari nunquam mihi potuit superior opinio, quo non admodum firmis munita est argumentis: Quod enim primo loco probare conantur illius autores fieri non posse vt corpora physice viuentia huc apud nos diu viuant absque alimentis, quoniam aliquando agens *1. pol. c. 5.* Aristoteles de animantibus hisce nostratibus determinauerit perspicuis verbis fieri non posse vt viuatur sine alimento; solubili ratione nititur; nam vitæ nomen, seu uiuere vocabulum est Aristoteli *Vitæ nomẽ multiplex & æquiuocum Arist.* æquiuocum; sæpe nanq; illo vtitur minus proprie ad significandas functiones speciales animæ uegetalis, sumens pro eodem viuere, ac vegetare, vt quã*2. de an. t. 13.*do definit tum vitam esse altionem, augumẽtationem, & diminutionem; tum animã esse principiũ *2. de an. t. 3.* quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus *2. de an. t. 24.* primo; quandoque vero proprie sumit Aristoteles vitæ nomen pro ipso esse viuentium: si quidem *2. de an. t. 37.* in argumento sumatur viuere pro eo, quod est vegetare, seu obire munia vegetantis animæ, quo sen*1. pol. c. 5.*su hanc vocem sumit loco citato Aristoteles; nos vltro concedimus fieri non posse vt viuatur, seu vegetetur, atque obeantur actiones peculiares vegetantis animæ sine alimento; quippe reuera nutricatio, auctio, & generatio fieri nequeunt sine alimento, quod est obiectum, circa quod omnes istæ operationes eduntur apud Aristotelem: at nos asse*Obiectum functionũ vegetaliũ esse alimẽtum.* rentes diu viuere posse aliquos sine alimentis, nomine vitæ non intelligimus operationes vegetales, sed ipsummet esse viuentium: De quo pariter si lo*2. de an. t. 33. & 42* quantur in sua ratione viri doctissimi, non recte in hunc sensum adducunt eam Aristotelis propositionem, fieri non posse vt viuatur sine alimento; nam Aristoteles viuere ibi sumit non pro essentia viuentium, sed pro functione ab essentia prodeunte; quũ *Essentia prior est operatione.* autem essentia sit prior operatione, propterea essentia sine alimento esse potest, sine quo functio esse non potest. At etiam esto vitæ vocabulum Aristoteli eo loci sumptum in sui propria significatione pro eo, quod est viuentium essentia, siue coexistentia physica animæ cum corpore, scribens admirandus præceptor id, quod frequentissimum est, ac iuxta ordinarium naturæ stilum, nobis obstare non debet, qui de re agimus, quæ raro admodum homini contingit, & præter naturæ consuetudinem.

Quod autem secunda ratione dicitur, fieri non posse vt cadauera, vel alia corpora quælibet à Demone assumpta, & mota cibarijs vllis indigeant, ac vtantur; partim verum est, partim suspectum; verum quidem est constitutum viuens æquiuoce ex Dæmone, & assumpto corpore alimentorum vsu non indigere, ob allatas caussas à viris eruditis; Suspectum autem est idem æquiuoce viuens vti alimentis nullo modo valere; haud quidem cibis vti poterit ad nutricationem; ijs tamen vti poterit ad comestionem; nanque longe aliud est externa cibaria comedere, & comesis alimentis interius enutriri; hoc sane præstare nequeunt æquiuoce viuentia ex Dæmone, & assumpto corpore constituta; illud uero pro Dæmonis arbitrio facillime faciunt, quod fuse ostendimus antea, nulla in oppositum allata ratione obstante; nam quod affertur Dæmonem corpori sublunari adiunctum non constituere vitam nisi æquiuoce, verum esse fateor; quod autem mox dicitur, alimentorum vsum non conuenire viuentibus æquiuoce, sed solum degentibus vitam naturalem, si per vsum alimentorum intelligatur comestio simul, atq; nutricatio, verum est quod affertur; illis tamen non officit, qui huiusmodi æquiuoce viuentibus ciborum vsum ad comedendum concedunt, non item ad sese nutriendũ: si vero alimentorum vsus viris egregijs etiam solam significet comestionem, falso plane statuunt alimentorum vsum, seu esum non conuenire viuẽtibus etiam æquiuoce; nam supra ostendimus idola, cacodæmones, & Angelos lucis in apparitionibus, assumpto sibi sublunari corpore, alimenta comedere consueuisse in conuiuijs, etsi alimentis illis vere non alerentur ea conuertendo in sui propriam substantiam, sed illa vel seruarent occulte postea deponenda, vel insensiliter consumerent, ac in elementa resoluerent. Quod insuper proponebatur, Dæmones non vniri corporibus elementaribus mediante anima vegetali, concedatur; negetur tamen corpora omnia, quæ carent anima vegetante, necessario consistere citra vsum alimentorum, si sermo sit de alimentorum usu generatim, prout hic usus complectitur etiam comestionem; etenim scribens quandoque Aristoteles alimento vti proprium esse opus animæ vegetatiuæ, pressius assumit vocem usus alimenti pro eo, quod est nutriri, & crescere: Deinde reuera nusquam dixit Aristoteles alimenti usum esse proprium opus animæ uegetatiuæ solius, sed hoc tantummodo, Ani- *2. de an. t. 34.*mæ uegetantis opus esse alimento uti; & alibi animam uegetalem separari, seu differre ab alijs pote- *2. de an. t. 42.* tijs, sensuali nempe, ac rationali anima, opere hoc, quod est alimento uti; at ex ui uerborum sic dicere non est adscribere animæ uegetali soli usum alimenti, nec est adscribere ipsi usum alimenti omnino, ipsum propterea ceteris rebus omnibus penitus interdicendo; sit enim opus uegetalis animæ alimento uti, eaque opere hoc differat a sentiente, ac rationali anima; cur id commune opus habere non poterit cum Dæmone in assumpto corpore aereo, uel cuiuscunque generis alterius? Quod ultimo afferebant deuoti homines indicium e sacra pagina, Redemptorem Dominum non alio argumento usum ad ostendẽdum se post resurrectionem uerum esse hominem; non spiritum incorporeum, aut phantasma, quam cum discipulis de hoc dubitantibus comedendo, solui etiam potest; neque enim Dominus hoc argumento usus est tan-

quam

quam demonstratiuo, & necessario, nec solo; sed veluti probabili, à signo, & cum alijs; quæ omnia simul simplices discipulorum mentes captiuare poterant in veritatis fidem: alioqui nec post resurrectionem gloriosus Dominus alimentis indiguit ad nutricationem; consimiliter enim ali non potest corpus gloriosum, & spiritus incorporeus, siue phantasma; & consimiliter vtrumque citra nutricationem comedere potest; verum quia discipuli ante aduentum Sancti Spiritus simplici mente prę diti fortassis opinabantur differre veros homines a phantasmatibus, ac spiritibus incorporeis, quod illi cibis quomodocunque vti deberent, hi autem nequirent; hoc apprime noscens Dominus, scite huiusmodi argumento ad eorum fidem viuificandam vsus est, quamuis absolute non demonstratiuo, sed probabili. Non est igitur hac in re ijs assentiendum, qui censent homines diuturno ieiunio celebres non esse corpora physice viuentia, sed cadauera, vel alia corpora Dæmonibus assumpta.

Decimasexta opinio asserentium abstinentes nostros esse homines, at non viuere vitam humanam, sed Dæmoniam, quæ cibis non indiget, vt ait Iamblichus.

Cap. CLXXXI.

IAmblichus inter Platonicos philosophus non ignobilis occasionem præbuit hac in re viris doctissimis nouam opinionem haud multum à superiori differentem comminiscendi; quum enim aliquando scripserit ille homines diuinitus afflatos non viuere vitam animalem, nec habere actiones humanas, sed viuere vitam diuinam, & operationes habere admirabiles, quasi anima ipsorum ocietur, & Dæmon in eis sit pro anima; hi censent abstinentes nostros Dæmone obsessos esse, ac viuere vitam Dæmoniam, Dæmonisque virtute adeo longum ferre posse ieiunium duplici ratione; altera est, quia Dæmon istis abstinentibus clandestinum alimentum in corpus insinuet, insensibiliter etiam ex eorum corpore ducat excrementa, vel tale nutrimenti genus ipsis suppeditet, vnde nulla, vel insensibilia solum segregentur excrementa; huiusmodi vero fuerit alimentum optimi succi; clanculum autem potest Dæmon in eorum corpus alimentum intrudere, tum ipsis non animaduertentibus, tempore somni; tum etiam ipsis solis id sentientibus: quocirca ijdem ieiunium aut simulauerint noscentes astum Dæmonis, aut potius verum esse crediderint ignorantes se cum Dæmone vllum habere commercium: quod à Sancto Prospero Aquitanico contigisse fertur iuueni cuidam Arabæ, quæ Carthagini à Dæmone obsessa fere tres menses ieiunasse visa, tandem assumpto sanctissimo Domini corpore liberata retulit noctu ab aue sibi liquorem quendam in fauces instillari consueuisse: Sed & Apuleius aperte fatetur spiritus quosdam admirandos esse, ex quorum religione Lymphantes alij sine cibo potuque

Lib. de myster. ægypt. cap. 24 29.

Lib. de pro miss. & præd. c. 5.

Lib. d mū do.

sint; pars vero præsagijs essantes futura: sed altera ratio est, quia Dæmon hac in re præstet, quod natura intra sui cancellos permanens agere non valet; quod quidem placitum & eo Aristotelis dogmate confirmari videtur, quo ipse aliquando apertissime admonet humanarum actionum caussam alias referendam esse in hominem ipsum, alias in Dæmonium, alias in naturam, alias in casum, siue fortunam, perspicue innuens aliquos effectus à Dæmone fieri, quorum origo non est à natura; cuiusmodi est longa hæc abstinentia; nanque alibi non minus clare docuit Aristoteles iuxta naturæ leges alimentum ad animatum referri, & esse non secundum accidens, verum per se; quum illud certo constet relatiua secundum esse, ac per se illius esse conditionis, vt alterum sine altero nunquam reperiri valeat, quippe quæ sunt simul natura; vnde fit vt necessario fateri cogamur animatū sine alimento esse non posse; & eo magis, quo Aristoteles ait animato alimentum conuenire non secundum accidens, ergo per se, igitur ex necessitate; nanque in posteriori Analysi manifeste sanxit Aristoteles quæcunque alicui per se insunt, ea ipsi semper, & necessario inesse: Quum itaque iuxta naturæ leges viuentia subcælestia sine alimenti vsu nequeant consistere; quum illud etiam omnibus concedi vltro debere videatur, tam longę abstinentiæ caussam referendam non esse in hominis voluntatem, neque in casum, aut fortunam; ex vi decreti Aristotelei superius allati, quod scilicet humanarum actionum caussa referri debeat vel in hominis voluntatem, vel in naturam, vel in casum, aut fortunam, vel in Dæmonium; necessario plane colligendum videtur homines, quos hactenus obseruarunt viri grauissimi ab omni alimentorum genere abstinuisse, tam longi ieiunij caussam à potestate Dæmonis acquisiuisse: eam vero non posse pendere ab hominis arbitrio, neque a casu, aut fortuna vlterius demonstrandum non est, quia nemo de hoc dubitare posse videtur.

De som. et vig. c. 1.

2. de an. t. 46.

1. post. t. 10. 15. 19.

De som et vig. cap. 1

Libratur adducta opinio, demonstrando Dæmones non posse in rebus physicis naturæ limites egredi; nec omnibus abstinentibus clandestinum alimentum subministrasse.

Cap. CLXXXII.

SEd intime naturam rei si expendamus, haud minus quam superior, longe a veritate abesse nobis comperietur proposita sententia; & speciatim quidem dum statuit cacodæmones posse viuentia illa, quibus supponitur ad vitam necessarium esse naturaliter alimentorum vsum, diu multumque supra naturæ vires conseruare sine alimentis; hoc enim vere, ac proprie miraculum est, ea præstare, quæ natura viribus proprijs efficere nequit; ad miraculum vero virtus immensa requiritur, qua solum pollet Deus Omnipotens: quum igitur ceteræ substan-

Miraculū quid sit.

tiæ separatæ infra Deum existentes, cum puræ, quas Angelos, & Eudæmones appellamus; tum etiam immundæ, quas nomine generis Dæmones, & proprio quoque cacodæmones vulgo nuncupant, finitam omnes habeant naturam, & intra naturæ suæ terminos limitatam potestatem; atque ideo ex se ad molienda opera supra naturæ fastigium, & admiranda insufficientem; plane confiteri opus est, si non physicum sit absque alimentis viuere, sed miraculosum, cacodæmones, Eudæmonesue non posse supra naturæ gradum summi Dei virtutem infinitam adæquare, atque opera efficere admiranda, cuiusmodi hoc esse dicitur à viris egregijs, quod homines diu viuant sine alimento penitus: solus etenim Deus Optimus immensum obtinet vigorem, quo ad miraculum efficiendum necessario est opus: Siquidem vbi dæmonum ministerio aliquid fit, quod nobis appareat admirabile, id reuera non est miraculum, sed opus mere physicum originem ducens à virtutibus naturæ, caussisque physicis; illæ tamen quum nos sæpe lateant, dæmonibus autem sint apertæ, ob rationes a nobis alibi propositas; propterea fit vt cacodæmones præsertim per nuncupatam Magiam eiuscemodi effectus producant, qui admirandi nobis appareant, caussas, & virtutes naturales ignorantibus, vnde reipsa tales euentus prodire consueuerunt: producunt autem Dæmones hæc admiranda applicando, vt fertur, actiua passiuis: Plerumque item spiritus immundi nihil in huiusmodi admirandis agunt, præter id quod sensus nostros illudunt, atque decipiunt vel ipsis aliquid opponendo, quod impediat ne vera sensibilium species ad eos feratur percipienda; vel medium ad omnem sensationem maxime necessarium alterando, vtrobique vtentes virtutibus, & caussis naturalibus sibi quidem apertis, nobis autem occultis; qua de re fuse Delrius, & alij dedita opera, consultoque agentes de natura dæmonum: falsum est itaque tam diuturnæ abstinentiæ caussam referendam esse in potestatem Dæmonum, qui hac in re illud efficiant, quod natura proprijs freta viribus admoliri non potest. At vero quod inquiunt insuper viri doctissimi cacodæmonem istos homines tam longo ieiunio celebres diu seruasse in vita non quidem penitus absque cibo, sed eis clandestinum alimentum propinando, & ita diuturnam huiuscemodi abstinentiam aut effinxisse, ac simulasse cognoscentes astum Dæmonis; aut credidisse ignorantes se cum immundo spiritu vllum habere commercium; id proculdubio in tanta rerum obscuritate non erat ita gratis assumendum sine vlla probatione sufficienti: Rationi etenim consentaneum non est puellulas adhuc in tenella ætate (quarum plerasque supra commemorauimus longo ieiunio celebres) à peccatis immunes tale habuisse cum immundo spiritu commercium. Addimus hunc articulum ijs argumentis proscindi, quibus consimilem sententiam dudum expugnauimus idem eudemoni attribuentem, quod præsens cacodæmoni. Vlterius an ne fortasse,

Dæmones non posse miracula efficere. Miracula fieri à virtute infinita Dei.

Dæmones qua ratione videantur miracula facere. 2. de vita. cap. 33. 3. de vita cap. 37.

Dæmones vt sensum decipiant.

quia præter homines plantarum semina, brutorum oua, & quæ tota hyeme latent quotannis in terræ cuniculis animalia rationis expertia sine alimentorum vsu diu viua degunt, dicendum est illa quoque vi dæmonis alimenta non assumere? Præterea in medium afferre liceat Lucomoriæ populos, de quibus obseruatum est superius quolibet anno per quinque menses nimio frigore rigentes, quasi mortui forent, ab omni alimentorum esu abstinere consuetusse; integram sane hanc nationem singulo quoque anno talem habere cum impuris spiritibus consuetudinem, vt eorum opera quinque mensium ieiunium tolerare valeant incolumes, probabile non est. Haud tamen absolute negauerim posse quempiam vel malo spiritu obsessum diu ieiunium agere, quia dæmon illi clam quotidie suggerat alimenta, & occulte similiter detrahat excrementa; vel etiam astu dæmonis adiutum abstinentiam simulare: sed hoc tantum affirmare audeo, non omnes, quotquot hactenus diu abstinentiam protraxisse constat, vi Dæmonis ieiunium tolerasse; immo vero paucos admodum eiuscemodi extitisse; quum ex omnibus tam longo temporis tractu a cibo abstinentibus nullũ adhuc (excepta iuuene Araba) obseruauerint autores aut veneficũ, aut immundo spiritu obsessum; quamuis qui cacodæmone vexantur, soleant vt plurimum innotescere, ac præsertim vbi à sacris hominibus, virisque sacerdotibus inculpatam vitam agentibus exorcizentur; quod expertum sæpius in puella Etrusca omnem de malo dæmone suspicionem e mentibus hominum ademit.

Tolluntur argumenta superioris opinionis monstrando quomodo ex Iamblicho, & Apuleio Dæmon possit esse causa eorum, quæ pertinent ad actiones hominum admirabiles.

Cap. CLXXXIII.

Est autem & propterea non penitus admittenda proposita opinio, quoniam rationes, quibus eam communire student eius assertores, adeo efficaces non existunt, vt nobis ipsam persuadere valeant: Quod enim primum ex Iamblicho affertur, vt ea ex parte concedimus, qua Dæmone obsessi dicuntur opera efficere admirabilia, quæ viribus humanis fieri non possent; ac in eis Dæmonem fungi vicibus animæ; ita ea ex parte negamus, qua inter admiranda hæc opera ponitur diuturnum ieiunium; etenim nec eius meminit Iamblichus, nec fieri potest a Dæmone, vt alia mirabilia; siquidem alia superant quidem facultatis humanæ potentiam, sed naturam hominis non destruunt; at ieiunio longiori corpus fatiscit, & dissoluitur viris clarissimis. Deinde vero non accipimus à Iãblicho Dæmone obsessum non viuere vitam animalem, ac naturalem, sed tantum Dæmoniã; licet enim Dæmone agitatis obscurẽtur multæ fun-

functiones humanæ, haud tamen obliterantur operationes naturales, seu vegetales, inter quas est nutricatio, & auctio: sed & si demus has quoque obliterari, non ideo fiet vt obsessi non viuant vitam animalem, & humanam; quippe vita est ante actiones, & ab ijs non pēdet, nec vna vita cedere potest alteri nisi per mortis interuentum; si ergo non viuunt obsessi vitam animalem, & humanam, mortui certe erunt homines; recedenteque Dæmone reuiuiscent iterum sæpissime de vna in alteram vitam commigrantes; quod placitum est mere voluntarium. Deinde vero Dæmone obsessi pauco tempore a spiritu agitantur, vt opera supra humanæ naturæ conditionem efficiant; integros menses, & annos vitam Dæmoniam agere continue semper ab humanis operationibus ociantes nunquam obseruati fuere. Deinceps autem nostri abstinentes probe humanas functiones edebant, quæ ti viuebant nullo spiritu perciti, vt procul abesset Dæmonis natura omnis. Quod secundo affertur iuuenis Arabæ ieiunium Dæmone clam suggerente cibum, sufficiens non præbet argumentum in alijs abstinentibus, quibus eum Dæmone nullum fuisse commercium obseruatum est. Apuleius quoque parum fauet viris egregijs, nam loco citato nō refert ipse caussam longioris abstinentiæ in Dęmonis commercium, sed in haustum spirituum, hoc est halituum, qui e terræ penetralibus halant alicubi; qua de re infra commodiori loco.

Ex vna in alteram vitam transitus non est nisi per mortem physicam.

Qua ratione Aristoteli fiant somnia futurorum prænuncia, & actiones hominum referantur in naturam, casum, & in Dæmonium.

Cap. CLXXXIV.

De somn. & vig. c. 1

QVod posterius afferebatur ex Aristotele, Humanarum actionum caussam alias referendā esse in hominem ipsum, alias in Dæmonium, alias in naturam, alias in casum, siue fortunam; quasi Aristoteles quatuor agentia distincta proferat incompatibilia, vnde seorsum prodeant actiones humanæ; id non bene allatum fuit; haud enim habent hunc sensum verba Philosophi sic dicentis,
„ Et vtrum in somnis contingit futura præuidere,
„ an non contingit; & qualiter, si contingit; & v-
„ trum agenda ab homine solum; an ea, quorum
„ numen, siue Dæmonium habet caussam, & natu-
„ ra fiunt, & a casu: hæc ille. Quæ ita interpretabere, vt his verbis perspicue sibi proponat Aristoteles agendum de somniorum natura, vtrum scilicet contingat in somnis præuidere futura, & quomodo; an non; & vtrum præuideamus agenda ab homine solum; an etiam ea præuidere possimus, quorum caussa est Dęmon, siue hęc a natura fiunt, siue casu; quæ nanque ab homine aguntur, quia pendent ab eius libero arbitrio, quem alia non possunt, Deus ipse cogere non vult, ideo ab homine solo prodire dicuntur: at vero quæ natura fiunt, vel casu, ea in Dæmonium, seu numen Aristoteli referuntur, qui opinatur omnes virtutes mundi subcælestis (vna excepta voluntate, ac mente hominis, quæ vere virtus non est mundi huius inferioris, quum ab agente sublunari non pendeat) gubernari suis in functionibus a virtutibus mundi superioris, quæ obtinent naturam numinis, atque Dæmonij. Nisi dicamus loco citato Aristotelem quærere vtrum somnia, quibus futura præuidentur, ab homine pendeant solum, nimirum a spectris rerum antea visarum, quæ sint imagines etiam futurarum;

Locus Arist. illustratur.

2. de gen. an. cap. 3.

1. meteor. cap. 2.

nam mens humana quod optat
Dum vigilat sperans per somnum cernit idipsum;

quod & bellissime cecinit Lucretius *Lib. 4.*

Et quo quisque fere studio deuinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire,
Causidici caussas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, ac prælia obire,
Nautæ contractum eum ventis cernere bellum,
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerū
Semper, & inuentam patrijs exponere chartis.

quæ postea succedentia somnis fidem adhibent, veluti præsagijs; quærit ergo Aristoteles vtrum somnia prænuncia futurorum ab homine pendeant solum; an a Dæmonio; a quo immitti somnia infra scripturus est; an a natura, hoc est a temperamento, quod Hippocrati dicitur natura morborum medicatrix; obseruatum est enim sæpe biliosos ignea, pituitosos aquea, & omnino plerunque homines temperamento similia somniare; an demum casu, quia ex multis imaginibus in phantasia seruatis quandoque dormientibus ea spectra constituuntur, quorum significata casu vigilantibus accidunt: sane his quomodo velit Aristoteles posse homines virtute Dæmonis diu a cibis abstinere, tu ipse iudica; mihi quidem longe aliud est homines diuturnum ieiunium ferre vi Dæmonis, qua de re nunc nobis instituta est disputatio, ab eo quod est homines tum in somnis præuidere posse illa, quorum Dæmonium habet caussam; tum somnia, quibus futurorum præuidentia continetur, a Dæmonio habere. Addo vsque adeo falsum esse actionum humanarum, quas non nisi ab homine velut a caussa efficiente prodire millies in Ethicis, & alibi passim monuit Aristoteles, caussam Aristoteli referendam esse alias in hominem solum, alias in Dæmonium, alias in naturam, alias in casum; vt nihil opus sit vlteriori confutatione. Ceterum esto Aristoteleum dogma Humanarum actionum caussam alias referendam esse in hominem ipsum, alias in Dæmonium, alias in naturam, & alias in casum, vt affertur; his tamen haud statuit Aristoteles Dæmones habere vim supra naturæ facultatem; alioquin quum ea ratione in allato dogmate contradistinguatur casus, & homo a natura, qua & Dæmonium; sane quo nomine Dæmonium ea efficere posse dicitur, quæ a natura effici nequeunt; eodem quoque dicendum esset casu, & ab homine fieri, quæ naturæ viribus effici non possunt; quod omnem Philosophiam tur-

Lib. de Diuin. per som. cap. 2

Natura morborum medicatrix quid sit Hipp.

Caſus eſt agens naturale.
2 ph t 49 & ſequ.
Actionũ humanarum quadruplex differẽtia.

bat, qua certo decernitur homo eſſe agens naturale, caſus item eſſe agens naturale, licet ſit agens per accidens; vt fuſe nos docuit Ariſtoteles: verum allatæ propoſitionis ſenſus eſſet, actionum humanarum bis geminam eſſe differentiam quoad ſui cauſſas, prout homo agens vario ſe ſe habet modo; nam conſulto aliquid agens ex propria voluntate illud efficit, cuius cauſſa eſſe dicitur homo ipſe; agens vero quidpiam furore aliquo agitatus, ſiue in Ecſtaſim raptus, aut melancholicus homo, illud ipſum efficere dicendus eſt ex Ariſtotele ſecundum naturam Dæmoniam; huiuſmodi nanque affectus, quibus acti homines ſupra humanam conditionem mirabiliores quaſdam actiones moliuntur, ſimiles actionibus Dæmonum, non abre veteribus naturæ Dæmoniæ nomine vocabantur; nanque furioſos, ſiue melancholicos, & Ecſtaticos ea plerunque facere obſeruabant, quæ ſupra conſuetas actiones hominum Dæmoniaco furore correpti oraculorum ſacerdotes efficiebant; illi enim dormientes præuidebant futura; hi vero vigilantes eadem prædicebant: Agens autem homo aliquid citra cogitationem, ac voluntatem, illud efficere dicitur ſecundum naturam; nanque multa quum ſint in homine actiua principia variarum operationum, nimirum rationalis anima, ſentiens, vegeta, corpulentia, grauitas, calor, & alia multa; quum ſenioribus philoſophis naturæ nomen etſi commune ad omnes formas, peculiari tamen ratione concedatur formis elementorum, & miſtorum anima carentium, & aliquando etiam vegetali animæ ad rationalis, & ſenſitricis differentiam, exiſtimantibus principia cum cognitione operantia vocanda eſſe nomine animæ; quæ vero citra cognitionem ſuo munere fungi conſueuere, nomine generis recte naturas appellari; quo ſenſu vulgata ſunt axiomata, Perfectiſſimum opus naturę eſſe generare ſibi ſimile; Frigidum non ingredi opera naturæ; Naturam eſſe rudem, atque ignaram, ſiue omnis cognitionis expertem: duobus etenim prioribus theorematibus apertum eſt naturæ nomine ſignificari animam vegetalem, cuius operatio Ariſtoteli eſt generare ſibi ſimile; & in omni ſua functione ceu inſtrumento ſemper vti calore, nunquã autem frigore; tertio demum placito conſtat naturæ nomine deſignari omnes formas phyſicas infra ſenſitricem, & rationalem animam, cui vtrique ſoli vis ineſt cognoſcendi: dum igitur homo agit aliquid beneficio animæ vegetantis, aut aliarum formarum, quæ ſibi competunt, quatenus eſt vegetans, vel miſtum corpus, illud efficere dicitur, cuius cauſſa eſt natura; quo ſenſu in homine appellant Medici functiones animæ vegetalis nomine operationum naturalium, ad differentiam operationũ animæ ſentientis, & rationalis, quas nuncupant animales: Agens denique homo aliquid præter inſtitutum dicitur caſu, & fortuito agere: Vnde conſtat naturæ nomen ſumi poſſe tum generatim, tum etiam ſpeciatim; generatim omnes formas abſolute complectitur, qua ratione quicquid agit homo, id omne a natura fieri dicitur, quoniam homo eſt agens mere naturale; ſpeciatim vero na-

Natura Dæmonia quid apud veteres.

Generatio vt ſit naturæ opus perfectiſſimum.
Frigidum vt non ingrediatur opera naturæ.
Natura vt ſit rudis, & ignara.
2. de an. t. 34. 42. 47. 49.
2. de an. t. 41. & 50.
Vide lib. 4 cap. 9.
Vegetalis anima propria operatio, & conditio.
Functiones animæ vegetæ cur medicis dicantur naturales operationes.

turæ vox indicat formas ſine cognitione agentes; quare humanarum actionum ſcite quatuor differentiæ aſſignantur; vt quæ ſunt à formis cognitricem vim non habentibus, nimirum ab anima vegetali, à natura fieri dicantur, à natura illa ſcilicet, quæ rudis, & ad vnum eſt determinata: quæ ab anima ſenſitrice, ac rationali prę̀ter intentum hominis operantis, caſu, & fortuna perfici: quæ ab iiſdem animis volente homine, animaduertente, ac ſui compote, ab homine ſolum exoriri; quæ tandem ab homine fiunt vel non animaduertente, vel furore quocunque acto, vel ab occulto aliquo agente impulſo, a natura Dæmonia ſcite fieri notantur; ita vt quatuor allata principia ſint determinantia genus operationum humanarum ad certa capita, licet omnes abſolute ſint operationes phyſicæ, ac naturales; & hoc ſenſu naturam Dæmoniam efficere quid ſupra vires animæ vegetalis, vt præuidere futura in ſomnijs concedimus; at impedire, ſeu tollere actiones naturæ alioqui neceſſarias, cuiuſmodi nutricatio eſſe dicitur Viris Clariſſimis non concedimus; neque id vnquam ex Ariſtotele colligi poterit. Quare formaliter ad argumentum, dato, & non conceſſo toto antecedente, quo ſtatuitur cauſſam humanarum actionum referri debere vel in hominis voluntatem, vel in naturam, vel in caſum, vel in Dæmonium; conceſſo itidem aſſumpto in ea parte, qua dicitur adeo longi ieiunij cauſſam referendam non eſſe in hominis voluntatem, neque in caſum; negamus aliam partem, qua dicitur eandem cauſſam referendam non eſſe in naturam; talis etenim eſt aliquorum hominum natura, qualis ouorum, & ſeminum, ac irrationalium quorundam, quæ diu viuunt ſine alimento. Vel concedentes totum argumentum, nempe tam longę abſtinentię cauſſam in hominibus eſſe naturam Dæmoniam; dicimus Ariſtoteli per naturas Dę̀monias non ſignificari ſemper naturas Diuiniores, cuiuſmodi ſunt abſtractæ mentes, ſed aliquando cauſſas occultas ſolum, & latentes; reuera etenim abdita eſt noſtri propoſiti cauſſa, & vſque adeo abdita, vt non mediocriter nobis vna cum viris doctiſſimis in eius indagine ſit inſudandum: Ariſtoteli autem naturam Dę̀moniam non eſſe Diuinam, liquido conſtat ex eo, quod ipſe alicubi fatetur a Deo non vtique mitti ſomnia, quæ tamen Dæmonia ſunt; quum natura Dę̀monia diuina non ſit. Sed eſto natura Dę̀monia Diuina, illud etiam conſtat ex Ariſtotele cauſſis occultis etiam phyſicis applicari nomen Diuini; ſcribit enim alibi aliquos exiſtimare Fortunam eſſe cauſſam immanifeſtã humano intellectui, tanquã Diuinum quiddam exiſtens: ſi ergo Diuini, ac Dę̀monij nomen haud aliud ſignificet, quam naturã latentem, & abſtruſam; vltro damus homines diu à cibis abſtinere virtute aliqua Dæmonia; quæ tamen nobis eſt inueſtiganda, & explicanda: Sin autem, vt putant viri egregij, Dæmonia hæc virtus indicet nobis poteſtatem mentis abſtractę, ſiue beatæ, ſiue damnatæ, negamus in eam referri debere tam longi ieiunij cauſſam, quo memorati abſtinentes dudum excellucre.

Natura rudis, & ad vnum determinata quæ ſit.

Natura Dæmonia quid Ariſtoteli.

De Diu. per ſom. c. 2.

2. phy. t 47.
Diuinum veteribus dicitur id quod latet humanũ intell. &c.

Quo

Quo sensu ex Aristotele alimentum ad animatum referatur, & sit non secundum accidens, sed per se: ac vtrum per se includat necessitatem. Cap. CLXXXV.

2. de an. 2. 46.

QVod vero posterius adducitur ex eodem Aristotele, secundum naturæ decreta nutrimentum ad animatum referri, & esse non secundum accidens, sed per se; atque ideo animatum absque alimento esse non posse, tum quia quæ secundum esse, ac per se inuicem referuntur, nequeunt separata consistere; tum etiam quia quæ per se competunt alicui, eadem illi ex necessitate insunt; hoc inquam argumentum nos non cogit viris clarissimis assentiri; nanque aliud est alimentum esse, hoc est pertinere ad animatum, & non secundum accidens; quæ est Aristotelis sententia loco citato; & aliud est alimentum referri per se ad animatum, siue alimentum, & animatum esse inuicem correlatiua secundum esse; de qua re nulla est mentio Aristoteli, oppositum sine vlla probatione gratis assumentibus viris egregijs. Sed reuera sensus Aristotelei dogmatis est, vt alimentum habeat potentiã non accidentalem ad animatum; quippe quod aptum natura est tum animatum alimento vti, quatenus est animatum; tum quoque alimentum per nutricationem verti in substantiam animati, quatenus animatum est; propter hanc ergo potentiam, quam habet alimentum ad hoc vt vertatur in substantiam viuentis, recte scribitur Aristoteli alimentum esse ad animatum, & non secũdum accidens; attamen ideo non sequitur vt alterum sine altero esse non possit; siquidem vt alimentum esse potest absque animato; quid enim prohibet panem, vinũ, carnes assas, & alia nutrimenta superesse corruptis omnibus animatis? ita potest animatum diu persistere sine alimento. Addo materiam habere potentiam essentialem ad formam futuram in particulari, ac speciatim quoque ad animam rationalẽ; alioquin ex aduentu formæ materiei habenti ad ipsam solum accidentalem potentiam non posset fieri vnum nisi per accidens; quum tamen constet apud Aristotelem ex materia, & forma futura, etiã si fuerit anima rationalis, fieri vnum per se ob id tantummodo, quoniam altera se habet ad alteram vt res in potentia ad sui actum: Ne dicamus actũ essentialem respicere potentiam item essentialem; modo constat potentiam nihil esse aliud quam relationem; & materiam separari a qualibet forma sigillatim, & fine qualibet peculiari consistere posse, ac vicissim rationalem animam sine materia post hominis obitum remanere; vt fuse alibi ex Aristotele disputauimus: iterum ergo colligas, & animatum sine alimento consistere posse. Amplius esto Aristoteleum dogma propositum, nempe alimetum referri secundum esse per se ad animatum; haud tamen ideo fiet vt alterum sine altero esse nequeat; quoniam vel Aristoteli relatiua etiam secundum esse, vt sensus & sensibile, scientia & scibile, simul natura non sunt, & alterum sine altero esse potest; scibilis etenim est quadratura circuli, cuius rei nondum scientia est; ita quid prohibet

a de an. t. 46.
Aris. locus explicatur.

2. de an. c. 7.
7. meta. t. 49.
Vtra duo bus fiat vnum per se.

De ortu an. hum.
De vita.
2. de an. t. 31.
12. meta. t. 16. 17.
De Adali quid.
Nõ omnia relatiua esse simul natura.

corruptis omnibus animalibus sensibile permanere sine sensu? sed hac de re fusius Aristoteles. Ceterum reuera ex Aristotelis doctrina clare satis elicere possumus alimentum & animatum non esse adinuicem correlatiua secundum esse, ac omnino de prædicamento Ad aliquid; quum vtrumque sit in genere substantiæ; quare quo nomine Aristoteles absurdum esse duxit ponere in cathegoria eorum, quæ sunt Ad aliquid, manum, caput, & quidpiam aliud de coordinatione substantiæ; eodem plane debent Philosophiæ cultores inconueniens existimare, si quis reponere præsumat inter relatiua secundum esse alimentum, & animatum; quæ omnium consensu pertinent ad prædicamentum substantiæ. Præterea neque illud suspicione caret, quod inquiunt, quæcunque ad vnum pertinent per se, omnia illi conuenire de necessitate; atque ideo alimentum, quod ex Aristotele ad animatum spectat non secundum accidens, sed per se, illi conuenire necessario; quandoquidem in Aristotelis doctrina non idem penitus est per se, ac nõ secundum accidens; propterea quod inter hæc medium intercedit, quod Logicis dicitur De omni; quod medium duplicis est differentiæ; nam alterum necessitatem non excludit, nempe posteriorißicum appellatum; alterum uero absque necessitate est, quod priorißicum nominant: quare dicens Aristoteles alimentum esse ad animatum non secundum accidens, viris clarissimis non ideo concedet alimentum ad animatum referri per se; verum tantummodo secundum dictum de omni, & hoc non tale, quod semper necessitatem includat. Amplius dato non secundum accidens esse per se, dic per se item duplicem habere naturam; nam aliud priorißicum similiter cognominatum necessitate caret, aliud posteriorißicum appellatum necessitatem obtinet: quocirca scribens Aristoteles alimentum esse ad animatum non secundum accidens intelligendus est per se quomodocunque, non speciatim per se necessarium, quo de agunt solertes viri, & Aristoteles locis adductis; quod enim per se est quomodocunque, id non protinus necessario est; nanque Aristoteli tum natura est principium motus, & quietis in quo est primum, per se, & non secundum accidens; quum tamen id, in quo natura est, naturale corpus non semper necessario moueatur, & quiescat; sed aliquando motu careat, aliquando quiete, immo terra nunquam moueatur, cælum nunquam quiescat; tum omnia natura lia corpora secundum se esse mobilia secundum locum, quæ tamen non semper, nec vbique necessario mobilia sunt; nam in suo loco existentia per se mobilia non sunt. Deinde alimentum esse, siue pertinere ad animatum non secundum accidens, siue per se, ac ex necessitate, verum est cathegorematice (vt aiunt) non autem syncathegorematice; nempe quoniam alimentum necessario competit vniuerso generi animatorum subcælestium, siue vniuersis viuentibus sublunaribus generatim; non autem vnicuique animato seorsum accepto, vt putant viri periti. Deinceps autem duplex rebus inesse necessitas obseruatur; alia completa, siue perfe-

Alimentũ non esse ad aliquid.

1. post. c. 8. 9.
Non idem esse per se, ac non secundum accidens.
De omni duplex.

Per se duplex.

1 post. t. 10. 15. 19.
2. phy. t. 3.
Non omne per se esse necessariũ.

4. cal. t. 5.

Necessitas duplex in rebus.

ne perfecta; quæ includit vniuerſalitatem ſuppoſitorum, ac temporis etiam; alia incompleta, & imperfecta, quæ ſolum complectitur vniuerſitatem ſuppoſitorum, excluſa vniuerſitate temporis: modo alimentum competit animatis ex neceſſitate; non quidem completa, qua oporteat animatum quoduis qualibet differentia temporis ali; vt cenſent viri celebres; ſed incompleta, qua ſufficiat animatum quodcunque aliquando ſaltem nutriri; Quinimmo potius ex Ariſtotele neceſſarium trifariam dicitur, nimirum quod vi, & præter inclinationem; alterum ſine quo non bene eſſet; tertium quod non aliter contingit ſe habere; modo alimentum viuentibus neceſſarium non eſt quia illis vi, & præter inclinationem conueniat; neque etiam quia ipſis competat ſimpliciter adeo quod aliter ſe habere nequeant; ſed alimentum animatis neceſſarium eſt ſecundo modo, quia ſine ipſo non bene eſſent: Alioquin oua, & ſtirpium ſemina, quæ demonſtrauit Ariſtoteles non minus viuere quam ſtirpes; immo & brutorum quamplurima hyeme in terræ cauernis latitantia non eſſent animata, quo tempore alimentis non vtuntur; quod tamen viri clariſſimi non dixerint. Ita ergo eorum ſententiæ ſubſcribendum non eſt, qui cauſſam longi huius ieiunij referunt in virtutem Dæmonum.

12. meta. t. 38.

Neceſſarium triplex Ariſtotelis.

Alimentũ vt ſit neceſſarium animatis.

2. de gen. an. cap. 3. & 4.

Decimaſeptima opinio Apponenſis & poſt eum Rugerij Bacconij cauſſam diuturnæ abſtinentiæ referentis in virtutes aſtrorum, quas vocant alij peculiares influentias, a quibus pendet tum magnetis conuerſio ad polum, tum maris æſtus, tum frigiditas in hæc infera. Cap. CLXXXVI.

AGgredi nunc par eſt eorum opinionem, qui cum Rogerio Bacconio exiſtimarunt cauſſam adeo longi ieiunij referendam eſſe in poteſtatem ſiderum, nempe in occultas illas cælorum vires, quas peculiari vocabulo cæleſtes influxus, ſiue influentias nuncupare conſueuerunt: Hi ſibi proponunt in Ducem tum Cornelium Celſum, qui longum ieiunium in cæli rationem apertiſſime refert; tum Petrum Apponenſem, qui primũ generatim præcipiat rerum cauſſas rimaturo antea cæleſtia contemplari, quia hæc noſtratia ſuperis illis ſint omnino ſubiecta, ita ut varie per eorum influentias permutentur: deinde vero ſpeciatim miratus non parum tum longæ abſtinentiæ cauſſam referri poſſe in proportionem humidi ad calorem, vt non diſſoluatur eius viſcoſitas (iure autem miratur qui negauit temperamentum æquale) potius eius quod a fide dignis dicitur de quadam iuuene trigenaria in Normandia per decem & octo annos haud comedente, cauſſam eſſe ait vim ſiderum, quæ in propoſito non parum operetur. His adijciunt celeſtia corpora in hæc inferiora non ſolum motu, & lumine certos, euidentes, & quotidianos effectus operari; verum etiam aliquando abditis influxibus euentus alios raros, & admirabiles procreare; inter quos cælorum partus rariſſimum, & admirandum hoc ieiunium referre in occultas illas aſtrorum vires, quas influentias appellant, nihil eſt quod impedire valeat; immo rationi ſummopere conſentaneum videtur; quemadmodum enim ſolis idem ſidus præſentes niues colliquat, nõ lapides, aut arbores; ita prorſus idem cælorum aſpectus, eademque cæleſtis influentia hunc potius hominem quam ceteros eo priuilegio donat, vt diu ab alimentis abſtinere valeat, quia hic eas diſpoſitiones obtineat ad ieiunium, quas reliqui homines non habent; ſunt enim cæli agentia naturalia; phyſica vero efficientia non agunt niſi in ſubiectum bene diſpoſitum. Sed ne videantur ſuæ opinionis fundamentum in tanta rerum controuerſia gratis aſſumere, tribus præcipue argumentis comprobare ſtudent cælum in elementarem regionem agere nedum motu, & lumine, verum etiam occultis illis viribus, quas vocant influentias; quorum primum deſumitur a conuerſione magnetis ad polum; quotidianis enim experimentis comprobatur acum attritu magnetis cuſpide confricatam in quacunque huius noſtri hemiſphærij parte conſtiterit, ſemper trahi a polo arctico, ſiue a cæli partibus polo propinquis; nam vbique cuſpidem eo ſponte conuertit; quam ſane vim attractoriam, ſeu conuerſoriam cælum magneti, & acubus eo illitis non immittit lumine, aut motu; non lumine tum quia polus partem cæli diaphanam occupat, non lucidam; tum quia in aere nubilo nulla e cęlo acubus impertita luminis ſcintilla, nihilominus ad polum acus magnete illitas conuerti, atque in ſerenitate obſeruant nautæ: nõ motu, tum quia polus in cęlo eſt immobilis; tum quia partes polo proximę vſque adeo lento motu circunuoluuntur, vt eum hucuſque ad nos nulla ratione demittere valeant: ſi ergo magneticarum acuum conuerſio ad polum a cælo eſt, non aliunde quam ab influxu ortum ducere poteſt. Secundum vero argumentum influentiarum poſitionem roborans, deſumitur a fluxu, & refluxu maris, ac preſertim Oceani; ſiquidem communi philoſophorum conſenſione huius ordinati motus aquarum cauſſa refertur in Lunam; quum tamen id Luna nec motu, nec lumine valeat efficere; non lumine, tum quia fit ſępe non apparente Luna in eo hemiſphęrio, nec vllam ad ipſum luminis fauillam effundẽte; tum quia Luna Soli coniuncta, quo tempore nullum, vel minimum lumen ad nos demittit, vehementius aquarum elementum mouet, maioreſque ciet vndarum reciprocationes, oceanique aſſultus; non motu, quia orbis Lunę motus nõ deſcendit infra ſupremam regionem aeris, nulloque pacto pertingit aquas ſub aere infimo locatas Ariſtoteli; & eas ſi pertingit, vſque adeo tardus eſt, vt magnam aquarum molem tam celeriter agitare, vt in æſtu conſpicitur, veriſimilite non ſit: Neceſſario igitur a Luna influunt in aquas occultæ quędam vires, quibus fluunt ſtatis horis aquæ, ac refluunt vice perpetua. Tertium argumentum influẽtias inuehẽs deſumitur a frigiditate, quam a cęlo prodire in hęc inferiora certum eſt, non motu, neque lumine; quum hæc duo ſint principia caliditatis; neque immobilitate; quum hæc priuatio quædam ſit, quæ frigiditatis, vt pote qualitatis poſitiuæ, apte cauſſa non

Lib. 3. cap. 4.

10. probl. 9.

10. probl. 68.

5. prob. 82.

1. meteo. cap. 4.

2. phy. t. 38.

non ponitur; quum ex Aristotele caussæ debeant effectibus proportione respondere; colligendum est igitur frigiditatem sub Luna oriri a cælo per ministerium, non luminis, neque motus, sed occultarum virium, quas influentias vocamus aliorum admirabilium effectuum apud nos procreatrices, ac præsertim huius tam diuturnæ abstinentiæ, qua plurimi hactenus claruere. Hæc afferunt de proposito viri celeberrimi.

Ponderatur adducta sententia, monstrando caussam adeo longi ieiunij referendam non esse in virtutes astrorum. Cap. CLXXXVII.

AB horum placitis validior sane ratio nos retrahit; nam præter Lucomoriæ populos, quos quinque menses quotannis ab omni alimento abstinere obseruatum fuit, nulla regio alia innotescere potuit, in qua homines fere cuncti promiscue longum ieiunium ducerent; sed in plerisque prouincijs vnus tantum, vel duo, vel paullo plures, diuersis etiam temporibus diuturniori abstinentia claruere: quum itaque cæli, & sidera sint agentia quidem physica, sed remota, & communia omnium euentuum sublunarium (præter quam luminis, & caloris, ac fortassis etiam aliarum qualitatum primarum) profecto a cælo, & siderum virtutibus prodire nequeunt nisi effectus itidem communes; quippe tum apud Aristotelem singularũ effectuum vbique assignandæ sunt caussæ singulares, & communium communes; tum quoque hoc ipsum quotidianis obseruationibus compertũ habemus; morbi enim quicunque a cælo pendent, ij populares sunt, maximamque animalium partem integræ regionis obsident, non vnum, vel alterum solummodo; sic quicunque nascuntur sub eadem constellatione, quamuis diuerso temperamento prædıti, omnes tamen easdem habent inclinationes, & ijsdem fortunis quadantenus obnoxij viuunt: caussa igitur longæ huius abstinentiæ in peculiaribus istis hominibus haud recte constituitur esse cælorum, siderumque virtus, quæ potestas est vniuersalis. Addo propositæ sententię assertores, dum statuunt admirandam commemoratorum hominum abstinentiam a virtutibus quibusdam cęli, & astrorum dependere, quę peculiari nomine influxus appellatę nihil habent commune cum cęli, astrorumque motu, ac lumine; falsum plane ponere fundamentum; nanque Aristoteles vbique in assignandis virtutibus, quibus cęlestia tanquam instrumentis agunt in hęc inferiora, solum motum, lumenque recenset, nullibique agit de occultis influentijs; quę propterea frustra ponuntur, quia ex eodem Aristotele omnes euentus subcęlestes prodeunt proxime a calore, atque a frigiditate, veluti a caussis efficientibus immediatis, a cęlo autem vt a caussa communi, & remota; modo influxus ponuntur viris egregijs sub ratione caussę proximę, ac peculiaris. Amplius ratum illud est, certissimumque Aristoteli cęlum omniũ effectuum, quicunque sub Luna oriuntur (vnum lumen excipias, qualitatesque primas tangibilium) caussam effectricem esse remotam, & communem; scribente Aristotele omnium euentuum in sublunari mundo materialem caussam esse ipsamet elementa, effectricem vero virtutes corporum, quę semper mouentur, cęlestium videlicet; quum autem certissimo constet vnicuique nullam remotam, & communem caussam effectum procreare posse sine proximę, ac peculiaris interuentu; liquido iam apparet non posse cęlum aliquid vnquam in hæc nostratia moliri, nisi peculiarium, proximorumque agentium (quæ omnia sunt elementaria) ministerio particulari; quod aperte colligas apud Aristotelem decernentem Mundum subcælestem ex necessitate continuum quodammodo esse supernis motibus, vt omnis huius inferioris mundi virtus inde regatur, & gubernetur tanquam particularis a communi caussa: si ergo virtus omnis mundi sublunaris gubernatur à cælestibus lationibus, hoc est a cælo per motus varios ipsius; vt quid ponendi sunt influxus? dixit autem lationes in numero multitudinis sapienter Aristoteles, quia cælum duplici motu gubernat subcælestia; vnus motus est, quo & ipsum semetipsum mouendo circulariter vna in gyrum vertit elementum ignis, & supremam regionem aeris; alter est motus attritionis, quo radijs astrorum prope terram in reflexione multiplicatis comminuitur aer, & incenditur. Præterea quum ex Aristotelis præcepto ad perfectam cuiuſque rei dignotionem, quam scientificam appellant, oporteat nouisse maxime caussam primam, quæ propria, & proxima est eidem philosopho; communi, & remota caussa, vt quæ deseruiat Demonstrationi Quia nuncupatæ, confusam, & imperfectam cognitionem generante; sane opus erat satores huius opinionis in tanta propositi difficultate manifestare potius caussam illam proximam, & immediatam sublunarem, cuius opera vsæ cælorum vires commemoratis hominibus tam longam abstinentiam tolerare posse concesserunt, quam insinuare solum caussam illam remotam nihil propositæ quæstioni lucis afferentem. Verum dato, & non concesso mediantibus istis influentijs peculiaribus cęlum caussam esse, quare vnus homo, vel duo tantum simul inter tot millena millium adeo longum ieiunium sustinere valeat eo quod vnus ille, vel alter homo inter ceteros eas dispositiones habeat, quarum beneficio (vt afferebatur) solus ipse capax fieret virium cęlestium; quum istę dispositiones in proposito subeant rationem caussę proximæ, ac immediatæ, si non pręcipuæ, saltem coadiuuantis, & penitus necessarię; quumque præceptore Aristotele, ad exactam cuiuſque rei notionem, & ad absolutam effectus cuiuslibet scientiam opus sit ipsum resoluere in vramquamque sui caussam primam, & immediatam; proculdubio tenebantur Clarissimi viri explicare quænam essent peculiares dispositiones illæ, ratione quarũ prædicti homines in virtute siderum, & influentiarum cælestium potuisse dicuntur tandiu ab omni alimento abstinere; sic enim satisfecissent paullo magis studiosorum desiderio, qui in occultæ il-

lius,

Cęli, & sidera quorum sint caussa remota, & quorum proxima. 2. phy. t. 38.

Morbi populares.

2. cal. t. 42. 2. meteor. cap. 4.

4. meteor. cap. 1. & 2. Subcęlestia omnia proxime a calore, & frigore.

1. meteor. cap. 2.

Caussa remota non agit sine proxima.

Cælum duplici motu gubernare infera.

1. post. t. 5 & 30. 2. phy. t. 28. & 38. Scientiam qua caussa maxime pariat.

Loc citat. & 8. meta. t. 12.

lius, & communioris caussæ assignatione nutant nihil omnino nisi voluntarium, tenueque tenentes. Non ergo studiosis diuturni huius hominum ieiunij caussam anxie quærentibus plene satisfaciunt, qui absolute illam referunt in cælorum, siderumque virtutes.

Dissoluuntur argumenta propositæ sententiæ, ac primum Celsi, & Apponensis autoritate librata, ostenditur non semper horum notitiam a cælis auspicandam esse.

Cap. CLXXXVIII.

QVæ vero insignes viri suam opinionem corroboraturi proferunt in medium, ea tanti momenti non sunt, vt probabilia reddant eorum dogmata. Quod nanque primum e Celso adducitur, multifariam soluitur; in primis enim cæli nomine Celsus aerem intelligit, non mundum supra elementa gyrantem, de quo agunt viri doctissimi. Deinde vero Celsus cælum adducit veluti caussam sine qua non, at nos agimus de caussa propria, & immediata. Deinceps autem Celsus ait cælum non quidem efficere tam longum ieiunium, sed tantum sustinere, ac perpeti, non impedire; cęterum nos quærimus caussam effectricem, & conseruatricem, de qua ne verbum quidem Cornelius, qui solum probabile reddit ieiunium Barbari hominis illius, quem prope Nili fluenta videri solitum memorat ex Cleombroto Plutarchus. Quod postea ex Apponensis autoritate deducitur, nihil nos turbat; etsi enim magna semper fuerit apud apud me seniorum, & speciatim Apponensis autoritas; eam tamen rationi præferendam nunquam existimaui; quare vnde me retrahunt dudum allatæ rationes ab huius viri sententia recedere non dubito. Deinde video Apponensem passim suis in operibus multum astrologorum placitis, magiæque superstitionibus concedere, vt optime obseruat etiam Champerius; quum igitur cælestes influxus primo ab astrologiæ, magiæque magistris inuecti, clam deinde in nostratium Philosophorum mentes irrepserint; nulli mirum si philosophis astrologica, magicaque reperta negauerimus. Deinceps autem speciatim haud absolute concedimus rerum caussas rimaturo in primis cælestia esse considerandas; nam secus male fecisset Aristoteles, qui rerum caussas indagaturus in Auscultatione physica cælestium contemplationem ante omnia non aggreditur: etsi enim sublunaria sint subiecta superis, sic tamen ijs subdita non sunt, vt horum notitia inde petenda sit; nam cælestia sunt horum caussæ communes, &, si proximas addas influentias, occultæ, quæ suos effectus exacte manifestare nequeunt. Vlterius falso etiam citatur Apponensis; non enim vsquam ipse tam longi ieiunij caussam determinate refert in virtutes astrorum, sed multum de proposito hæsitans duas affert caussas diuturnæ huius abstinentiæ dubitabundus, nihilque certi determinans his notis inquiens, Et ideo mirandum est non parum quod a fide dignis dicitur, quod quædam iuuenis in Normandia reperitur iam trigenaria per decem & octo annos non comedens, quomodo humidum sit eius sic calido proportionatum, quod non dissoluitur eius viscositas; aut vis siderum in hoc operatur non parum. Ex quibus facile constare potest Apponensem magis priori caussæ tribuisse quam posteriori, quam elegerunt viri clarissimi; licet neutri penitus acquiescere videatur; nos vt posteriorem modo non admittimus, ita priorem partim discussimus apud Albertum, partim examinabimus infra suo loco.

Lib. 3. c. 4

De oracul. defectu.

Calorum influxuũ autores astrologi, & magi.

10. probl. vlt. mo.

Cap. 131. & sequ. Lib. 3. ca. § 3. eiusd.

Influentias non esse caussas ieiunij, aliorumue effectuum abditorum, ac speciatim conuersionis magnetis ad polum. Cap. CLXXXIX.

ALiud vero argumentum desumptum ex eo, quod a cælo prodeant effectus duplicis naturæ, manifesti nimirum, & occulti ea ratione, vt euidentes effectus a notis cæli virtutibus oriantur, quæ sunt lumen, ac motus; abditi uero euentus consimiliter ab occultis cæli viribus proficiscantur, quas appellant influxus; ideo tollitur, quia etsi a cælo vniuersi sublunares prodeant effectus, quorum alij euidentes sunt, alij abstrusi; non tamen proinde illi manifesti sunt quia pendeant a manifestis cæli viribus; hi vero abditi, quia ab occultis influentijs; sed longe alia de caussa, nimirũ, quia cælum quum sit caussa communis, & remota semper aliam sublunarem caussam proximam postulans in rerum procreatione, res illæ dicuntur manifestæ, quarum caussa immediata liquet; occultæ uero, quarum caussa immediata latet. Quod vlterius affertur eosdem influxus in eadem regione non omnes homines abstinentes efficere, sed illos tantum, qui dispositiones requisitas habeant ad ieiunium, sicut idem sol præsentes niues colliquat, non arbores, non lapides; superius allatas rationes in hanc opinionem id nequaquam demolitur, ob diuersitatem naturarum comparationi subiectarũ; non enim habent eandem rationem ieiunantes homines ad alios, quam habent niues ad lapides, & arbores; nam omnes homines specie conueniunt, qua nix differt ab arbore, & vtrumque hoc a lapide; immo qua ratione quælibet nix, vel cera præsente Sole colliquescit; sic prorsus omnes homines in eadem regione eidem influxui subditi consimiliter ieiunium protrahere diu deberent, si huiusmodi essent influxus in rerum natura. Quod autem ad eorum tutelam affertur generatim de magnetis conuersione ad polum, de maris æstu, ac de ortu frigiditatis a cælo, argumentum est non procul a paralogismo petente principium; in eo enim euidenter probatur ignotum per ignotius, aut saltem per æque ignotum; apud Philosophos etenim qua ratione magnes ad polum semper conuertatur, mare perpetuo statutis horis fluat, refluatque, & frigiditas a cælo nascatur, ignotius est quam vtrũ cælu, præter motũ & lumen, occultas habeat influentias in hæc nostratia; vel saltem æque ignotum; quum immortales de propositis adhuc vigeant inter doctissimos viros controuersiæ. Deinde speciatim

Effectus cæli euidentes, & occulti vnde dicantur.

Magnes ad polum inhiat i. e tracta. sed currens.

ciatim in vnoquoque horum longe alia mihi mens est, atque viris quibuscum differimus; nanque magnes inhiat ad polum, non quidem eo directus vi alicuius influxus cælestis, sed naturali quadam proprietate magnetis; qua enim ratione citra vllius influentiæ ministerium homo admiratiuus est, atque risibilis; & plures herbæ, scilicet Heliotropium; planta maxima, & id generis, conuertunt sua folia, suosque flores ad sidus solis in quamcunque cæli partem Sol feratur; ita magnes hoc proprium habet, vt in quocunque locorum nostri hemisphærij sit, & ferrum ad se attrahat, & ipsemet se se ad polum vertat; Alioqui cælestis influētia sideris, aut partis cuiusuis cælestis vel iuxta Astrologorum dogmata suos effectus parit non in toto hemisphęrio, sed in ea regione solum, cui siderum concursus, vel cælorum pars dominatur; ex aduerso tamen aeus magnete illita in pixide nautica in qualibet huius hemisphærij regione cuspidem ad polum conuertit.

Diuturnam abstinentiam, marisque fluxum, ac refluxum non communicare in ortu a motu, lumine, aut influentijs cæli; sed hunc ab exhalationibus de terra surgentibus; illam ab alia caussa pendere. Cap. CXC.

Triplex cæli motus.

Maris æstum non pendere a motu integræ sphæræ.

Maris æstus non est vbique vniformis.

NEc maiori difficultate tollitur argumentum de maris fluxu, & refluxu; negamus enim absolute vt abstinentium nostrorum ieiunium, ita marinum æstum pēdere immediate a cælesti virtute, siue de motu agatur, siue de lumine, siue de occultis influxibus; siquidem, vt vnumquodque de marino æstu breuiter explicemus, triplex est cælestis motus; vnus est motus integræ sphæræ, alter est quo sidus in sphæra mouetur, tertius est quo sidus radiorum ministerio mouet aerem, & aquam illuminando, atterendo, calfaciendo, & alia quauis ratione; primo quidem æstus maris non sequitur motum integræ sphæræ, tum ob rationes allatas viris eximijs, tum quia motus hic vniformiter se habet semper in qualibet differentia temporis ad quamcunque maris particulam; modo maria non omnia vniformiter æstum patiuntur; nam alia nullum, vel insensibilem æstum habent, alia maximum, & euidentissimum; item alia in æstu æqualem in velocitate habent accessum recessui, alia inæqualem, rursus alia plures, alia pauciores habent reciprocationes in eadem mensura temporis. Deinde vero æstū maris non pendere a motu sideris supra maria, inde probatur, quia simul eadem cæli pars esse nequit supra duas aquei globi partes oppositas e diametro, nimirum supra quartam orientalem, & occidentalem, quæ ambę simul fluunt, refluuntque, scilicet in eadem temporis differētia fluit pars maris orientalis, qua fluit eius opposita occidentalis; & eodem tēpore alio pars quarta maris occidentalis refluit, quo refluit sibi opposita in oriente. Quæ ratio itidē funditus euertit caussam marini æstus desumptam a motu sideris facto in subcælesti regione luminis, & influentiarum interuentu; nanque influentiæ, ac lumen in eam elementaris mundi partem solum operantur, in quā dominantur; simul autem dominari nequeunt in duas quartas oppositas e diametro. Sed quæres vnde petenda sit admirandi huius effectus origo; profecto hic locus tantæ quæstioni est importunus; sed breuibus, arbitror in primis cum Aristotele a cælorum motu, ac lumine præsertim gigni calorē hic apud nos in aere prope terram, qui calor ab aere terræ communicatus tum sponte ex necessitate materiæ continuata serie partium ad interiora terræ viscera repit; tum etiam vi a superueniente frigiditate aeris deorsum magis ad centrum semper impellitur: calor hic profundioribus terrę partibus impactus continue validiores acquirit sibi vires, & ratione circumobsistentis sibi frigiditatis, & ratione densitatis terrę subiectę, & ratione sulphurearum materierum, quas in ijs locis repertas accendit: Quo factum est vt calor hic in terrę finibus internis validissimus, tum alia multa ignis opera iugiter efficiat, tum pręcipue de terra semper multam exhalationem procreet, vt monuit aliquādo Aristoteles; quę quidem exhalatio igneam, ac leuem naturam sortita, naturali propensione semper qua data porta sursum inhiat in ventos: ceterū quia ex intimis terrę partibus ad exteriores non est semper huic exhalationi apertus exitus, proinde non vbique de terra surgit exhalatio; sed ex terrę specubus perpetuo, siue sine fine, vt inquit Plinius; nisi forte contingat maximam vim exhalationum in aliqua terrę infera parte gigni, quę nullum obtineat perspiratum; tunc enim hęc sibi viam patefaciens, exitumque recludens terręmotu voragines efficit, per quas egressa montes, & ciuitates integras absorbet: sic in terra mari subdita multę sunt cauernæ, per quas exiens exhalatio maris aquas lentore suo nimium consistentes disrumpere non valens, ipsas attollit in fluxu pertransiens radendo terram subiacentem ita vt vbi tota exierit exhalatio, sponte refluat mare ad pristinum locum rediens: sed quia sub quibusdam maribus nullæ adsunt in terra cauernæ, per quas exeat exhalatio; ideo non omnia maria fluxu, & refluxu agitantur: si quando vero tanta exhalationis portio in cauerna terrę sub ponto hiatum non habente colligatur, quæ potis sit vi exitum sibi recludere; tunc disrupta cauerna in mari fiunt voragines absorbentes insulas veteres, facientesque distractiones partium continentis in insulas nouas, & ciuitatum submersiones: Et quoniam maria non omnia consimiliter cauernosam terram premunt, sed alibi sub aquis terra magis cauernosa est, & alibi minus; propterea quædam maria euidentiorem patiuntur æstum, quædam obscuriorem; & quædam rariores habent in die fluxuum vicissitudines, quædam vero crebriores: Et quia hyeme in terra maior copia caloris viget quam æstate; ideo æstus maris hyeme semper maior est quam æstate: Addas quoniam non quęuis exhalationis portio valet maris molem attollendo parare sub vndis in terræ superficie sibi viam ad exitum; proinde non semper fluit mare, sed statutis vicibus fluit, ac refluit, tanto requisito tempore ad tantam exhalationis copiam coaceruandam,

Maris æstum non prodire a lumine ac influentijs cæli proxime.

2. cal. t. 42.

1. meteor. cap. 4.

Marini æstus origo breuib. explicatur

Calor a cælo vi intra terræ viscera feratur

Vnde calor augeatur intra terræ viscera.

1. meteor. cap. 5.

Lib 2. cap. 45.

Terræmotus, & voraginum origo.

Quæ maria non patiantur æstum.

Obitus insularum, & exortus.

quanta

quanta sufficiat ad aquas eleuandas: Et quoniam aquarum moles, & densitas vbique eadem nõ est, ideo haud consimiliter in omni mari eadem horarum mensura fit æstus: Id autem, quod simul in duabus quartis oppositis fiat fluxus, & in duabus alijs refluxus, non aliunde prouenire arbitror, quã quia e maxima terrę cauerna sub mari forte a Platone Barathri nomine vocata, iugiter exiens magna exhalationis manus, quum sursum recta scandere ad aerem vsque a vasta mole, & crassitudine aquarum impediatur, & ab earum pondere recta deorsum aquas deprimēte congeries exhalationis illa scindatur in duas partes æquales, simul vna pars ad dexteram mundi regionem in orientem plagam fertur, altera vero ad læuam in occidentē; qua exhalatione iam ad auras emersa, dum vtrinque maria in propriam sedem non absque impetu feruntur, exeuntem ex eodem specu exhalationē impellunt occurrentia ad os cauernæ, vbi ad eam molem colligitur noua exhalatio, quæ denuo quieturas alioquin aquas simili modo attollat in fluxum perpetuis viribus: Id ipsum dicendum est euenire de duabus alijs quadris ob cauernam consimilem in opposita terrę parte sub aquis maximā exhalationem vim expirantem: Quod autem de mari dictum est, idipsum dicendum reor de quibusdam puteis, quibus consimiliter inest incrementum, ac decrementum statutis horis. Neque mirum videatur perennem esse hunc maris æstum; perennis est enim calor in terræ profundo exhalationes excitans, & iugis est exhalationum exitus de terræ cauernis; quemadmodum perpetuus est exitus ignis ex ætna, fluuiorum ex fontibus; immo sicuti obseruare liceat in profundis cauernis, e quarum ore semper venti prodeunt in terris sub aquis non delitescentibus; cuius rei signum apertissimum sit post subitam, vehementemque maris elationem, & post spumas scopulis illisas, ventorum impetus: qua de re apud Ciceronem carmina legimus.

Fluxus oppositę quartę vnde sit.

Vnde perennis sit maris æstus.

1. de Diui nat.

Cur post maris tumorem venti.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito, penitusq; tumescit.
Saxaque cana salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces,
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsus.

hæc omnia siquidem efficit exhalatio subtus e mari ad ripas gradiens; certis autem, & statutis temporibus hæc euenire nouum non est in natura rerum, quia vt suauissime cecinit Lucretius.

Lib. 5.

Multa videmus enim certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus: florescunt tempore certo
Arbusta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti
Non minus in certis fiunt in partibus anni.

Sed hæc fortasse prolixe nimis importuno in loco disquirimus.

Frigiditatem in his sublunaribus pendere non ab influentus, sed à cælorum immobilitate, vt verum sit ex Aristotele.
Cap. CXCI.

QVod postremum affertur de frigiditate, quã à cælo gigni constat, nõ motu, nec lumine, quę duo sunt effectiua caloris; neq; immobilitate, quia effectus positiui nõ bene referatur caussa in principiũ priuatiuũ multis modis dilui potest; in primis enim reclamantem habent viri solertes Arist. alicubi perspicuis verbis asserentem cęlos motu, & lumine calorem, immobilitate vero frigus in elementari mundo producere: Deinde falsum est absolute immobilitatem habere naturam priuatiuam; dicit enim statum; status autem positiuum quid. est: sed quietem dicat; quies in rebus duplex est; Aristoteli, altera præter naturam extra proprium locum, hæc vere priuatio est motus proprij; altera vero naturalis in proprio loco; hæc autem status est, ac omnino positiuum quid, non priuatio, sed finis, & perfectio motus Aristoteli: quum enim res in proprio loco existens non habeat propensionem naturalem ad inde abeundum, sane illa quies non est priuatio motus de loco proprio; siquidem priuatio ex Aristotele carentia est eius, quod esse deberet in subiecto: immo potius motus violentus rei a propria sede vere dicitur priuatio quietis, & status naturalis; nam illa quies est habitus, qui esse deberet in mobili: modo immobilitas, quæ caussa est frigiditatis, est quies, seu status rei naturalis in proprio loco, & proinde res positiua; non autem quies preter naturam in loco alieno, & propterea priuatio proprij motus: Immobilitas ergo frigiditatem procreans non est quid priuatiuum, quod & inde colligitur, quia secus alicui velut habitui opponeretur; at profecto nulli opponi potest, nisi motui cælesti; hoc tamen dici non debet, tum quia motui cælesti nihil est oppositum, non quies, quia non esset perpetuus, si daretur in natura quies cælesti motui contraria; non motus, vt ait Aristoteles; tum quia priuatio est carentia oppositi habitus solum in susceptiuo talis habitus, & eo tempore, quo huiusmodi habitus in eo esse deberet, quod monet item Aristoteles; modo elementa infera, in quibus ponitur hæc immobilitas frigoris procreatrix, nunquam susceptibilia sunt motus cælestis; Non est ergo priuatiuum quid immobilitas frigiditatē generans. Deinde vero esto immobilitas hæc in elementis inferis quies a motu cælesti sibi non communicato; quum non sit quies violenta; non enim violente aqua, & terra immobiles sunt circulo ad lationem cæli, sed secundum sui naturam; ideo immobilitas hæc in terra, & aqua est quies naturalis, & status firmus vtriusque elementi in proprio loco, & consequenter quid positiuum, nimirum actus grauis, qui est esse alicubi, ac deorsum insinuante Aristotele: Quæ ita magis explicabuntur. Elementum quodlibet extra proprium locum violentia quiescit, sublato autem impedimento, sponte fertur ad suum locum naturalem, in quo naturaliter item quiescit; prior illa quies

2. Meteor. cap. 4.

Immobilitatem esse quid simpliciter priuatiuũ.

Quies in rebus duplex.

2. cęl. t. 54
3 cęl. t. 19

Quies quę sit priuatio quę non.

8. phy. t. 32.

Cap. de oppos.

Motus quę sit priuatio quę [illegible]

Motui cælesti nihil esse oppositum.

1 cęl. t. 20

Cap. de op.

8. phy. t. 32.

la quies

Q..ies uio ..nta est ..traria ..tui. la quies elementi extra proprium locum uiolenta est contraria motui priuatiue; quies vero secunda naturalis in proprio loco non est contraria eidem motui, tum quia vni duo non possunt esse contraria ex Aristotele; tum quia est potius motui familiaris, *..gl.t.10* & illius perfectio, ac finis; mouentur enim elementa sponte ad suum locum singula in hunc finem, vt ibi quiescant; nam quies in proprio loco est summa eorum perfectio; priuatio autem quatollit actum, eatenus imperfectionem designat: *Motus naturalis ter minus.* His duo addenda sunt alia, vnum est, Motum naturalem incipere a quiete violēta extra locum mobilis tanquā a termino a quo, ac terminari ad quietem naturalem veluti ad terminum ad quem; quū itaque terminus a quo se habeat ad terminum ad quem veluti priuatio ad formam, & omnino ad ens positiuum; plane constat immobilitatem, qua de agimus, quæ est quies, & status terræ, & aquæ in suo loco naturali, esse ens positiuum. *Quies naturalis elementi in suo loco duplex.* Aliud est, Elementum in suo loco naturaliter quiescere posse bifariam, nimirum aut firme, stabiliter, & imperturbate; aut vicissim absque firmitudine, instabiliter, & perturbate: profecto aeris pars suprema, & elementum ignis in suis locis naturaliter quiescunt sine firmitudine, instabiliter, ac perturbate; nam a motu cęli semper aliqua ignis portio violenter de suo loco, & quiete naturali deturbatur inferius, quæ aeris inferioris portionem item vi facta de naturali sede propellit superius, vt monet Aristoteles: *1. meteor. cap. 4.* at ex aduerso terra, & quoquopacto aqua, & fortassis aeris infima pars, quum a cæli motu non agitetur, singula in suo loco naturaliter quiescit firme, stabiliter, atque imperturbate; huiusmodi autem firmitudo, & imperturbatio, siue stabilitas proprij status, quietisque naturalis in terra, & aqua priuatiuum quidquam non est, sed perfectio quædam positiua natiuæ quietis eorundem elementorum: Quæ quum ita sint, iam patere arbitror immobilitatem, quam ait Aristoteles esse caussam frigiditatis in elementis inferis, esse positiuum quid, non priuatiuum; nam talis immobilitas reuera nihil est *Frigus esse quid priuatiuū* aliud, quam firmitudo, & stabilitas quietis elementorum grauium imperturbata, & inuiolata, a motu cæli, qui longe abest: *3. phy. t.5 2. cæl. t. 18.* Quod autem ab hac firma stabilitate quietis naturalis terrę, & aquę pendeat earundem frigiditas, saltem velut à caussa conseruatrice, *3. de gen. t.12.* omnibus est in confesso. Vlterius disputationi si demus immobilitatē huiusmodi esse quid *12. meta. t 22.* priuatiuum, negabimus frigiditatem esse absolute quid positiuum; nanque Aristoteli frequentissimū *Positiui caussam posse statui priuatiuam, & vicissim* est contraponere frigiditatem calori vt priuatiuū positiuo. Demum esto frigiditas positiua qualitas, immobilitas vero priuatiua caussa; negandū propterea illam ab hac prodire non posse; nanque promiscue a positiua caussa priuatiuus effectus oritur, *3. phys. passim. præsertim t.55.16. 81.* & a priuatiua causa effectus plerunque nascitur positiuus; sic mors pendet passim a causa positiua; & vmbra prodit ab opaco corpore, ac lumine; sic priuatio est principium rerum omnium physicarum Aristotelis, *2. phy. t. 30.* & causa appetitus materiæ; sic absentia gubernatoris est causa submersionis: *2. phy. t. 38.* Nec obstat decretum Aristotelis de proportione caussæ ad effectum, quia talem proportionem in omnibus non ponit Aristoteles, at speciatim in quatuor tantum conditionibus, *Caussę & effectus proportio in quatuor consistit.* nimirum vt effectus communis referatur in caussam communem, singularis in singularem, effectus in actu resoluatur in caussam in actu, & effectus in potentia reducatur ad caussam in potentia, potissime agēdo de caussa effectrice, conditionibus ceteris promiscue ita se habentibus, vt effectus per se assignari valeat caussa per accidens, quod fit dum euentus referuntur in fortunam, & casum; & effectus positiui caussa priuatiua, & vicissim. Non ergo reperias effectum, qui referendus sit in occultas influentias, quum omniū sit assignare caussas euidentes, vt frigiditatis immobilitatem cum Aristotele. *1. meteor. cap 4.*

Decimaoctaua opinio decernens longioris abstinentiæ caussam referendam esse in sympathiam complexionis cum aere, & antipathiam cum cibis. Cap. CXCII.

NOuam legi nuper opinionem de proposito, cuius autor decernit diuturnum huiusmodi hominum ieiunium pendere speciatim a quadam conformitate (inquit ille) atque sympathia, quam abstinentium complexiones retinent cum aere; cuius sympathiæ beneficio vsque ad statutum tempus aere sustinentur; quo temporis tractu sympathię complexionum cum aere addatur quædam inimicitia, vel antipathia eorundem hominū cum cibariorum vniuerso genere; quod vltimum hic autor nunc exemplo puellæ illius comprobare studet, quæ Genuæ in ædibus Excellentissimi Principis Auriæ diligentissime custodita, si forte in suo thalamo solus panis relictus esset, vsque adeo angebatur in eius aspectu, vt oporteret statim eum tolli, nihil aliud permittens apud se remanere quam aquæ amphoram, qua statutis temporibus sibi os abluere consueuerat: alia uero ad propositum confirmandum ampliora, doctioraque argumēta, quippe quæ forent extra subiectam sibi eo in libro materiam, alias in tractatione in posterum prælo committenda se allaturum pollicetur. Nobis certe hac in re nullum aliud argumentum in mentem venire potuit, quam verisimile esse ob occultam similitudinem inter hominum quorundam temperamētum & aerem intercedentem fieri posse ut aer illis, alioquin alendo ineptus, in alimentum cederet; quum ob eandem sympathiam mirabilius quid accidere soleat, & difficilius opus fiat in sturnis, & coturnicibus; quibus alimento innoxio sunt napellus, atque cicuta, quæ simpliciter inter venena teterrima connumerantur, proindeque dicenda sunt toto genere alimentis contraria, uel saltem magis aliena ab alimentorum natura, quam sit aeris benigna substantia.

Iudicium promitur de hac opinione, oſtenditurque hominis temperamentum eam cum aere ſympathiam non habere, vt ſine alimentis illo ſuſtineatur, Cap. CXCIII.

AC vtinam euulgata iã eſſet illa tractatio, quæ pollicitus rationibus amplis, doctioribusque ratiocinijs cõplete meo deſiderio ſatisfaciens hanc mihi opinionem perſuaderet, quam argumenta quædam nunc mihi aperte diſſuadent: Ante omnia primum theorema, quo ſcribitur abſtinentium complexiones retinere quandam conformitatem, & ſympathiam cum aere, quo propterea ſuſtinentur, nobis explicandum eſt paulliſper; Complexionis nomen proprie ſignificat idem, quod temperamentum, & eſt qualitas (ſiue ſimplex, ſiue cõpoſita) conſurgens ex coniunctione quatuor primarum qualitatum in quolibet miſto, & omnino eſt forma miſti; quod eſt axioma notiſſimum in Medicorum ſcholis; improprie admodum, & quod ſciam niſi ab idiotis vſurpatur complexionis vocabulum ad ſignificandum corpus viuens: Cõformitas eſt vox generica ſimilitudinem quamcunque complectens: Sympathia vero eſt ſimilitudo latens apud viros doctiores, licet vulgaribus hominibus ſit etiam ſimilitudo euidens; Conſimiliter inimicitia vniuerſaliter omnem oppoſitionem ſignificare poteſt, antipathia vero ſolum inimicitiam occultam cauſſam obtinentem proprie loquendo: Demum terminus ille *ſuſtinere* multiplicem habet ſignificatum, nam alias idem ſignificat quod conſeruare in eſſe ſine ſui mutatione; ſic forma ſuſtinet materiam, Deus Vniuerſum; aliasque indicat conſeruationem cum ſui mutatione, vt cibus conuerſus in ſubſtantiam viuentium viuentia conſeruare dicitur Ariſtoteli: Ex his liquido conſtat allatum dogma multis ſenſibus refertũ eſſe, ac proinde non parum laboris nobis impendendum eſſe in illius examine: profecto ne pigeat nos ad veritatis indaginem hunc etiam lapidem euoluiſſe: verum breuiter, quantum fieri poteſt; primus ſenſus allati dogmatis hic eſſe poteſt, Temperamentum ob ſimilitudinem manifeſtam cum aere, eo ipſo diu poteſt conſeruari; qui ſenſus falſus eſt euidenter, tum quia temperamentum abſolute non alitur, ſed corpus viuens; tum quia temperamentum nullam diu habere valet manifeſtam ſimilitudinem cum aere; quippe temperamentũ eſt habitus diu permanens; aer vero aſſidue quocũque agente facile mutatur de calido ad frigidũ, de humido ad ſiccum; tum quia ſi talis inter aerem, ac tẽperamentum ſimilitudo intercederet, profecto ea non eſſet alia, quam quod temperamentum abſtinentium eſſet à prædominio calidum, & humidũ, cuiuſmodi eſſe dicitur a Philoſophis aeris natura; & proinde aer diu poſſet abſque alio cibo commemoratos homines ſuſtinere non ſolum vt alimentum, ſed etiam vt forma quædam conſeruans: ceterum in primis (quod patet ex hiſtorijs in ſuperiore libro allatis) abſtinentium temperamenta, non multa fuere a prædominio calida, & humida, ſiue ſanguinea; ſed plurima frigida, & humida, ſiue pituitoſa; nonnulla etiam frigida, & ſicca, ſiue melancholica; quædam calida, & ſicca, ſiue bilioſa, quibus communis haud extitit hæc ſimilitudo cum aere: Deinde ad hoc vt aliquid alteri ſit alimento non ſufficit ſimilitudo penes qualitates puras, verum neceſſaria eſt ſimilitudo generis penes ipſammet eſſentiam, ſubſtantiamque compoſitam; quo nomine miſta perfecta, quæ ſola nutriuntur, miſtis itidem perfectis, cuiuſmodi non eſt aer, tantummodo aluntur; vt fuſe antea demonſtratum eſt: Deinceps falſo dicitur aer tali manifeſta ſimilitudine ſub rationæ formæ conſeruare temperamentum abſtinentium; temperamenti etenim, haud quidem conſeruatio, ſed potius corruptio, quæ putredo eſt, ab externi ambientis aeris calore humido vbique prodit, conſentiente Hippocrati, & Galeno Ariſtotele. Alter vero ſenſus eſt, Temperamentum abſtinentium ob ſimilitudinem occultam cum aere hoc ipſo diu conſeruari; qui nec recipi valet, quia tota natura aeris aperta eſt; in aere ſiquidem nihil aliud reperias quam materiam primam, & calidam humiditatem, quæ forma eſt aeris; quid ergo erit occultum id, quo ſimilis aer eſſe dicitur humano temperamento? at fortaſſe dices aeris qualitates formam non conſtituere, ſed à forma conſtitui latente: ceterum & hoc falſum eſt tum Ariſtoteli, tum præſertim Medicis, quorum doctrinam ſequitur hic autor; & nihil proficit huic opinioni; ſiquidem forma elementi longe imperfectior eſt temperamento, & corpore viuentis; ac proinde ipſum vt forma ſuſtinere nequit; quoniam ſuſtinens, & conſeruans vbique nobiliorem naturam habet re conſeruata, quippe ad illud ſe habet vt forma ad materiam, & Deus ad vniuerſum: Multo minus conſeruat aer merito ſuæ formę temperamentum, ſeu corpus viuens ſub ratione alimenti, quum aer non ſit miſtum perfectum: Deinde vero conſeruatio viuentis merito nutricationis fit per qualitates manifeſtas alimenti, non per occultas decreto Ariſtotelis alicubi ſcribentis animalia omnia noſtratia obtinere ſenſum tactus, qui eſt ſenſus alimenti; quandoquidem aluntur omnia ſiccis, & humidis, & calidis, & frigidis, quæ ſunt per ſe tangibilia, ceteris ad tactum non ita per ſe attinentibus, nec per ſe ad nutricationem requiſitis; & eo magis, quo nutriunt ſolum obiecta famis, & ſitis; quum fames appetitus ſit calidi, & ſicci; ſitis autem frigidi, & humidi; vnde liquido iam conſtat omne alimentum conſeruare corpora viuentium, non per occultas qualitates, ſed per manifeſtas, quæ ſunt primæ quatuor in genere tangibilium. Tertius ſenſus eſt, Abſtinentium corpora obtinere manifeſtam ſimilitudinem cum aere, quo ideo ſuſtineantur; profecto niſi agatur de ſimilitudine temperamenti, quam nuper exploſimus, nulla mihi manifeſta eſt horum ſimilitudo, quorum vnum eſt miſtum perfectum, alterum ſimplex, vel ad ſummum miſtum imperfectum; vnum ſimilare, alterum diſſimilare; vnum viuens, alterum inanime: dices fortaſſis vtrumque compoſitum ex materia & forma; fateor; ſed hanc ſimilitudinem

Cõplexio, & temperamentum quid ſit.

Conformitas quid. Sympathia quid.

2. de an. t. 47.

Temperamentũ non conſeruari ab aere ob ſimilitudinem euidentem.

5. aph. 22.

4. meteo. cap. 2.

Temperamentum abſtinentium non conſeruari aere ob ſimilitudinem occultam.

Aeris forma quid.

2. de an. t. 27. & 28.

Alimentum conſeruare viuentia per qualitates euidentes, & per latentes.

nem habent abstinentium corpora cū ceteris omnibus; cur ergo eius mento alijs compositis, vt aere, non sustinentur? Quartus sensus est, abstinentium corpora sortiri occultam similitudinem cum aere, quo proinde sustineantur: certe mihi occulta est, qui nullam adhuc noui similitudinem huiusmodi: occultam vero dicere hic autor non debebat, qui eam nouit, sed alijs manifestam reddere tenebatur. Alterum vero dogma, quo statuitur Abstinentium corpora nacta esse inimicitiam, & antipathiam cū omni ciborum genere facilius est multo; quid si demus hoc esse verum? quamuis enim ex hoc accidat vt abstinentes respuant alimenta omnia, inde tamen fieri nequibit vt sine cibis diu viuere possint; sed hoc alia de caussa continget; nam vidi ego non paucos ægrotos ob summam inappetentiam cibaria cuncta renuentes, qui nisi mortis iniecto metu ad esū cogerentur, breui fame interibant: sed absolute falsum est hoc assertum, ieiunantes nostros omnes inimicitiam, & antypathiam cum vniuerso ciborum genere obtinuisset; licet enim cibum non assumerent, cibo tamen præsente illorum plurimi nihil angebatur, vt compertum est de Scoto Cardani, de puella Germanica, & alijs quamplurimis; sed citra eius odium ab eo simpliciter abstinebant.

Dissoluuntur argumenta, quibus probatur ieiunium pendere à sympathia cum aere, & antipathia cum alimentis; ostenditurque vi sympathiæ aerem non posse in alimentum cedere, venenum vero posse. Cap. CXCIV.

DVorum theorematum, quibus adducta opinio continetur, alterum solummodo ab eius autore comprobatur, primo intacto; in quo tamē præcipuum residet fundamentum nouæ huius sententiæ; ac secundum quidem confirmatur non assignando caussam vllam propositi, sed afferendo vnicum exemplum abstinentis puellæ, quæ à conspectu cibi adeo male afficiebatur, vt panem de thalamo protinus auferri iuberet; quod oppositā sententiam tenentes haud multum lacessit ob ea, 1. de an. cap. 24. quę de natura exempli nos docuit Themistius alicubi scribens in rebus physicis exempla minimam vim habere probationum, infirmumque satis argumentum pręberead vim faciendam; quo tamen in re tam obscura, tamque apud Philosophiæ cultores controuersa efficacissimis opus sit argu- 2 prior. cap. 30. mentis: Immo vero & Aristoteles de natura exempli aliquando agens aperte decernit exemplum nō progredi a singulari ad vniuersale, siue vt ipse ait, à parte ad totum; sed vbique a singulari ad singulare, siue a parte ad partem: modo in proposito exemplo a singulari progressio fit ad vniuersale, dum ex eo, quod puella Pedemontana Genuę ieiunio diuturno famosa tolerare non posset præsentiam panis in thalamo propter aliquam cum cibo antipathiā, id ipsum ceteris omnibus abstinentibus euenisse colligitur. Amplius quidni puella tunc præsentem cibum apud se remanere non patiens longe aliam ob caussam diu ab alimentis abstineret, quam quia cibum abhorreret? multi enim cibum omnē possunt abhorrere, qui tamen absque cibis nequeunt diutius in vita permanere; quod frequenter obseruant Medici. Adiectum vero huic opinioni argumentum ex alimēto sturnorum, & coturnicū haud satis ipsam roborat; in cicuta nanque, ac in napello, quorum natura mista est perfecti generis, multiplex esse potest cum aperta, tum etiam latens mistionis proportio, & qualitas humano temperamē to similis; at aeri, qui simplex est elementum omni ex parte notum, nulla nobiscum sympathia inesse potest huiusmodi, cuius beneficio is nobis cedere possit in alimentū. Deinde napellus, & cicuta sunt plātæ, ac omnino mista perfecta; & licet sint venena, quum tamen & ipsę alantur, & vbique alantur omnia simili, adeo ab alimenti natura non desciscunt, quin habeant in se aliquid alimentaris; quo nomine magis ab alimenti natura distabit aer quā cicuta, & napellus, immo etiam quam aliud quodcunque venenum; siquidem venena omnia sunt in genere mistorum, in quo & alimenta; quum aer sit in genere simplicium; facilius ergo est veneno alī, quam aere solo; minorique negocio venenum, quā aer cedet in alimentum; quippe in habentibus naturam congenerem mutatio est; inter diuersi generis entia mutatio non est, aut saltem multo difficilior est; ac omnino simplex vnicum in mistum perfectum non mutatur; quocirca nec aer in alimentum. Deinceps in venenis, potissimum quæ plantæ, ac viuentia sunt, præter virus, nonnihil etiam benigni, atque alimenti esse necesse est; quum purum venenum viuere nequeat, nec ali; quare ob occultam sympathiam sturni, & coturnices habēt hoc ne a virulentia lædantur; quum interim salutari succo napelli, & cicutæ fruantur: at homines carentes ea sympathia citius à viru necantur, napello, aut cicuta ingesta, quam innoxio succo nutriri valeant; vel simul etiam humore innoxio nutriū tur, & noxio interimuntur: at nunquam hoc fit vt sympathiæ virtute venenum fiat alimentum, sed tantum ne noceat, & ad summum induat naturam excrementi, cum ceteris alimenti superfluitatibus protrudendi; minus ergo præstare poterit sympathia vt aer suapte natura extra genus alimenti consistens nobis in alimentum cedat: Nihil ergo efficit sympathia latens ad nutricationem.

Cicuta & napellus habent in se aliquid alimenti. Aer ab alimento cur magis distet quam venenum. Facilius est veneno aliquē aere solo. Inter diuersi generis entia mutatio non est. In veneno præter virus aliquid benigni esse. Purum venenum viuere nequit, nec ali. Sturni, & coturnices innoxie cicuta, et napello nutriūtur. Venenum fieri non posse alimentum ob vllam sympathiā

Decimanona opinio existimantium diuturno tempore à cibis abstinere proprietatem esse indiuidualem. Cap. CXCV.

OCcurrunt nobis nunc alij scriptores in hoc argumento, qui caussam tā longæ abstinētiæ in hominibus aperte referentes ad occultam ieiunantium illorum proprietatem, non quidem specificam, vt est admiratiuum esse, ac risibile, sed indiuidualem, quæ non toti speciei conueniat, verum aliquibus tantummodo in ea indiuiduis, asserunt pręter specificas in rerum natura plerunque inueniri huiusmodi proprietates indiuiduales occultas ex Alexandri Aphrodisæi autoritate potissimum, qui profusa oratione perspicuis verbis has

Præam. probl. proprietates occultas, & hominibus imperſerutabiles, & ſoli Deo ſummo cognitas in rerum natura eſſe demonſtrat: Autoritati cū Alexandro addunt rationem multiplicem ab euētibus plurimis, quorum origo in elementorum vires manifeſtas referri poſſe non videtur; ita cur hominum aliqui roſarum odore caput ilico doleant, plurimi lętentur; aliqui eodem odore ſtatim aluo fluant, alijs omnino immotis; aliqui thuris odorem maxima cū moleſtia percipiant, alij omnes eum ſumma iucunditate; aliqui titillatione plantarū maxime afficiantur, alij minime prorſus moueantur, alij potius ea in ſomnum reſoluantur; aliqui dum mutuū marmorum attritum, ſerriue ſtridorem, ſuberisq; lentam ſectionem ſentiunt, dentibus obtorpeſcant, & vniuerſo corpore horreſcant; alij nihil penitus compatiātur: cur item aluus nonnullorū ijs rebus adſtringatur, quę aluum reſoluere conſueuerunt; & ex aduerſo illis reſoluatur potius, quę vim obtinent adſtringēdi; hęc profecto neq; redigi poſſunt in cauſſas euidentes, ſed tanquam effectus proprietatis occultæ, nec ſolutionibus mandare tentanda; quippe de rebus hiſce cognitio humanū ſuperat ingeniū, vt inquit Alexander. Alexandro coniungitur Galenus aſſeuerās proprietates aliquas quidem omnino dici non poſſe; quaſdā vero ægre circa ægrotantia corpora oſtendi poſſe, vt pote quæ tantū ijs, qui eas ſæpe viderunt, cognitæ ſint. *3. de cōp. med. ſecūdum loc. cap. 3.* Adijciendum putant in horum confirmationem Theophraſti placitum alicubi eorum quę ſciuntur, & quorū naturalis quędam ratio haberi poteſt certos limites hac ratione pręſcribentis, *ſiquidem* (ait) *qui de omnibus rationem quæritant, ſimul cum ratione ſcientiam tollunt; immo verius erit dicere illos rationem eorū petere, quorum neque eſt, neque fuit.* Ex his demonſtrare conātur diuturnum ieiunium in hominibus nō aliunde pendere, quam ab eorundē abſtinentiū indiuiduali proprietate occulta; cuius ideo nulla ſit alia quærenda ratio, quia notum ſit diu viuere ſine cibo proprietatem eſſe ſpecificam ſeminum, ouorum, & brutorum hyeme latentium; cur ergo idem effectus in hominibus quibuſdam obſeruatus dici nō debeat proprietas eorum indiuidualis? Ita de propoſito philoſophantur viri celeberrimi.

Penditur hac opinio, aperiendo quid Physiologo ſentiendum ſit de proprietatibus occultis tum ſpecificis, tum quoque indiuidualibus appellatis. Cap. CXCVI.

Exer. 344 art. 8. SVbtiliſſimus ille philoſophorum noſtratiū Scaliger huiuſmodi proprietates occultas e cauſſarum genere aperte deturbat; cui multi aſſentiuntur ſtatuentes cęcam proprietatem eſſe aſylum inſcitiæ, atque confugium, vel potius Deus tutelaris cæcæ multitudinis cauſſas variorum effectuum ignorantis: contra doctiſſimus Fernelius, & plerique alij ſapiētes viri ab huiuſmodi proprietatibus abditis multos euentus prouenire demonſtrant: *De abd. r. rer. cauſ.* Ego vero vt non omnia difficilia in occultas proprietates retulerim; ſic aliquorum proprietates latentes eſſe, atque has nonnullorum euētuum cauſſas exiſtere, minime negauerim; ſiquidem illud in Philoſophia vetus eſt à quacunque forma proprio ſubiecto ineſſe affectionem propriam, ſiue proprietatem; vt ab anima rationali hominibus ineſt admiratio, ſciendi cupido, & riſibilitas; à propria forma igni leuitas, & aſcenſus: quemadmodū autem formarum aliæ ſunt euidentes, aliæ latentes; ita proprietatum aliæ apertæ ſunt, aliæ vero abditæ; proprietates à forma nota cunctæ ſimiliter ſunt notæ; ſiquidem latere nequit effectus prodiens à cauſa manifeſta; proprietates vero à forma ignota (cuiuſmodi maxima pars eſt formarum ſpecificarum) latentes ſunt & ipſæ; verū quoniam formarum ignotarum multiplex eſt gradus, nam aliæ ſunt ignotæ penitus, aliæ ignotæ ſunt eſſentialiter, alioqui notæ per aliquot accidentalia; ſic etiam proprietatum aliquæ ſunt omnino ignotæ, aliquæ autem confuſa, & rudi, ſeu communi quadam notitia dignoſcūtur: modo iam apud omnes ille mos inualuit nomine proprietatum occultarū eas appellandi, quarum nullam prorſus cognitionē habemus: vlterius formæ nomen philoſophis abſolute multiplex eſt, atque analogum cōmune ad formas eſſentiales, & ad accidentales; & quemadmodū ab eſſentiali forma, quæ dicitur ſpecificare compoſitū, ſeu illud in certa ſubſtantiæ ſpecie conſtituere, proprietas exoriēs, ſiue vnica, ſiue multiplex, ſpecifica proprietas appellatur toti ſpeciei conueniens: ſic à formis accidentalibus, quæ Porphyrio dicuntur compoſitū indiuiduare, vt ita loquar, proprietas emergens nūcupatur indiuidualis: Etiāſi ab accidentibus communibus vniuerſę ſpeciei compoſito ineſſe poſſit aliqua proprietas communis pariter omnibus indiuiduis in ea ſpecie; hoc tamen eſto diſcrimen inter proprietatem ſpecificam à forma ſubſtantiali prodeuntem, & eam, quę ab accidentibus cōmunibus oritur, quod illa ſemper effectum ſuum producere poteſt, quia ſemper eſt eodem modo in tota ſpecie; at hęc non niſi ſtatutis temporibus, quibus accidentia illa conueniunt, quæ à ſubiecto abeſſe poſſunt; ſic ridere ſemper poſſumus homines & admirari; ſic nō ſemper diu abſtinere poſſunt vrſi, & glyres, ſed hyeme ſolum. Amplius & a materia tū prima, ſeu remota; tum quoque ſecunda, ſeu proxima vnicuique compoſito inſunt variæ proprietates; quæ quidem à materia prima inſunt, communes ſunt, nempe genericæ, atque ſpecificę, vt eſſe diuiſibile, generabile, corruptibile, mobile; quæ vero à materia proxima, & immediata ſingulis inſūt proprietates, hę indiuiduales appellari debēt; quū ex Ariſtotelis doctrina cōpoſitū ab huiuſmodi materia hoc habeat, vt ſit vnū numero, & indiuiduū; profecto proprietates, quę à materia cōmuni prodeunt, illæ vt plurimū notę ſunt, quia euidens eſt materia cōmunis; ſed quę ab immediata materia ſingulorum prodeunt, pręter prędictā vnitatem numericā, quæ ſenſui patet, omnes quāmaxime latent, latente materia vniuſcuiuſque rei proxima; ſit enim proxima per multas formas accidentales ſecundum variam proportionem inuicem cōtextas, quarū formarum proportio, & proportionis gradus fere ſęper latent; licet formæ ipſę nonnunquam aliqua ex parte ſint euidentes: Qua itaque materia proxima reddatur vnicuique

Occultas proprietates dari. *Formarū aliæ euidentes, aliæ latentes.* *Occultas proprietates quas appellamus.* *Cap. de ſpec. in f. Proprietas indiuidualis vnde fluat. Proprietatum ſpecificarum ſermo.* *Proprietates à materia.* *5. met. t. 12.* *Materia quomodo ſit proxima, & immediata. Materia proxima cur lateat.*

vnicuiq; ab huiusmodi formis accidentalibus, quas alio vocabulo Physiologi nuncupant dispositiones materię tum prævias ad substantialem formam futuram, tum comites pręsentis; plane constare arbitror proprietates indiuiduales à materia proxima emergentes reuera easdem esse cum ijs, quas paulo ante à formis accidentalibus exoriri diximus: Vnde obiter notandum est Porphyrium scribentē indiuidui naturam pendere a collectione accidentium in vnoquoque, consentire Aristoteli asseueranti vnitatem numericam prouenire ab vnitate materiæ consimili; nanque vt idem prorsus est esse vnum numero, atque esse indiuiduum; sic accidentium collectio materiam proximam in esse constituit, atque vnam numero efficit, qua de agit Aristoteles. Præterea proprietatū & specificarum, & indiuidualium in vno composito inest aliquando vna secundum naturam, & aliquando plures; vbi plures sint, aliquando ita sunt subordinatæ vt vna sit caussa alterius, vt in homine admiratio risibilitatis, in igne leuitas lationis sursum, & in Intelligētijs Aristoteles ponit immaterialitatem esse caussam æternitatis, quæ ambę sunt specificæ proprietates Intelligentiarum, prodeuntes ab illarū quidditate, quæ est actus purus; aliquando non sunt subordinatæ, vt in magnete ferrum attrahere, atq; ad polum cōuerti: Vbi vnica sit proprietas, ea semper est caussa sui effectus euidentis, siue ipsa sit euidens, siue latens; nam etsi vulgo promiscue nomine proprietatis significetur tum facultas rebus intrinseca, tum etiam effectus eius facultatis, vt risibilitas, & risus; sapientibus tamen sola intrinseca facultas, siue agendi, siue patiendi, proprietas esse dicitur, non autem effectus ab ea facultate prouenięns; quo nomine trahere ferrum, & ad polum conuerti; non dicetur vere magnetis proprietas, sed magneticæ proprietatis effectus; proprietas etenim magnetis occulta est, quum prodeat a latente forma; sed ferrum trahi à magnete, magneticamque acum se ad polum conuertere notissimum est vnicuique. Inter effectus autem prodeuntes à proprietate specifica, & enascentes ab indiuiduali, hoc præ ceteris interest discriminis, quod de illis cognitio haberi nequit nisi sensualis, vbi specifica proprietas nos lateat; vt euenit de magnetis cōuersione ad polum, & attractione ferri; at vero de effectibus proprietatis indiuidualis etiam latentis cognitio pene scientifica per intellectum haberi potest; ratioque huius discriminis ea est, quoniam formæ accidentales, à quibus indiuidualis proprietas enascitur, nobis existunt notiores quam sint formæ substantiales, vnde prodit specifica proprietas; & propterea fit vt specifica proprietas ab occulta forma exoriens per caussam dignosci nequeat a priori, sed per sensum tantūmodo a posteriori; proprietas vero indiuidualis nunquam non agnosci valeat ab intellectu etiam ex dignotione caussæ; ac si noscatur intrinsecus, & distincte caussa, tam fuerit scientifica proprietatis notitia; sin autem confuse, ac diminute caussa nobis innotescat, probabilis, ac pene scientifica erit cognitio proprietatis. His ita explicatis, & nos vltro fatemur diuturnum ieiunium in superioribus commemoratum esse naturalem effectū proprietatis indiuidualis eorum abstinentium; sed in hoc studiosorum mens non acquiescit; ad exactiorem etenim dignotionem huius euentus nouisse oportet huiusmodi proprietatis naturam, à quibus accidentibus ortum ducat, & quomodo illis ieiunantibus insit ea proprietas indiuidualis ad aliorum hominum differentiam; nam dicere tantummodo abstinentiam diuturnam prodire ab indiuiduali proprietate occulta ieiunantium, nihil est dicere dignum Philosopho; cuium est naturæ arcana, & rerum latentes caussas mentis opere inuestigare.

Cap. de spec.

Porphyrium consentire Aristoteli de indiuiduo.

5. meta. t. 12.

Proprietates subordinatæ.

12. meta. t. 30.

Proprietates non subordinatæ.

Formæ quæ notiores.

Soluuntur rationes viri egregij, ac demonstratur autorem problematum non esse Aphrodisæum; cur odor thuris, & rosarum alios male habeat, alios recreet; alijs aluum soluat, alijs adstringat; & Galeni, Theophrastique dogma explicatur. Cap. CXCVII.

NEc sane rationes in oppositum adductæ tanti sunt roboris, vt nos ab examinata opinione discedentes retardare valeant; Quod enim ante omnia ex Alexandro affertur, quæstionum multarum caussam, seu rationem esse inexplicabilem, modumque penitus humani ingenij excedentem, Deo duntaxat cognitam immortali, qui rerum omnium parens, atque autor est; multifariā diluitur; in primis enim absolute negandum est quidpiam in rerum natura esse, quod humano intellectui cognosci nequeat; neque oppositum satis tuetur Alexandri autoritas, tum quia ex clarissimorum virorum sententia falso adscribitur problematum opus Alexandro illi, qui est gloria Peripati; verisimile nanque non est profundum Philosophię oceanum tam audacter, & gloriose dimenso, minutos exigui pelagi fluctus tantum negocium facessere, vt in ijs vela mentis suæ pandere se posse diffidat; tum quia ex Aristotele, a quo ne latum quidem vnguē Alexandrum discedere obseruarunt sapientes Viri, non vno in loco habemus intellectum humanū posse omnia, & singula fieri, hoc est cuncta penitus cognitione assequi; fieri enim quodammodo dicitur mens id, quod intelligit; ac proinde nihil vsquā esse, quod ab homine dignosci nequeat. Quibus nominibus plerique viri magnæ autoritatis Alexandri, nō Aphrodisæi, sed Tralliani hoc opus problematum esse iudicant; quorum iudicium vel inde verum esse colligo, quia in eius operis proœmio autor admonet quæstionem de tractione ferri a magnete hominibus esse inexplicabilem, atque intractabilem; quum tamen Alexander Aphrodisęus illam ex professo examinet in Quæstionibus naturalibus; Tralliano autem tantum non esse in Physiologia tribuendum, quantum Aphrodisæo, nemo est qui non cognoscat. Deinde nō conuincit Alexandri vel Aphrodisęi autoritas in opere non acroamatico, sed exoterico, rationem contrarium suadentē, & Aristotelis proposita theoremata; immo absolute nequicquam nobis vnquam persua-

Proœm. problem.

Nihil est, quod humanæ menti dignosci nequeat.

3 de ani. t. 8. 17. 18

Lib. 2. cap. 23.

dere poterit potioribus argumentis obsistentibus. Sed esto supra humanæ mentis indaginem specificę proprietatis latentis essentia, id tamen dici non poterit de proprietate indiuiduali ob rationem superius allatam, vel reclamante problematum autore. Ad omnia exempla indiuidualium proprietatum adducta breuiter occurrimus negantes ea non pendere ab elementorum conditionibus, variaque corporis habitudine, ac temperamenti qualitate; nam vt singula paucis percurram, Quibus olfactorij meatus ampliores, & cerebrum ab excrementis perpurgatum, sicciusque contigit, ijs facillime caput rosarum odore impletur, maleque afficitur; perinde ac sanis medicamēta noxia esse admonet Hippocrates; odores enim vim habere medicamenti docuit Aristoteles, vt fuse in superioribus explicauimus: Quibus autem meatus odorandi angustiores, cerebrum pituita refertum, atq; humidius est; ij contra rosarum odore, vt qui calidiuscula exhalatione nititur Aristoteli, non parum recreantur; calore siquidem exobstruuntur pori spongoidis, qui muco vt plurimum replentur, & excrementa cerebro infarcta concoquuntur; vnde partes hæ ab excrementis quoquopacto purgantur, & ad naturalem sui constitutionem redeunt, in quo voluptatis ratio constituta est; quum autem paucissimi sint, qui spongoidis poros perpetuo liberos, cerebrique substantiam omni excrementitia, seu aduentitia humiditate carentem, & naturali temperie sicciorem obtineant; multi vicissim, qui cerebrum pituitoso succo repletum, natura, & ex accidenti humidum vsque adeo quum sortiantur, vt destillante a cerebro iugi muco ad nares olfactorios poros impediri quoquopacto necesse sit; quo nomine scite alicubi scribitur Hippocrati cerebrū esse metropolim frigidi, & glutinosi; sane proinde fit vt a rosarum, ceterarumque rerum fragantium odore fere omnes oblectemur, rari admodum capite doleant. Consimiliter quicunque reclusos, & hiantes habent odoratus, & vniuersi corporis meatus, si cita fuerint aluo prediti, ac tenuioribus excrementis abundauerint, ij facillime aluo fluent, vel a rosarum odore, quibus inesse vim solutiuam Mesues, omnesque medici longo vsu compertum habent; sed quia vis hęc solutiua in odore admodum imbecilla est, propterea ijs tantummodo aluum ciet, qui exquisite sortiti fuerint propositas conditiones; ceteros non mouet; at illi rari sunt, hi vero frequentissimi; quare paucis rosaceus odor ventrem laxat; plurimis non mouet. Thuris odore nonnullos angi maximopere, quamplurimos autem oblectari, eandem rationem habet, quam in affectu consimili de rosarum odore dudum attulimus. Qui carne molliori existentes maxime in planta pedis neruos tactui expositos obtinent, ijs titillatio eo in loco molestissima est; qui duriori carne contexti neruos habent in plantis pedum crassiori cute, densiorique solea contectos, ij nihil penitus a titillatione mouentur; quibus autem medius inter hos datus est habitus, ijs in ea regione corporis titillatio somnum prouocat; horum autem ratio ex eo ducitur, quod nerui omniū partium corporis sint exquisitissimo tactu prædíti, qui sensus Aristoteli exuperantias solum percipit, & ab insuetis valde afficitur, & proportionatis obiectis mire delectatur. Non dissimiliter quibus vniuersus corporis habitus valde porosus est cum carnis mollitie, ac tenuitate, ijs inæquali motu aer ex mutuo marmorum, & ferri attritu, suberisque incisione impulsus frigidiusculus, & insuetus neruorum fines sub cute vellicans vniuerso corpori horrorem incutit, speciatimque maxillarum neruos mordicans dentium stridorem inuehit; cuius rei signum euidentissimum est, tale quid pati consueuisse corpora gracilia, delicatula, & porosa valde, non autem contrario habitu prædita; aer etenim eius naturæ dicitur Aristoteli, vt in aliqua sui parte motus ab aliquo, pars mota eodem motū propinquam impellat, impulsa itidem aliam agat, & acta aliam per successiones quasdam vsque quo impetus fatiscat, & dehiscat. Demum quibus in aluo expultrix facultas maximopere torpet, ijs adstringentium vsu roborata virtus suo munere fungitur excernens inutilia; laxantium vero vsu adhuc magis hebetata omnino ab officio desistens aluum siccari patitur: quibus e contra nō languet vis expultrix, ijs aluus adstringentium vsu restringitur, & laxantium laxatur: & ita de ceteris obscurioribus problematibus, quæ in proposito afferri possunt, dicendum est viro philosopho. Quod autem deinceps proponitur ex Galeno, proprietates nimirum aliquas quidem omnino dici non posse; quasdam vero ægre circa ægrotantia corpora ostēdi posse, vt pote quę tantum ijs, qui eas sępe viderunt, cognitæ sint; caute interpretandum est, nēpe proprietates aliquas dici non posse omnino, id est exacte, plene, ac perfecte; hæ vero sunt specificæ proprietates a forma occulta prodeuntes, quæ ideo plene dici, hoc est explicari nequeunt, quia nondū exacte cognitę fuerunt, latentibus adhuc formis, a quibus prodeunt; quippe absoluta, perfectaque rei cognitio a caussarum dignotione acquiritur: aliquas vero esse proprietates, quæ circa ægrotantia corpora ostendi possunt ægre, hoc est difficili negocio, quippe ijs tantummodo cognitæ sint, qui sępe illas viderint; huiusmodi sane sunt proprietates indiuiduales, quarum caussa proxima latet; hæ itaque licet difficiles sint cognitu, & explicatu, ita tamen nihilominus earum obseruatione, ac meditatione dignosci, & explicari possunt; quoniam ex effectuū inspectione, consideratioņeque multiplici sæpenumero ascendimus in caussas per Demonstrationē Quia, deinde à caussis rursum descendimus ad exactiorem, & scientificam notitiam effectuum per demonstrationem Propter quid, vt obseruat aliquando Aristoteles: quare nulli mirum si veteres tam longæ abstinentiæ caussas non explicuerint, quum eam in hominibus raro, vel nunquam obseruare potuerint. Longe minus fauet egregio viro allatum dogma Theophrasti asserentis, qui de omnibus rationem quæritant, eos cum ratione simul scientiam tollere; nam hi de immediatis etiam principijs, quorum nulla ratio est, neque scientia, sed citra rationem habitus longe nobilior

Cur odor rosarū alios male, alios bene afficiat.

2. aphor. 36.

De sen. & sen. c. 5.

Cap. 34. 53. & 54.

Odor calida exhalatione nititur.

De sen. & sen. c. 2.

Reditus ad statum naturalē voluptatis caussa est.

Lib. de Princip.

Rosarum odor quibus aluū soluat, & quibus nō moueat.

Thuris odore qui male, quique bene afficiantur.

Titillatio plantæ pedis quos lędat, quos non moueat, quos delectet.

2. de an. t. 118.

Quibus marmorum stridor horrorem incutiat, quibus non.

8. phy. t. 82.

Quibus adstringentia laxent aluum, & laxantia siccant.

2. de Comp. medic. sec. loc. cap. 1.

Proprietates quæ omnino dici non possunt, & quæ ægre dici.

1. post. t. 5.

Quomodo nō omnium sit quærenda ratio.

lior quam scientia; de indemonstrabilibus inquam rationem quærentes scientiam perimunt, quæ habitus est prodiens ex notitia indemonstrabilium, non quidem per vllam rationem, sed per solam simplicium terminorum cognitionem comparata; quod non semel docuit nos Aristoteles: ceterum mediatorum, & demonstrabilium, cuiusmodi sunt proprietates omnes ab aliqua caussa, siue aperta, siue abdita originem trahentes, & ratio, & scientia est; quam omni studio semper inquirere debet Philosophiæ cultor. Postremum ex eo, quod abstinentia diuturna est specificæ proprietatis quidam euentus in brutis animalibus, non necessario colligitur eandem in hominibus ieiunantibus esse ɛtum esse proprietatis indiuidualis: Addo quod etsi demus abstinentiam huiusmodi effectum esse in hominibus à proprietate illorum ieiunantium indiuiduali abdita; nullamque propositi aliam quærendam esse rationem; illud tamen concedere non possumus naturam huius proprietatis occultam omni conatu philosopho inuestigandam nô esse; an ne clara solum, & euidentia rimabimur? an ne occulta, sed quæ facile possunt explicari? illud certe abiecti animi est, hoc mediocris; sed magnæ mentis est, verumque philosophum decet in secretiora semper vires intendere, & arcana in primis totis neruis explorare, atque in ardua niti. Haud ergo plane satisfacit in proposito hæc opinio, quæ caussam adeo longæ abstinentiæ refert simpliciter in occultam ieiunantium proprietatẽ.

1. post. t. 1. & 2. post. t. vlt. Proprietas omnis demonstrabilis est per caussam.

Vigesima opinio Abulensis, cui tam longæ abstinentiæ origo est ex Ecstasi, qua ieiunantium anima quasi à corpore alienata consueta munia non obeat. Cap. CIIC.

NOn defuere, qui diuturnioris huius ieiunij caussam in Ecstasim retulerint viri docti existimantes commemoratos homines tandiu ab alimentorum vsu desistere non alia de caussa quam per Ecstasim anima eorum quasi à corpore alienata ad alicuius rei externæ intensissimam contemplationem, aut ardentissimum desiderium; vnde consuetas operationes, ac præsertim nutricationẽ in corpore non obiens alimenta non postulet toto eo tractu temporis, quo Ecstaseos illa passio perdurat: Inter hos Abulensis clare statuit in Ecstasi nullam penitus vitæ operationem obiri, præter contẽplationem; quod inde probare conatur tum quia hoc discrimen est inter somnũ, & Ecstasim, quod in somno ligantur organa sensuum, feriaturque sensus omnis ab omni opere, expedita facultate vegetante, immo potius ea suis muneribus longe magis inuigilante; sed in Ecstasi penitus a suis functionibus æque vtraque facultas ociatur, sensitrix nimirum, & vegetatrix, vniuersa siquidem anima in meditatione collecta, & vsque adeo impensa, vt ceteras omnes inferiorum animæ facultatum operationes inhibeat; tum quia Ecstasim patiẽtes diu sine cibo, potuque, immo & sine cordis motu ad instar mortuorum iacent: etiamsi præter huiusmodi exquisitam Ecstasim, alia mitior, siue imperfe-

Genes. c. 13. quæst. 400. & Paradox. 3. c. 46.

ctior inueniri posse dicatur, in qua homines rõab omnibus prorsum vitæ muneribus, sed ab aliquibus tantum ocientur, vtpote à sola nutricatione; quæ quidem leuior Ecstasis haud in eo solũ à grauiori differat, quod nõ omnes vitæ functiones tollat, sed vnam, uel alteram, verum etiam huius peculiare sit multo longiori tempore durare; quoniã diu nequit animal omnibus vitæ muneribus destitui, quod tamen vnam, uel alteram longo tempore intermittere posse videtur. Ac sane perseuerare posse homines in Ecstasi hebdomada una, mẽse uno, vel etiam integro anno, auctor est Thaulerus, & Harphius referente Blosio; quinimmo proponit exemplum cuiusdam Abatissæ Claræ nomine, virginis eximia sanctitate præstãtis, quæ sæpius in Ecstasim rapta vsum naturalium virium amitteret; atque inde contigisse, vt totis triginta diebus in Ecstasi permanserit, nullam interea rerum humanarum memoriã habens, nec cibum sumẽs, nec quicquam corpore suo sentiens. Cui sententię adstipulari visus est Leo Hæbreus tertio suorum sublimium dialogorum asserẽs uim nutriendi maiori ex parte in profunda cogitatione impediri adeo ut exiguo cibo diu contemplatiui sustineãtur: ex hoc arguunt aliqui, ergo nullo diu Ecstatici uiuent, quibus omnino vis nutriens impeditur.

Sp leg. spirit. haul. c. 2.

Examinatur allata opinio, demonstrando Ecstasim non esse caussam immediatam longioris abstinentiæ; ac tandem ieiunantes haud omnes Ecstasim passos fuisse. Cap. CIC.

PRoculdubio quandoque homines Ecstasim pati, eamque modo leuiorem, modo profundiorem infitiari non posse putamus; id etenim negantes Aristotelem reclamantem habebimus, qui statuit homines in profunda meditatione occupatos non animaduertere singularia, quæ ob oculos habent; refragabimur & experimento, quo sæpenumero compertum est homines Ecstasi detineri: Neque sane haud asseuerare possumus in exquisitiori Ecstasi tolli omnes vitæ functiones, in mitiori non omnes: Vltro etiam Abulensi dandum censemus homines in mitiori Ecstasi diutius perdurare posse quam in grauiori; quod Ecstasis commune habet cum Apoplexia; nam vehemens citissime viuentes de medio tollit, debilis vero cũ ægri vita lõgius fœdus habet: Concedimus quin etiam Ecstasim nutricationi obesse, illamque impedire: Nihilominus illud aperte negamus, Ecstasim esse propriam, & immediatã caussam ieiunij ob duplicem rationem; prior est, quia impedire nutricationem non est caussa ut diu animal uiuat in ieiunio; sic enim sacrilego si iudex alimenta omnia neget, eum quidem alimento, & nutricatione priuabit; haud tamen propterea præstabit vt diu ille sine cibo viuat: sic ergo Ecstasis nutritionem impedit, sed proinde non efficit vt homo sine alimento diu uiuere valeat: posterior autem est, quia Ecstasis nõ alia de caussa nutricationem impedit, nisi quia (ut alibi explicauimus) in homine uegetalis anima quidquam efficere nequit nisi regatur à sensitrice, guber-

1. post. t. 30.

Ecstasis quid commune sit cum Apoplexia.

Impedire nutricationem non efficit longum ieiunium. Vide lib. 4. c. 62.

Ecstasis cur impediat nutricationem. 3. de ort. an. hu. c. 4

guberneturque simul à rationali; quare quemadmodum in Ecstasi penitus occupato intellectu, vel etiam voluntate (quæ duæ sunt partes rationalis animæ) circa obiectum aliquod; atque ideo nihil adiumenti à mente habens anima sentiens cogitur functiones omnes intermittere; quod tu innuens Plutarchus libello de his qui sero à numine puniuntur prope finem asserit Thespesio propter casum ab alto meiu mente moto ac veluti cadaueris iacentis animæ visum cognati animum dixisse, non enim mortem obijsti, sed Diuino quodam fato tua huc venit mens, reliquis animæ facultatibus veluti anchora in corpore relictis: cuius casum supra retulimus; tum quoque referens Porphyrius apud Iamblichum ex Stratone physico sensum dicit non absque intelligentia quicquam agere; siquidem præsentia sensibus obiecta non percipimus, dum attentius aliud intelligimus: licet ille falso putet hoc esse commune sensitrici animæ tum brutorũ, tum quoque rationalis animalis; quum tamen allatum argumentum vigeat solum in humano sensu, qui rationi subditus est, non autem in ferino, cui nulla comes est, præpositaue ratio: Quemadmodum inquam in Ecstasi penitus occupato intellectu, vel voluntate circa obiectum aliquod, ac proinde nil auxilij tribuente sentienti animæ, ista cogitur ab omni suo munere ociari; Ita consimiliter animam vegetalem dicas tum in homine, tum etiam in brutis non absque sentiente quicquam efficere; siquidem sensitrice anima vehementi vel odio, vel ira, vel amore, vel timore prorsum intenta circa obiectum, nulla ex parte respiciente, aut fouente animam vegetalem; cogitur hæc eadem ab omni suo munere pariter ociari; Vnde sæpenumero contingit vt in huiusmodi passionibus vehementioribus homines nec generare valeant, nec augeantur, nec nutriantur, sed iugiter contabescant; immo noui iuuenem, qui mulierem, quã deperibat, ardentissima cupidine incubans venerem agere non potuit; & alium virum inimicitias graues habentem pluribus annis à Venere sic abstinuisse, vt elegans illius vxor tanquam maleficiato præsidia porrigeret, sed frustra; nec enim veneri potuit indulgere ante hostis interitum: Itaque non solum rationali anima occupata circa intelligibilia in Ecstasi, verum etiam sensuali circa sensibilia in amore, ira, vel odio, cogitur vegetalis superiorum animæ partium auxilio destituta proprias functiones intermittere; non est ergo necesse diu abstinentes nutricationem non obire ob Ecstasim. Neque illud vere dicitur Abulensi Ecstasim inhibere omnes vegetantis, & sentientis animæ functiones, quia in ea passione anima tota impendatur in contemplationem profundiorem; nam & citra vehementem speculationem solo voluntatis validiori affectu in Ecstasim rapimur; quod non raro viris sanctitate præclaris contigisse legimus: Et proprie loquendo superior animæ pars in Ecstasi animis inferioribus consuetum auxilium non porrigens impedit quominus fiant, non inhibet illarum operationes; impedit autem, quia in anima hominis pars rationalis se habet ad rationis expertem, & hac in parte sentiens anima ad vegetalem veluti forma ad materiam (quod fuse alibi ostendimus ex Aristotele) materiæ vero peculiare est pati, nec vlla ratione ipsam agere dixeris nisi virtute formæ, cui subest; quocirca in homine sentiens anima, humanæque animę pars rationis expers quid quam efficere non poterit, nisi ab intellectu fota, & gubernata; nec vegeta pariter vllum munus edere valebit, nisi à sensitrice, ac intellectrice regatur: Si ergo accidat mentem prorsus occupari, vel sensum in alicuius obiecti aut cognitione, aut affectu; eius auxilio destituta inferior anima simul ab omni functione ociari cogitur; sic in Ecstasi occupato intellectu, aut voluntate in veri meditatione, aut boni summi desiderio intensiori sensibilia non percipimus, nec vegetamus; sic in amore, ira, odio, timore, & alia quauis sensuali passione vehementiori non alitur, sed contabescit corpus, vbique feriantibus animis inferioribus, dũ superiorum auxilio destituuntur: Ceterum impediens Ecstasis nutricationem, haud tamen ideo viuenti caussa est vt absque nutricatu diu viuere valeat; nos etenim hac speculatione non indagamus caussas nutricationem impedientes, inter quas recte numeratur Ecstasis; sed inquirimus caussam cur sine alimentis, & absque nutricatione diu animantia viuant, quæ non potest esse Ecstasis. Deinde vero Ecstasis propria est hominum passio; neque enim brutorum vllum, ac præsertim infimæ sortis Ecstasim pati vsquam est obseruatum; obseruatum est tamen brutorum plurima, & imperfectissima, cochleas, serpentes, & huiusmodi lõgum traducere ieiunium; par est autem quæ consimili anima vegetant, consimili caussa diu à vegetandi munere posse abstinere; quare si brutis abstinentia non est ab Ecstasi, eandem ab ipsa non inesse hominibus: Bruta vero Ecstasim non perpeti ea ratio suadet, quia cognitioni adeo intense operam non impendunt, nec adeo vehementer passionibus animę afficiuntur, vt inde oriri valeat Ecstasis. Deinceps si verum est aliquos arte quadam remouendo animam ab omni rerum consideratione, ac desiderio, eamque vni cuipiam obiecto vnientes se se ad libitum in Ecstasim dare; iam arte illa poterit vnusquisque vna cum Ecstasi philosophica diuturnæ abstinentiæ habitum induere: at ijdem Ecstasis artificiosæ autores fatentur experti se diu nõ posse talem Ecstasim protrahere, quia diu, multumque nequeunt nutricatione priuari: non ergo vel Ecstasis autoribus ea est caussa, quare possit homo diu sine alimento viuere; quæ vere caussa est impediens alimenti vsum. Denique illud certum est ex doctissimi viri confessione, in quauis Ecstasi tum leui, tum graui rationalem animam adeo in externum obiectum occupari vt fere à corpore alienata nullum ex proprijs muneribus in corpore obire valeat; quum itaque obseruatum sit homines diuturnam abstinentiam agentes voluntatis, ac mentis, & sensus opera exercere ad libitum, vt ante ieiunium, loquendo, ridendo, syllogizando, rogando, preces ad Deum Optimum effundendo, consultando, deliberando, amando, cupiendo, volendo,

Lib. 1. c. 1. & 3.
3. de abstin. ab esu carn.
De Myst. ægypt.
Sensum quicquam non agere sine mente in homine, non autem in bruto.
Porphyrij pitta.
Vide lib. 3 cap. 20.
Vide lib. 4 cap. 66.
Circa vehementẽ speculationẽ vt in ecsta sim rapiatur homo.
Ecstasim operationes vitę impedire, non inhibere.
De ori. hum.
Ecstasis artificiosa, sive voluntaria.

lendo, nolendo, & alia id generis animæ tum rationalis, tum sensualis opera præstando; sane ipsos nulla prorsum Ecstasi affectos fuisse dicendum.

Soluuntur allatæ rationes hanc opinionem roborantes, de discrimine inter Ecstasim, ac somnum; & inter Ecstasim grauem, ac leuem agentes.
Cap. CC.

SEd argumenta, quibus hæc opinio nititur, necessario non probant intentum viri Clarissimi; Ad primam etenim rationem ductam ex discrimine inter somnum, & Ecstasim primo respondemus ex disertissimi viri placitis duo esse genera Ecstasis, nimirum Ecstasim exquisitam, & leuem; si quidē sermo fit de leuiori, falso dicitur eā tollere omnes operationes sensitrices, & vegetales, ad somni differentiam; non enim tollit respirationem, neque altionem, vt mox ostendemus: sin autem loquamur de grauiori Ecstasi, concedentes eam tollere omnes vegetales, ac sensuales operationes, negamus ea detentos fuisse diuturno ieiunio claros, qui bus de agimus, triplici ratione potissimum; prior est, quia humanum corpus regi, & gubernari, conti nerique non potest nisi a proportionata sibi anima rationis compote; siquidem Aristoteli non quælibet materia à quauis forma perfici, & in esse sustineri valet, sed proportione vbique seruata, dignior à nobiliori; quum ergo in Ecstasi mens ita sit occu pata circa obiectum externum, vt nullum auxiliū tribuens inferioribus animis, à corpore quasi aliena ta ipsum non integre regat; sane corpus tali auxilio destitutum diu hominis vita perfrui non poterit; quare in Ecstasi non perduret homo per multos dies; ceterum nostri abstinentes in ieiunio mē ses, & annos plures transigunt; non ergo per Ecsta sim abstinentiam tolerant; Altera est, quia vegeta, & sentiens anima in homine huiusmodi naturam sortitæ sunt, ad vegetalis, & sensitricis in alijs uiuē tibus discrimē, quod sine auxilio rationalis animæ, ad quam obtinent habitudinem, ac, vt inquiunt, subordinationem essentialem, diu nequeunt, nedū operari, & corpus continere, sed nec ipsæmet in esse subsistere; quo factum est, vt in diuturna pluriū dierum alienatione, ac Ecstasi si detineatur intelle ctus, necessario irrationalis pars animæ humanæ occidat, & homo intereat; quum ergo in ieiunio viuant homines per longam mensium, & annorū seriem; plane constare potest eos non ob Ecstasim tandiu ieiunare: Tertia vero ratio est, quia exquisi ta, & seuerior Ecstasis tollere dicitur omnes cum sensuales, & motrices, tum etiam vegetales operationes; modo nostri abstinentia celebres passim & mouebantur, & loquebantur, & visu, audituque, alijsque sensibus pollebant, & alia multa sibi ante ieiunium consueta obibant officia; non ergo seuera Ecstasi detentos fuisse dicendum est, qui diu abstinuere. Deinde falso dicitur inter Ecstasim, & somnum illud esse discriminis, quod in somno ligē tur organa sensuum, ferienturque sensus omnes ab omni opere; nam somnus quies est, atque ocium solius primi sensorij, & in somno solum ociatur a sua functione sensus communis, ceteris sensibus omnibus munere proprio fungi valentibus; quemadmodum fuse alibi ostendimus ex Aristotele. Ad secundam rationem ab experimento collectam, qua dicitur Ecstasim patientes diu sine cibo, potuque, immo & sine cordis motu ad instar mortuorū iacere, bifariam occurrimus dicentes primo ab Ec stasi homines id pati, vt cibo, potuque uti non possint, nec mouere cor; sed quod non utentes cibo, potuque, ac citra motum cordis in Ecstasi viuant, aliam id habere caussam hucusque latētem, quam in proposito quærimus, nec vir egregius adhuc explicauit: Deinde illa particula, *diu*, tempus in lon gitudine indeterminatum significat; nos ergo eius sensum determinemus; si *Diu*, significet per plures dies ad summum intra mensem, demus & nos in Ecstasim labentes homines diu sine cibo, po tuque veluti mortuos iacere; sed quos antea memorauimus non aliquot dies tantum, sed plures menses, & annos, integraque lustra ieiunarunt; nec omnes ad instar cadauerum iacuere, sed plures viuentium more ambulare, loqui, & alia ciuilia negocia moliri consueuere: sin autem, *diu*, significet multos menses & annos, aperte negamus experimē to vllo constitisse diutius absque cibo, & potu ad instar mortui hominem vllum in Ecstasi iacuisse; Lucomoros etenim citra Ecstasim frigore obrigescere certum est. Ad tertium argumentum ex differentijs Ecstasis grauioris, ac leuioris depromptū, haud sane possumus negare leuiorem Ecstasim diu turniori tempore durare; negamus tamen in primis eam non omnes inferiorum animæ partium operationes lædere, ac impedire, sed unam tantū, vel alteram; nam rationali anima valde occupata circa obiectum externum, sentiens, & vegeta illius auxilio, vel prorsus, vel magna ex parte destituta, cogitur à semetipsa, non vnam, vel alteram, sed omnes suas operationes obire; quum autem in singulis obeundis egeat rationalis auxilio, nullam earū perfectam edere valet; quapropter in Ecstasi grauiori omnes inferiores functiones prorsum tol luntur, in leuiori omnes aliqua ex parte læduntur; & viceuersa in exquisita Ecstasi nulla operatio ex parte læditur, in spuria vero nulla prorsus tollitur. Demus deinde disputationi aliquas tantum in mi tiori Ecstasi operationes tolli; sane rationi consen taneum est eas tolli, quæ minus ad vitam necessariæ sunt, relictis alijs, nimirum tolli visionem, audi tum, olfactum, loquelam, & ambulationem, relicta respiratione, ac nutricatione, quas mordicus ad vitæ tutelam sagax natura vbique retinere consue uit; quando nutricationis, & respirationis folicitam magis decet esse naturam, quam sensitricum operationum, quæ animali necessariæ non sunt ad esse simpliciter, sed potius ad bene esse, vt docuit nos Aristoteles; sic in Apoplectico affectu, sic in vterina præfocatione respiratio, & nutricatio vltimæ omnium functionum obliterantur. Addo animas inferiores in ijs operationibus obeundis, quæ ceteris nobiliores habentur, magis indigere auxilio superioris animæ, quam ad moliendas imperfectiores; præstat enim opera digniora fieri ab agente

Leuis Ecstasis non tollit respirationem.

2 phy. t. 26. 8. met. t. 5. Materia quaeuis nō à qualibet forma perficitur.

... non sen... lo...

3. de vita. cap. 5.

Leuior Ecstasis omnes inferiores actiones lędit.

Grauis, et leuis Ecstasis differentia. v. de lib. 4. c. 62. et seq.

3. de an. t. ultimo. Operationes animalis non simpliciter necessaria.

te præstantiori; quum vbique actiones agentibus proportione respondeant; quare in Ecstasi 1. nisuũ functiones, quæ vegetalibus nobilitate præferuntur, obiri nequeunt nutricatione sublata: si ergo in Ecstasi leuiori tam alienata non est à corpore anima rationalis, quin tantum adiumenti non afferat animæ sensuali, vt eam gubernet, ac regat ad operandum; dubio procul & anima vegetalis tantum auxilij sortietur ab animæ parte superiori, vt sensibus suo muneri vacantibus, & ipsa proprias operationes edere valeat: Quum itaque homines abstinentia celebres multum tempus absque alimento degant illæsis sensuum operationibus, loquutione, ambulatione, alijsque perfectioribus officijs animæ; profecto dicendum non est eos leuiori Ecstasi correptos vnica nutricatione priuari, ceteris operationibus intactis. Deinceps in Ecstasi homo debet necessario animæ rationalis functiones omnes intermittere, illa excepta, in qua obeunda tunc valde occupatur; nequit enim vni vehementer intentus animus ad alia simul deflecti; contra tamen homines diu ieiunantes loqui, ratiocinari reminisci, ridere, velle, nolle, consultare, deliberare, aliaque rationalis animæ officia exequi compertũ habemus; Nullo ergo Ecstasis genere detinentur ij, qui diu à cibo abstinentes cetera munia tum sensualis, tũ rationalis animæ obire valent: Ad Thaulerum, & Harphium concedimus viros, & virgines sanctitate illustres diuturniori Ecstasi posse detineri, & ea quidem grauiori; sed vt ab Ecstasi habent id, quod alimentis vti nequeunt, nec alijs vitæ inferioris fungi muneribus; ita sane ab alia caussa id habent, vt sine alimentis diu viuere queant; quam caussam inquirimus: Et certe vt in hominibus sanctitate præclaris pium est credere tam longum ieiunium esse à caussa naturæ limites transcendente; ita in antea memoratis nulla sanctitatis luce fulgentibus diuturniorem abstinentiam non ad miraculum, sed ad naturalem caussã aliquam referri debere dudum probauimus. Ad vltimam rationem concedentes Hebræo Leoni vim nutriendi magna ex parte in profunda meditatione impediri, negamus primo proinde contemplatiuos exiguo cibo diu sustineri; namque hos videmus multo cibo vsos plurimos ex cruditate morbos incidere; pauco pastos contabescere, ac valetudinarios viuere, quod etiam non contemplatiuis accideret ex victu tenuiori. Deinde concedentes disputationi contemplatiuos exili cibo diu sustineri, quia profunda meditatione magna ex parte nutriendi virtus impediatur; negamus ideo quia eadem alendi facultas in Ecstasi penitus impediatur, nullo cibo Ecstaticos diu viuere posse: secus enim uel citra Ecstasim quum multis alijs de caussis omnino impediri possit virtus alendi, ab eis quilibet sine cibo diu viuere posset, quod experimento non respondet. Ac Ecstasis tollit quidem alimentorũ vsum, & nutricatum ob rationes dudum allatas; ceterum vt sine alimentorum vsu ac nutricatu diu viuere possimus Ecstasis efficere nequit vlla ratione. Itaque assentiendum non erit Abulensi, & alijs asseuerantibus diuturnum ieiunium, quod agimus, non aliunde pendere quam ab Ecstasi animam auocante a consuetis muneribus, & quasi alienante à corporis consortio.

Vigesimaprima opinio Posthij asserentis homines diu ab alimento abstinere, anima illorum per cataphoran, & intensiorem somnum vacante à proprijs officijs. Cap. CCI.

IOanni Posthio viro non inerudito, vt videre licet apud Loubertum, & Brasauolum, illud de *In Paradox.*
proposito argumento in mentem venisse constat, *1. de var. curat.*
homines adeo longum ieiunium tolerantes non *41.*
alia de caussa non vti alimento, quam eorum anima per cataphoram siue lethargum, & grauissimũ sopita veternũ, & quasi ligata, & proinde nequeunte munia vlla ex consuetis obire, non alimenta quærere, non propinata ingerere, non intrusa conficere, atque conuertere in substantiam corporis: quod placitum ratione munitum experimentis etiam comprobatur; siquidem hoc interest discriminis inter somni species, quod moderatus, seu leuis somnus appellatus animæ sensitricis solum functiones tollit, intactis penitus operationibus alentis animæ; at vero profundus, altus, grauisque somnus etiam vegetales operationes impedit vniuersę animę facultates omnes obruens, & arctissime colligans; nam si propositi naturam paullo altius meditemur, id verum, & apertum esse apparebit; si quidem anima vegeta in animalibus necessario tũ ad continendum, perficiendumque subiectum sibi corpus; tum quoque ad proprias operationes in illo edendas indiget præsentia superioris animæ, nimirũ sentientis, qua veluti sui forma gaudet; quippe materiei proprium est pati, non agere, nisi virtute, ac beneficio formæ sibi adnexæ; quum ergo in mitiori somno haud ex toto vinciatur anima sensitrix, non omnino priuatur eius auxilio vegetans; quocirca in leui somno vegetales operationes obeũtur; sed in grauiori somno tota sentiente anima penitus ligata nullum potest auxilium ferre sibi subditæ vegetanti, quæ ideo consueta munia obire nequit, sentientis ope prorsum carens; atque idcirco sopor altus per se primo tollit operationes sensus ligans animam sensitricem; secundario autem ac per accidens tollit vegetales, priuans alentem animam auxiliari manu sentientis, qua indiget in animalibus vbique ad propria munia obeunda: Quũ ergo hic altus sopor veternus, lethargus, & cataphora sit, sane has passiones nutricationem tollere dicendum est in ijs, qui diu ab alimentis abstinent; quum potissimum experimento sæpe compertum sit nostros abstinentes profundo somno sopiri; sic *5. hist. c.*
brutorum apes, lacertos, stelliones, crocodilos flu- *30. &*
uiatiles, auium plures, histrices, vrsos, glyres, testu- *8. hist. c.*
dines terrestres, serpentes, & alia multa quadrime- *14. 15.*
stre, ac semestre cuiusque anni frigidum sine cibi *17.*
vsu profundum dormire somnũ & legamus apud *Lib. 8 c.*
Aristotelem, Plinium, Galenum, aliosque grauissi- *35. 36.*
mos autores; & obseruare possimus in rei natura: *37. 38.*
sic Timonis amitam ferarum more quotannis to- *39.*
5. de loc.
aff. c.

tam

tam hyemem in specu dormire solitam scripsere veteres; sic Spirensem puellam triennali ieiunio celebrem Langius vir acutus desidem, ac somnolẽ tam fuisse scribit; sic Rauisio Textori plures afferuntur in officina multorum annorum somno, & ieiunio clari; sic Lucomori quimestrem abstinentiam somno tolerant quotannis apud Citesium; sic Aristoteli, & Simplicio nonnullos in Sardo multos annos dormisse constat in antro citra omnem alimentorum vsum; sic Holai magni testimonio in vltimis oris Germaniæ ad Boreã prope Oceanum in spelunca septem viri dormientes visuntur ab antiquissimo tempore; sic totidem olim Epheso ducẽtos annos dormisse legimus apud sacros autores; vt iam late patere putent cum peritissimo Posthio viri Clarissimi tantæ abstinentiæ caussam referendam esse in altum soporem totam animam, omnesque illius facultates penitus occupantem.

Examinatur, & improbatur opinio decernens abstinentiam diuturnam ab alto, & profundiori somno prodire. Cap. CCII.

HAc in re propositum dogma non satisfacit studiosis; primo etenim plurimi eorũ, quos dudum memorauimus diuturno ieiunio celebres, non quidem veterno sopiti, ac dormientes, iacentesque fuere, sed vigiles, ciuiliaque officia obeuntes obseruati sunt: immo vero nonnulli æque cibi, & somni expertes diu vixere, vt superius ex histor̃ijs nouimus Francisco Pelusio, Catherinæ Binders, Abari Hyperboreo, & abstinenti Olympiodori contigisse. Amplius autem somnus omnium Philosophorum consensu, & Aristotelis decreto id habet peculiare, vt quammaxime adiuuet alimentorum digestionem, plurimumque inseruiat viuentium nutricationi; quod efficit concentrato calore natiuo ad interiora, & hanc ob caussam eo vegetiori reddito, & validiori; quomodo ergo assentiri poterimus viris egregijs asseuerantibus profundiori somno tolli, ac impediri penitus alentis animæ officium quodcunque, ac omnino nutricationem? Deinceps autem lethargus, cataphora, & huiusmodi sunt affectiones præter naturam, quæ Medicis omnibus consentientibus, nec reclamante sagaci Posthio, sunt vel morbi acuti, uel acutorum morborum sæua symptomata; & proinde ad multos dies, ac menses protrahi nequeunt; ceterũ nostri abstinentes multorum mensium, & annorũ ieiunium ducunt; non ergo lethargo, uel cataphora, vel comate vigili eos obsideri putandum est. Denique sit sopor altus, ac diuturnus lethargus in aliquo; certe veternus ille prohibebit homini obsesso alimentorum vsum; at eundem hominem diu sine alimento viuere posse non efficiet somnus; qui ergo profundiori somno adiecibunt originem huius admirandi ieiunij, ea in re laborare debebãt, non vt ostenderent altum soporem posse nutricationem impedire, vel plurimos ieiunio claros longo veterno detineri; sed vt demonstrarent qua ratione profundus ille somnus hominibus, & animalibus dormientibus illud tribueret vt diu sine cibo, potuque vitam traducere valerent; nos enim quærimus in proposito caussam, ob quam homines diu viuere valeant ab omni alimentorum genere abstinentes, non autem caussam, propterquam ijdem vel cibis abstineant, vel non alantur.

Respondetur ad argumenta de somni differentijs, & de longum tempus dormientibus. Cap. CCIII.

VErum nec rationes ad proscissi dogmatis corroborationem allatæ viros clarissimos voti compotes efficiunt in proposito: Quod enim primum affertur, argumento desumpto a differentia somni, quod scilicet leuis, moderatusque somnus sentientis animæ solum operationes tollat, intactis vegetalibus; at sopor altus, grauisque simul & sentientes, & vegetales operationes demoliatur vniuersam animam quoad omnes sui facultates arctissime ligans; neque vero nititur fundamento, neq; propositi effectus latentem caussam aperit; falso quidem regitur fundamento, quia non illud est discrimen mitioris à grauiori somno, quod ille solam sentientem animam vinciat, hic vero & alentem; nam ex Aristotele somnus generatim est propria passio animalium, & sensus; nec vlla ipsius differentia vegetalem animam occupat; alioquin & plãtarum affectio dici posset aduersus ea, quæ profitetur Aristoteles. Adijciendum his est somnum tollere non posse functiones vegetales, neque per se, vti nuper ostendimus, neque per accidens, quod fortasse volunt viri doctissimi, dum aiunt somnum per se primo quidem tollere functiones animæ sentientis, secundario autem, siue per accidens etiam alentis ea ratione, qua vegetans anima in animalibus indiget vbique ad operandum auxiliari subsidio animæ sensitricis, quæ alto sopore prorsus ligata nullum inferiori animæ potis est auxilium subministrare; quoniam falso dicitur altum soporem totam sentientem animam posse vincire; somno siquidem siue leui, siue graui solummodo ligatur sensus communis, alijs omnibus sentientis animæ facultatibus solutis, phantasia nempe, ac sensibus exterioribus, & virtute motrice, siue appetitu; quod apertissime constat ex Aristotele tum loco citato, tum etiam alibi dum admonet dormientes multos noctambulos esse, videre eo modo quo qui vigilant, & sentire non ut somniantes: At vero discrimen inter grauem, & leuem somnum reuera nullum aliud reperias, quam in eo magis obsepi, & ligari sensum communem, in hoc autem minus; non enim ab inuicem specie, ac natura differunt, sed solum, vt aiunt, secundum magis, & minus: Quod inde licet etiam probare, quia leuiori somno detenti facilius excitari possunt, quam grauiori occupati; facilius autem soluitur, quod minus arcte ligatum fuerit, difficilius quod magis: Alioquin si alter vnam sentientis animæ facultatem ligaret, alter vero cunctas, iam forte specie, ac natura diffiderent ab inuicem: Esto itaque in alto sopore arctissime vinctus sensus communis; haud tamen

Marginalia (left): lib. 5. ... | Abstinentium plurimi vigiles fuere. | lib. 1. c. 1 & c. 14 | Somnus ad iuuat nutricationẽ.

Marginalia (right): Somnus non ligat alentem animam. De som et vigil. c. 1 2. & seq. | Altus sopor totam sentientẽ animam ligare nequit. De som. et vig. c. 2 3 §. de gen. an. c. 1 | Grauis, et leuis somni discrimen.

men omnino priuabitur sufficienti auxilio animæ sentientis anima vegetans ad obeundas proprias operationes; quum adhuc soluta remaneat sentiēs anima penes appetitum, motricemue facultatem, phantasiam,& sensus exteriores: Non ergo somnus profundior potis est, neque peraccidens. vegetandi munia tollere. Verum etsi hoc viris egregijs demus in disputationem, iam non inde pateat necessaria caussa quęsiti; quærimus enim, non cur ieiunantes nutricationem non habeant, sed cur abstinentes absq; nutricatione diu viuere valeant: Esto quod somnus nutriendi munus impediat, qui fiet vt altione sublata, viuant animalia nostra? non enim quod animalibus nutricationem demere potest, ijs proinde tribuere valet vt sine alimēto diutius vita fruantur. Immo vero quum præter somnum profundiorem, alia multa sint, quæ superiores animæ partes queant ab inferioribus auocando nutricationem impedire, vt amor, ira, meditatio, & huiusmodi aliæ affectiones vehementiores; plane ex eo quod multi diu ab alimentis abstineant, non colligas necessario tale ieiunium in profundiorem somnum, velut in sui caussam immediatam esse referendum. Multo sane minus roborant Clarissimorum virorum sententiam allata experimenta de serpentibus, vrsis, alijsque brutis, quin etiam de Timonis auia, de Lucomoris, ceterisque plurimis hominibus abstinentibus vna & dormientibus; nanq; vicissim quamplures alij diu ieiunantes commemorati sunt antea citra somnum toto abstinentiæ tempore nihil magis dormientes quam antea dum cibis vterentur; signum euidentissimum ubi somnus,& ieiunium coniunguntur; alterum proinde alterius caussam non esse; at vtrumque seorsum à diuersa caussa prodire; & quia in aliquibus duæ istæ caussæ, somni scilicet, ac ieiunij, conueniunt, in aliquibus non conueniunt; propterea contingit alios vna in ieiunio dormire semper, alios non, sed etiam vigilare: Porro caussa diuturni somni tum naturalis esse potest, tum quoque naturæ terminos egrediens; naturalis ex Aristotele nulla est alia, quam caloris interni vis impedita, & ligata, sopitaque vel ab intenso frigore ambientis, vel a copia crassiorum vaporum, uel ab utroque simul coeunte; quo nomine bruta proposita solum in hyemis algore diu dormiunt, & Lucomori fortassis, cum Timonis auia: supra naturæ vires caussa longum somnū producens physiologo remittitur ad Theologum; hac de caussa septem illi in Ecclesia celebres tot annis in antro dormiuisse credimus: sed nostri nunc est instituti perquirere caussam naturalem, non longi somni, at longę abstinentiæ, quam Aristoteles nullibi aperte docuisse videtur, nec Posthius inuenisse. Alios itaque adeamus de proposito philosophantes.

Caussa physica somni.

Vigesimasecunda opinio Benedicti, Montui, & Mercurialis dicentium caussam longi [illegible] esse cōstrictionem cutis, pororumque occlusionem quidquam e corpore effluere non permittentem. Cap. CCIV.

SVbtilis equidem Benedicti, & Montui, atque Mercurialis Medicorum sublimium sententia legitur in proposito; statuunt enim alimenta viuētibus nostratibus a natura non in alium finem cōcessa fuisse, quam vt eorum vsu per nutricationem iugiter effluentis ab ipsorum corpore substantiæ dispendium repararetur; iccirco etenim cælestibus animalibus negata sunt alimenta. quia firmam,& incorruptibilem adepta fuere substantiam; e qua nihil omnino effluere, adimique potest: Quare si & ratione aliqua nihil penitus efflueret e nostratium animantium corpore, nulla iam his etiam esset alimentorum, altionisque necessitas, vel vtilitas; Quum ergo penitus obstrictis corporis meatibus, & prorsum obturata cute nihil omnino substantiæ vllius e viuentium corpore diffluere posse videatur; sane rationi consentaneum sit hominibus,& alijs animalibus letalem non esse necessario longiorem abstinentiam ab omni alimentorum genere; quippe quibus vel ab externo frigore, vel quauis alia de caussa exacte occluso toto corporis habitu, nihil effluit pristinæ substantiæ; ijs nihil proinde nouæ, atque alimenti est opus. Addere liceat in corpus, e quo nihil effluit, absolute nihil ingredi posse; quoniam quum vacuum nihil sit, in pleno locus non est nouo corpori; quippe non datur corporum penetratio; sic ergo viuentia, e quibus nulla substantiæ portio effluit, non modo nouis alimētis non indigent; sed ijs sibi oblatis locum intra se dare nequeunt vllum: Et sane huius opinionis alterum fundamentum ex Porphyrio desumere posse videntur asseuerante si cohibere corporis effluxum valeamus, absque cibo penitus ac potu nos vitam acturos; immo etiam ex Galeno perspicuis verbis asserēte si tollatur effluxus e corpore, tolli quoque vsum alimentorum,& nutricationis necessitatem; & alibi scribente quæcunque animalia latibulis se tegunt, hyeme sine pastu sustineri, quod nihil insigne expiret ex eorum corio, quia frigore spissescit: Alterum vero experimentis compertum est, nempe diu abstinentia tum bruta, tum ratione pollentia constrictis fuisse corporis meatibus; quando & frigore algentia,& nullum excrementum emittentia, non sudorem, non sputum, non vrinam, nō alui fæces, non menstrua, nulla demum excrementa reddidisse; manifestum indicium omnes corporis poros, omnesque meatus illis plane clausos extitisse. Sic ergo putant Medici Clarissimi commemoratos antea diu sine alimentis, & citra nutricationem viuere potuisse, quia obturatis omnibus meatibus nihil e suo corpore amitterent, quod alimentorum vsu restaurare deberent.

Lib. 13. cap. 10. 6 vel c. 12.

4. de [illegible] an. [illegible]

1. aphor. 15.

De ven. sect. cōt. Erasist. 9.

Experi-

Expenditur allata sententia demonstrando vsum, ac necessitatem alimentorum nõ esse absolute instaurationem deperditi, sed in alium finem: nec ita meatus omnes occludi posse, vt nihil effluat e corpore. Cap. CCV.

QVorum opinio sane acuta est, atque ingeniosa; quæ tamen hac in re menti non penitus satisfaciat, si eam penitius introspicere voluerimus; in primis etenim suspectum est quod affertur de fine actionis, nimirum non aliam ob caussam concessam fuisse viuentibus hisce nostratibus alimentorum vsum, quam vt consulerent iugi dispendio illius materiæ, quæ ab eorũ corporibus effluit assidue; siquidem hac ratione semper alimentitiæ substantiæ portio æqualis ei, quæ dissipata est e corpore viuentis, per nutricationem a natura nostra exposcularetur, & a cibis desumeretur; quare neque crescerent, neque minuerentur animalia; quod experimento proscinditur. Deinde vero ex animantium corporibus effluit substantia humidi radicalis, quod Galeno passim, & vniuerso Medicorum collegio iugiter ab origine contabescit, atque consumitur; sed & eorundem placitis humidum hoc alimentis instaurari nequit; alioquin animal caducum cibo seruaretur immortale. Deinceps esto pueri, puellæque corpus ita constitutum, vt ex eo nihil penitus effluat substantiæ; non ne natura ipsum alimentis, & nutricatione vti compellet ad incrementum? certe; secus enim augumentum non esset naturæ opus, quod alimentorum interuentu, & nutricatione fieri necesse est. Demum esto corpus adulti tale vt nihil ex eo effluat, & iustam organorum magnitudinem adeptum amplius augeri non debeat; non ne naturale ipsi erit propagare sobolem? certe Aristotelis testimonio dicentis naturalissimum esse animalibus perfectis, & non mutilatis generare sibi simile: at vero perfecta viuentia, & homo præsertim non generat nisi ministerio seminis; quum autem sperma tum Medicis, tum etiam Philosophis non aliunde originem habeat, quam ex alimentis; quippe apud illos genitali semini origo est ex tenuiori, atque puriori parte sanguinis, qui est alimentorum soboles; apud hos autem, ac euidenter apud Aristotelem definitur semen esse excrementum alimenti mutati, vltimi, & vtilis: plane iam constet alimenti vsum quoque necessarium esse ad seminis generationem, ac omnino ad propagandam sobolem; quod aperte insinuauit Aristoteles asserens alimentum esse non solum conseruatiuum substantiæ eius, quod alitur; sed etiam factiuum, hoc est generatiuum non eius quod alitur, sed alterius in eadem specie; quia scilicet alimentum vertitur in semen, quod est principium actiuum in generatione sobolis de mente Aristotelis. Natura ergo viuentibus nostratibus alimentorum vsum, ac nutricationem haud concessit in eum finẽ proprie, ac per se vt restauraretur quod ab eorum corporibus iugiter effluit; licet huic restaurationi quoquopacto per accidens, ac ex necessitate materiæ alimonia deseruiat: sed reuera finis primarius, ob quem datus est animantibus alimentorum vsus, est auocatio caloris natiui a celeri consumptione humidi substantifici, & omnino Vitæ longitudo; secundarius autem est tum incrementum (quę omnia longe, lateque alibi disputauimus) tum seminis prouentus, siue propagatio sobolis; quod illis nunc adijciendum putauimus. Secundo autem & illud maxime dubium est in animali viuenti adeo posse adstringi meatus omnes, vt nihil inde possit e substantia corporis effluere; profecto non occluduntur patentes meatus aurium, narium, oris, & huiusmodi alij; siquidem per eos ieiunantium plurimi respirabant, audiebant, loquebantur: per eos itaque meatus, qui peruij sunt introeunti aeri ad respirationem, & auditum, ac olfactum, exeuntique spiritui ad loquutionem, quid prohibeat egredi substantiam corporis interni caloris actione in vapores attenuatam? sed non ne in expiratione fuligines ex intimis præcordiis plurimorum abstinentium exire consueuere? at quid illæ fuligines magna ex parte sunt quam substantia corporis a calore in halitus dissoluta? Quid ni saltem cum illis corporis partes tenuiores in halitus conuersæ diffluant, quæ occlusis alijs cutis vniuersæ meatibus insensibilem per transpirationem de toto corporis ambitu effluere non posse dicuntur? Ceterum & cutis latentes pori ex Galeno si diutius occlusi aditum negent externo aeri ad calorem arteriarum refrigerandum, breui animal in febrim trudere: at non febricitare constat superiores abstinentes: non ergo meatus penitus occlusos obtinuere. Illud quoque absolute verum non est, in corpus, vnde nihil exeat, nihil immitti posse; nam in vtrem immittimus aerem, ac vinũ, & olim Eolus Vlyssi ventos, nulla re inde prius egressa: Immo sic animalia non possent nisi tantundem alimentosæ substantiæ in corpus assumere, quantum de propria prius effluxerit; atque ita non possent augeri vllo modo, sed permanerent semper in eodem statu; quæ omnia falsa quũ sint, aperte demonstrant falsa esse illa dogmata, vnde colliguntur. Non ergo verum est animalibus exquisite occludi posse meatus corporis adeo vt nihil penitus ex eorum substantia extra corpus effluat: neque verum est obturatis ita meatibus, nihiloque diffluente de substantia corporis, nullam esse alimentorum vtilitatem.

Quæ substantia effluat e corporibus. 1. de tuẽd. val. cap. 3.

. de an. 34.

Viuentia perfecta generant.

Seminis origo vnde sit.

1. de gen. an. c. 18.

2. de gen. an. c. 3.

2. de an. t. 47.

2. de gen. an. c. 1. et 1. 7. meta. t. 31.

Finis alimenti duplex.

2. de Vit. lo. cap. 14.

8. therap. cap. 2.

Soluuntur Benedicti, & Montui rationes, ostendendo cur cælum alimentis non egeat; & quomodo corpora, e quibus nihil effluat, ali valeant: Porphyrio, & Galeno explicatis. Cap. CCVI.

RAtiones autem, quibus celebrium virorum opinio fulciri videtur, intimius rei naturæ specta ta dilui possunt. Quod enim primũ afferebatur, ideo nutricationem a natura concessam animalibus nostratibus, vt alimentis diffluxum substantiæ suæ reparare possent, inde probari, quia cælestibus animalibus alimentorum vsus necessarius non est alia nulla de caussa, nisi quia cælestia firmam, & æternam, non fluxam, aut corruptibilem

Q sub-

substantiam sortita sint; soluitur negando cælum proinde non ali, quia nihil ex illiuus substantia diffluat; nam in primis si cum hac substantiæ firmitudine posset cælum augeri, proculdubio alimentis indigeret; quare argumentum reciprocum facere liceat; cælum quia non debet augeri, proinde alimento non eget; viuentia ergo subcælestia nutriuntur vt augeantur: Deinde reuera illud ex Aristotele dicendum est, finem alimenti, nutricationisque proprium, & præcipuum esse conseruationem indiuidui, & omnino vitæ prorogationē; modo nostratium animalium vita quia calore in humido conseruatur; quum illud apud omnes constet calorem semper humidi, tanquam sibi contrarij, corruptionem moliri, vt eo cōsumpto, quo propensus est, euolet ad æthera; quia euolante calore tollitur vinculum nectens animam corpori, vnde vita morti concedit; natura dedit subcælestibus animantibus vsum alimentorum, quibus auocaretur calor insitus quoquopacto a tam celeri consumptione radicalis humoris, & ita viuēs diutius conseruaretur: Quoniam vero cælestium vita calido, & humido non continetur, aut conseruatur, vt vita nostratium; propterea nutrimentorum vsum cælestibus iure negatum subcælestibus viuētibus merito indixit natura sagax. Animaduertere liceat in argumēto progredi ab ignotioribus, quod vitium sæpe damnat Aristoteles vbique progrediens a notioribus; & proinde ab effectibus, & à conditionibus rerum nostratium ad attributa cælestium; quis etenim neget ignotius nobis esse cur non alatur cælum, quam cur viuentia hæc apud nos nutriantur? nemo certe, qui secum reputauerit multos antiquorum, & Plinium existimasse cælestia nutriri, quorum placita deridet Aristoteles, nemine vnquam infitiante nutriri nostratia. Quod autem in negati dogmatis confirmationem primo afferebatur, corpus e quo nihil exeat, esse plenum; quando nihil vacuum in natura; plenum autem non posse in se admittere nouum corpus; quare nec alimentum, quod corpoream naturam habet; id liceat ea ratione tollere, qua dari animaduertimus duo genera corporum in vniuerso, nimirum quędam, quæ distendi nequeunt, neque constringi, neque rarescere, neque densari, sed semper eandem obtinent mensuram inuariabilem; & hæc profecto sic plena sunt, vt in se nouum corpus non recipiant, cuiusmodi sunt lapides, ferrum, & huiusmodi solida, duraque corpora, minime cedentia: ex aduerso autem reperias alia corpora, quæ possunt augeri, & minui; dilatari, & angustari; rarescere, ac spissescere; quæque habeant in se meatus, & capacitates substantia fluxili repletas; hæc vtique aditum intra se præbent nouo corpori citra metum penetrationis; sic aqua cedens, ac dilatata in se lapides, naues, & omnia recipit duriora corpora; sic planta crescens per latentes fibrarum ductus intra se trahit ad alimentum terræ succum; sic animalia nostratia ore per apertas vias in ventrē, & inde per venas in totum corpus dilatabile, tanquam in vtrem per fistulas alimentum recipiunt. Quod præterea ex Porphyrio desumitur viris doctissimis nihil nos turbat; nam inquiens ille. *Vtinā absque cibo penitus, atque potu vitā agere potuissemus, vt corporis cohibentes effluxum optimis statim rebus coniungeremur, in quibus & Deus existens ita Deus existit*; hæc proferens inquam Porphyrius non quidem cum viris præclaris opinatur, aut insinuat cibo & potu nos uti ad restaurandam substātiam fluxam, vel diffluentem e corpore nostro; sed platonice per effluxum corporis intelligit non materialem, sed spiritualem exitum corporis ab internis animæ bonis ad externa, vt ad voluptates cibi, & potus, aliasque id generis; quando enim sine corpore consistere nequimus, optat corpus non pingue fieri, ac ita nunquam ad externa multum deflectere; quia sic a vita contemplatiua effluens corpus vna secum adnexam sibi animam trahit ab intimo sui bono, nempe a vita contemplatrice ad externas voluptates. Deinde vero loquatur de corporis effluxu materiali; nihil hoc proscissæ opinioni suffragatur; nam verbis allatis dolet Porphyrius duas mortalium miseras conditiones ab inuicem independentes; altera est, quod toto vitę spacio nequeamus incessanter contemplationi operā dare; quippe cogamur cibo, & potui, atque adnexis omnibus contemplationem impedientibus, vt somno, excrementorum purgationi, & alijs huiusmodi non breuem temporis partem concedere. altera est, quod propter continuum corporis nostri effluxum breuem admodum sortiamur vitam, & propterea neque diu interpollatam etiam contēplationem agere valeamus; quare vtrique incommodo consultum cupiens Porphyrius, *Vtinam* (inquit) *absque cibo penitus, atque potu vitam agere potuissemus*, ea ratione *vt* etiam *corporis cohibētes effluxum* assidua, & longa speculatione perfruemur, qua *optimis*, ac Diuinis mentibus consimiles fieri possemus, quod ait ipse *coniungeremur*: alioqui commemorati superius, qui sine cibo, potuque viuunt, haud proinde materialem corporis effluxum cohibere valent, sed plurimi valde contabescunt. Quod vero ad hoc item roborandum affertur ex Galeno primum asseuerante, si nihil e nostro corpore penitus effflueret, alimento non opus fore; sed quoniam effluit, ideo nutrimentis opus esse, vere quidem videtur propositum dogma confirmare; ceterum Galenus, qualem sentatum artificem decet, eo loci se talem præbuit Medicis impune scribens si nihil effflueret e corpore, iam alimentis opus non fore; nam sensu percipimus ieiunio extenuata corpora nutrimento refici; quemadmodum Lucio illi a Fotide pręstigijs in asinum mutato contigisse legimus, qui post longam cibi succulenti penuriam tabefactus, prospera fortuna tandem apud coquum, & pistorem fratres repositas opinas, optimasque dapes dominis surripiens liberalibus cænis inescatus, & humanis affatim cibis saginatus corpus se sibi obæsa pinguitie compleuisse, corium aruina succulenta molliuisse, pilum liberali nitore nutriuisse narrat idem conuersus in hominem: Verum si ratione cogitemus corpora nostra etiam nullum suæ substantiæ dispendium passa indigere alimentis tum

ad

Marginal notes: *2. de an. t. 47. & 48.* — *Finis nutricationis & alimenti.* — *2. meteor. t. 2.* — *Corporum duo genera.* — *Plena quę aditum præbeant nouo corpori.* — *4. de abst. ab esu carn.* — *Porphyrij loca illustrantur.* — *1. aphor. com. 15.* — *Apul. 10. metamorph.*

ad incrementum per se, tum ad generationem sper matis pro sobole propaganda, tum quoque primario ad auocandum calorem insitum quoquopacto à celeri consumptione radicalis humoris; physiologus rei naturam perscrutatus philosophis in Peripato asserere non debebit unquam sublato puro effluxu e nostris corporibus, illico tolli alimentorum vsum. Ad aliam vero Galeni autoritatem, qua dici tur animalia hyeme latentia sine pastu sustineri, quia nihil expiret insigne ex eorum corio vi frigoris inspissato, respondemus id eo loci tanquam Erasistrateum placitum afferri à Galeno, vt cuilibet manifeste constat legenti contextum; quum de proposito ex propria mente pertractans Galenus alibi decernat animalia hyeme latentia, quia exili calore polleant, nec alimenta ingerere, nec ali eo tempore, nec ullam vitæ functionem obire, sed veluti mortua iacere, quia eorum calor, a quo vitæ actiones omnes obiri deberent, a vehementia frigoris quasi extinctus iaceat ociosus, nihil habens virium ad operandum: qua de re fusius infra.

De usu. fac. et ra. Erasis. c 9

...aph. cō. 15.

Lib. 3 c. 27.

Abstinentibus an aliquid effluat e corpore, & quid exire valeat. Cap. CCVII.

SEd alterum illud theorema, in quo vniuersum robor huius opinionis inest, non satis comprobatur, dum affertur experimentis compertum esse viuentia hæc nostra sine alimento nullis excrementis inquinari, signum euidens nihil ex eorum corpore ob meatuum obstructionem effluere potuisse; si quidem adnotamus excrementa ex animantium corpore prodeuntia non esse illam substantiam, quæ diffluens e corpore instauranda sit; nam solum instauranda est substantia vtilis, & quæ fuit prius corporis alendi substantia; modo excrementa nulla, quæ à corpore exeunt, siue per aluum, siue per vesicam, siue per vterum, siue per os, siue per uniuersum corporis habitum uel sensibiliter, uel insensibiliter, nulla inquam excrementa vnquam fuere de substantia corporis, e quo effluunt; immo nec ipsi proficua, sed tanquam importuna, & inutilia foras a natura expelluntur: At reuera substantiam animalium propriam diffluere in tenuissimos halitus per occultos meatus in corporis habitu existentes, addas etiam per manifestiores, vt patet per os, & nares in expiratione una cum fuliginosis excrementis ab internarum partium qualibet in vapores caloris opera illarum inquam substantiam tenuatam quid prohibet effluere? quamobrem licet viris disertissimis concesserimus in commemoratis abstinentibus nullum obseruari potuisse redditum excrementorum; non proinde colligent ex eorum corpore nihil effluere potuisse vtilis substantiæ; insensibiles nanque per meatus ea effluit e corpore cuiusque uiuentis fere semper occulta; nisi patentem dixeris quoquopacto in ea sorde, quo subuculæ infici consueuere. Ac sane priuatio excrementi sensibilis in abstinentibus nihil aliud indicare potest, quam alimenti, potissimum exterioris priuationem; quippe illius sunt partes impuriores, quæ quum haud sint alendo corpori, proinde à natura per multas vias extra corpus pelluntur, vbi caloris ope per coctionem à partibus alimenti purioribus, atque alendo corpori oportunis fuerint segregatæ.

Non omne quod effluit e corpore instaurandū est.

Abstinentium e corpore aliquid effluxisse.

Verum quid absolute concedamus omnibus abstinentibus celebrioribus excrementa defuisse? certe legimus ex Langio puellam Spirensem triennali abstinentia celebrem, etsi nihil excrementorum per aluum, aut per sexum excerneret, lachrymas tamen ex oculis effudisse, pituitæque mucos e naribus emunxisse, nec suas auribus sordes defuisse. Quod tandem e rationis penu adducitur, bruta hyeme abstinere nimio frigore constipatis adeo meatibus omnibus, vt nihil ex eorum corpore possit effluere; soluitur ea ratione, quia concedimus frigori vim constringendi, sed non tantam, vt penitus occludat meatus omnes, illosque reddat tenuioribus halitibus inuios; nam eadem ratione cunctos homines obstrictis meatibus multo facilius quam vrsis, & brutis alijs, quorum corpora sunt duriora, minusque tractabilia, oporteret totam hyemem vrsorum more ieiunare. Deinde vero abstinentibus si demus occludi meatus exilimos sensum latentes, non tamen dabimus præterquam in Lucomoria ieiunantibus obturari nares, & ora, vnde fuligines, & halitus expirantur: Ceterum vetus illa Timonis amita, quæ vrsarum more quotannis absque alimento in spelunca latebat, respirationis vias apertas habebat, per quas vna cum fuliginoso excremento quid impediebat halituosam corporis substantiam egredi? quinimmo quid prohibet in alijs abstinentibus vegetis, & consueta munia obeuntibus, & in brutis latentibus hyeme tenuissimos halitus tum per expirationem egredi, tum occlusas etiam vias ab externo frigore sibi aperire ad exitum? sane ratio docet in ipsis calorem concentratum, seu vegetum, seu languidum, si humidam in eorum substantiam agat toto illo tempore, halitus, & flatus excitare, qui locum ampliorem postulantes, quam materia densior, ex qua ortum duxere, necessario exeant qua data porta, uel sibimetipsis parato exitu in aera extra corpus animalis; siquidem tenuitate sua, qua in maiorem molem adaucti halitus non possunt intra corpus contineri, occultos, & insensiles, quamuis obstipatos à frigore, sibi recludunt impetu facto meatus ad exitum in locum ampliorem; quod aperte conspicimus hyeme in terra, & puteis, unde fumus effluit, vi concentrati caloris attenuato humore in exhalationem, quæ sibi viam aperit in maiorem locum: id autem in hyeme patiuntur à concentrato calore animalium corpora, & humores, quod & aquæ in terræ visceribus, reclamante nemine aut Medico, aut Philosopho: simile quid in animo etiam contingere pulchre obseruat Iamblichus, insunt nobis (inquit) perturbationū principia quædam, quæ si violentius ab initio, & subito cohibentur, tandem acriores erumpunt instar flammæ compressæ, risusque cohibitu: sic igitur ab

Abstinentibus non defuisse excrementa.

Hyeme fumat terra, & puteorum aqua fumat.

De myst. Egyp. c. 9.

externo frigore nimio statim occlusis meatibus omnibus calor cohibitus paullo post acrior erumpere cogitur, aut saltem a se genitos fumos, & vapores excutere,

Vigesimatertia Opinio Citesij dicentis diuturnæ abstinentiæ caussam fuisse constrictionem, siue compressionem viscerum nihil nutrimenti admittentium. Cap. CCVIII.

FRanciscus Citesius Medicus illustris hac in re patrociniũ Iouberti suscipiens aduersus Haruetum doctam sane de proposito commentationẽ scripsit occasione abstinentis Confolentaneæ, vnde proprium opusculum inscribere voluit: ac sane post multa scite adnotata duas de memorabili hoc ieiunio summas caussas mihi visus est attulisse; qua

Cap. 212. 2. tractat. rum alteram communem habet cum Langio mox expendendam suo loco; priorem quidem vnus ipse attulit prope apologiam pro Iouberto ita philosophatus: *Si quis diu ab alimentorum vsu abstineant, ei viscera omnia nutrimentis recipiendis destinata, & præcipue intestina ita coarctari, vt simul tum cibaria omnia, tum cibariorum appetitus procul arceatur; arcentur quidem alimenta, quoniam adstrictus oesophagus, ventriculus, intestinorum ordo vniuersus, nullam alimentorum ingressui sinit apertam esse viam; arcetur vero & alimentorum appetitus, quem in famem, sitimque distinguimus, quia vtraque ista cupiditas non fit, nisi visceribus exinanitis, & hiantibus, suamque capacitatem replere gestientibus; ceterum in proposito sunt viscera omnia constricta, & conniuentia, nullamque prorsus vacuam capacitatẽ habere videntur; quæ sententia præter allatas rationes, & Hippocratis autoritate, & experimentis apprime comprobatur; queas enim tibi scrupulum ex*

De Princip. *Hippocratis lectione iniectum eximere, qui homines vix vltra septimum diem sine cibo transigere contendit, quem licet superauerint, nihilominus emori; quia etsi verum est, & in Confolentanea nostra puella clarum, quod ait Hippocrates ieiunum intestinum per id temporis adeo coarctari, vt nihil omnino deinceps valeat admittere; tamen ex hac adstrictione, & obstructione tam subitam mortem arcessere non est omni ex parte necesse: Quinimmo Scythas ferunt* (Gel

Li. 16. Cap. 3. 6. var. lect. cap. 8. 22. liũ uide vel Mercurialem) *si quibus de caussis inedia longius toleranda sit, ventrem latioribus fasciis cohibere, quo fames illos, pauco, aut nullo relicto inani spacio, minus attingat.* Adiungere liceat vnumquemque bene cinctum minus aptum se sentire ad epulas quam discintum, vt non magno negocio, atque impune matres puellis nubilibus deducant cibum, quas vincto pectore graciles esse vo-

Teren. Eunuch. act. 2. Scen. 3. lunt; sic enim & paullo habitiores facile reddunt curatura iunceas: Et reuera huic placito assensisse videtur quodammodo Erasistratus, qui libro Diuisionum statuit, referente Gellio, eorum, qui diutius a cibo abstinent, vsque adeo considere, & coarctari intestina, vt fames, quam putabat ob ventris, atque intestinorum vacuas, & patentes fibras oriri, nulla fiat penitus. Sed & suffragantem habere videtur hac in re vir Egregius Cardanum, qui aliquando asserit genus quoddam serpentum latere consueuisse, ac posse diutius ob viscerum angustiam, paucitatemque caloris natiui, temperaturæque siccitatem exiguo cibo satis habere. Ita ergo refert vir doctissimus caussam tam longæ abstinentiæ in compressionem viscerum, constrictionemue vasorum recipiendis alimentis a natura dicatorum, ob quam nec cibi admittantur, nec appetitus vrgeat. 9. de subtil.

Examinatur opinio proposita, demonstrando coarctationem viscerum ieiunij caussam non esse, at potius effectum; nulloque modo famem, sitimue tollere, sed augere. Cap. CCIX.

QVod sane placitum nisi rationes haberet e rei natura ductas aperte refragantes, mihi persuaderi potuisset ab ijs, quæ docte in eius confirmationem attulit vir Egregius: sed in primis obseruo constrictionem viscerum, seu potius concidentiam vasorum, conniuentiamque intestinorum oriri ex præcedente inedia, qua omnia membra excipiendis alimentis dicata exinaniri necesse est, atque exinanita in semetipsa concidendo sese comprimere, & angustari; nec reclamante viro præclaro, & aperte asseuerante Hippocrate, ac Erasistrato: si ergo abstinentia caussa est cur viscera vacuentur, & exinanita concidant in se se; quomodo viscerum compressio, & inanitio caussa diuturni ieiunij statuenda erit? non me latet sæpenumero effectus caussam propriam stabiliorem reddere, nunquam tamen propterea fiet vt effectus efficiens caussa dicatur illius, a quo ipse genitore nascitur; suntque sibi inuicem caussæ finis & efficiens, at in eodem genere nunquam efficiens sui caussam procreatricem generare poterit; agimus autem nunc de abstinentiæ caussa effectrice cum viro insigni. Deinde vero coarctatio, & conniuentia hæc viscerum quemadmodum a priuatione alimentorum orta est, ita eorundem vsu repetito facile tolletur; cur ergo tandiu ieiunantes ad libitum reassumendo alimenta ieiunium non frangunt? Nec liceat Citesio Hippocratis autoritate vti asseuerantis inedia longiori adeo arctari ventriculum, & omne intestinum, vt nihil amplius valeat admittere; primo enim qui alteram partem dogmatis Hippocratici negat existimans ex hac adstrictione tam subitam mortem arcessere non esse omni ex parte necesse, secus ac statuat Hippocrates, æquo animo toleret si & nos dicamus talem adstrictionem in pluribus quidem nihil amplius admittere, absolute vero posse nouum alimentum admittere: quare allata ratio longioris ieiunij necessaria illa non est, & vniuersalis, quam quærimus: Deinde si ieiunum intestinum adstrictum valde solidioris alimenti quidquam admittere nequeat, quamo-

Effectus caussam stabil[illegible] redd[illegible]

quamobrem non admittet liquida iura, & alia nutrimenta lenia, tenuia, mollificantia, & sibimet ipsis viam occlusam recludentia? norunt enim Medici in Iliaco, & Colico dolore inexpugnabilem fere intestinorum obstructionem haustu olei amigdalini obseratas, & impeditas vias sæpe sæpius expediri. Amplius quum ventriculus, & intestina, de quorum constrictione, ac obstructione loquimur, sint substantiæ nerueæ, proindeque satis exquisito sensu polleant; qui fieri possit ut adeo ad stringantur, corrugentur, & exsiccentur sine uehementissimo dolore? quum ergo ieiunantes nostri nullo ventris dolore afficiantur, profecto dicere non ausim eos abstinere, quia sic obstructa, & adstricta obtineant intestina, & stomachum, vt nullum genus alimenti suscipere valeant in ventrem; quippe tanta constrictio, tanque diuturna maximã siccitatem coniunctam habet; humoris enim proprium est laxare; at siccitas neruosarum partium diros cruciatus excitat; hæ nanque nimium exsiccatæ disrumpuntur, vt fides; & hoc nomine intemperiei adiuncta continui solutio geminat abstinentibus caussam doloris. Præterea esto intestinorum concidentia, & adstrictio impedimentum quo minus in ventrem ingerantur alimenta, nos hoc non quærimus, cur ieiunantes à cibis abstineant; sed illud scire percupimus cur abstinentes ab omnibus alimentis diu viuere possint; profecto si fieri queat huiusmodi viscerum adstrictio, licet ingressum alimenti prohibere valeat, id tamen propterea efficere nequibit, vt animal diu viuere possit absque alimento; quod nobis propositum est indagare.

Iliaci, & colicis remedium.

Siccitas neruosæ partis dolorosa.

Vlterius neque Galeni placitis, neque rationi, neque experimento illud consentaneum videtur, quod scribitur hanc ventriculi, viscerumque inanitionem, constrictionem, & concidentiam arcere famem, ac sitim; non quidem Galeni placitis, eo asseuerante ventriculum exhaustum sibi insito penuriæ sensu ad appetendum cibum, quo se se reficiat, incitari: non autem rationi, quia exinanito ventriculo ideo famescimus, quoniam contrahit sese, corrugaturque ad attrahendum ex ore; atque quo magis contrahitur, corrugaturque, eo maiorẽ famem percipimus; contractio autem, & corrugatio hæc species quædam est constrictionis: sitis itẽ fit exsiccatis faucibus; quas ieiunio exsiccari, & exsiccatas constringi nemo ibit infitias, qui rectè sentiat: non demum experimento, quia in semetipso quilibet comprobare potest post longum ieiuniũ, quo dicuntur constringi viscera, eadem exsiccari, & famem, sitimque sæuiorem iugiter intendi vsq; ad internecionem: Immo vero si ea esset natura propositi, ut diuturna inedia constringeret intestina, & inde necessario fames, ac sitis extingueretur, pelleretur que; iam nemo fame, aut siti perire valeret; contra tamen plurimos fame, sitique interijsse constat: Non ergo afferre liceat constrictionẽ internorum viscerum veluti veram caussam ob quam diu sine alimento viuatur.

[illegible]. de sym. [illegible] cau. c. [illegible]

Satisfit rationibus propositæ sententiæ, aperiendo qua ratione arcte cincti pectore, ac ventre minus comedere possint.

Cap. CCX.

Rationes autem propositam ab egregio viro sententiam munientes enodari possunt; Ad primam etenim concedimus in principio abstinentiæ seuerioris ventriculum, & intestina exinaniri, exinanita in semetipsa concidere, atque ita coarctari; sed negamus adeo constringi vt nequeant rursus alimenta uel recipere, vel appetere: Ad confirmationem e ratione desumptam quoad nouam susceptionem alimentorum, dicimus ventriculum, & intestina esse substantiæ membranosæ, quæ facile possit constringi, & dilatari quocunque immissso, quia in viuo animali nunquam vsque adeo exsiccari possunt (vita enim constat in calido, & humido) vt tractabilia non sint; & si quando multũ siccitans contraxerint, vt sine dolore solidioris corporis ingressum non admittant, quod supra obseruatum est Nicolao Heluetio contigisse, qui longo ieiunio clarus cibi solidioris parum assumere coactus triduum graui dolore stomachi laborauit; nihil tamen prohibet liquida cibaria ingerere, quibus sensim mollificatis, blandeque dilatatis visceribus pristinus recludatur aditus solidiori cibo: Quoad appetitum vero dicimus hunc fieri ventriculo, & intestinis exinanitis quidem, & sui capacitatem replere gliscentibus, sed non patulis, ac hiantibus, verum potius contractis, corrugatis, & adstrictis. Ad Hippocratem statuentem ieiunum intestinũ in abstinentibus plurium dierum adeo constringi, addas & exsiccari, vt amplius nihil possit in se admittere, dicimus præter allata superius, hoc esse dogma verum vtplurimum, non autem semper; nullam itaque hinc licet colligere caussam propositi necessariam: Dicimus præterea Hippocratem loco allato constrictionem intestini ieiuni afferre veluti caussam mortis, & uelut effectum abstinentiæ, non vt abstinentiæ caussam, quod efficit uir acutus; ait nanque Hippocrates, quicunque septem diebus ab omni alimento abstinent, eos vel intra illud tempus commori, vel eo transacto & si conentur alimenta ingerere, mori tamen, quia uenter nõ amplius suscipit, quippe ieiunum intestinum in his diebus concreuit: si ergo concreto, idest arefacto ieiuno intestino breui mors obrepit; quum nostri abstinentes diu viuãt post septimam, sane Hippocratis indicio concretum non habebunt intestinum. Quod autem posterius adducitur de Scythis, qui ventrem lanioribus fascijs cohibentes longiori tempore inediam sustinent; valde quidem vrgere videtur; attamen re paullo altius perspecta eximij viri placitum non firmat; nam longe alia est ratio adstrictionis ventriculi, & intestinorum ab externa fascia, & quando viscera exinanita intrinsecus in sese concidunt, & corrugantur; quando enim exinanita in se concidunt, & corrugãtur intestina, & præcipue ventriculus, tunc ab ore trahunt, appetitumque cient, famem scilicet, sitimq; su-

Appetitus quomodo affectis visceribus fiat.

Scytharũ mos ad ieiunium producendum.

suscitant, quod nuper adnotauimus, plurique alimento sunt recipiendo ad hoc ut repleantur; quando autem vincto pectore, imoque ventre fascia, vel quouis alio vinculo vi comprimuntur, & ab extrinseco adstringuntur eadem intestina, & ventriculus, tunc sese penitus dilatari nequeunt, & proinde non multo, sed exiguo alimento replentur, repleta vero appetunt nihil; quare vt quibus a natura paruus inest ventriculus, & exilia intestina, ij modico alimento replentur, & satiantur; ita quibus arte viscera hæc eadem angustantur, eos exili cibo, & repleri, & satiari necesse est: vnde fit vt cincti discinctis minus apti sint epulones; puellæque nubiles ac ete vincto pectore, ac regione ventriculi adstricta pauco cibo repleantur; quod proponebatur: Verũ coarctatio hæc pectoris, & uentris hoc aliud efficit, ut sanguis, & una cum sanguine calor effugiat, pellaturque ad caput, & alias partes solutas; quod enim pedes calceis angustioribus ualde compressi frigent, pulso calore, ac sanguine ad superiora; sic medio, imique ventris regione supera fascijs adstricta, necesse est sanguinem, & calorem ad extrema corporis propelli; quo factum est tum vt puellæ strictæ ventre sint rubicundiores vultu (id enim quoque tali adstrictione affectant astutæ matres) tum vt ipsæ, & scythæ quoque ligati uentriculo diutius paruo cibo sustineantur, & longius protrahant ieiunium; vbi enim à ventriculo calor abest, alimentum ingestum non tam cito coquitur, nec tam celeriter extra ventrem fertur ad partes alias; quandiu autem permanserit in stomacho, & in intestinis alimentum, nunquam fame, sitiue cruciamur; hac itaque ratione scythis, & alijs quibusque constrictio externa ventris vinculo circundati hoc præstat, vt cibum multum ingurgitare nequeant, & exiguo repleantur, satienturque ad multum tẽporis spacium, absque famis, aut sitis molestia: quũ ex aduerso interior viscerum concidentia in semet ipsa ex inanitione, corrugationeque non nisi multo cibo repleatur, & vltro famem, sitimque suscitet. Quod autem postea in oppositum afferebatur ex decreto Erasistrati, si eius autoritati fidem abrogare nefas est, dicimus plerunque vere contingere vt qui diutius abstinent, post famem incidant in appetitus priuationem; sed tamen hoc est per accidens; nimirum exinanitis venis, & intestinis ab inedia longiori, fugitur per hæc vasa de ventriculo, qui & inanitus fugit ab ore; cui, nisi extrinsecus alimentum demus, tanta est vis suctus a vacuis visceribus, vt à capite multoties redundantis in eo pituitæ magna copia trahatur; vel etiam (ut hoc demus disputationi) vltro a natura sponte mittatur vrgẽti appetitui, ac vitæ animalium quoquopacto consulere gestiente; quippe Medicis pituita succus est veluti sanguis crudior, qui vlteriori coctione verti queat in bonũ alimentũ; & absolute pituita dulcis appetentiam deijcit ad stomachum lapsa: igitur ab hac manu pituitę a capite seu sponte demissæ, seu vi attractę, repletur ventriculus, & sedatur fames, ac sitis; quæ tamen resurgunt acriores ea consumpta pituita, quod breui tempore fit: verum inedia per se, ac proprie viscera exinaniendo, vt ita dixerim, semper famem, sitimque suscitat, quæ, nisi aliunde subministrato vel aperto, vel occulto alimento, potest vitam de medio tollere: Quare in his, de quibus Erasistratus, extinctio famis referenda non est in concidentiam, & in coarctationem intestinorum, nisi per accidens; per se vero in pituitam, vel humorem quemlibet aliunde attractũ, vel transmissum ad ventrem, qui repletus non amplius appetit. Non ergo hac in re satisfacere videtur primum Citesij placitum, quod nõ aperit caussam propriam & per se longissimę huius abstinentiæ, sed attingit solum caussam per accidens breuis inappetentiæ.

Cur pedes calceis cõstricti frigeant.

Vt solo vestium vsu puellæ rubicundæ fiant vultu, & pauca comedant.

Vt ex fame criatur inappetentia.

Vigesimaquarta opinio Ioannis Langij existimantis longum hoc ieiunium à morbo pendere, nimirum à tabe iecoris, ac ventriculi stupore, ac omnino ab atrophia.

Cap. CCXI.

PRopriam etiamnum animaduersionem desiderant ea, quę in altero placito Citesius Ioanni Langio viro satis erudito consentiens affert codẽ opusculo inquiens, in nostra puella nec arte curata, nec natura leuata iecur vitiosorum humorum sarcina adeo obsessum est, vt naturali eius calore admodum fracto, cum omnibus imi ventris partibus exaruerit, & contabuerit, vt minime mirũ cuiquam videri debeat, si naturalis œconomię munia compareant abolita: huius igitur apositiæ, & quæ ex hac sequuta est *atrophias*, altera caussa est ista hepatis, omniumque nutritioni deseruientium partium tabes, vnde attractione abolita perijt suctus, a quo & fames: Nos (subdit multis interpositis) Iouberti sententiam ita audimus vt nostros omnes abstinentes sustinendæ inediæ facilitatem ob aliquo contra naturam affectu contraxisse credamus; quanquam sanos postea visos. Ioannes autem Langius in disertissimis suis epistolis medicinalibus post recitatam historiam puellæ Spirensis, caussam tanti ieiunij refert in eam morbi speciem, quę virium hepatis imbecillitatem procreet citra cordis læsionem, *si animal* (ait) *neque nutriatur (vt verbis Galeni vtar) velut in latentibus accidit, nihilominus viuere potest, quoad cor manserit illæsum; quippe videmus sæpenumero multis deinceps diebus aliquos neque intelligere, neque sentire, neque etiam moueri, at nihilominus viuere, quemadmodum ubi quis ob virium hepatis imbecillitatem sine alimento permanens diutius sufficere potest: At vero si cor spiratione priuetur, hominem illico perire necesse est: sed affecto iecinore ob inediam atrophiæ morbo animalia moriuntur; verumtamen per longa temporis spacia in huiusmodi affectibus vitam protelare possunt.* Quod placitum ita quibusdam Medicis non vulgaribus approbatum fuit, vt mihi eorum iudicium de proposito consulenti non vno argumento persuadere niterentur; & primo dicebant

5. de loc. aff c. 2.

cum

cum viro Clarissimo,si nostri abstinentes non ieiunarent vi morbi, profecto ipsorum ieiunium non differret à miraculoso ieiunio Moysis, Eliæ, atq; aliorum sanctorum,qui multos dies ieiunarunt incolumes, & sani; quod tamen asseuerandum non videtur; ac speciatim de ieiunio Domini, quia ipse volens ieiunauit,commemorati vero citra voluntatem coacti; nos autem cogimur consueta munia, & naturalia intermittere vi morbi; ergo & celebres ieiunio propter morbum tandiu abstinuerūt. Deinde omnis actio læsa in viuente symptoma est proxime à morbo proueniens, nostri uero abstinētes læsam,vt aiunt Medici, absolute habent quamlibet fere operationem vegetalem, appetitum, tractionem, retētionem,coctionem, & expulsionem; itaque cuncti fuere morbo affecti, ob quem nō poterant quidquam appetere,cogebanturque ab omni dape abstinere. Deinceps illud obseruatione cōpertum est in abstinentibus, vt quandiu abstinuere,tandiu nihil appetiuerint; quamprimum tamen aliquis eorum appetere cępit,illico ieiunare desijt; modo quęcunque duo ita se habent,vt uno posito, vel ablato alterum statim ponatur, vel auferatur consimiliter, illud prius caussa est posterioris, vel ab eadē caussa proficiscitur immediatius,ac prius; quare memorabilis huius ieiunij caussa erit inappetentia,vel inappetentiæ caussa,quod utrumque affectus est præternaturam, quem proprio nomine dicas ventriculi stuporem. Ita Langium,Citesiūq; sectantes hoc placitum mihi persuadere contendebant viri celebres.

Expenditur allata sententia, ostendendo caussam cur diu viuant aliqui sine cibo non esse morbosam affectionem.

Cap. CCXII.

Doleo sane me illorum votis annuere non possę; hic etenim metam suscepti laboris attingens ocio simul,& contemplatione caussę in occulto positę perfrui possem cum viris sapientia præclaris; at vero me ab horum societate distrahunt violentæ rationes: in primis enim a Medicis didici cum sanitatem,tum morbum non consistere in indiuisibili,sed magnam obtinere latitudinem; immo uero inter has dispositiones mediam reperiri tertiam,quem statum neutrum appellant; sanos illos esse dicunt, quicunque nullam habuerint functionem adeo læsam, vt lecto decumbere cogātur; ægros uero, qui consuetas operationes manifeste lęsas habuerint,ut decumbere illos oporteat; neutra dispositione illos contineri statuunt,qui nec decūbere cogūtur,nec uiriliter omnia uitæ munia exercere possunt: quum ergo nostrorum abstinentium paucissimi cogerentur decumbere, plurimi haberent consuetas operationes integras, aut ad summum nonnullas exigue lęsas citra decubitum; plane iam nequeo illos cōfiteri ęgros, sed uel neutros, uel potius intra latitudinem sanitatis degentes appellare cogor. Deinde uero quum optabile sit homini sine cibo,potuque uitam ducere posse diutur

9. de tuen. val. c. 5. Sanitatē, et morbū non consistere in indiuisibili. Sani qui sint. Aegri qui sint. Neutri qui sint.

nam,quod precabatur à Deo paullo ante Porphyrius; carus, & expetendus fit ille morbus; & iam non morbus amplius,sed bonum inter corporis bona præstantissimum, quo sustinendæ inediæ sine molestia facilitatem consequi possimus. Præterea inedia,& fames reponitur Medicis in genere doloris,dum definitur esse sensatio tristis in ore uentriculi; quomodo ergo morbus illud sit, quod tollit inediam & famem; quum dolor omnis ab aliquo morbo tanquam symptoma dependeat? par est enim quæ ui morbi fiunt, à morbo non tolli, nisi forte per accidens; nos autem euentus huius caussam per se inuestigamus. Amplius qui sibi ex professo instituerat agere de natura tanti ieiunij uir doctissimus, cur nō distinctè magis explicauit qui sit iste morbus, quā partem corporis occupet, qua ratione curari ualeat, quomodo ieiunium producat adeo longum, nec mortem ideo inferat? Sed forte dixeris Citesio esse coarctationem uentriculi,& intestinorum; Langio uero esse uirium hepatis imbecillitatem illæso corde; ac utrisque taberm iecoris,& atrophiā; qua de affectione uir eximius omnia prædicta docte superius explicauerat; arbitror id ita se habere; sed dudum ab angustia uiscerum tantam abstinentiam non prodire ostendimus; atrophia uero caussa non est ieiunij, sed effectus, quū sit priuatio nutricationis, cuius caussam quærimus, dum inuestigamus cur diu aliqui sine alimento uiuere possint; si quis dicat, quia laborāt atrophia morbo,idest dicere quia non aluntur; cuius nihilominus caussam quęrimus: sed nec usquā Langius quomodo illæsa respiratione citra nutricationem diu uiuere possit animal; uerum gratis assumit id,cuius caussa quæritur: Immo dum nobis Ecstaticum hominem pingit, multos inquiens cū Galeno pluribus diebus neque intelligere, neque sentire, neque moueri, at nihilominus uiuere; ijs uidetur assentiri,qui caussam tantæ abstinentię referunt in Ecstasim, quorum sententia superius pro scissa est: Quin & illud à uero abesse uidetur, quod assumit uir insignis, absolute citra respirationem uiui non posse; namque Aristoteles ait aliquando dari facultatem uiuendi,etiamsi desit respiratio; & alibi sanguineorum animalium, & pulmonem habentium quædam multo tempore posse irrespirantia uiuere: Insuper & qua ratione superius ostensum est homines in Ecstasi grauiori ali non posse, plane ostenditur eosdem non respirare; nam & respiratio est functio inferioris animæ, quæ nihil agere potest priuata superioris auxilio, quæ in Ecstasi tota occupatur in meditatione obiecti uehementioris: Galenus autem id considerat eo loci, quod euenit ut plurimum, non quod absolute fieri potest. Vlterius esto morbus, siue affectio aliqua pręter naturam,quæ tollat appetitum,nutricationem, & augumentum; sane morbus hic magnus esse debet,quo funditus extinguuntur operationes plurimæ vegetales, & omnium maxime ad vitam necessariæ; quomodo ergo tam magno morbo correpti decumbere non coguntur,& Citesij testimonio uidentur esse sani? proculdubio morbus hic erit atrophia,vel atrophiæ coniunctus, qua quicun

que

Inedia, & fames in genere doloris.

Cap. 199.

1. hist. 8. 11.

De respir. cap. 11. Respiratio vitę haud necessaria.

que laborant longe dissimiles sanis conspiciuntur, Vltimo esto etiam morbus hic latens caussa, quare diu abstineamus,& inediam facile toleremus; nō est hoc illud, quod nobis ansam tribuit meditandi; contemplamur enim quærentes caussam, non cur homines diu ieiunium tolerent, sed cur diu viuant in ieiunio; poterit quidem morbus impediendo nutricationem, & extinguendo appetitum occasionem præbere ieiunio; at id efficere vt homines diu sine cibo viuant, certe non poterit, sin autem clarissimi viri iudicio poterit, explicare id quomodo contingat ille tenebatur, qui dedita opera tanti ieiunij caussam physicam inuestigare fuerat aggressus. Neque igitur secundum hoc Citesij,& Langij placitum mentem ab omni scrupulo purgare videtur.

Occurritur allatis rationibus, declarando differentiam ieiunij sanctorum, & prophanorum: non semper ex morbo intermitti functiones vitæ: quæue operationis læsio morbum sequatur.

Cap. CCXIII.

5. loc. aff. c. 1. ARgumentis autem in confirmationem eius adductis occurrere poterimus, altius spectata rei natura; quod etenim primo adducitur ex Galeno, id non affert caussam propositi, quam quærimus, sed ipsum met propositum; accipimus quidē nos a Galeno *si animal non alatur, vt in latentibus accidit, nihilominus uiuere ipsum posse, quoad cor in ser [illegible]; & ob virium hepatis imbecillitatem sine alimento permanens diutius sufficere posse;* verum & hoc ex Galeno ad plures dies producitur,& sine caussa proponitur ipsum quod est; nos autem agimus de ieiunio sanorum ad multos menses,& annos, quærimusq; caussam, & propter quid, Quod autem deinde affertur, Nisi vi morbi abstinuerint ieiunantes, fore ut eorum abstinentia non differat a ieiunio sanctorum, qui sani diuturnum ieiunium produxere; soluitur negata consequentia; quamuis enim Sanctorum, & Prophanorum abstinentiæ in eo conuenirent, vt neutra ortum a morbo traheret, vtraque cum bona valetudine societatem haberet; eo tamen dissidebant, quod Sāctorum ieiunium supra naturæ ordinem positam caussam sequebatur, prophanorum vero abstinentia naturali caussa nitebatur longe à morbo diuersa, in obscuro tamen adeo posita, vt non facile dignoscatur, cuius tenuis, ac rudis notitia fuerit, vera tamen, si dicamus eam esse, quæ hominibus ieiunantibus adimit vsum alimenti, & appetitus; at sublato vsu alimenti,& appetitus, iam naturali virtute abstinere coguntur, & non appetere; & sane miraculo adscribendum est Sanctorum ieiunium, non quia bonam valetudinem comitem habuerit, vt fertur, sed potius quia illorum & calor innatus humori prædominans ab eius tamen consumptione abstineret; & naturalis appetitus, non quidem extinctus (hoc enim dicit imperfectionem, quæ in effectu à supra naturali caussa prodeunte locum non habet) sed vegetus, & valens nullum omnino pareret molestiæ sensum; & omnino quia vrgente vsu tum alendi, tum quoque appetendi, citra dolorem tamen, ac morbum, vitæque discrimen, diu à cibis & appetendis,& assumendis abstinere potuerint. Quod similiter proponitur, si nostri abstinentes non vi morbi tam longum ieiunium duxerint, fore vt non coacti, sed sponte abstinuerint, quare nō dissiderent in hoc a Redemptore Domino, qui sponte, non coactus quadragenarium totum ieiunauit; tollitur etiam negando consequentiā vtranque; non enim quicquid coacti, non sponte facimus, id protinus vi morbi peragimus; etsi vero morbi vis nos cogat functiones naturales, & consuetas aliquando intermittere; haud tamen infitiandum est alias item caussas præter morbum idipsum efficere posse; nam augeri, & generare, naturales nihilominus sunt nobis actiones quam ali, quum ex eodem principio prodeant, nimirum ex anima vegetali, & naturalissima munia dicantur ab Aristotele; quis tamen audeat negare omnes 11. de an. t. 34. post consistentiam, seu post iuuentutem cogi augumentum intermittere nullius vi morbi? ille certe quicunque dicere nō dubitauerit omnes homines post iuuentutem perpetuo morbo torqueri; quod medicis non placet: quis item negabit viros, quibus feminæ quauis de caussa non adsunt, non cogi propagationem sobolis intermittere, vel ob morbum cogi? nullus mente valens: Ne dicam neminem vnquam dicturum nos omnes ab ortu ad consistentiam, vbi datum fuerit ad eam peruenire, decremento non carere, aut carere vi morbi: Possumus ergo cogi præter quam a morbo ad intermittendas consuetas operationes, etiā naturales; quare si non a morbo cogamur, haud tamen ideo sponte illas intermittimus; quia supra functiones huiusmodi non habet imperium nostra voluntas: ita ergo præter allatum discrimen, hoc etiam intercedit inter ieiunium commemoratorum, & ieiunium sacrosanctum Domini, quod illi volentes, nolentes, & omnino coacti, non quidem morbo, sed alia ex caussa nōdum aperta ieiunabant, nec appetebant; Dominus autem nullo modo coactus, at sponte, nutu Diuinæ suæ voluntatis abstinuit semel vno quadragenario, qui ad libitum plures, & amplius ieiunare potuit; licet vtrumque ieiunium, sanctum nempe, atque prophanum bonæ valetudini coniunctum fuerit procul ab omni morbo: Addo etsi ad libitum vtrumque foret (siquidem sponte ieiunasse legimus non nullos ex commemoratis abstinentibus prophanis) multa supersunt tamen, in quibus maxime dissideant, & præsertim caussa, & modus essentialis; quam Domini abstinentia pendet a caussa supra naturæ limites, & modo ineffabili; at ieiunium prophanum a physica dependet caussa, & modo naturali; quæ duo nunc nobis inquiruntur. Ad aliud autem argumentum concedentes omnem actionem læsam, siue diminute, siue deprauate, siue abolite (vt aiunt) esse symptoma proxime morbum consequens; negamus abstinentes nostros omnes habuisse læsam functionem appetendi, attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi;

pellendi; non enim statim ac non appetat, immo etiam non possit quis vel appetere, vel trahere, vel retinere, vel coquere, vel expellere, illico dicendũ est eum habere functionem huiusmodi læsam; nã dormientes non appetimus, nec appetere possumus, quis tamen iure dicat dormientibus læsum esse appetitum; ac propterea illos ægrotare? verum enimuero tunc dicuntur actiones læsæ, ac extinctæ, quando non obeuntur, dum vrget vsus, & obiri deberent: in abstinentibus autem nostris nullus vrget vsus aut appetendi, aut attrahendi, vt fuse infra demonstrabitur commodiori loco; proinde non appetere, nec attrahere possunt, ita cogente natura, non morbo vllo: quid enim appetant, si nullo indigent? quid attrahant, si non appetunt? quid retineant, si non attraxerint? quid concoquant, si non retinent? quid tandem expellant, si non concoxerint? Etsi ergo nequeant abstinentes nostri appetere, vel ali; idcirco non fit vt læsas habeant operationes appetendi, & alendi; habent quidem eas abolitas, non tamen læsas; sic enim mulieribus ablactato infante, ac viduis longe a partu aboletur lactis generatio in mammillis absque eo quod læsa dicatur illa functio ab vllo morbo, quia nullus in ijs amplius superest lactis vsus: igitur qua ratione vidua sanitatis inculpatæ non potest lac generare ablactato infante, consimili profecto abstinentes nostri morbo non laborantes vllo non poterant appetere, nec ali. Ad postremum concedẽtes in abstinentibus nostris illud contigisse, vt quãdiu abstinuerint, nunquam appetiuerint; & quam primum appetere incœperint, illico cibos assumpsisse, ac enutritos; negamus absolute duorum semper illud esse caussam alterius, quo posito, vel ablato, statim ponitur, vel aufertur aliud; nam ad hoc vt coniunctorum alterum sit caussa comitis, necesse est vt altero posito, vel ablato, comes ponatur, vel auferatur per se primo, non per aliud, aut quomodocunque: in abstinentibus autem posita, & ablata appetentia, illico ponebatur, & auferebatur abstinentia, verum non per se primo, sed quoquopacto per accidens, nimirum quia vsus, & omnino finis appetendi, & alendi semper coeunt, suntque simul indiuisibiliter; proinde fit vt posito, vel ablato vsu appetendi vna ponatur, vel auferatur vsus alendi, & vicissim; quare in nostris ieiunantibus ablato vsu alendi statim, seu potius simul aufertur vsus appetendi; appetimus enim non nisi vt alamur; quo fit vt simul & abstineant, & appetere desinant: si quam autem ab caussam postea contigerit in ijsdem poni vsum alendi, vna non poni nequibit vsus appetendi; vnde accidet vt simul appetitu redintegrato abstinentiam frangere incipiant: Hinc ergo non colligas appetitum esse caussam nutricationis, nec inappetentiam ieiunij, sed signum, quia sese concomitantur indiuidue: Ac vere si in his caussæ ratio locum habet, dicendum est potius tum ieiunium esse caussam inappetentiæ, quemadmodum ab opposito nutricatio est caussa finalis appetitus; appetimus enim non in alium finem, quam vt alamur; tum etiam, si placet, inappetentiam, & ieiunium ab eadem caussa prodire; sed hanc non esse morbum necessario; verum quid præter morbi naturam, quod tollat vsum alimenti, ac proinde appetitum, & nutricationem, vt paullo antea declarauimus. Itaque nec Langio hac in re subscribere possumus.

Nõ statim ac non operatur, aut quis operari non potest, ideo læsam habet functionem.

Quãdo vere dicãtur actiones læsæ. Lib. 3.

Vsus, & finis appetẽdi & alẽdi coeunt.

Ieiunantes cur nõ appetãt.

Inappetentia, & abstinentia sit ab eadem caussa.

Vigesimaquinta opinio Quercetani referentis abstinentiæ caussam in petrificationem partium vẽtris imi, & nutricatum aliarum ex aere, ac odoribus. Cap. CCXIV.

IOseph Quercetanus Iatrochymicus magni nominis in suo Diætetico Polyhistorico diuturni Ieiunij Conflanensis puellæ naturam explicans cõsiderabat in eius corpore duo genera partium dupliciab inuicem discrimine discrepantium; alias primum dicebat esse crassioris naturæ, quæ propterea crasso alimento indigerent, atque adeo cibo, ac potu; easque dicebat esse ventriculum, lienem, mesenterium, & alia viscera in abdomine collocata; alias vero ponebat tenuioris substantiæ, quæ spirituali, & aereo nutrimento sustineri valerent; illasque asseuerabat esse cor, pulmones, cerebrum: Ponebat deinde sine harum tenuiorum partium vita non viuere posse animal; quod tamen sine crassiorum vita viuere posset: quum deinceps illud omnibus partibus commune foret, vt nulla sine altione viueret: Vnde colligebat petrificatis imi ventris visceribus in puella ieiunante (quod ex intensa eius regionis duritie deducebat) aut saltem in naturam lalis commutatis, atque adeo vita citra vllam putredinis notam priuatis, nullum esse necessarium homini cibum, ac potum; quum aliæ corporis partes tenuiores aere, ac odoribus enutritæ vitam diu sibi, ac toti conseruare possent: Quam quidem sententiam præstat ab ipso loquente audire, *Opportunus* ait *hic esset locus difficillimæ quæstionis enodandæ, an scilicet perstare quis diu possit, & viuere citra alimenti, aut potus, cibique assumptionẽ? cuius solutionem, rationesque alio reijcimus: afferam huc tantum quæ mihi Conflani vidisse contigit ante annos sex, & quæ de re noua, & parum vsitata breuiter dici possunt, explicabo; illic enim suscepto in illos tractus itinere vidi puellam tres, aut quatuor annos natam, quæ iam sine cibo, ac potu per sesquiannũ perstiterat; mirabantur omnes tam stupedum casum; multique sibi persuadebant aliter fieri non posse quin alimentis clam pasceretur: Vbi vero ego ventriculum, hypochondria, mesenterij, & inferioris abdominis regionem attrectaui, dimoui illos a sinistra opinione, aperte docens in illo abdomine vsque adeo depresso, & instar marmorei lapidis indurato, nihil colligi posse; quum nihil in illas partes traijci, nec influere queat: subijt me quoque non leuis tam nouæ, ac stupẽdæ rei admiratio, qui uita perstare posset in organis illis naturalibus omnibus facultatibus ac functionibus destitutis: tandem meditatus istius rei caussas, intuli coagulatas illas partes, & prorsus exsiccatas nõ minus subsistere, ac a corruptione se tueri posse, quã infans ille qui in vtero materno in lapidem conuersus ibi per multos annos citra sui, matrisque corruptionem perstitit; prout omnibus huius rei nota est historia:*

Sect. 2. cap. 4.

Infans in vtero matris conuersus in lapidem.

ria: Quod autem puella illa frueretur vita citra alimenti, aut cibi vsum, ratio est, quod potissimæ corporis partes, in quibus vita potissimam suam sedem habet, cor videlicet, pectus, & caput, admodum viuidæ, & vitales perstarent; quæ quum, vt alia ignobiliora membra, crassum alimentum non desiderent, quale ventriculus, hepar, & lien, vt in quotidiana ciborum concoctione animaduertitur, quibus vt vita conseruetur, nec non cor, pectus, seu pulmones, & caput, necesse est vt in aeream, & spiritualem substantiam a ventriculo, & hepate præparentur: alioqui si crassior esset ciborum substantia, ab illis spiritualibus partibus non reciperetur; quæ similibus, nõ alijs, oblectari solent: Quum inquam eæ partes sint spiritualiores, & magis aereæ; spiritu etiam, & aere easdem foueri certo certius inferre licet: Hinc fit vt cor statim præfocetur, si ad momentum aeris ad cor meantis per pulmones aditus intercipiatur: hinc docent etiam Medici cerebrum odoribus foueri; & partes pectoris, & cordis aereo spiritu recreari: Quæ quidem partes quum vita fruuntur, eam non sibi tantũ retinent, sed in totum corpus, si pateant meatus, diffundunt: At quum in illa puella solæ illæ partes in tota capacitate abdominis sitæ extinctæ, & demortuæ prorsus essent, & omnibus suis functionibus destitutæ, quæ necessariæ etiam non videntur ad cibi cerebri, pulmonum, & cordis, hoc est ad aerei & spirituosi attractionem & concoctionem, nisi de cibo crassiore agatur, qui in spiritum, & aerem præparari debet: Mirum amplius esse non debuit si præcipuæ illæ, & nobilissimæ totius corporis partes vita fruantur, quũ illis organis carere possint ad vitam suam tuendam: Verum quidem est eas bona sui nutrimenti parte destitui, quæ ex cibo a ventriculo, hepate, liene præparato ad ipsas transfertur: satis tamen alimenti ab exteriore aere, et odoribus percipiunt, quo viuant ad aliquot annos. Restat adhuc & hic dissoluendus nodus, cur extinctis tam nobilius partibus, & toti corpori summe necessarijs, quales sunt ventriculus, hepar, lien, mesenterium, intestina, reliquum corpus non corrumpatur: Diximus ad alimenti aerei distributionem nobilissimas illas tres partes facile carere functione hac, & præsentia ventriculi, & reliquorum: at quod demortuis his partibus reliquæ non intereant, ratio est, quia nullam alijs corruptionem inferunt, quæ inficiantur, ac depereant; immo tantum abest vt corrumpant, vt contra balsamo suo eas potius foueãt; quum enim mors istarum partium nihil aliud sit quam facta sensim carneæ essentiæ in salinam, aut lapidosam substantiam conuersio, quæ quidem salina substantia (vt salis proprium est) non corrumpit, sed a corruptione conseruat; nihil mirum si lapidosæ eiusmodi partes se se ipsas in corpore tueantur, & alijs nullam noxam inferant. Fatebimur tamen, vt par est, quum hoc duplici medio vita corporis humani foueatur, aere videlicet externo, & cibo ingesto; tum integram, & perfectissimam vitam vigere, & corpus in omnes suas dimensiones extendi, quum vtroque hoc medio homo vti potest. Hic rursus curiosus aliquis quærat, quomodo hæ partes in marmoream substantiam versi possunt? sed quum omnia non sint vnius loci propria, differemus alio huius quæstionis dissolutionem; de qua tamen hic obiter dicemus in microcosmo minerales etiam aquas contineri, quæ in salem, & lapides carneas substantias commutent, prout in † macrocosmo multas similes videre licet, quæ quicquid in eas inijcitur, siue sint herbæ, siue ligna, congelant, & in marmora, saxa, lapides, vel metallicam substantiam pro sua natura conuertunt. Eandem puellam aliquot post menses, quum per eandem vrbem transirem, in eodem statu reperi, ita vt per integrum annum, me aliquando præsente & inuisente, talis perstiterit; referebat illa melancholicum temperamentum, taciturna admodum, vt ne verbum quidem vnquam vel vix hisceret; pendente semper capite; reliquis membris, vt brachijs, cruribus, moueri nescijs; quod scilicet aere eo tantum, & spiritali cibo fruens, non crassiore, quo crassiores & solidiores partes firmantur, ad motum corporis esset impotens: At, quod me magis in admirationem rapuit, ab eo tempore, quo mihi visa est, intellexi illam creuisse, incedere etiam, & tandem naturalem edendi, ac bibendi appetitum recepisse: hinc constat non prorsus in lapideam substantiam conuersas fuisse illius puellæ partes, quemadmodum fetus ille in vtero totus in lapidem commutatus; quod tamen fieri potuit, quodque ex insigni duritie conijciebam; sed tantum tartareis fecibus, ijsque densis, ac spissis circumquaque inuolutas ad tempus, quæ vel natura, vel arte in liquorem soluta sensim euanuerunt, & ex partibus exclusæ sunt; vnde repurgata membra ad pristinas facultates, & destinatas functiones redierunt. & interposita Chreieræ Apolloniæ abstinentia superius adnotata, alijsque multis, quæ huc afferre non oportet, demum subdit vir acutus, *Sed quia hanc materiam fusius, ac plenius tractandam differimus in librũ nostrum* De recondita rerum natura, *hic occasionem, & locum dabimus, qui inuentis melioribus rationibus demonstratione liquidiore explicare poterunt hanc quæstionem, cur homo citra omnem cibi, potusque vsum ad tempus etiam diuturnum viuere possit.* Hæc ad verbum ex Quercetano de admirabilis abstinentiæ natura. Lib. 4.

Expenditur allata sententia ostendendo longum ieiunium haud ortum esse a petrificatione partium naturalium, & a nutricatu aliarum ex aere in vllo abstinente.

Cap. CCXV.

QVando vir eximius nõ inuulgauit librum *De recondita rerum natura*, nosque illum habere proinde non potuimus, in quo ipse de proposito exquisitiorem contemplationem habiturum se pollicetur; cogimur ea expendere, quæ superius ex *Diætetico* sunt adnotata: In quibus non vna de caussa mihi animus haud quiescere potuit: In primis enim ex Aristotelis decreto habemus vniuersalis effectus caussam pariter vniuersalem assignandam esse; quod nemo negare audeat: quum igitur longior abstinentia in plurimis alijs hominibus obseruata sit, in quibus nullum signum aderat petrificati abdominis, plane naturalium partium petrifica- 2. phys. 38.

Quibus communis est effectus, iis & caussa.

Effectus nullus sine caussa.

trificationem haud verisimile est fuisse caussam ieiunij: ac sane vt quæ in effectus participatione communicant, eadem plane omnia in participatione caussæ communicare necesse est; alioquin effectus in aliquo sine caussa reperiretur; quod natura non patitur; ita omnium abstinentium nemo fuit, quibus id vitij circa ventrem imum extiterit, præter hanc puellam, & abstinentem Citesij Confolētaneam, quam non aliam ab hac Conflanea Quercetani non parum suspicatus sum, aucta suspicione ab eo quod coætaneum vtriusque ieiunium proditur circa annum Domini M D C I. sed tamen inde mihi omnis erepta est dubitatio, quod suam Citesius annum decimumquartum, aut circiter natam prædicat; suam vero Quercetanus tres, aut quatuor annos ætatis attingere monet: suam Citesius valentem asserit in rem familiarem operam omnem conferre, obsonium e foro petere, pauimenti sordes euerrere, colum tenere, fusum rotare, stamina pollice ducere, atque in alijs huiusmodi ministerijs totam esse, nec vllas sensus, aut motus partes deesse: suam ex aduerso Quercetanus testatur pendente semper capite fuisse reliquis membris, vt brachijs, & cruribus moueri nescijs. Nullis ergo abdominis duritie laborantibus ex tam numeroso abstinēuum numero præter has duas puellas; abstinentiæ longioris, qua cum ceteris communicare visuntur, caussam esse naturalium viscerum petrificationem probabile non est. Deinde vero disputationi concedentes imi ventris viscera salis, aut lapidis naturam cōtraxisse in abstinente, ac proinde alimenti non indiguisse, cerebrum, cor, & pulmones aere ali potuisse; quid alijs de partibus vniuersis est asserendum, de brachijs, coxis, cruribus, neruis, & ossibus longe crassiorem, ac solidiorem substantiam habentibus? quomodo hæ partes tandiu familiari sibi alimento destitutæ, quod nō nisi a ventriculo, & hepate per venas hauriunt, viuere potuere? si enim sine alimento citra petrificationem consistere valuere (quippe nulla in his durities præter naturalem obseruata fuit) sane haud oportuit naturalia membra dicere petrificata, minusque decuit cerebrum, cor, & pulmones aere nutrire, ad hoc vt sine cibi potusque vsu viuere possent viro doctissimo. Deinceps falso etiam statuitur cor tenuioris esse substantiæ quam imi ventris viscera, & tenuori, aereoque alimento sibi familiari ali; nam cor omnium viscerum est crassissimæ, ac solidissimæ substantiæ, sensu iudice; vt propterea tum recte ipsum Aristoteles alicubi natura, seu substantia propinquum potius quam loco dixerit organo tactus, quod voluit esse a prædominio terreum, sicci nimirum temperamenti, ac densissimæ, crassissimæque substantiæ; cui proinde vel viri doctissimi sententia similia similibus recte nutrientis, non dissimilibus, & alienis, ineptum esse debeat alimentum aereum. Sed aere, ac odoribus nullas omnino ali posse partes uiuentis adeo euidentibus rationibus confirmatum est antea ab initio libri, vt non deceat nos hic denuo actum agere. Præterea neque illud accipio ad vitam animalis haud esse necessariam nutricationem, & vi-

Lib. de sen. & sen. c. 2. Tactiuũ Aris. vi sum xia ou.

tam hepatis, lienis, ventriculi, & aliarum partium abdominis, quotidiano experimento doctus ex harum partium vulnere, inflammatione, obstructione, schyrro emori homines. Insuper abdominis viscera petrificata si sunt, necessario vel pristinam omnino vitam amisere, quod videtur censuisse vir egregius appellans ea *extincta, & demortua penitus*, ac proinde sine cibo tandiu persistere potuisse, quum eius vsura solis viuentibus sit necessaria; vel etiam vitam, quamuis duritie nimia rigeant, in se retinent; si partes hæ penitus demortuæ fuere, quomodo rursum reuixere tertium post annum ad cōsueta vitæ munia, & speciatim ad alimenti vsum reuertentes? si vitam nunquam ex toto amisere, quomodo viuentes absque alimento tandiu durare potuere? & cur cerebrum, pulmo, & cor non etiam diu sine alimento vel aereo conseruari potuit? Ad hæc naturalium viscerum dicta petrificatio necessario vel a nuda intemperie frigida, & sicca orta est, quod maxime indicat imi ventris extenuatio in puella Consolentanea; vel ab intemperie cum materia, quod retur vir acutus asserens ea membra in lapideam naturam mutata *tartareis fecibus, usque densis, ac spissis circumquaque inuoluentibus* eorum substantiam: ceterum petrificatio ab intemperie cum materiei petrificantis affluxu substantiam, quę inde lapidescit, non minuit, sed auget potius nouo inducto lapideo cortice, vt cuique obseruare liceat in lignis, frondibus, & alijs, quæcunque in μεγακόσμῳ ab aquis mineralibus cā facultatem habentibus lapidescunt; at vero & abstinentis Consolentaneæ Citesij, & Conflanensis Quercetani abdomen miris modis exsiccatum, depressum, & tabefactum fuisse perhibetur; Non ergo his abstinentibus petrificata fuere imi ventris viscera ab intemperie cum materia, vt retur vir egregius. Petrificatio vero ab intemperie sine materia non nisi ab intensissimo frigore oritur congelante; vel calore humidum tenuius citissime consumente, crassius vero tostione indurante; at in viuente homine adeo excellens frigus contineri nequit, quo vlla pars lapidescat; quippe vita consistit in calore, vt alibi fusius demonstrauimus: quare lapides in humano corpore non nisi a calore procreantur: at vero quia non sat est agentis præsentia ad effectus originem, sed opus est insuper materia, eaque disposita; siquidem actus actiuorum semper sunt in patiente bene disposito, quod nos docuit Aristoteles: quumque materia lapidum sit muccus lentus pituitosus, non autem substantia hepatis, lienis, ac ventriculi; plane vt ex eo mucco existente in ijs visceribus a calore nimio fiunt lapides; ita eorum viscerum substantia nullo a calore potest lapidescere, nisi tali mucco imbibita fuerit ad instar spongiæ, cuiusmodi esse corpus fetus in vtero materno scimus; substantiam vero hepatis, lienis, & ventriculi orti hominis sine probatione non credimus; tunc enim iam esset viscerum horum petrificatio cum materiæ, seu quantitatis incremento, ac tumere; non autem cum diminutione, ac tabe, qua puellæ abstinentis abdomen depressum & exsiccatum narrat vir eximius: quam

De mortua membra non reuiuiscũt physice.

Petrificatio ab intemperie sine materia vt fiat. Lib. de vita.

Lapides in humano corpore omnes fieri a calore. 2. de an. t. 25.

Viscerum substantiã lapidescere non posse.

Quomodo fetus in vtero lapidescere potuit.

quidem

quidem exficcationem viſcerum ac tabem, cui durities neceſſario comuncta erat, non aliunde prouenisse arbitror quam ex alimenti penuria; vbi enim alicuius partis humor ſubſtantificus depaſcitur, & in locum abſumpti nullus ex alimentis reponitur, partem tabeſcere, ac exſiccari, duramque fieri neceſſe eſt, omni exoluto humore, vnde membris ineſt mollities: ita ergo ſolam ob alimenti priuationem abſtinentis viſcera naturalia exſiccata induruiſſe putamus, id vel ab Hippocrate docti alicubi perſpicuis uerbis aſſeuerante qui ſeptem dies ab omni cibo, potuque abſtinent, ijs ventrem non amplius ſuſcipere, quia inteſtinum omne uiſcus, quod in abdomine continetur, tam longo ieiunio concreſcit, ac humiditate propria priuatum, aliena nõ gaudens, ut miris modis tabeſcat, & induretur.

Lib. de Principijs

Soluuntur argumenta Quercetani oſtendendo abſtinentis viſcera naturalia non fuiſſe petrificata; vitalia non aere nutrita, nec alijs vitam communicaſſe. Cap. CCXVI.

SEd neque rationes uiri eximij ſententiam roborantes adeo firmis innixæ ſunt fundamentis ut nobis eam perſuadeant; quod enim primum ex abdominis intenſa durite colligitur uiſcera naturalia eſſe petrificata, neceſſario non colligitur; nam frequentiſſimum eſt Medicis ęgrotantium hypochondria tangere duriſſima citra ullam petrificationem: ſcilicet ob præſentiam aut flatus tendentis, aut ſchyrroſi tumoris, aut etias ob exſiccationem tabidam. Quod ſecundo probatur in abſtinente abdominis partes lapideam naturam contraxiſſe eo modo quo fetus in utero, probabile non eſt: nam fetus corpuſculum lentis, ac uiſcidis muccis omniquaque ſcatens ui materni caloris uegetioris tenuiores illorum partes exoluentis, craſſiores uero toſtione ſiccantis lapideſcere potuit: at uirginis plures annos ab ortu uiſcera muccis purgata, & ſi ſcatentia ſimul cum ijs calore non adeo ualido pollentia, non poſſunt aut defectu agentis, aut defectu materiæ lapideſcere: ac ſane abſtinentis Cõſtaniæ calorem fuiſſe imbecillimũ ex eo pateat, quod ignauia torpens, ac frigidiſſimo corporis habitu deſcribitur a uiro doctiſſimo: ei uero non concreuiſſe in lapidem uiſcera ob copiam circunfuſi mucci, fęculenti, ſpiſſique tartari, ut credidit uir eximus, id aperte docet quod abdominis regio uniuerſa depreſſa, miſereque tabida conſpiciebatur; quod potius proprij humidi abſentiam, quam alieni præſentiam demonſtrat. Quod exinde affertur, *vt in magno mundo, ita in paruo minerales aquas reperiri, quæ in ſalem & lapides carneas ſubſtantias commutent*; id nimium gratis affertur, quod probationis indiget: norunt enim Medici certo iam experimẽto quicquid lapidoſi noſtro in corpore gignitur, id omne ex uiſcido, lento, craſſoque humore ab adurente calore procreari; non ab aqua ulla thermali. Quod autẽ in altero fundamento aſſerebatur cor, pulmones, ac cerebrum enutriri alimento tenuiſſimo tum ex hepate ſibi ſubminiſtrato, tum etiam ex aere inſpirato, quia omne ſimile alatur ſimili; non difficile ſit demoliri; primo enim qui fieri poſſit ut cordi, cerebro, & pulmoni tam diuerſæ ſubſtantiæ, ac temperaturæ partibus idem penitus alimentum ſit ſimile, ac familiare? deinde quid ab hepate ad cor, & cerebrum adeo grandes uenas natura deduxit ſanguine craſſo turgidas, ſi iecur illis partibus tenuiſſimum debet alimentum præparare? Deinceps qua ratione denſiſſima cordis ſubſtantia tenuiſſimum alimentum ſibi conſimile reputabit? Quod poſterius affertur cor, & cerebrũ aere, ac odoribus ali poſſe, quia cor aere priuatum ad momentum præfocetur; cerebrum uero Medicorum ſententia odoribus reficiatur; non eſt argumentum inſolubile; primo enim cor citra reſpiratum aerem diutius uiuere poſſe late demonſtratũ eſt nobis in opere *De vita* ex Ariſtotele: deinde uero eſto cor ſine aere inſpirato non uiuere, id tamen non ideo prouenit quia cordi ſit aer alimentum; ſed quia ſit refrigerium, ac medicamentum, quo eius æſtus nimius temperetur. Conſimiliter ſupra fuſius oſtendimus decreto etiam Ariſtoteleo cerebrum odoribus non ut alimentis, ſed ut medicamẽtis eius intemperiem corrigentibus foueri. Quod inſuper affertur in abſtinente Conſtania partes alias corporis uniuerſas cuſtodiri tum a corde, cerebro, & pulmonibus uita ſibi ſubminiſtrata; tum a balſamo uiſcerum naturalium fotas, nulla ex parte recipimus; namque in primis uitam habent ſingulæ partes corporis ab animæ præſentia; nec una eſt pars, a qua ceteræ uitam ſuſcipiant; ſed omnes æqualiter ab anima uiuunt; ut ſat ſuperque oſtenſum eſt alibi, ſi uitæ nomine id quod proprie uita eſt intelligit uir eximus; ſin autem per uitam alimoniam indicet, quemadmodum a cerebro, & pulmonibus in alias corporis partes nulla materia trãſfunditur alimentaris; quid enim, & quibus ductibus a pulmone in crura, & brachia diffundatur? certe a cerebro ſpiritus animales per neruos ad omnes partes prouenire confitemur; ſed quis audeat ſpiritus animales carnium, oſſium, & aliarum partium alimentum dicere? ſunt ſane ijs inſtrumenta ſenſus, ac motus; ita per arterias a corde in totum corpus effluunt ſpiritus uitales, & ſanguis tenuiſſimus; & Ariſtoteli per uenas alimentum: at uero arteriarum ſanguis, & ſpiritus non ad alendum, ſed ueluti uehicula deſeruiunt ad deferendum ceteris partibus calorem influentem, ſine quo nulla corporis pars ullum uitę opus obire poſſet; quando calor hic eſt commune omnium operationum uitæ inſtrumentum; quarum calor fixus cuique parti eſt organum proprium; nam calor fixus oculi, quod eſt temperamentum ſoli uiſioni ſeruit, linguæ calor guſtatui, & ita de ceteris; at calor influens omnibus inſeruit; anima enim miniſterio caloris influentis applicati ad fixum, ſeu illum de ocio ad negocium excitantis ac fere uiuificantis utitur ad ſingulas uitæ operationes materiales obeundas. Plane Ariſtoteli partes aliæ ſanguine aluntur de corde ueluti de communi fonte per uenas ſibi attracto; at uero in abſtinente Conſtanea Cordis iſte fons alimenti deſiccatus, propterea quod non niſi ab hepate, ac ſtomacho materiã

alimenti

Idem alimentum partibus diuerſa natura non eſt ſimile.

Aere tamen medicina reficiunt.

De ſom. & ſenſ. cap.

Cerebrum quomodo foueatur odoribus.

Vnde vitam habeant ſingulæ partes.

Lib. de vita.

A corde & pulmonibus in alias partes nullũ prouenit alimentũ.

A cerebro ſpiritus animales per neruos alijs partibus communicantur.

Spiritus animales non ſunt alimentũ. ſunt ſenſus, & motus inſtrumentum.

A corde quid ceteris membris influat, & quomodo.

Arteria non alimentum deferunt, ſed vehiculũ caloris.

Calor vitæ operationum inſtrumentum.

alimenti recipit, non potuit alimentum reliquis partibus suppeditare viro doctissimo. Vlterius partes naturales in imo ventre desiccatæ, ac miris modis consumptæ, fereque in marmoream substantiam commutatę quomodo balsamo scateant, quo alias partes ignobiliores seruent? est enim balsamum succus & humor. Quomodo etsi salis naturam contraxerint, alias partes sine alimento a putredine seruent, quas non contingunt? sal enim ea solum seruat imputria, quibus inspergitur; at vero venter imus abstinentis Constaniæ viro egregio ventriculum, hepar, lienem, mesenterium, intestina, renes, & alia viscera, quasi oppidum Gerra Plinio turres habet ex salis molibus, non inspersi carnibus coxarum, tibiarum, & brachiorum, sed procul ab illis integri, concreti, durissimi Vltimo quod ex eo probabat vir insignis corpus abstinentis ali, quia cresceret, argumentum est apud Citesium supra dissolutum abunde: cui facillimum nobis esset alia ratione occurrere, si vera sunt quæ aliquando ex Theophrasto retulit non sine admiratione Plinius inquiens, *Mirum dictu, credit Theophrastus per id tempus*, quo scilicet latent vrsi, *coctas quoque vrsorum carnes, si asseruentur, increscere*; vnde habemus incrementi genus absque alimento, ac nutricatu, quod fit communie viuentibus, & vita destitutis; cuiusmodi augumentum dicas fuisse abstinentis Constaniæ, Consolentaneæque: tale vero incrementum fit potius inflatio, vel quid illi consimile, quam verum augumentum, quod non sine nutricatu esse monet Aristoteles. Non ergo de Diuturni Ieiunij natura veri, ac firmi aliquid habeas a Quercetano.

Balsamũ est succus & humor

Lib. 6. cap 28. Turres ex salis quadratis molibus.

Lib. 8. cap. 36. Carnes coctas incre scere.

2. de an. c. 47.

Vigesimasexta opinio decernens abstinentes nostros diu sine cibo, potuque viuere vi herba, ac medicamenti cuiusdam famem, sitimque pellentis. Cap. CCXVII.

NOn defuisse viros, qui tam diuturni ieiunij caussam pharmacis, seu uarijs herbis, aut medicatis fructibus attribuerint, & nos ipsi fidem facere possumus, & nobile testimonium perhibet doctissimus Langius asserens puellæ germanicæ abstinentiam plerisque relatam fuisse in medicamentum halimo herba, & damasonio palustri non dissimili confectum, quod gustantibus famem, ac sitim obrepere non finit. Huic sane placito non parum fauisse videtur Solinus, qui (referente Matthiolo apud Dioscoridem) halimum herbam ait in Creta nasci mirabilis effectus, quod ea tantum admorsa fames arceatur. Adhærere non minus huic sententiæ videtur Plutarchus tum in Symposio commemorans ἄλιμα, & ἄδιψα pharmaca famem, ac sitim obrepere prohibentia; tum alibi sub Cleombroti persona testatus se vidisse hominem, & alloquutum formosissimum, qui ab omni perpetuo infirmitate securus viuebat singulis mensibus semel fructu herbæ cuiusdam medicato, & amaro vescens. His adijciendus est Plinius, qui apud scythas herbam vtilissimam reperiri scribit, quam Spartaniam appellant, cuius magna, & ea commendatio est, quod in ore illam habentes famem, sitimque non sentiunt: idemque præstare monet apud eos Hippicen dictam, quod in equis quoque eundem effectum habeat; hisque duabus herbis scythas etiã in multos dies durare in fame, sitique. Ita ergo animaduertentes plurimi puellam Spirensem, cuius fama de triennali ieiunio passim increbuerat, dum primum dolore capitis, ventrisque torminibus cruciaretur, post vsum quamplurium remediorum vel a mulierculis exhibitorum, cæpisse cibum, & potum respuere, ac brachijs, cruribusque resolui, & dolere; quarum partium dolore sedato, roboreque firmato, cibi, potusque omnem cupiditatem, ac vsum remisisse ad multos annos; huius tam diuturnæ abstinentiæ caussa referenda videtur in vim medicamenti alicuius ex adhibitis, cui vis halimi, & spartaniæ inesset arcendæ sitis, ac famis. Ita de proposito multi censuere.

Lib. 1. cap. 3.

De oracul. defect.

Lib. 25. cap. 8.

Expenditur allata sententia ostendendo abstinentes nostros nullius herba, aut medicamenti virtute adeò longum produxisse ieiunium.

Cap. CCXVIII.

CEterum rei naturam intimius intuenti horum sententia recipienda non esse videbitur; primum enim certo scimus ex historijs allatis nullum prorsus medicamentum huiusmodi, nullamque stirpem id generis, vnde fames, ac sitis arceri posset, plurimos abstinentes ante ieiunium assumpsisse: quid ergo absolute referamus ieiunantium nostrorum abstinentiam in vsum herbarum, & pharmacorum famem, sitimque prohibentium? Deinde quum naturalis actio ventriculi sit appetere cibum, & potionem; quumque actiones membrorum permanente illarum vsu, ac necessitate, aboleri nequeant ab externo pharmaco citra morbi alicuius interuentum; sane medicamenta, & herbæ appetitum non destruent, quæ morbum non inferant; quum autem symptomata quo diutius perdurant, difficiliusque curantur, eo vehementiorem esse vim morbi demonstrent, a quo dependent; profecto diuturnæ huius, nullisque remedijs cedentis inappetentiæ autor morbus nonnisi magnus esse potest; si enim a parua quadam stomachi affectione vi pharmaci, aut herbæ inducta nasceretur hæc inappetentia, necessario vi temporis a sola natura leuium morborum citra medicamenti vsum medicatrice iam sublata esset, aut saltem multis præsidijs curata; si ergo ab extrinsecus assumptis inducto morbo contumacissima hęc nascitur inappetentia, eadem nonnisi ex magno, ac vehementi morbo proficiscitur; sed morbus magnus, ac vehemens etiamsi vnam tantummodo partem corporis primario afficiat, vniuersum tamen corpus in consensum adeo trahit, vt ceterarum etiam partium functiones quoquopacto

Symptomata morbum vehementem indicantia.

Natura quorum morborũ medicatrix sine medicamento.

Morbi particulares qui trahãt totum corpus in consensũ.

labefactet, ac præsertim si pars primario affecta fuerit vel princeps, vel principi deseruiens proxime, vel vsum communem præstans vniuerso corpori; cuiusmodi esse ventriculum nemo ignorat; quum itaque abstinens Consolentanea in rem familiarem operam omnem conferat, obsonium e foro petat, pauimẽti sordes euerrat, colum teneat, fusum rotet, stamina pollice ducat; atque in alijs huiusmodi ministerijs tota sit, nec vllæ sensus, aut motus partes muneri suo desint; simileque obseruatum sit in puella Pedemontana, in iuuene Scoto, in Nicolao Heluetio, & plerisque alijs abstinentibus; iam liquido constare valeat ipsis ex herbæ, aut pharmaci appetitum destruentis tam longam abstinentiam non contigisse. Deinceps autem referentes caussam extinctæ appetentiæ huius opinionis assertores, caussam longioris abstinentiæ, quam quærimus, non aperiunt; longe enim aliud est non appetere, & non appetentem diutius abstinere; sane pharmaca multa, & herbæ cuiusuis facile appetitum prosternent; at quod ita extinguat appetitum, vt etiam diu conseruent viuentes in abstinentia, hoc opus, hic labor est demonstrare; tenebantur explicare huius dogmatis autores in proposito non solum pharmacis, & herbis connumeratis famem, ac sitim arceri, sed etiam sine alimentis vitam conseruari; quæstio etenim erat, nõ cur pella Spirensis, & eius exemplo abstinens omnis non appetat, sed cur non appetens, neque assumens paucis diebus non moriatur, verum in multos menses, & annos vitam cum ieiunio trahat: Non ergo satisfaciunt quæsito dicentes puellam germanicam, & alios diu abstinentes vi halimi herbæ, aut cuiusuis alterius pharmaci longum adeo ieiunium tolerare.

Stomachus in corpore cuius partes vt tionem habent.

Occurritur argumentis allatam sententiam confirmantibus, considerando naturam herbarum, & pharmacorum famem sitimque pellentium. Cap. CCXIX.

ET eo minus satisfaciunt, quo argumentis non necessarijs propriam opinionem suffulciunt: Quod enim primũ ex Solino referunt halimi herbæ admorsu famem procul arceri, propositum non satis roborat, tum quia suspectum haud parum est hoc placitum, cuius neque Dioscorides, neque Theophrastus, neque alij diligentissimi rei herbariæ scriptores, vno excepto Solino, meminere; quũ in minimis diligentissimos verisimile non sit maxima præterire; tum quia quæ admorsa herba famẽ arcet absque eo quod ingerantur in ventrem, id ui detur mirum efficere inducta ventriculo per gulã stupiditate, quemadmodum per ipsum rete torpedo stuporem solo tactu piscatoribus incutere consueuit; ceterum stupefactus vẽtriculus æque amittit potionis, & cibi desiderium; quum ergo non constet abstinentes nostros omnes halimo vsos, & compertum sit plurimos potione vti, necessario iã non probatur eos halimi ope ieiunasse. Addere debemus etsi halimi morsu procul arceatur fames, id tamen non effici vt abstinentes diu viuere possint; nanque inappetentes, nihilque assumentes paucis

Vt admorsa herba famem pellere possit.

diebus interire frequentissimum est; verum nobis inquisitio est caussæ, non destruentis appetitum, sed cum deiectione appetitus diu sustinentis abstinentium vitam; illud enim præter halimum, & externa pharmaca, multæ caussæ internæ possunt efficere, vt fuse nos docuit Auicennas; hoc autem halimo effici, quod quærimus, non demonstratur. Quod autem secundo loco affertur ex Plutarcho de pharmacis, quæ ἄλιμα, & ἄδιψα nuncupata famem, ac sitim obrepere non sinant, idem iudicium subit, quod nuper de halimo herba promptũ fuit. Siquidem Plutarchus Epimenidem Solonis hospitem reliquis abstinere cibis consuetum, ac tantum exiguam partem arcentis famem materiæ, alimum Græci vocant, quam ipse sibi componit, sumere ore, itaque impransum, incænatumque perdurare admonet; non tamen alimum esse medicamentũ, sed cibi genus innuit ex melle & caseo compositũ; vt nihil hinc hauriant viri clarissimi de caussis diuturni ieiunij. Quod vero eodem autore scribitur de formosissimo barbaro procul ab hominum consortio vitam agente in sanitate perpetua singulis mensibus semel fructu herbę cuiusdam medicato, & amaro vescente, ijsdem tollitur solutionibus, quæ non sunt frustra repetendæ. Sed & illud prætereundum non est eo fructu herbæ medicato, & amaro menstruum ieiunum, & non amplius tolerare potuisse barbarum ex Plutarcho; quare si vel eo vsi fuissent abstinentes, tandiu nihilominus eius ope non vixissent in ieiunio, quod enim mensis vnius abstinentiam efficit, plurium mensium, & annorum ieiunium efficere non ideo potest; nam rei momentum consistit in diuturnitate temporis: Immo vero quum sapientissimus, & vates prædicetur a Cleombroto agrestis ille barbarus; ipsoeodẽ nulla re alia, quam amaro fructu proposito abstinẽtiam menstruam seruante, par est nullam posse stirpem ieiunium ulterius producere; si qua enim reperiretur, quomodo vati sapientissimo ignota? sin autem nota, quomodo amaro fructui non præposita? qui enim totum tempus in cognitione, consideratione que rerum consumeret, profecto eum decebat quamminime fieri posset, ventri, & cibo indulgere; quum ex Platone ciborum vsus humanum genus à Philosophia, & Musis alienum reddat: Demum & illud obseruo Plutarchum admonere barbarum fructu illo medicato morbos, non famem, procul arcere, *formosissimus* (inquit) *iste hominum, quos ego quidem viderim, erat; & ab omni perpetuum morbo securus viuebat, singulis mensibus semel fructu herbæ cuiusdam medicato, & amaro vescens.* Quod tertio deducitur ex Plinio de Spartania, & Hippice Scytharum, nihil minus allatis responsionibus tollitur; nam & certo constat multos ex abstinentibus neque his, neque alijs consimilibus herbis sibi famem sustulisse; & nouum non est Plinium ex antiquissimis autoribus multa, quæ sensui, & experimento non respondeant, operi suo inseruisse; & ipsemet aperte admonens hisce duabus herbis Scythas non vltra duodenos dies in fame, sitique durare, haud comprobat Plinius opinionem existimantium abstinentes nostros vsu herbę alicuius,

L. 3. f. 13. tr. 2. c. 7.

In sympo

De oracul. defect.

In Timæo.

alicuius, vel pharmaci ad multos menses, & annos ieiunium protraxisse. Quod vltimo affertur de puella Spirense, cui abstinentia illa famigerabilis post plurium pharmacorum vsum incæpit, sufficientem fidem non perhibet de proposito; in primis enim coniectantur id huius opinionis assertores, quod certa ratione, demonstrationeue compertum habere deberent; quo enim nobis persuadent inter illa medicamenta in vsum venisse puellæ halimum, damasonium, spartaniam, aut quidpiam aliud consimile famem, sitimque procul arcens? Deinde vero illam exquisitam abstinentiam a cibo, potuque incæpisse legimus, non quidem post esum, & ingestionem alicuius herbæ, aut medicamenti, sed post fomentationem externam brachiorum, & crurum decocto quodam ab anu præscripto; fastidium autem cibi, & parsimoniam ante omnem medicamentorum vsum, ac herbarum esum a teneris etiam lactentem ostendisse nouimus ex historia. Demum plerique omnes alij diutius abstinentes, vt Scotus Cardani, Melancholicus Alberti, Nicolaus Heluetius, & reliqui citra omnem medicamentorum, & herbarum vsum diuturno ieiunio claruere. Itaque arbitrandū non est adeo longum ieiunium abstinentes tolerare potuisse vi herbarum, aut medicamentorum.

Vigesimaseptima opinio ex Valeriola referens caussam diuturnæ abstinentiæ in puram consuetudinem.

Cap. CCXX.

de loc. com. 6. 2. Doctissimus Valeriola inter multa consuetudinis admiranda opera inediam quoque connumerans occasionem tribuit ingenioso viro existimandi vi sola consuetudinis posse homines eum habitum contrahere, quo diutius abstinentiam tolerare possint, neque alia ratione ieiunantes nostros tandiu sine alimentis viuere; suæque huius opinionis plures affert rationes; In primis enim longe difficilius est (inquit) hominem medicamento non affici, & veneno haud interimi, sed vtrisque ali, quam diuturno ieiunio non mori; siquidem abstinentia quid priuatiuum est, medicamenta vero, & venena positiuam obtinent vim agendi contrariam nostræ naturæ; difficilius autem est nos infringere vim agentis positiui, quam subterfugere noxam imminentem a priuatiuo; si ergo tanta est vis consuetudinis, vt eius vnius opere medicamenta non afficiant, Aristotele autore, venenaque non interimant; quare igitur consuetudine longiori diuturnam abstinentiam homines tolerare non poterunt? (probl. 4.) Porro autem sola consuetudine vim medicamentorum adeo infringi, vt quicunque sensim alicui pharmaco assueuerit, demum eo deueniat, vt eius vsu nihil prorsum moueatur, quotidie norunt Medici praxim exercentes; quod & apud Theophrastum habeas asserentem omnium medicamentorum vires inertes in assuetis deprehendi, etenim quidam (hist. 9. 18.) tantum ellebori esitantes vt manipulos totos consumant, nihil afficiuntur; qua de re fuse his nouas ibidem attexit historias; ne repetam Aristotelem dicentem consueta, quemadmodum in edulijs, nō amplius pharmaca, sed alimenta effici: (1 probl. 46.) Quin & venenis assuescere posse hominem ita vt ea impune hauriat, haustisque ipsis enutriatur, passim legere est apud autores; (V. de lib. 4 cap. 7. 3 de simpl. cap. 18) nam & Galenus anum Atheniensem celebratæ memoriæ ab exigua portione cicutæ auspicatam memorat, quæ tale venenum nullo detrimento comedens ad magnam progressa est copiam; quod enim principio paucum venenum ab exiguitate deuictum est, consuetudo postea multum quoque naturale reddidit: Galeno addit Auicennas nutritam fuisse puellam veneno, vt eius concubitu reges interficerentur. (l. 4. f. 6. tr. 1. ca. 2.) Deninde vero apud Athæneum exempla legere possumus eorum, qui assueti fuerint semper a potu abstinere; (Lib. de Ebriet.) nam affert Archontem Argiuum, & Magonem Carthaginiensem, qui quum deserta arida ter pertransierint, farinas siccas comederint, biberint nunquā; & speciatim memorat quendam Lasyrtam, qui tota vita nihil vnquam biberit; legere quoque licet apud eundem Athæneum ex Clearcho regem quendam Aegyptiorum pueros sine potu assuescere exercuisse, vt Lybiæ deserta perquirerent: Apud Plinium consimiliter habemus Equitem Romanum Iulium Viatorem e Vocontiorum gente fœderata in pupillaribus annis aquæ subtercutem fusæ morbo prohibitum humore a medicis naturam fecisse consuetudine, atque senecta caruisse potu: (Lib. 7. cap. 18.) Sed & vulgo etiam catuli Melitæi, ne crescant, sine potu aluntur ita vt longiori assuetudine potionis vsum penitus amittant: si ergo vis consuetudinis ea est, vt a potu per totam vitam abstinere possimus; cur eiusdem consuetudinis interuentu non poterunt ieiunantes nostri diu a cibis abstinere? Quinimmo apud Plutarchū legimus inter Laconica instituta Spartanos pueris parce cibos dare consueuisse vt adsuescerent nunquam repleri, sed famem posse tolerare. Deinceps autem inter abstinentes nostros habemus a Cardano Leonardum Pistoriensem sensim eo se traduxisse, vt semel tantum in hebdomada cibum sumeret; iuuenemque Scotum assuetum vsque ad vigesimam diem, & vsque ad trigesimam in eadem inedia perseuerare: A Philostrato vero Apolloniū Tyaneum ex doctrina Pythagorę assuetudine longa diuturnam ferre inediam didicisse: A Plutarcho Timonis auiam consueuisse singulis annis per plures menses in Ciliciæ cauernis absque vllo cibo latere: A Simone Portio puellam Spirensem statim ab ortu assueuisse abstinentiæ per totam infantiam, & pueritiam adeo vt in adolescentia omnem penitus alimentorum vsum in multos annos intermiserit. His persuasus rationibus vir egregius sanxit abstinentes nostros vi consuetudinis potuisse huiusmodi habitum contrahere, cuius merito diu sine alimento vixerint.

Expenditur proposita sententia, ostendendo consuetudinem non parere tam longam abstinentiam.

Cap. CCXXI.

Consuetudinem nō habere locum in omnire.

Quibus assuescere possimus, et quibus nō.

CONsuetudines vim maximam esse vltro fatemur; sed tamē vbique locū non habere cōsuetudinem obseruamus; certa, determinataque sunt opera, in quæ ius habet cōsuetudo; alia, in quæ nihil omnino potest; illa omnia prodeunt a facultate appetente, ac sentiente; licet nō omnia appetitui subiecta consuetudini obnoxia sint; quis enim desuescat appetere iuuentutem, sanitatem, immortalitatem, & alia bona cuiusque generis? quis desuescet olfacere? quis tactu sentire? caetero, in quę nihil habet iuris consuetudo, sunt pertinentia ad facultates vitales, & naturales, & quæ in nostra potestate non sunt; quis enim poterit vnquam a respiratione desuescere? a pulsu? ab augumento ac decremento? a prolifico semine gignendo? quo modo assuescent pisces aeri? aquilæ, ouesque mari? quum itaque nutricatio sit opus attinens ad vegetalem animam, seu quod aiunt Medici, ad facultatem naturalem, tam nulla poterit consuetudine aboleri: non itaque vi consuetudinis eo deuenire potuerunt abstinentes nostri, vt per multos annos sine alimēto viuerent. Præterea consuetudo est eorum, quæ sunt non solum contingentia, sed etiam in nostra potestate; huiusmodi enim quamuis toleratu difficillima, tamen assuetis facillima reddūtur; consuetudo enim facile magnos labores perferre facit, dummodo sint in nostra potestate; quū itaque diu sine alimento viuere non sit ex eorū numero, quæ sunt in potestate nostra; procul dubio nihilo magis assuescere potuerunt longo ieiunio abstinentes nostri, desuescereque ab alimentorum vsu citra vitæ dispendium, atque possint mulieres quælibet cūm assuescere optatorum marium conceptui, partiuque; tum desuescere a fœminarum procreatione. Deinde quum omnium hominum eadem sit natura, & æque ad alimentum propensa; cur aliqui tantum sine cibo viuere assuescent, & non omnibus hominibus hoc inest, vt quilibet promiscue possit diu sine cibo viuendi consuetudinem acquirere, earatione, qua cuicunque licet assuescere iniurias tolerare, sub dio dormire, cæpis, & allio vesci, a venere abstinere, a balneo, a vino, a crapula, & ab alijs id generis innumeris? rationi siquidem cōsentaneum est ei me posse assuescere, cui alius homo potest; si faciliori, vel difficiliori negocio, nil refert; quum ergo cuique datum non sit assuescere diuturno ieiunio; quod etiam possit vnusquisque in brutis experiri; liquido iam constet abstinentes nostros non ob inueteratam consuetudinem diu viuere sine alimēto. Id quod vel inde perspicuum est, quia eorum multi post diuturnum ieiunium ad pristinum alimentorum vsum rediere citra noxam, immo cum magno sanitatis incremento; sic puella spirensis, tusca, & alij abstinentium nostrorum tandem coacti sunt intermissam comestionem, potationemque repetere; at quæ longiori consuetudine obfirmata qua si naturalia facta sunt, ea non cogimur derelinque re, immo non sine sanitatis noxa relinquere possumus, quamuis suapte natura optima nō sint; quod satis confirmat Aristoteles inquiens non alia de caussa vitam luxuriosam viuere assuetos vbi agere luxuriose cessant, ægrotare; quod euenit Dionysio tyranno, qui in urbis suæ obsessione aliquantulum temporis a potu solito desistens tabe protinus interea laborauit; nisi quia consuetudo magna res cuique sit, ut iam in habitum ferme naturalem transeat: si ergo abstinentium nostrorum plurimi post longum ieiunium ad cibos rediere citra noxam, immo cum euidenti ualetudinis emolumēto; quis non uideat eos non vi consuetudinis tantam abstinentiam prius tolerasse? Amplius quamplurimi ex abstinentibus nostris abstinentiæ non sensim assueti sunt, sed repente simul omnem cibi, potusque vsum intermisere, vt aperte constat ex allatis antea historijs: Non ergo vniuersalis caussa, & immediata diuturni huius ieiunij potest esse consuetudo: Cuius rei non leue argumentum habeas ex Galeno, qui miris modis extollens vires consuetudinis de illa ex professo, ac dedita opera integrum volumen conscribendo, in quo ne verbum quidē de eo, quod vi consuetudinis diu possimus ab alimentis abstinere; non erat autem silentio prætereundum eo loci tale consuetudinis priuilegium, si eius merito diu possemus inediam sustinere. Insuper quum in vsu alimentorum conueniamus nos cum brutis animalibus, cur nobis assuescentibus tā diuturnæ abstinentiæ, nequeamus assuefacere sen sensim canes, gallinas, aues, equos, & alia domestica irrationalia longo ieiunio? hoc enim haud parum interesset œconomicæ. His persuademur a Doctissimo viro dissentire, qui censuit abstinentes nostros tandiu ab alimentis abstinuisse vi consuetudinis.

29. pro bl. 1.

Cæsar de mult... in behal ramal.

Satisfit rationibus viri Clarissimi, ostendendo qua ratione medicamenta, & venena non agant in assuetos; & quomodo se habeat consuetudo ad cibum, & potum.

Cap. CCXXII.

VErum & rationes hanc opinionem roborantes, si acriter expendantur, propositum haud necessario cōuincere videbuntur. Ad primū etenim, qua dicitur difficilius esse hominem medicamento, & veneno ali, quam diuturno ieiunio non mori; quumque sola consuetudine homines medicamentis, & venenis ali queant, fieri posse multo magis vt assuetudine item sine alimēto diu viuant; multifariam occurrimus, & primo adnotantes ex hac ratione colligi, non ieiunantes nostros vi solius consuetudinis necessario tam longū ieiunium tolerasse, verum tolerare potuisse, non excludendo alias caussas, a quibus hic idem euentus oriri potest; quare argumentum hoc ad summū probabile, ac dialecticum est, non scientificum, & necessarium immediatam propositi caussam afferens, quam quærimus. Deinde infitiamur absolute difficilius esse hominem medicamento non affici, &

Non omnia alimenta medicamentosa. Medicamentorum duo esse genera.

2. aph. 36 & 37.

2. de gen. t. 34. & 38.

ei, & veneno haud interimi, sed vtrisque ali, quam longa fame non mori; nanque medicamenta (vt de his prius agamus) duum sunt generum; vt enim alimentorum alia sunt pure alimenta nullam in se vim habentia medicamentosam (non etenim iunioribus assentimur asseuerantibus omnia nutrimenta esse medicamentosa, quia omnia quoquopacto corpus animalis alterant; namque non omnis alteratio medicamentosa est, sed ea solum, quæ sanis morbosa, & ægris est salutifera; quippe Hippocrati medicamenta sanis morbosa, & ægris salutifera sunt: at vero alteratio sanis morbosam affectionem non afferans, sed omnibus salubrem constitutionem concilians propria est alimentorũ, vt insinuauit Aristot. alicubi) quẽadmodũ ergo nutrimenta alia sunt pure nutrimẽta nullã vim obtiẽtia medicamẽti, alia vero sunt alimẽta vim habẽtia medicamẽtosam; ita sane medicamẽtorũ alia sunt pure afficientia corpus, & mere medicamenta, vt stibium, & reliqua omnia medicamenta metallica; alia nonnihil etiam habent alimenti, vt quæ a plãtis, & animalibus desumuntur; porro non pure medicamenta, in se habentia non nihil alimenti, si sæpius exigua portione sumantur, ea ratione qua sunt alimenta, facile nutrient; at sui parte medicamentosa euidenter quidem corpus non afficient ob virium exilitatem, sensim tamen alterabunt occulte, vt corpus ideo ex frequenti vsu medicamenti naturam sibi medicamento similem adsciscat: verum tali contracto habitu post consuetudinem assumptum medicamentum in magna dosi non afficiet corpus, quia corpus illi simile iam factum est; actio vero non fit nisi inter contraria: Pure medicamenta similiter, licet longiori tempore, ab initio exigua mole hausta, qua nequeant corpus euidenter alterare, illud tamen nonnihil afficiunt occulte, quamuis ab eo subigantur, & superentur, excernanturque; nam inter corpora eandem materiam obtinentia omne agens agendo repatitur; adeo vt post longum, & iteratum medicamenti vsum contraxerit necessario corpus naturam aduentitiam similem temperaturæ medicamenti, cuius naturæ merito postea corpus vel a notabili medicamenti copia non afficiatur, quia simile a simili non afficitur, sed a dissimili, & a contrario. Et hoc sensu accipienda sunt Aristotelis, Theophrastique dogmata proposita de his, qui assueti sunt medicamenta impune deuorare. De venenis con similiter dicendum reor; alia scilicet a metallis desumi, & esse pure venena; & alia e plantis, & animalibus, atque ideo in se habere non nihil succi alimentaris, etiamsi minima sit hæc eorum portio: in his ab initio exigua quantitate assumptis, cedente alimentari portiuncula in corporis nutrimentum, venenata vero a potentiori calore nostro deuicta protruditur quidem, sed non antequam aliquantisper corpus alterauerit; quæ alteratio sæpius repetita in assuescentibus veneno sensim latenter increscit, demumque totum corpus magnopere adeo occupat, vt venenum veluti suæ naturæ aduẽtitiæ familiare citra noxam sumat in magna copia; venenum vero nihil in se obtinens alimenti, vt cui

Medicamẽta qua & quomodo consuetudine alant.

Medicamenta vt consuetudine non afficiant corpus.

Quod agens agendo repatiatur.

Simile a simili non afficitur. Vide li. 4 cap. 7.

Venenorũ duo genera.

Venenis vt alamur

origo est e metallicis, quæ mista sunt imperfecta, vt pure medicamentum a principio sui exiguitate latenter corpori qualitatem naturæ suæ consimilẽ imprimens, licet a calore superetur, quę sensim adaucta frequenti vsu totum corpus, demum simile, ac familiare veneno ita efficere valet, vt a veneni magna copia nulla corpori clades inferri queat: Vtrum vero venenum, & medicamentum, quibus ob consuetudinem corpus non afficitur, vere cedant in alimentum corpori, an victum vtrumque pellatur extra cum excrementis, quæstio præclara est inter Galenum, & Auerroem; in qua doctissimus Bonamicus Galeno assentitur acriter Auerrois argumenta enodans, & confirmans venena, & medicamenta ob consuetudinem alimento esse corpori iam sibi familiari reddito: Qua quidẽ in re, si mihi liceat afferre quod sentio, distinguendum puto de familiaritate, similitudineque, ac dissimilitudine inter corpus, & medicamenta, venenaque intercedente; nam alia est familiaritas, & differitas in substantia; alia vero in qualitate; sane familiaritas, quæ inter alimentum, & alendum corpus necessario requiritur, est in substantia; nam Aristoteli alimentum nutrit quatenus substantia est, quod & ratio suadet, quippe nutricatio est mutatio substantialis alimenti in naturam viuentem; sed familiaritas, quæ impedit ne medicamentum, aut venenum lædat corpus, est in genere qualitatis, quia læsio huiusmodi non fit nisi per alterationem, quæ mutatio est secundum qualitates Aristoteli: Sed comminus, familiaritas substantiæ inter alimentum & alendum corpus intercedens est, vt utrumque sit adeo mistum perfectum, ut alimenti materia proxime subire queat formam viuentis; quæ omnia fuse superius explicata fuere: Quæcunque igitur medicamenta, & uenena e metallicis desumuntur, licet sensim consuetudine longa corpus adeo immutare ualeant, ut ipsi naturam suæ similem imprimant, cuius merito in ipsum postea uelut in contrarium agere non possint; quia tamẽ ideo non euadunt mista perfecta, propterea corpori quod nõ afficiunt, in alimentum cedere non possunt; sed subiguntur a calore, uelut excrementa nullam obtinentia qualitatem inimicam; uerum quæ medicamenta, & uenena e plantis, & animalibus desumuntur, quia sunt mista perfecta, si consuetudine corpus sibi familiare possunt efficere in qualitatibus, uti est in substantia, quid prohibebit ea, quę prius repugnantibus qualitatibus corpus alere non poterant, huiusmodi contrarietate obliterata, fiant alendo corpori? sed redeamus ad pensum, hac de re fusius infra commodiori loco tractaturi. Quod itaque adducitur difficilius esse medicamenta corpus non afficere, uenena ipsum non interficere, sed utraque idem alere, quam diuturnum ieiunium cum uita durare, falsum est absolute; nam medicamenta, & uenena exigua mole facillime uincuntur a calore nostro; quum illud passim uulgatum sit contrariorum infirmius ualidiori succumbere; quin & consuetudine sola medicamentum & uenenum facillime sibi familiare, ac simile corpus efficiunt, ut nuper explicauimus:

Venenis vt assuescamus.

Vtrum venenum, et medicamẽtum uere alere possit, an excrementũ sit.

Lib. de Theriac. cap. 2. 3. de alimẽt. cap. 35.

Familiaritas alimenti cum alẽdo qua.

2. de an. t. 47.

Alimentũ alit sub ratione substantię.

Familiaritas corporis cum veneno, medicamẽtoq; qua sit.

1. de gen. t. 23.

Lib. 4. c. 5

at ubi

at vbi per consuetudinem corpus sibi asciuerit habitum consimilem qualitatibus medicamenti, ac veneni, tunc facillimum erit ipsum ijs non lædi, sed enutriri: & omnis hæc facilitas non aliunde pendet quam ex eo quod medicamenta, & venena possunt corpori proprias qualitates impertiri: at sine alimento viuere diutius difficile est absolute, nec vlla consuetudine facile reddi potest: Ad probationem vero concedentes medicamenta, & venena esse positiua, & abstinentiam esse quid priuatiuum; primo negamus absolute difficilius esse nos infringere vim agentis positiui, quam subterfugere noxam imminentem a contrario priuatiuo; siquidem contrarium positiuũ potest esse adeo debile, vt facillime a nobis superetur; sic medicamẽti, & veneni exigui vires imbecillimas prima vice nullo negocio elidimus assuescere valẽtes; assuetis autem non amplius contraria sunt, sed similia, quę iuuent, non lædant. Deinde negamus medicamenta, & venena posterioribus vicibus in mole notabili assumpta esse contraria positiua corpori; sunt etenim illi familiaria, quod sensim ad similem habitum mutauere; quare quemadmodum assuetis medicamenta, & venena sunt similia, vt proinde non difficile sit, sed necessarium eos ab ipsis non pati; sic non assuetis difficilius est venenum, & medicamentum, quam abstinentiam tolerare; hanc enim quotidianam ad septimum diem producent, quum medicamento, venenoue quotidie sumpto in satis effatu digna quantitate paucioribus diebus sit commoriendum. Deinceps falso assumitur in abstinentia nos affici solum a ieiunio vt a priuatiuo; quum tamen afficiatur plerunque humor sub stantificus a calore primigenio, & hic ab humiditatibus redundantibus, quas fatiscens regere nequit, immo a quibus obruitur; vt propterea in fame plura nos infestent agẽtia positiua vigentibus viribus oppositis; quum medicamentum, ac venenum seorsum sit virium nullis, aut exiguis viribus cõtrarijs; quanto ergo difficilius est nos resistere duobus validis agentibus in abstinentia substantiam nostram destruentibus, calori scilicet ab alimentari humiditate non hebetato auide humidum primigenium consumenti; & humiditatibus redundantibus calorem insitum suffocantibus; quam vnico agenti, ac debili, quale est venenum, & medicamentum in exigua quantitate ingestum, aut nobis familiari ob consuetudinem; tanto facilius erit medicamenta, & venena vi consuetudinis corpus non afficere, sed alere, quam abstinentiam illud ipsum diu comitare. Præterea esto disputatio ni difficilius medicamenta, & venena corpus non afficere, sed alere, quam sit abstinentiam diu cum vita consistere; esto item vi consuetudinis illud effici posse difficilius; negamus tamen eadem consuetudine hoc simpliciter facilius effici; nam plerunque contingit vt agens effectum factu facilem facere nequeat, facere valens difficiliorem; sic multi bubulam carnem concoquunt, vitulinam teneriorem non coquentes, vt monet aliquando Galenus; sic absolute quum facilius sit harundinem, quam quercum annosam ex humo diuellere, atque infringere; turbine tamen, ac vento valido quercus prosternitur fracta, & harundo non extirpatur; sic facilius est scribere, quam turrim demoliri, faciliusque corium vrere, quam argentum liquare; fulmen attamen turrim demoliri, & argentum liquare poterit; scribere, aut coriaceam crumenam accendere non poterit: pari sane ratione consuetudo medicamenta, & venena innoxia, & alimenta reddere poterit; ieiunium autem cũ longa vita coniungere non poterit; quamuis illud longe difficilius esse ponatur; id autem ideo contingit, quia consuetudo in eo ius habet, in hoc autem non habet. Quod præterea dicebatur, consuetudine multos potum omnem tota vita intermisisse, vt mirum non sit eandem illud ius in cibo habere, quod obtinet in potu, ea ratione potest explicari, vt concedentes allata exempla esse vera, monstremus argumentum non habere necessitatem; sane vltro fatemur consuetudine vinci posse sitim, quin etiam famem; siquidem vbi diutius prę tietur vterque appetitus optato obiecto, fatiscit ex se, atque extinguitur; sic post longam famem labimur in contrariam fami dispositionem plerunque, puta inappetentiam; sic post diuturnam sitim, nisi eius intensiori molestia exanimemur (quod in pueris Aegyptij regis plerunque obseruatum memorat Athæneus) in contrariam item siti dispositionẽ incidimus; sed hoc non est quod quærimus; longe nanque aliud est vinci famem, ac sitim ab eo, quod est victus illis, hominem diu sine cibo, potuque viuere posse; illud aliquando consuetudine sola efficitur, hoc nunquam efficitur; argumentum enim propositum illud solum conuincit vi consuetudinis in homine destrui appetitum frigidi, & humidi, qui sitis est; atque ideo etiam appetitum calidi & sicci, qui fames est; quod nos quoque damus viro doctissimo; ceterum non probat consuetudinẽ edomito vtroque appetitu, id insuper hominibus præstare, vt sine vsu calidi, sicci, frigidi, & humidi viuant diutius: & reuera non posse hoc efficere consuetudinem vel ex allatis exemplis appareat; nam quibus consuetudo sustulit vsum potionis, ijs tamen in cibo multa est humiditas, quæ obiectum demortuæ sitis latenter euadit, eiusque munere fungitur: at nostri abstinẽtes vna & appetitu omni caruere, & cibi potionisque vsura; illud quidem vi desuetudinis, & alijs multis de caussis accidisse potuit; hoc vero, cuius caussam quærimus, a consuetudine oriri non potuit. Deinde vero passim hoc experiri liceat in ægris, & in sanis, hominem diu viuere posse alias solis alimentis liquidis, citra solidorum vsum; alias vicissim solidis, absque potione; vtroque vero alimenti genere simul non omnibus datum esse diu carere; vi consuetudinis esto intermitti posse diu potionis vsum, inde sane forsasse colligas eandem ob caussam intermitti posse solidioris alimenti esum; at vtriusque simul vsurã diu intermitti posse non colligas; nam alterum necessarium esse potest, quod aliqua ex parte adimpleat vices alterius: Quum ergo abstinentium nostrorum plurimi diu sine cibo potuque vixerint, certe longum eorum ieiunium in consuetudinem

refe-

Non semper difficilius est infringere vim agentis positiui, quam subterfugere noxã a priuatiuo imminentem.

In abstinentia nõ effici solũ a ieiunio vt a priuatiuo agente.

Non semper facilius effici facilior factu a quolibet agente.

Consuetudine vinci posse sitim & famem.

referre non liceat. Quod vlterius adducitur ex Cardano Leonardum Pistoriensem sensim eo se traduxisse, vt semel tantum in hebdomada cibum sumeret, nihil, aut parum fauet viro insigni; nam assueuit Leonardus tolerare famem, non autem assuescere potuit diu carere alimentis; quare ad vitam sustinendam cogebatur singulis hebdomadis cibo vti, alioquin defecturus: Iuuenis vero Scotus a cõsuetudine id sortitus esse potuit, vt famem, sitimque toleraret ad vigesimam, trigesimamque diem sine molestia; sed vt eas tolerans toto eo tempore sine alimentis viueret, aliam caussam habet consuetudine potentiorem. Consimiliter apud Laertiũ ex Pythagora didicit longa consuetudine Apollonius inediam tolerare ad quadraginta dies, quos si absque alimento superuixit, non vi consuetudinis, sed aliam ob caussam id sortitus est. Id ipsum de Timonis auia esto iudicium; non enim demonstratur hos vi solius consuetudinis diu sine alimentis diu consistere consueuisse; nam consuetudo eis hoc tantum tribuit, vt fame, sitique non cruciarentur; quippe illa extinguitur vterque appetitus, quod notauimus antea; sed tamen consuetudo non efficit vt abstinentes diu viuant sine alimento. Denique vero de puella Spirensi, quæ etiamnum lactens nuper orta statim dicitur consueuisse ab alimento abstinere, illud arbitramur dicendum, quod omnibus etiam propositis exemplis occurrit, nempe in ea etiam ab ortu incæpisse vigere occultã adhuc nobis caussam abstinentiæ; quamobrem nulli mirum si ab ea caussa tunc etiam cæperit aliqua ex parte admirandus hic euentus proficisci; hoc enim consuetum est in operibus naturæ, vt plerunque caussæ ab initio sensim operentur, progressu temporis maiori conatu peracturæ: neque dici potuit illa iterata puellæ abstinentia esse consuetudo ad ieiunium futurum; quia consuetudo est in ijs agentibus, quæcunque agunt ex proposito, quod in ea ætate rudi puellæ contingere non potuit; bene a parentibus consulto assuesci potest infantulus lactens abstinentiæ, ipse autem de se non potest huic assuescere; quum citra cognitionem operetur, quæ consuetudini constituendæ necessaria est. Ita ergo vis ea non est consuetudini, vt eius merito queant abstinentes nostri diu sine alimento viuere.

[Con]suetu[do ab]stin[entibus] [n]i appe[titu]m. *Consuetudo est in ijs, qui agunt ex proposito.*

Hæc ea sunt, quæcunque in hoc argumento nobis disquirenda proposuere sapientes viri.

F I N I S.

FORTVNII LICETI GENVENSIS

IN TERTIVM LIBRVM.

De his, qui diu viuunt sine alimento

PRAEFATIO,

In qua & dicta dicendis attexuntur, & dicendorum ratio, naturaque proponitur.





E admirabilis Abstinentiæ natura iampridem clarissima Sapientiæ lumina consuluimus; a quibus etsi obscurissimum hoc theorema ita illustratum non habuerimus, vt inde ipsum studiosis Lectoribus manifeste ob oculos ponere valeamus; plurimum tamen adiumenti in eo explicando consequutos iri speramus: Qua quidem in re, vt distincte, ac ex ordine progrediamur, gratique Magistris habeamur, illud enixe curabimus, vt primum generatim ieiunij naturam contemplemur, eius formam, & ideam vniuersalem disquirentes; speciatim postea singulas ad eius differentias a temporis varietate gradatim exorientes descensuri; & vnamquamque abstinentiæ speciem in caussas tum ab alijs vere assignatas, tum etiam a nobis inuentas resoluturi; benignum est enim, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris; obnoxij ex aduerso animi, & infelicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, quum præsertim sors fiat ex vsura, vt optime opinatur Plinius; cuius enim doctissimorum virorum scriptis vtenti nihil prorsum Lib. 1. in præf. *nec deperit, nec detrimenti accidit, quemadmodum ei contingere nouimus, qui ad vsuram a fæneratore pecuniam sumpserit; sed multum potius lucri a studiosis omnibus, & gloriæ, solidæque laudis in litteraria Republica prouenire conspicimus. Afferendæ vero non solum ex aliorum condo, sed etiam e proprio penu caussæ propositi nobis ieiunij longioris in triplici potissimum gradu sunt constitutæ, nimirum tum efficientes, & conseruantes; tum quoque finientes, seu terminantes; tum demum caussæ varietatis in duratione, quas & distinguentes commode nuncupaueris: Has vero cunctas vbique hauriemus in Peripato præsertim ex rei natura; sequemur etenim hoc quidem tempore, & in hac quæstione præcipue Peripateticorum Principem Aristotelem, Medicorumque antesignanos Hippocratem, Galenum, Auicennam, Cornelium, & alios, quorum autoritas in proposito nobis argumento magna est apud omnes nostri, superiorisque sæculi sapientes: Qua quidem in meditatione quum pleraque noua, & singula-*

ria studiosis pródituri simus, ea tamen omnia, eorumve primordia vel in sensuum euidentiam, vel in rationes necessarias, aut maxime probabiles (neque enim omnem experimentis, demonstrationibusue assequi tam arduæ rei naturam possumus) vel demum in autores classicos, vt nuperrime dictum est, referre conabimur, relicto semper quibusque studiosis intelligendi, commentandique aliter arbitrio: breuitateque cum claritate pro viribus copulata; nam diligentiam in superuacuis affectare non nostrum est, qui probe nouimus nullam esse vel voluptatem, quæ non assiduitate sui fastidium pariat.

Ad rem igitur aggrediamur nouo facto principio.




FORTVNII LICETI GENVENSIS

De his, qui diu viuunt sine alimento

LIBER TERTIVS,

In quo ex rei natura disquiruntur caussæ physicæ tam longum Ieiunium constituentes, efficientes, conseruantes, terminantes, ac distinguentes cum generatim, tum speciatim.

Distribuitur viuentium genus in suas species supremas. Caput Primum.



Orum, quæ physice viuunt, alia quidem viuunt vitam immortalem, alia vero degunt vitam morti obnoxiã. Vitam sanè viuit immortalem Mundus vniuersus; Mundi totius pars ætherea, quæ Cœlum peculiari vocabulo dici consueuit; superneque sphæra singula ex assistente Intelligentia & orbiculato corpore constituta: Mortalem autem vitam agit intra globosa corpora, interque magni Mundi apotelesmata par uus mundus homo; brutorum genus vniuersum; mediamque inter animalia & plantas naturam habens multiplicis speciei Zoophytum; stirpium tota cohors; infra stirpium fortem infimus vegetalium gradus nescio an in eodem genere, ceu plantarum quoddam rudimentum, aut monstrum, fungus, atque tuber; ouorum omne genus; ac demum cuiusq; speciei semen cum animalium, tum etiam vegetalium: Quæ dum hic profero breuius, quam res tanta dici posse videatur, dico tamen quæ alibi fusius multiplici ratione mihi confirmata fuere; siquidem vt homines, animalia rationis experita, plantas, & plantanimalia nuncupata prætercam, de quibus an inter mortalia physicè viuentia collocari debeant, nemo vnquam dubitauit; fungos, atque tubera mortalem vitam physicè viuere in opere *De Spontanea viuentium generatione* inscripto, propediem in lucem proditturo, latissimè demonstramus; Mũdum vero totum, cælosque singulos, oua insuper, ac semina quæque sigillatim vitam physicè viuere, illos quidem immortalem, hæc tum mortalem, adeo manifestum est ex ijs, quæ alias in libris *De vita* professi fuimus, vt huic argumento confirmando non oporteat nunc nos denuo insudare: namque vel si nollemus, quæcunque fusius ibi disputauimus, ea incassum hic repetere cogeremur: legentes nunc quæso meminerint ad alia nondum explicata edisserenda festinari. Ante omnia autem in vniuersum, & quæ ad cuncta viuentium genera pertinent, de alimento, ieiunioque dicemus.

Quomodo se habeant ad alimenta proposita viuentium species vniuersim. Cap. II.

PORRO summa viuentium genera proposita sic ad alimentum singula se habẽt, vt quum pleraque ipsorum nulla penitus ratione vnquam alantur; alia tamen omnia, quæ alimentis vtuntur, plerunque sine vllo nutrimentorum vsu multum diuque viuere posse sit existimandum. Non aluntur quidem vniuersum, cœlum, orbis quique superus (quicquid Plinius, Seneca, Cleomedesque contra putauerunt) animalium semen, & Aureliæ, Chrysalidesue, ac Nymphæ in brutorum viuentium cœtu: Quod quidem cuipiam mirum forte videatur, inter irrationalium viuentiũ species Aurelias nuncupatas, quæ plurimæ sunt, ac propemodum innumerabiles, vti species insectorum, quæ ex verme gignuntur, Aristotele autore; neque enim fas est homini cunctas Chrysalidarum species ingenio comprehendere, vel explicare sermone; sed hoc tantum prospexisse, statuisseque sufficiat ex Aristotele illas omnes, singulasque maximum, numerosissimumve absti nentium numerum efficientes tota sui vita nutricationis munere vacare: Alicui mirum inquam fortassis appareat inter animalia nostratia Nymphas, vti cælestia, viuere nobis absque vllo nutricatu; sed ita sese res habet, quemadmodum fusius infra demonstrabimus. Diutius autem valent sine alimento viuere quælibet plantarum semina, oua brutorum animalium, stirpes, animalia ipsa ratione carentia, & homines: certe viuentia immortalia non indigere vnquam alimentorum, nec ijs vlla ratione vti, fusè demonstratum nobis est alibi, quod hoc in loco non est inutiliter repetendum. De his igitur quum dixerimus alias, orationis cursum ad reliqua propositorum tractanda, & expedienda nunc vertere nos oportet, quæ adhuc rationis incomperta; in naturæ maiestate abdita delitescunt.

Marginalia (left): Mundi vita physice immortalis. — Viuentium mortalium supremæ species. — Fungi, ac tubera in summo gradu vegetalium. — Lib. de vita — & de ... an.

Marginalia (right): Quæ viuẽtia nunquam nutriantur. — Lib. II. cap. 9. & 68. 2. qua stio. nat. cap. 5. lib. de circul. inspection. — Aureliarum species innumerabiles vt insecto rum. — 3. de gen. an. cap. 9. — Abstinentium numerus maximus inter viuentia nostratia. — Cap. 4. — Lib. de vita.

Semen animalium & in vtero, & extra vterum semper viuere sine alimento. Cap. III.

Vide libr. 4. cap. 69.

Partes, quæ propriè alantur. Lib. 2. ca. 4. & 5.

Semen in quo genere partium.

1. de gen. t. 33.

Totum viuens vt alatur.

Vide lib. 4. cap. 70.

Cur semen haud sit verè pars viuentis perfecti.

INter caduca itaq; viuentia semen animalium, quod genituram, & sperma etiam vocamus, eandem cum immortalibus conditionem sortiri, vt numquam tota sui vita nutriatur, ex rei natura desumpta ratio demonstrat aperte; quandoquidem aluntur propriè partes animalium consistentes, solidæ à Medicorum schola nuncupatæ, non humores, aut fluxiles substantię humoris naturam præseferentes, vti superius ostendimus: quum igitur semen animalium non sit pars consistens, atque solida, sed penè fluida, liquoris instar; propterea statuas rectè semen haudquaquam nutriri posse. Addere quoque liceat ex Aristotelis decreto nutriri solummodo viuentium perfectorum partes eas in similarium genere, ex quibus proximè dissimilaria membra constituuntur, & his mediantibus vniuersum animantis corpus coagmentatur; quandoquidem totum viuens ad organicarum partium nutricatum alitur, ex quibus immediatè contexitur, & compaginatur; perinde ac dissimilaria organa singula nutriuntur ad nutricationem partium similarium, homogenearumque, ex quarum apta compositione coalescunt: Quum itaque semen animalium non sit verè pars viuentis perfecti; quoniam amisso, emissòve semine, non ideo mutilum, imperfectumque redditur animal (ablata enim quomodocunque parte aliqua, necessario truncum, mutilumque remanet quodcunque totum, potissime perfectum) quumque solum fructus sit, & apotelesma semen, vti etiam lac; immo vero quum semen animalium in corpore nequaquam sit eiuscemodi pars homogenea, & similaris, quæ compositioni dissimilarium, & organicarum, ac vniuersi corporis constructioni deseruiat; (permanet enim semen ab alijs quibusque partibus seiúctum intra propria vasa, spermatica iccirco à Medicis ritè nuncupata, vt sanguis reconditus intra venas, & spiritus intra arterias appellatas) propterea necessarium est nos confiteri semen in corpore animalis verè non enutriri. Deinceps autem & illud sat cuique ratum est cum Medico, tum Philosopho, quod alitur in viuente, idipsum præexistens in sui naturam conuertere alimentum, quo ali dicitur; quum autem semen si alitur, sanguine alatur; illud tamen constat ex Aristotele, nedum e Medicis sanguinem in feminis naturam mutari vel à testium substantia, vel a vasis etiam spermaticis, non autem à præexistente semine; quippe nullo prorsus existente semine in corpore viuentis, ex sanguine semen exoritur sæpenumero; vt qua ratione dudum ostendimus humores, & spiritus non ali, sed gigni a visceribus ex alimento; eadem nunc pateat semen haudquaquam nutriri, sed assidue nouum ex sanguine generari. Si vero semen in eo animali, à quo effunditur, nimirum in masculo, & omnino in testium vasis non alitur, seu pars non est totius viuentis ex illarum genere, quæ ali debent, multo minus in vteros proiectum semen aletur propriè, vbi longe minorem obtinet rationem partis alendæ; adiungit quidem sibi, agglutinatque tum semen fœminæ, tum quoque menstruum sanguinem; haud tamẽ ijs alitur, quia ea non vertit in propriam sui ipsius naturam; est enim altio nil aliud quam alimenti transmutatio in substantiam eius, quod enutritur: cæterum aggregat sibi menstruum, & semen fęminæ vt in ea velut in materiam subiectam cômode agat id, cuius actio est per contactum; vtq; cum ijs vniatur in constitutionem conceptus; non autem vt ijs vlla ratione verè alatur; quum neminem lateat menstruum sanguinem, semenque fęminæ in masculeam genituram non commutari vlla ratione. Ita ergo animalium semen haud potest vnquam alimento vti; quare siue in vtero, siue extra vterum semper viuet sine alimento semen.

1. de gen. an. cap. 4. & 12.

Semen ex sanguine à testibus, & vasis spermaticis generari.

Lib. 2. c. 3. 4. & seq.

Semen in vtero non ali.

Semen fęminæ, ac menstruum non vertit in substantiam seminis masculi.

Semen maris cur aggreget sibi semen fœminæ, & eo non alitur.

In animalium mortalium genere aurelias, & nymphas appellatas nunquam vllo alimento vti: comparaturque generatio insecti ex verme cum generatione hominis. Cap. IV.

Vide li. 4. cap. 79. 5. hist. c. 19.

3. de gen. an. cap. 9.

Quæ triplicem generationẽ habeant.

Vide li. 4. cap. 13.

Vermis apum alitur interno succo.

Erucæ aliũtur externo alimento.

Lib. 11. c. 16.

PRæter animalium semina, pleraque animalia etiam nostratia mortalem vitam degentia nunquam tota sui vita vllum alimentum poscere auctor est Aristoteles tum alibi, tum potissime vbi asserit plurima insecta triplicem generationem habere, siue spontè generentur ex putri materia, siue coitu maris cum fœmina propagentur; nam primum fit vermiculus, qui & alitur, & augetur, & excremẽta egerit; alitur autem vel interno succo, vt vermis apum, ac vesparum; vel externo, vt erucę, & cęterorum nonnulli vermium: auctus autem vermiculus ad certam molem paucis diebus, intra triduum transmutatur in aureliam, seu nympham appellatam, atque Chrysalidem, ac in genere fucorum speciatim Sirenẽ, aut Caphenem, autore Plinio, nuncupatam, quæ longo tempore immutata manens nihil gustat, vel excernit, sed coercita, contractaque quiescit, nec vllo pacto mouere se patitur; interea vero sensim formantur intus partes futuræ prolis, vt demum aurelia transeat magna ex parte in bestiolam pennatam, cui papilionis inditum est nomen, absolutè vero in animal sui generis perfectum, quod & cibo vescitur, & excrementa emittit: Hanc Aristotelis doctrinam confirmat experimentum, tuetur ratio; experimento etenim oculato constat in omnibus insectis ex vermiculo genitis aurelias non vti cibo, sed præsertim hoc visitur in bombice; primum siquidem e semine vermiculus excluditur, qui frondibus mori tenellulis nutritur ad plusculos dies, quousque iustam corporis magnitudinem adipiscatur; saturatus, & auctus ventrem purgat tum fęcibus sordidis, tum etiam purioribus excrementis in speciem aurei, vel niuei filamenti, ex quo affabre in orbem circa se ducto carcerem, ac veluti sepulchrum sibi condit; in quo purgatus omni excremento mutatur in aureliam, quæ veluti demortua quiescens absque nutricatu multum temporis, demum rupto sibi

Educatio, & vita bombicis.

sibi carcere volat in papilionem: Rationi autem consentaneum est naturam aureliæ occupatam in effingendo papilione pastu non auocari ad alimentum; hoc etenim haud indiget ad incrementum, quia nymphæ materia sufficit constituendo papilioni: qui demum exortus, si diu vitam agere debeat, alimento indiget externo, quo carens veneris inter amplexus, post seminis prolifici emissionem ad instar miliarium ouorum, deficit, ac moritur: cuius rei nobile habemus exemplum in perfecto animali, nam consimiliter in utero mulieris e femine ueluti triplex efficitur generatio, nimirum uegetantis, animalis, & hominis; non enim simul fit animal, & homo: nec animal, & equus Aristoteli; quare papilionis semen primo uermiculum constituit, qui alitur, & excrementis membranam sericam, aut laneam, ut semen in utero primo embrium constituit, quod alitur, & membranas carneas, aut cartilagineas, quibus circundatur, effingit, intra quam deinde mutatur uermiculus ui seminis in aureliam, ut embrium, siue conceptus in animal sensitiuum, in quo statu natura utrobique satagit formare membra, quibus efformatis post multos dies ibi nascitur homo, & equus; hic autem papilio eiusdem speciei cum eo, a quo primo semen decidit: sed inter insecta, & animalia perfecta hoc interest discriminis, quod homo in vtero etsi primum plantarum vitam agat, deinde vitam animalis, demum vitam humanam, semper tamen in qualibet vita nutriri putatur: siue vmbilico, siue etiam ore, vt fusius disquiritur supra; quo nomine fętus in vtero plantis animalibus ritè comparatur; at insecta extra vterum primo vitam vermis degentia, deinde aureliæ, ac tandem papilionis, vt certum est priori, & vltima vita nutriri: nam vermis frondes teneras depascitur, papilio de residuo aureliæ corpore puram sibi alimoniam comparat, vnde seminis excrementum vtile fecernit, ac non raro ad exter num alimentum auolat; ita sensu compertum habuit Aristoteles aureliarum uitam ullam mediam nullo penitus alimento indigere, vel vti, nullumque prorsus excrementum reddere. Itaque insecta omnia, quæcunque ex vermibus procreantur, dum secundam post generationem manent sub chrysalidum, & nympharum specie, semper totam vitam sine alimento viuunt, communi sorte cum animalium semine, & cum viuentibus immortalibus.

Hominis generatio triplex.
2. de gen. an. t. 3.
Conceptus, & embrio in animal mutatio, fit mēbrorum formatio.
Lib. 2. c. 162.

Semen plantarum non tota sui vita, sed tamen diu sine alimento viuere. Cap. V.

AB huiuscemodi lege deficiunt cætera subcęlestia viuentia, quibus aliquandò ex Aristotelis decreto necessarius est vsus alimēti ad incrementum: attamen his adeo necessaria non est alimonia, quin diu etiam sine illius vsura viuere valeant; quod otium nutricationis euidēs est in plantarum seminibus cuiuscumque generis: seu enim arborum, seu herbarum, seu fructicum semina consideres, non nisi vel stirpi adhuc inexistentia, vel a stirpibus emancipata tibi ea dabitur intueri: porro nondum emissum semen in stirpe manens augetur, & alitur ad seminis animalium differentiam: quippe in stirpe semen pars est haud necessaria quidem, sed ex eo genere perfectiuarum, quæ consistens est, non fluxilis, immo vero & organica, & nihilominus apta nutriri, quam cæteræ partes arboris dissimilares, ac foliiores: Quin etiam augetur plantarum semen haud per iuxtapositionem, perque adiectionem puram nouæ materiæ præexistenti liquori, quod euenit animalium semini, sed vero augumento, quod necessario adiunctam habet nutricationē; siquidem augetur semen secundum omnem dimensionem eodem penitus humore, quo radicibus attracto alitur, & augetur vniuersa planta: Perseuerat autem hæc altio, auctioque seminis in stirpe, quousque maturuerit: maturum etenim perfectum, & prolificum existens nihil amplius a planta expectans sponte decidit in terram, velut in vterum fœminę prolem nouam suscitaturum: quamuis inde sæpius ab agricola in alios usus colligatur. Cæterum semen in horreo custoditum ui uit extra humum diutius sub specie seminis absque alimento penitus: non enim extrinsecus aliunde assumit, neque intus reconditi habet aliquid nutrimenti: quum præter corticem uniuersa substantia interior sit uniformis, & homogenea secundum quamlibet sui particulam: quum tamen alimentum anteaquam uertatur in substantiam partis alendæ speciem, naturamque dissimilem illi obtinere debeat: hac enim ratione sanguis in animali formam, & naturam dissimilē partibus nutriendis euidenter habere uidetur: alioquin uel nutricatio non esset naturalis conuersio, substantialisque mutatio alimenti in alēdum corpus, uel mutatio non fieret inter oppositos, dissimilesque terminos, quorum utrumque tum Aristoteli, tum ueritati aperte repugnare nemo non uidet. Igitur plantarum semina diu sine alimento uiuere possunt: qua de re supra quoque apud Ioubertum.

3. de ani. t. 59.
Plantarū seminis genera.
Seminis plātarum duplex status.
Seminis plantarū, & animalium discrimen.
Semē plātarum augeri vero augumento, non itē animalium.
Mutatio quænis est inter dissimiles terminos.
1. de gen. t. 38. & sequentib.
2. de an. t. 47.
5. phy. t. 7.
Lib. 2. capit. 141.

Oua diu sine alimento viuere, quamuis non totam vitam sine alimento viuant. Cap. VI.

IN eodem albo numeranda esse arbitror oua cuiuscumque animantis ouiparæ, siue prolifica sumpseris oua, quæ semine maris aspersa fuere, siue hypenemia nuncupata, quæ masculeo semine carentia infœcunda sunt: nam omnia in aluo fœminæ aluntur, & augentur; exclusa uero extra uterum duplici locantur genere: alia sunt imperfecta, uti oua piscium, crustatorum, & mollium, quæ Aristoteli etiam edita nutriuntur, & augentur: alia uero sunt perfecta, ut auium, & aliorum, quæ parta neque augentur, neque nutriuntur: licet enim duplici parte constituantur intrinsecus, alba, & lutea: quemadmodum certū est nullam earum extrinseco alimento perfrui: sic etiam constat albumen luteo non ali, neque uicissim luteum albumine: quandoquidem post multum temporis oporteret alteram absumi in alteram partem, quum alimentum iugiter in substā

Vide lib. 4. cap. 69.
2. de gen. an. cap. 1.
Oua quādo alantur, & augeātur, & quādo nō.
Oua duplici parte constitui.
Luteum albo non ali, nec album luteo.

tiam eius, quod alitur, subuertatur. At vero æque se habent post multos menses, & annos, quæ incorrupta seruantur, oua in proportione lutei ad albumen secundum quantitatem, ac se habeient prima die suæ originis; non ergo alterum alteri est alimentum: Verum enimuero exclusa oua cuncta, & fecunda, & infecunda viuere probat Aristoteles; illa quidem, quia prolifica sunt; est autem prolis propagatio functio vitæ: sed hæc, eo quia morte pereat; nihil autem mori posse, quod vita careat; incorrupta vero diutius extra parentis aluum oua permanere, neminem latet: ac speciatim locustarum oua autumni tempore parta durare hieme sub terra, nec ante subsequentem annû exitu veris locustulas excludere didicimus a Plinio. lib. 11. cap. 29. Sic ergo & animalium oua diu sine alimento viuunt.

2. de gen. an c 4.

Oua omnia viuere.

Prolis propagatio est vita functio.

De respir. c. 7. 14.

Locustarũ oua.

Ligna, seu ramos, & arbores extra humum diu sine alimento viuere. Cap. VII.

Ceterum in stirpium natura diuulsos quoque a truncis arborum ramos, quo tempore humum non tangunt, vnde sibi valerent attrahere pabulum, animatos esse, ac viuentes, & tamen haud nutriri vllo pacto, sensus me docuit: nam vidi ego Rechi in horto patrui Bartholomæi Liceti, viri non vulgaris ingenij, stipitem oleæ satiuæ aridum fere, ac leuem, per decennium, & vltra a trunco separatum, neque posthac vnquam terræ implantatum, ad alterius ligni fulcrum iuxta puteum in terram demissum, & ligno, cui fulcimentum præstabat, clauis ferreis affixum pullulasse, germinasseque eodem anno plures oliuarum nouellas folijs, & fructibus onustas, atque in posterû etiam ad plures annos: Quæ sane prolifica virtus arido illi stipiti aliunde non influxit, quam ab anima indita ipsi ab arbore, unde auulsus fuerat: plãtarum namque animam multiplicari ad subiecti corporis partitionem, uetus est; uegetalem autem oleç animam, dum per tot annos ille ramus extra humum permansit, in stipite isto ab arbore seiuncto non extitisse, at in ultima sui plantatione ipsi de nouo contigisse, probabile non est: in primis enim olea inter perfectiores arbores connumeratur, quibus origo spontanea esse non potest: Deinde vero efficiens proximum talis animæ, sine quo uniuersalis caussa, & remota particularem effectum non procreat naturæ legibus, assignari minime ualeret: Deinceps ab æquiuoco agente fieri quiuisset, immo uero debuisset nô olea: siquidem in uiuentibus perfectioribus non datur a priuatione regressus ad habitum eiusdem speciei: ex cadauere namque dudum uiuentis equi, aut bouis putredine interueniente non denuo bos, aut equus enascitur, sed in alia specie oriuntur apes, aut uespæ: quoniam uiuens non moritur usque dum habeat dispositiones illas, quibus aptum redditur ad accipiendam, retinendamque essentiam animæ propriæ: ijs autem dispositionibus quum necessario careat post mortem, iam amplius aptû non est cadauer ad suscipiendam animam eiusdẽ speciei cum priori, ut propterea in uiuentibus perfecti generis regredi non liceat a priuatione ad habitum eiusdem speciei. Eandem uero animam in eo stipite toto illo tempore, quo extra humum permansit, alimento caruisse, nutriendique functionem intermisisse, uerisimile est: certum est enim externo alimento non usam: sed neque interno, quoniam in eo ramo ab initio, dum a trunco separaretur, tantum crudioris alimenti, ac succi nondum partibus agglutinati præfuisse, quantum ad iugem nutricatum multorum annorum satis esse potuerit, nec sensui, nec rationi est consentaneum: uidentibus nobis in ligno densioris substantiæ tanto humori continendo, & conseruando idoneum locum non reperiri. Hoc autem oleç Rechiensis experimentum uetustiorum obseruatione facile comprobes, nam & de olea cecinit Virgilius.

Stirpium aia multiplicatur ad partitionem subiecti.

Arbores perfecti generis non oriuntur sponte.

Remota, et uniuersalis caussa sine proxima nihil agit.

In perfectis uiuentibus cur non est a priuatione regressus ad habitũ eiusdẽ speciei.

Nil radicis egent aliæ, summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix oleagina ligno. *2. Georg.*

Consimile quid etiam Plinius obseruauit afferens alicubi ex olea durissimo ligno cardines in foribus diutius immotos plantæ modo germinauisse: & ipse Theophrastus etiam, quod alij ad portenta referunt, naturali ex caussa prodire scribit, ut ligna arida, præsertim oleaginea terræ defossa germinent, dum ait: *Nam & ligna, quæ sponte germen emittunt, ceu oleaginea, & quicquid generis eiusdem, quæ ad prodigia, ostentaque referunt, ratione non carent; sunt enim natura viuacia, pronaque ad germen fundendum suæ densitatis, humiditatisque caussa; quod quum extrinsecus liquoris aliquid senserint, quamprimum germina edunt; Enimuero magna ex parte obruta, & locis humidis posita germinant, præterquam si quid præcisum paullo post pullulauit, quod humorem in se aggregatum satis haberet, tempusque vna germinandi proximum esset: cui simile quodammodò Scyllæ euenit, ac cæteris, quæ suspensa germen emittunt:* Si ergo ligna tantum in se non habent humoris, quantum sufficiat ad pullulandum, sed in locis humidis attracto humore terreno germinant: certe multos in annos extra humum uiuacia interno humóre nô ali manifestum est ligna oleaginea. Quod quidem in oleæ stipite obseruauimus, facilius multo quis experiatur in ligno salicis etiam arido, ut ipsemet de industria non semel obseruaui: depactus namque terræ humidiori truncus aridæ salicis promptissime reuirescit germinans quasi reuiuiscens. In hãc itidem sententiam concedit Antiphonti, & ueteribus Aristoteles lectum ligneum terræ defossum germinare posse. Quod uero de ramis auulsis a trunco demonstratum est, idipsum iam pateat de arbore tota e solo radicitus extirpata, si denuo plantata reuirescat. Ita ergo manifeste constat ligna, & plantas extra humum diu sine alimento uiuere.

Lib. 16. c. 43.

5. de causs. cap. 4.

2. phy. s. 1

Stirpes terræ infixas diu, ac speciatim tota hieme sine alimento viuere posse. *Cap. VIII.*

HIs etiam diu sine alimento uitam degentibus plantarum genus terræ adhærens adijciẽdum esse ratio non unica persuadet; primum etemm plantæ omnes uidentur hieme tota Solis calore destitui, frigore ambientis maximopere affici, a quo & succi terrestres non coquuntur, sed concrescunt coacti in densiorem substantiam; & radicum ora adstringuntur, ut pene occludantur; quum autem stirpes omnes ad sui nutricatum caloris opera trahant per aperta radicum oscula sibi succum de terra ueluti de uẽtriculo coctum, & Solis calore elaboratum; quod tum aperte significat apud M. Tullium Cato maior plantas afferens, & succo terræ, & calore Solis augescere: tum euidenter probat Aristoteles dum scribit *Stirpes suis radicibus alimentum iam confectum ex terra haurire; quocirca ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet; terra enim, caloreque eius perinde ac ventre vtuntur: at animalium genus omne fere, sed aperte quæ incedunt, quasi terram intra se continent suum ventriculum, ex quo vt illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente,* nimirum uenis mesæraicis, *cibum assumere debent donec finẽ sequentis coctionis faciant:* cuius ultimæ propositionis obscurissimæ hic est intellectus, ut indicet Aristoteles mesæraicis uenis e uentre chylum attrahi non affatim unica uice tantum post exactã omnium ingestorum coctionem, sed quia cibis pascũtur animalia heterogeneis, multiplicibusq. ideo ijs vnica vice in stomachum ingestis vna coctione digerendis, ob materiæ diuersitatem necessario contingit semper vt partes assumptorum non omnes æque simul ab eodem calore coctionis eũdem gradum acquirant, sed aliæ sequente, hoc est perseuerante coctione coquantur prius, aliæ posterius; ne igitur quæ coctæ primo loco sunt alimẽti partes vlteriori caloris actione adurantur, natura satagit primum venarum mesæræi suctu eas de ventre ducere in iecur; quia vero post primas sensim secundæ, post secundas tertiæ, a hæque deinceps partes alimenti coquuntur in ventre; propterea suam suctionem venæ a ventre prima vice inceptam non intermittunt, sed continuant vsque in finem sequentis, hoc est cõtinuatæ, ac perdurãtis coctionis: quoniam vero immediate post coctionem venæ sugunt omne coctum, iccirco dicuntur facere finem, seu terminare coctionem; semper enim duorum motuum subordinatorum ad inuicem immediate posterior est vt finis præcedentis: at redeamus ad pensum. Quum igitur ad hoc vt alatur planta, necesse sit eam e terra succum digestum haurire; quumque hieme id fieri nequeat, tum quia plantarum calor solis absentia languidus attrahere non potest; tum quia frigore ambiẽtis constringuntur oscula radicum impervia proinde reddita succo terreno; tum quia terræ calor a frigore hiemis truditur ad penitiores partes, nec, vbi radices plurimæ disperguntur, valeat alimẽtum plantis elaborare; tum demum quia vi frigoris concretus ille succus & ob duritiem, & ob crassitiem, nec fluere in plantas, nec ingredi tenuissima valet radicum foramina, profecto hieme nequeunt enutriri stirpes. Præterea quum plantis per ætates, vt animalibus, conueniat augumentum, siquidem ijs communicant in anima vegetali; sane adolescẽtes etiam stirpes ali non poterunt quin augeantur; quippe adolescentia ætas est incrementi: quum ergo stirpes hieme non crescant, sed post hiemem uerno tempore aduenientе mirifice augeantur, ac sensibiliter; uideo enim horti uicini ficulneam hieme nihil augeri, sed singulo uere ramorum omnium cacumina ultra palmum extendi, & incrassari; plane cõfiteri opus est plantas hieme non ali. Et eo magis, quo si vlla est anni constitutio incremẽto idonea, hiems est: incrementum nanque fieri constat quando plus alimenti apponitur, quam dissoluatur e substantia uiuentis; hieme uero arbores nihil dissolui posse uidentur, non ab externo calore, qui nullus est in ambiente frigidissimo; neque ab interno, qui languet in plantis externi ope destitutus; immo nec si uiribus polleret hieme stirpium calor intimus, frigore ambientis intenso constipatis poris quoquo pacto, & indurato interno humore plantis primigenio, nullam tamẽ, aut exillimam substantiæ dissolutionem admoliri valeret; si ergo hieme de stirpium corpore nulla, vel minima effluente substantia, plantæ nutriuntur iugiter e terra succum sibi trahentes alimentarem, cur non augentur hiberno, vt verno tempore? Deinde vero quum tres obeantur coctiones in animalibus ideo quia crudo penitus, & indigesto alimento vtuntur: quarum prima in ventre fit, mutatis edulijs omnibus in chylum: secunda vero in hepate, corde, ac venis, conuerso chylo in sanguinem: tertia demum in singulis membris, transmutato sanguine in partium solidarum substantiam: plantæ sane alimentum sibi de terra coctum quasi de ventre radicibus attrahentes prima coctione priuantur; quod innuit Aristoteles dum ait primam coctionem sub planta esse, nimirum in terra, quæ plantæ subest: at vero secundam coctionem stirpes obeunt in corde nuncupato, quod Theophrasti obseruatione, Aristoteleoque decreto in medio ligni tertium a cortice continetur velut medulla in ossibus, matricis, & medullæ quoque nomine donatum: tertiam autem coctionem moliuntur plantæ in tota ligni, stirpisque substantia: priori coctione succus terrenus a plantæ calore purgatur ab excrementis inutilioribus, quæ foras primo loco exeũt in frondes, & flores: quod aperte nos edocet Aristoteles alicubi comparans folia plantarum cornibus, ac pilis animalium, quæ nemo ignorat excrementa esse: ita in animalibus coctio alimenti facta in corde, ac venoso genere plurimum excrementi propellit in pilos, vngues, & cornua: Vltima vero coctione in plantis humor elaboratus, qui multus in stirpibus lacti simillimus est, purgatur ab excremento vtiliori, quod extra promitur in lachrymas, & fructus, seu semina: sic in animalibus menstrua, lac, & semen statuuntur

Terra plãtis vẽtriculus.

2. de part. cap. 3.

Cur stirpes nõ habeant excrementũ, vt animalia.

Vide lib. 4. cap. 72.

Obscurissimus locus Arist. illustratur.

Chylum e ventre vt attrahãt venæ mesaræi.

Exacta primæ coctionis delineatio.

Post coctionẽ venæ immediate sugunt omne coctũ.

Vide lib. 2. cap. 27.

Hiems augmẽto idonea.

Cur tres coctiones ĩ animalibus obeantur.

Cur planta prima coctione priuetur.

2. de plãt. cap. 2.

Secũda coctio ĩ qua plãta parte obeatur.

1. hist. c. 4. de respir. cap. 14.

2. de plãt. cap. 2.

Vide lib. 4. cap. 73.

1. de plantis cap. 2.

Frõdes, et flores esse plãtarum excrementa.

Comparatio excre-

Vitiorum plantæ, & animalis. 4. de part. cap. 10.

tuuntur excrementa vltimi alimenti mutati; quam proportionem excrementorum plantæ, ac animalis tetigit Aristoteles inquiēs stirpium genus locum superuacui excrementi primæ coctionis nullum habere, cibum enim concoctum ex terra haurit, sed vice excrementi semina, & fructus effundere: signum vero folia, & flores in plantis excrementa esse vnius, & eiusdem coctionis prioris in meditullio factæ; fructus vero lachrymas, & semina excrementa esse vltimæ digestionis in solidis plantarum partibus, illud esto, tum quod vt plurimum vere nouo ante omnia emittunt stirpes cunctæ folia, & flores: deinde vero post æstatu dignam differentiam temporis fructus, & vna semina, lachrymasque ferunt: tum præsertim quia frondes, & flores rudiori, & minus elaborata materia constant, quā fructus, & alia id generis, qualem habere decet excrementum impurioris, minusque digesti alimenti; quam doctrinam haurias ex Aristotele asseuerante florem e subtili materia tantum esse

2. de plāt. cap. 2.

quum coctio incipit: & ideo fructum in plantis præcedere, vt ostendisse antea se admonet, vbi caussam quoque docuit cur plantæ folia prius producant, quam fructus. Quum igitur nulla nutricatio sine coctione fiat, & nulla coctio sine excrementorum separatione; quumque plantarum excrementa nulla sint alia, quam frondes, flores, fructus, semina, & lachrymæ; dubio procul animaduertentes nos plantarum quampluri mas autumni fine priuatas folijs, floribus, & reliquis enumeratis excrementis tota hieme per plures menses nihil horum rursus emittere; necessario colligendum esse putamus plantas hieme, totoque illo tempore non ali, quo non emittunt consueta excrementa. Et eo magis hæc ratio propositum conuincit, quo dici non potest sensim accumulari excrementa intrinsecus hieme in plantis iugiter enutritis, & demum copia grauante stimulare vim expultricem verno, æstiuoque tempore, ac tunc solum erumpere in frondes, flores, fructus, semina, & lachrymas vniuersam congeriem excrementorum alimenti, quo tota hieme præcedenti stirpes enutritæ dicuntur; quia in corpore stirpis nulla est cauitas, nullusque locus omnino, qui tantæ congeriei excrementorum continendæ sufficiat, quanta est frondium, florum, fructuum, seminum, & lachrymarum materia; sæpenumero siquidem fructus soli simul vniuersam plantæ nudæ magnitudinem quasi æquare videntur. Insuper autem quū eiusdem caloris opera sint alimentum digerere, recrementa segregare, & corpus alere; profecto quæcumque calorem non habebunt, quo excrementa segregentur, ea nutriri nullo pacto dicenda: sed calor segregans excrementa, vt in animalibus internus est solus, ita in plantis calor interior ad hocopus non sufficit, sed maximopere indiget exterioris caliditatis auxilio, quemadmodum superiori libro ex Aristotele obseruauimus: Quum ergo in aere hiberno extrinsecus arbores ambiente nullus calor insit, sed vicissim vigeat intensa frigiditas, qua stirpium calor summe labefactatur, ac pene extinguitur; certe huius languentis ope nō poterunt coctiones fieri, nec enutriri plantæ; quod in brutis hieme latentibus obseruat aliquando Galenus: cuius argumenti vis euidentior adhuc ab opposito fit, quod experientia quotannis comprobatur Neruio Genuēsium oppido propterea celebri, quia studio, & artificioso cultu, quo externum frigus arcetur, calor aduentitius subministratur, tota hieme rosis, violis, cynarisonustæ videntur plantæ: sed & alibi quoque hieme ficulneam iuxta furnum coopertam, & ab inclemētia regionis defensam fructus edere, ac maturare, vt & irrigatam aqua calente, mihi nouum non est. Quæ rationes vt absolute respiciunt plantas omnes, quæ hieme non crescunt, nec frondes nouas emittunt, nec flores, nec fructus, nec semina, nec lachrymas; ita speciatim vim habent in illis, quæ perpetuo nō virent, sed autumno frondibus exuuntur; neque enim stirpes perpetuo virentes, ideo frondes non amittunt, quia nutriantur; sed quia pollent humore viscido, & pingui, qui frigori externo resistit, vt monet Aristoteles; quemadmodum ergo hieme virent retinentes folia pristina, sic noua non emittentes non ali dicendæ sunt: etenim longe maior necessarius est calor ad nouas frondes procreandas, quam ad veteres conseruandas; & propterea his retinendis solus internus sufficit calor non adeo labefactatus ob conditionem humoris, quo fundatur; illis vero procreandis, & omnino nutricationi externus etiam calor necessario requiritur, quod exēplo vitis de omni stirpium genere notauit Sapientissimus apud M. Tullium Cato Maior; *itaque ineunte vere (inquit) in vitibus antea putatis existit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur; a qua oriens vua se ostendit; quæ & succo terræ, & calore Solis augescens, primo est peracerba gustatu; deinde maturata dulcescit. ab eodem enim calore altio est, a quo & auctio.* Sic ergo plantæ hieme tota ociantur a nutriendi functione, viuuntque sine alimento diutius.

Nulla nutricatio sine coctione, nulla coctio sine segregatione excrementi.

Caloris vnius opera sunt alimenti coctio, excrementi segregatio, corporis altio. Cap. 27. De sen. & sen. cap. 5.

1. aph. cō. 15. & 5. de loc. aff. cap. 1.

Neruio hieme flores, et fructus semper esse.

Cur arbores quædā hieme nō amittunt folia. 5. de gen. an. cap. 3.

Brutorum imperfectioris naturæ plurimas species diu sine alimento viuere posse: ac speciatim de ieiunio, & ortu brutorum viuentium intra solidissimos, imperuiosque lapides compertorum. Cap. IX.

4. hist. c. 8.

Brutorum quum alia perfectiorem naturam Aristotele autore ideo sortita esse dicantur, quia constent anima perfectioribus sensibus insignita, & propterea omnibus; alia vero imperfectiorem, quibus non omnes inditi fuere sensus; quæque quadruplicia dicuntur, mollia, crustacea, testata, & insecta, eo nomine quoque a perfectis dissidentia, quo perfecta nulla sponte na generatione oriuntur, sed omnia determinatis genitoribus coeuntibus seminis interuentu progignuntur; imperfecta vero promiscue tum parentum coitu, tum etiam sine coitu ex putri materia, & omnino sponte generari possunt: Sane vilioribus his (quæ subdiuidas optime in aerea, aquatilia, & terrestria) fere omnibus commune

Bruta perfectionem unde habeant.

Bruta imperfecta quæ, & quotuplicia.

Perfectorum animaliū generatio quo differat a generatione imperfectorum.

Vide lib. 4. c. 13. Lib. 26. de anim. cap. 1.

mune esse vt diu absque alimento viuant, ante Magnum Albertum omnis quoque nouit antiquitas; passim etenim apud veteres, consentientibus iunioribus, horum exempla innumera legere licet; ac vt aliquot in medium afferamus,

Cochleas terrestres diu sine alimento viuere. 8. hist. c. 13. Lib. 8. c. 39.

ante omnia Cochleas terrestres aduersus hiemis frigiditatem duro velamine testæ suæ foramen occludere, ac totum semestre nihil haurire cibi citra vitæ dispendium, quisque a semetipso domi poterit experiri, & apud Aristotelem, Pliniũ, & alios autores legere. Sed a Plinio habeas cochleas etiam æstatibus adhærentes saxis dormire. & in Balearibus insulis non prærepere e cauis terræ, nec herba viuere, sed vuæ modo inter se cohærere.

Serpentes oes diu sine cibo viuere. 8. hist. c. 15. Viperarũ ieiuniũ. Lib. 8. c. 39. Lib. 10. c. 72.

Serpentes omnes frigoris impatientes hieme latere semianimes absque cibo quadrimestre ieiunium tolerantes autor est Aristoteles, comprobatrix experientia: sed & hiemis algore dempto viperas annua fame durare viuas & secessus tempore veneno orbas dormire alicubi testatur Plinius. Qui alibi notat nullum venenatum, ac speciatim nullum araneorum interire fame, aut siti, quia calore, sanguineque careant, sudoreve, quæ auiditatem naturali sale augent.

Lacertorum, stellionũ, & Crocodilorum abstinentia.

Idem iudicium de lacertis, ac stellionibus, crocodilisque fluuiatilibus protulit Aristoteles, quos mensibus quatuor frigidissimis latere, nec per id tempus quicquam comedere fatetur. Aristotelem sequutus Plinius quatuor mẽses hiemis Crocodilos media semper transmittere in specu testatur.

Chameleonis ieiunium. Lib. 8. c. 25. Stellionũ abstinentia. Lib. 11. c. 26.

Chameleon etsi muscas, & alia insecta in alimentum sibi venatur, animal tamẽ est diuturni admodum ieiunij, vt potuerit longiori abstinentia doctissimis viris persuadere se nihil vnquam comedere. Chamæleonum stelliones quodammodo naturam habere, rore tantum viuentes, autor est Plinius.

Ieiunium animaliũ intra saxa degentium.

Adijcienda his sunt animalia multa, vt bufones, serpentes, ranas, & dactilos nuncupatos, quæ ita in lapidibus alte, arcteque clauduntur, vt nullo externo alimento, vel exilissimo ad multum temporis vti posse videantur; scribit enim acutissimus Cæsalpinus (quod & nos Genuæ obseruare potuimus) in scopulis maris intra lapidum cauernulas reperiri animalia quædã, quos Dactilos vocant, ostrearum medullis similia, & gustui grata: subdit ex aqua marina introlabente genita; sed hoc sensus refellit; nam solidissima, & profundissima scopuli crassities aquis inuia est:

Origo animaliũ intra saxa ex Paræo. Lib. 24. c. 20.

Existimat animalia huiusmodi orta ex materia idonea in centro scopuli contenta doctissimus Paræus, qui ex Baptista Leone scribit Martino Quinto Sũmo Pontifice in vasto, sed solido marmore inuentũ fuisse viuum serpentem inclusum, nulla in tam densa soliditate apparẽte rimula, qua aerem ducere viuũ id animal posset: immo vero & se in vinea, quæ ad Medonum est pagum, dum diffringenda curaret pergrandia quædam saxa, in vnius medio bufonem compertum vidisse: quod ipse quum magnopere miraretur, quod nullum extaret spacium, in quo id animal gigni, augeri, & viuere posset, audisse a Lapicidis peruulgare, & plusquam quotidianum id esse, quod nullã iam mereretur amplius admirationem; vnde censuit fieri posse vt ex lapidum subterraneis & vdis locis inclusorum humidiore portione per putredinem diffluente, & a cælesti calore se per vniuersam molem miscente, ac diffundente, animanda suppetat materia eiusmodi animalium generationi.

2. de gen. an. c. 1. & 4. Animal non oriri intra saxa. Omne animal post sui ortum augeri.

Sed ego longe aliam dederim animalibus intra solidissimos lapides compertis generationem; haud enim mihi verisimile est serpentes adeo magnos prima sui origine intra saxa exortos, quum & experimento constet quotidiano, & Aristotelis testimonio, huiuscemodi omnia nasci exilia, & sensim nutricatu ad suæ speciei congruam molem adaugeri; quippe quantitate nullum omnino animal perfecte progenerat, & omnia posteaquam nata sunt incrementum recipiunt. Voluntarium que est assertum has belluas primum exoriri paruas, & intra lapidem ali, augeriq; depasta materia intra eundem lapidem conclusa illi simili, ex qua primum exorta fuere: siquidem ex lapide (qui est in genere mistorum imperfectorum) neque gigni, neque ali posse vllum viuens fuse demonstratum est in superiore libro;

Lib. 2. c. 104. & sequentib. Bruta intra lapides inclusum non ali.

ex materia vero putrescente, aliaque a natura lapidis intra lapides non enutritas, auctasve fuisse huiuscemodi bestias id apertum cuique reddit, quod omnia fractis lapidibus animalia hæc reperiuntur adamussim a solida lapidis materia eorum corpora immediate tangente vndique comprehensa; numquam præter saxum solidum, & has belluas in saxis ictis spectari alienæ materiæ, non aereę, qua respirent, non aqueæ, terreęve, qua nutriantur, & augeantur; etsi omnis ætatis inclusa viuẽtia; magna scilicet, ac parua reperiatur.

Origo animaliũ intra solidissima saxa cõpertorum.

Nos autem arbitramur serpentes, & buffones primum extra saxa ortum, & incrementum habuisse, deinde ad certam corporis magnitudinem auctos hyberno tempore subterranea loca petijsse, atque vel in saxum aliquod forte tunc peruium irrepsisse, in eiusque cẽtro hyemem latuisse; quo tempore quauis de caussa in idem lapidis foramen ingressa terra ab agẽte saxifico in lapidem commutata bestiam torpentem frigore intra saxum incluserit æterno carcere; quæ quum sit abstinentiæ patientissima in multos annos absque alimento viuat adeo, vt a Lapicidina viuẽs sæpissime reperiatur; numquam enim ad centrũ lapidis calor ita vegetus penetrare valet, vt bestiæ calor externo auctus pabulũ requirat, quod ei accidit extra lapidem in aere æstiuo. Vel etiã olim genitos buffones, ac serpentes, & ad iustam membrorum molem adauctos hieme sub terra latentes, torpentesque intra saxa includi contigit tunc temporis terra, qua vndique immediate ambiuntur, ab agente saxifico in petram tota conuersa; quod fieri potuit incolumi serpente, vt cuius corpus ab eo agente in lapidem verti fuerit ineptum; siquidem Aristotelis decreto actus actiuorum haud sunt nisi in patiente dispo-

2. de an. c. 24.

sito. Vel tertio, ac demum contigit has belluas hieme intra terræ sinum saxis insidentes veteribus, superinducto illis nouo cortice saxeo ex

ambien-

ambiente terra consimiliter lapidescente, obruantur, circumsepianturque penitus a petrosa materia; vt eo modo intra saxa condantur animalia, quo intra solidissimas arbores condi saxa, & arma ex Theophrasto notauit Plinius; quorum verba huc ad obscurissimi huius euētus naturam illustrandam afferre conuenit, *Nodos autem* (inquit ille) *obducto incremento occupari, atque in plenum integi, sensus ipse percipere euidentissime potest. Ceterum vel ex alijs perquam similibus rebus, id ita fieri constat; sæpe enim pars arboris comprehensa ab altera proxima est, atque in eiusdem corporis magnitudinem coagmentata; & si lapidem, aut aliquid simile arboris alæ inculcaueris, demum insinuabitur, atque occultabitur amplexu auctionis obductæ: quod etiam in oleastro, qui Megaris in foro stabat, cuenisse accepimus, quo succiso, vrbem capi, ac diripi oraculum erat, sicuti actum est. In hoc enim perscisso reperta ocreæ sunt, & alia quædam Attici ritus, parte, qua primum affixa fuere, ad ramorum ambitum concauata. Huius oleastri, quod adhuc superest, parum admodum extat. Alijs quoque locis permultis complura eiusmodi facta produntur. Sed hæc (vt dictum est) pluribus publica habentur.* Plinius autem hæc breuius referens inquit, *Et quædam forte accidunt, lapide comprehenso, aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo. Megaris diu stetit Oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultauerat, fuitque arbor illa fatalis excidio vrbis præmonita oraculo, cum arbor arma peperisset: quod succisa accidit, ocreis, galeisque intus repertis. Feruntur lapides ita inuentos ad continendos partus esse remedio.* Tribus itaque modis contingit animalia in solidissimorum lapidum centro viuēta concludi, vel quod ingressus foramen occludatur lapidescente terra ipsum replente ab ingressu bruto; vel quod ambiens serpentem terra vndique in lapidem conuertatur, vel demum quod insidentem petræ serpentē superinducta lapidea crusta ex terra similiter lapidescente obruat, includatque intra saxa: sed quomodocunque id accidat, ita inclusa animalia necesse est diutissime sine alimēto viuere, quod nobis hic propositum est manifestare. Sed & vulgares ranæ semestrem quoque vitam in limo latere non modo abstinentes, verum etiam semianimes dicuntur Citesio. Muscæ consimiliter hiberna constitutione torpentes in tabularum rimis delitescunt sine vllius cibi vsu, & adeo torpent vt mortuæ iacere credantur, & prima æstate resurgentes reuiuiscere. Apes Plinio a brumæ ad Arcturi exortum diebus sexaginta somno aluntur sine vllo cibo eædem itidem Aristoteli eodem hiemis tempore latent, atque ab omni munere cessant, cuius rei argumentum esse ait, quod cibum sibi appositum minime gustare videntur, & si qua erepsent, ieiuna spectatur, ventre translucente, nulloque penitus contento, quod manifestum sit; vt hinc ex Aristotele videas apes neque interno succo hieme nutriri. Notat præterea Plinius a locustis longinqua maris transiri, continuata plurimum dierum (quod maxime miratur) fame quoque;

Theophr. l. 5. de hist. plant. c. 3.

Lapides, ac ferrū in solidis arboris substantia, vt cōcludantur sponte.

Lib. 16. c. 39.

Ranarū abstinentia.

Muscæ hieme nō vti alimēto.

Apum ieiunium.

Lib. 11. c. 16.

8. hist. c. 14.

Lib. 11. c. 29.

Locustarum ieiunium.

quam propter externa pabula petere sciunt; sufficiunt quippe vires, & tanquam parum sit maria transisse, immensos tractus permeant interim abstinentes. Testudo etiam terrestris vniuersam hiemem in terra latet, grauique somno pressa vitam sine cibo traducit; immo & omni quouis alio anni tempore omnibus cibis destitutam diu viuere testatur Rondeletius. Cicadarum genus maxime omnium insectorum ieiunum esse monet Aristoteles, quum alimenti non indigeant; vt Plato de illarum origine fabulam texens, de vita earundem serio, ac vere loquatur; fabulosum quidem est quod fertur eas olim priusquam Musæ nascerentur, homines fuisse; natis autem Musis, & cantilena in lucem producta, ita quosdam eius æui homines præ cantus voluptate consternatos fuisse, vt canentes & cibos, & potus neglexerint, & se mori nō animaduerterint, ex quibus postea Cicadarum genus natum est; sed veritati consentaneum est, quod subdidit, cicadas nullo alimento opus habere, & sine cibo, & sine potu mox canere donec moriantur; nam reuera cicadæ Aristoteli etiam vel nullo externo alimento indigent, vel (quod antea notauimus) ad multum temporis non indigent Cicadas longissimum sustinere ieiunium, & illud aperte docet, quod ijs solis nullum ad excrementa corporis foramen a natura datum admonet Plinius; nam quod ex coctione parcissimi alimenti residet excrementum, id totum in cutis excrementa expellitur; secus nisi diutissimum ieiunium sustinerent, multum excrementi congerere oporteret, cui egerendo a natura in eorum corpore foramē esset institutum. Quod enim ait Plinius eas rore ali, id antea nobis apud Bonamicum in superiore libro explicatum est. Obseruaui & ego Genuæ media æstate animal e scarabeorum genere, cicada paullo maius, atro colore, prælongis cornibus ramiculatis ad instar cerui, & alis munitum, quale describitur ab acutissimo Scaligero Tauri scarabei nomine, Ceruique volantis; quod intra vitream ampullam inclusum sine cibo, & potu tres menses ieiunauit in Musæo Bartholomæi Turriani, Medici clarissimi; hoc ipsum vna mecum obseruarunt insignes Medici, vtrique spectatæ probitatis, ac fidei, Odoardus Turrianus, & Io. Augustinus Balbanus; Denique summatim ex Aristotele habemus omne insectorum genus minimo alimento contentum esse, ac prope sibi ipsa sufficere, non tam corporis exiguitate, quam frigiditate; quod enim calidum est, cibum desiderat, & concoquit cito, cōtra quod frigidum est, cibo carere facile patitur. Vt vere, ac necessario colligere possimus ex his insecta fere omnia; siue aerea, siue aquatilia, siue terrestria sint, diu sine alimento vitam traducere posse, inter quorum genera plurima illud plane domesticū habemus, idemque admirabile bombycis exemplum, quod aliorum ad brutorum remanentium differentiā, nō hieme, sed æstate in maximis plures dies veluti dormiens pastum intermittit; qua de re pulchre cecinit Vida bōbiçe his notis

Testudinis abstinentia.

Li. de aniphibijs.

Cicadarū ieiunium.

4. de par. cap. 5.

In Phædro.

Lib. 2. c. 86. in fin.

Lib. 11. c. 26.

Scarabei abstinentia.

E h. a. c. 86.

Exercit. 194. nr. 2.

4. de par. c. 5.

Lib. 1.

Sæpe etiam impastas auerti pabula cernes,
Sopitasque graui veluti torpere veterno
In tabulis. hic parce metu, ne corpora morbus
Forte aliquis, gentemque lues inuaserit ægram.
Hunc illis morem, natura hunc ipsa soporem
Addidit, indulgent somno stratisque quiescunt,
Sopitisque dies alter transibit, & alter:
Cum vero expulerit noctem lux tertia rebus,
Consurgent, lætæque ad pabula nota redibunt.
Ergo &c. . . . .

Aues quamplures diu abstinere incolumes. Caput X.

Vulgaris brutorum partitio.

SEd & in brutorum perfectiori genere omni longum similiter ieiunium cernere liceat; quum enim vulgo autore iam distinctum sit animalium genus in aerea, terrestria, & aquatilia; nec ab huiusmodi partitione Aristotelis decreto discedendum sit; eam, quæ vniuersaliter omni animalium naturæ conuenit, speciatim proposito nostro accommodantes dicimus bruta perfectiora in aues, pisces, & bestias terræ distributa in vnoquoque genere diutius citra vitæ dispendium ab omni cibo abstinere. In auium nanque genere ante omnia complures species hieme condi, ac latere vt serpentes, monet Aristoteles, non autem omnes ad loca tepidiora secedere, vbi pascantur, vt vulgus existimat; huiusmodi autem sunt milui, ciconiæ, meuulæ, turtures, alaudæ, turdi, sturni, palumbi nonnulli, & vireones; quibus addidit Aponensis cuculos, & Plinius Miluos, Oenantem, Chlorion, seu Galgulum. At vero latentibus hieme, vna excepta formica pabulum sibi recondente, commune est nullo nutrimēto pasci; quod vel inde certum est, quia cuncta semimortua torpent, atque immota dormire videntur; sic speciatim aues adeo male habent a frigore, vt nudæ, ac deplumes totam hiemem lateant; cuiusmodi tū Plinio agrestes hirundines inueniri solent verno tempore in summorum montium recessibus, vbi metuētes sibi ab algore sese autumno recepere; tum quoq; Georgio Agricolæ ripariæ hirundines inuicem mutuo complexu adhærentes in riparū latebras ingressę a piscatoribus ex aquis extrahi cōsueuere: in cuius loci confirmationem, & explicationē huc afferenda sunt, quæ de natura hirundinum germanicarum mihi retulit Mathematicus insignis Galilęus, fratrem nempe suū in Germaniæ stagnis hieme vidisse retibus a piscatoribus captas congeries multarum hirundinum pedibus, rostro, & alis mirum in modum ad inuicem consarcinatarum; quæ in thalamis tepidioribus cōportatæ quasi reuiuiscentes mouerentur primū, sese expedirent postea, mox etiam auolarent: audisseque ab incolis aduentante hieme quotannis hirundines in ea regione aeris inclementiam fugientes non in remotissimam inde Aphricā euolare (quod efficiunt Italicarum plurimæ Libyæ viciniores) sed multas, vt dictum est, in vnā congeriem colligatas sub aquas demergi, vbi minus sæuit hiems, atq; ibi latere ad vernum tempus semianimes: His non ab re adiungat quispiam ceteras aues, quę hiemem fugiunt: Immo ex Aristotele Turtures hieme latētes in abstinētia plumas quidem in latebra dimittūt, sed tū pinguedinem seruant, quod vrsis, & gliribus etiam contingit. Aquilis multo tempore cibum negare naturā autor est Plinius, qui earum inediam tandiu prorogari asserit, vt in fame ijs & vngues inuertantur, & albescant ieiunio pinnæ; quæ mutatio nō nisi pluribus diebus absoluitur. Deinde vero auicula Rhintaces nomine apud Persas testimonio Plutarchi sumine plena non alia ratione credita est vento, & rore nutriri, nisi quia diu sine cibo viuēs hominibus quo pabulo vesceretur non indicauit. Deinceps autem Apodem illam auem Indiæ Manucodiatam totum suæ vitæ tempus in superno aere degentem longiorem abstinētiam tolerare probabile est; quippe rara supra nubes in alimentum sibi comparare potest insecta, & huiuscemodi alia solidiora corpora. Phænicem qui vescentem viderit, nemo vnquam extitit, autore Plinio; vnde constat eum diu sine alimento viuere, quem plures per annorum centurias nulli non asserunt scriptores viuere: cuius abstinentiæ coniectura eo certior est, si vera sunt, quæ nil dubitans Genebrardus retulit in sua Chronologia, sed ante illum Plinius non sine dubio de veritate auis, nempe octingentesimo vrbis anno, Claudij Principis censura, Q. Plancio, sex. Papinio Coss. allatum Phænicem ex Ægypto in vrbem, & in Comitijs propositum. Testatur etiam in Brasilica regione auiculam esse Indicarum historiarum scriptores, quę rostro ex arbore suspēso sex integros menses sine pabulo degit; ijsque decursis, quasi e morte ad vitam redit; vnde indigenæ suscitatam vocāt. Meminerunt alij (siue hoc animal idem sit, siue diuersum) prope Brasiliā mirabile inueniri animal, quod aliqui Hante, Brasilij vero Hay nuncupant; hoc animal nemo vnquam hominum esse, uel bibere uidit; quamobrem inualuit opinio ipsum sine cibo, & potu uitam traducere; Theuetus longo tempore animal uiuum apud se habuisse testatur, & mortui cutem ad amicum misisse. Ita ergo & in auium genere quamplures diu sine alimento uiuunt.

1. hist. c. 16.
9. hist. c. 11.
Diff. 112.
Lib. 10. c. 10. & 29.
Lib. 10. c. 24.
Libr. de subter animal.
Hirundinum germanicarū mira proprietas.
8. hist. c. 16.
Turturis abstinentia.
Lib. 10. c. 3.
Aquilæ a'stinent.
Rhintacis ieiunium.
In vita Artaxerxis.
Manucodiatæ abstinentia.
Phænicis ieiunium.
Lib. 10. c. 1.
Brasilicæ auis ieiunium.
21. Cosmograph. c. 13.

Pisces diuturnam tolerare abstinentiam. Cap. XI.

AVibus ieiunio non cedunt ulla ratione pisces; nam & in hoc genere multa reperias animalia longo ieiunio admirabilia; multos sanę pisces hieme sese condere in alueo, & ueluti serpentes latere autor est Aristoteles, qui talequid apertissime conuenire hippuro, & coruulo inde ostendit, quia non nisi certis quibusdam temporibus capiantur: delitescere insuper ait murenam, ceruuam, congrum, percam, merulam, turdum, reliquosque saxatiles nuncupatos: condere se monet thunnum, & instar ursi a latibulo pinguescere: addi etiam scribit primadam, immo uero nonnullos æstate latere fugientes æstum, quod glauco, asello, auratæque proprium esse obseruat. Post Aristotelem Plinius

8. hist. c. 15.
Pisces latentes hieme qui.
Pisces latentes æstate.

hiber-

Libr. 9. c. 16. 30. 33. 36.

hibernis mensibus iacere speluncis condita multa piscium genera retulit, hippuros, coracinos, murænas, orphos, congros, percas, saxatiles omnes, torpedines, psitias, soleas: medijs contra feruoribus latere sexagenis diebus glaucos, asellos, auratas: vtrisque temporibus condi pectines, magnis nempe frigoribus, & magnis æstibus. Polipos binis mensibus condi, locustas, & cancros latere quinis. Sed purpuras captas diebus quinquagenis viuere saliua sua. Ceterum de diuturniori piscium ieiunio quis ambigat? passim nanque iam pharmacopolæ, alijque artifices inclusos pisces intra vasa vitrea simplici aqua semiplena nullo iniecto cibo seruant ad multos annos, subinde mutantes aquam vetustate eum ab aeris puluere, tum a fuliginosis piscium excrementis conspurcatam: in his autem vasis nullo penitus alimento nutriri hos pisces ideo constat, quia sola aqua non potest illis in alimentum cedere; præsertim quum solido cibo in mari vesci consueuerint; & quia in a tate augumenti nihil omnino crescunt, immo potius decrescere conspiciuntur: in ea enim ætate aut nullus, aut cum augumento coniunctus est nutricatus: sed hac de re fusius infra cum Rondeletio disserendum erit. Ceterum inter pisces Phocã (cui Pliniana obseruatione vituli nomen est) omnium marinarum belluarum natura voracissimam vidisse se narrat in Apollonij vita Philostratus, quæ partum demortuum lugens tres totos dies absque vllo alimento transmiserit capta in Insula Aga. Sic igitur inter animalia diu sine alimento viuentia iure optimo connumerandi sunt pisces.

Quando nutricatus sit cũ augumento coniunctus.

Vide li. 4. c. 27.

Lib. 9. c. 8.

Vitulima rini ieiunium.

Lib. 2. c. 7.

Terrestrium brutorum perfectorum plurima diuturnum agere ieiunium. Cap. XII.

EX aquis iam descendere si lubeat in terram, & hic non minora comperiemus brutorũ perfectiorum genera, quibus hoc itẽ commune est, vt diutius abstinentiam protrahere possint: nam plurima consimiliter hieme latent in foueis dormiẽtia, nihil propterea cibi, aut potus degustantia (vt demus Plinio in hiemes animaliũ alijs prouisum pabulum, alijs pro cibo somnum inesse) siquidẽ præter hystrices, herinaceosve (quibus, & alpinis muribus in more positum esse fert Plinius idem præparare hiemi cibos, pabulumque ante quam lateant sibi in specus conuehere) Aristoteles, admonet hieme condi vrsos ea lege, vt quo tempore latent cum feminæ, tum mares vehementer adeo pinguescant, vt mouere se se facile nequeãt; certumque esse hoc animal quandiu latet, siue dormiens, siue vigilans, nihil vnquam comedere, quippe quod neque exeat ad pabulum, & captum ventre, intestinoque inani reperiatur; narrant enim eius intestinum ita per mediam conniuere, vt adductum prope cohæreat: itaque vrsum latebram egressum primo herba Arum dictã degustare, vt intestinum laxetur, & hiet: quæ quidem intestini angustia ob inediam exoriri solita multo antea descripta est ab Hippocrate, quẽadmodum supra notauimus: monet tamen Plinius

Lib. 8. c. 38.

Non omnia latentia hieme abstinere.

Lib. 8. c. 37.

8. hist. c. 17.

Vrsi abstinentia.

Vrsus latebram egressus cur primo herbã Arum degustet.

Lib. de Principijs

Lib. 1. c. 1.

vrsorum mares quadragenis diebus latere, feminas vero quaternis mensibus. Addit autem Aristoteles citato loco glires etiam latere in arboribus, perque id tempus pariter pinguescere vehementer, quod non illepide concinit Martialis festiuissimus Poeta hoc disticho.

Lib. 8. c. 35.

Vrsos mares minus latere quam feminas.

Tota mihi dormitur hiems, & tempore in illo.
Pinguior sum, quo me nil nisi somnus alit.

Sorices & ipsos hieme latere sicut glires autor est Nigidius apud Plinium. Mures quoque Ponticos hieme condi subdit Aristoteles, quod etiã Plinius obseruat, adijcitque murium Ponticorũ hieme latere illos duntaxat, qui albi sunt; vt propterea voluerit Matthiolus cõmentario illo suo magno in Dioscoridem Põticos eiusmodi mures esse, quos vulgo Armellinos appellamus, pilo insigni candoris, superiori tantum caudæ parte, quæ digiti longitudinem non excedit, satis nigricantẽ. Refert autem idem Matthiolus in murium genere grande quoddam animal, cuniculum æquans magnitudine, frequentissimum in agro Tridentino, propterea quod montes incolat, muris montani nomine donatum, hieme delitescere, dormireq; integris mensibus quemadmodum & glires, eoque tempore adeo pinguescere, vt aliquando mõstrose intumescat. Sed & Germaniæ Topographiã describentes *In Valesia mures alpinos* asserunt *satis magnos viuere, qui parato in autumno nido abdunt se, & nidum humo, ne vel aere, uel humore contingantur, claudunt, dormiendoq; delitescunt tota hieme sex, aut septẽ mensibus sine vllo cibo conglomerantes se in modum herinacij; loca autem illa obseruantes incolæ amouent terram quousque perueniant ad cubiculum, & alto sopore oppressos vna cum nido auferunt, atque domum portant, nec euigilant ablati, si adhuc hiems fuerit, donec iuxta ignem, aut radios solares calefiant:* quod mihi argumento est eos hieme non dormire, sed rigere, vt serpentes, & Lucomori; calor enim nõ vrens haud somnum discutit, sed torporem, algoremque, qui, quod somno similis sit affectio, de horum animalium somno vulgo imposuit: Nos autem mures alpinos alterius esse generis ab ijs, quos Plinius admonet pabulo ante in specus conuecto recondi, eo manifeste conuincitur, quod dormientes, rigentesve non edere, cuique notissimum est. His vero adijcere poterimus animal occidentalis Indiæ pinguissimum, pigerrimumque, canem leuem, ironice fortassis, appellatum, quod quia diu sine cibo, potuque viuat, se aere, ac rore vesci multitudini iã persuasit. Quin & ex Suetonio habemus in vita Iulij Cæsaris paullo ante ipsius mortem equorum greges, quos in traijciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, compertos pertinacissime pabulo abstinere. Leones raros in potu, vesci alternis diebus, a saturitate interim triduo cibis carere testatur ex Aristotele Plinius. Sues magis pinguescere tridui inedia saginatione orsa idem est autor. Quin & verrem subantis audita voce, nisi admittatur, cibum non capere vsque in maciem, quæ non nisi post plures dies contingere potest. Apud Plutarchum præterea legitur Pyrrhus Rex iter faciens

Glires ieiunium.

Soricũ abstinentia.

Lib. 8. c. 57.

Muris Pontici ieiunium.

Lib. 8. c. 35.

Armellini descriptio

Latentia hieme non dormire, sed rigere

Lib. 8. c. 37.

Canisleuis abstinentia.

Equorum ieiunium

Leonum abstinentia.

Lib. 8. c. 16.

Suis ieiunium. & saginandi ra tio.

Lib. 10. c. 51.

Lib. 8. c. 63.

Opus de solert. animal.

inca-

in canem, qui interfecti hominis corpus adſeruabat, incidiſſe; illumque tertiam iam diem cibi expertem aſſidere, neque cadauer deſerere tamen, cognouiſſe; atque illud quidem humari; canē autem ieiunio pariter, ac fidelitate præclarum attente ſecum duci iuſſiſſe. Sed & eidem autori Tigris abſtinet per biduum, & in tertiam diem ſine alimento viuit, ait enim citatis verbis, *Tigrim ferunt, ſi ei hædus porrigatur, abſtinere cibo per biduum; tertia die eſurientem aliud poſcere; & ni mox detur, caueam conuellere, in qua incluſa tenetur, interim hædo, vt conuictori iam, & contubernali facto parcere.* Bruta ergo animalia perfectioris etiam conditionis in eadem ſunt area, vt diu queant abſtinentiam producere, diuve ſine alimento viuere.

Canis ieiunium. — *Tigridis abſtinentia mira.*

Homines diu a cibo, potuque abſtinere poſſe.
Caput XIII.

QVum itaque diutius abſque alimentorum vſu viuere poſſint, præter immortalia viuentia quæque, mortalium animalium ſemina, Chryſalidum, ſeu Nympharum, Aureliarumque vocatarum ſpecies, ſtirpium cunctarum ſemina, animantium oua, rami auulſi a trunco extra ſolum poſiti, plantæ vel etiam humo infixæ, inſecta ferme omnia, tum aerea, tum aquatilia, tum quoque terreſtria, atque in genere perfectiori aues, piſces, & quadrupedum plurima; probabile iam ſatis, veriſimileque redditur humanum quoque genus multos menſes, & annos ab omni cibo, & potu abſtinere poſſe; quum etenim altio, ſiue nutriendi functio, & ipſi contraria abſtinentia pertineant ad vnam vegetalem animā, par eſt ea in nutricatu, & in ieiunio conuenire, quæcunque in vegetantis animæ participatione communicant; homines autem cum brutis omnibus, plantarumque genere vniuerſo communem habere vegetantem animam adeo vulgatum, & receptum eſt in Peripato, vt nullius indigeat probationis: ſtirpibus ergo, & brutis diu ſine alimento vitam agentibus, homines quoque diutius abſtinere poſſe fatendum eſt; quod ſæpenumero teſtatur Plinius; is enim ex Nicæenſis Iſigoni relatione aſſerit itinere dierum decem ſupra Boryſthenem Sauromatas tertio die cibum capere ſemper. Quod confirmat Gaudentius Merula libro Memorabilium. Quin & poſterius de Diui Auguſti fortunis agēs Plinius quatridui memorat inediam. Huc itidem pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis a Plinio citatum ſeptem diebus feminæ exanimis ad vitam reuocatæ, quæ ſcilicet vel vterino affectu, vel animi deliquio, vel ſomno in ſyncope, vel metu, vel ecſtaſi oppreſſa (quod multis alijs contigiſſe dudum oſtendimus) veluti mortua ſemianimis potius quam vere exanimis ſeptem dies ſine alimentorum vſu iacuerit ad vitam poſtea redire viſa. Sed apud Ioan. Vualterium Viringum nonnullā ieiuniorum exempla nouiſſime obſeruauimus, quæ dudum adnotatis ſunt adijcienda: In primis enim legitur Diuus Antonius triduanam inediam tolerare conſueuiſſe: Quin

Vide lib. 4.c.7. — *[...]o. de anis. [...]35.* — *Lib. 7. c. 2. c. 49.* — *Abſtinen triduum.* — *cap. 2.* — *4. dier.* — *cap. 52.* — *7. dier.* — *Locus Plinij illuſtratus.* — *Lib. 1. c. 1. 2. 3. 5. 6.* — *Lib. de ieiun. & ab[ſtinen]tia.*

e Sacris litteris habemus Paulum ſtatim a ſui conuerſione Damaſci apud Ananiam tribus diebus ſine oculorum vſu nec manducaſſe, nec bibiſſe. Elpidius Cappadox per vigintiquinque annos bis tantum in hebdomada, Dominicis nempe diebus, & feria quarta cibo veſci dicitur aſſuctus. Carolus etiam Magnus cum periculo valetudinis, quod eſſet procerus, & giganteæ molis, ieiunijs triduo corpus exercuit, expeditione in Mauros ſuſcepta ad Aniſum fluuium. Niniuitarum tam rigida fuiſſe abſtinentia legitur, vt per triduum integrum nullius alimenti copiam nec brutis, nec adultis hominum, nec infantibus papillæ vſum permiſerint. Franciſcus Xauerius apud Indos Catholicæ Fidei propagator eximius quatriduum ieiunus ſæpenumero fuit. Caſſianus Monachus quendam refert per totos quinque dies ab omni cibo abſtinere ſolitum. Petrus Faber in niue ſub dio ſine cibo, & potu prorſus ſex dies peregit. Philo Iudæus Eſſeorum gentem memorat, quorum nec cibum, nec potum ante Solis Occaſum aſſumentium, nonnulli haud ante diem tertium famem ſenſerunt, alij vix ſexta die cibum deguſtare ſueti duplum perdurauerint. Dionyſius Alexandrinus confirmauit quoſdam duos, tres, quatuor, ſex integros dies ieiunos tranſegiſſe. In vita Diui Thomæ refertur crebro ieiunium ſeptem dierum obſeruatum. Sampſonis Dolenſis Archiepiſcopi ieiunia modo biduana, modo triduana, modo integræ fuerunt hebdomadæ. Diuo Hieronymo Epiphanius Cyprius ſæpiſſime ſeptem dies ſine cibo permanſit. Romoaldus Camaldulenſium inſtitutor quindecim annis nonniſi ad finem hebdomadæ cibum capiebat, hoc cenſens eſſe omnino ieiunare totum diem ſine vllo cibo tranſigere. Ioannem, Andream, & Philippum in Ægypti ſolitudine reperit Pachomius hebdomadarum continuata ieiunia diebus Dominicis ſoluere ſolitos. Mutius Abbas itidem ſolis Dominicis pane veſcebatur diuinitus, ceteris diebus abſque cibo permanens. Viri Iabes ſepelientes Saul ieiunauere ſeptem diebus, hoc eſt ab omni alimentorum vſu abſtinuere; cuiuſmodi fuiſſe conſuetum Iudæorum ieiunium in luctu, ac mærore obſeruare licet ex Heſter, quæ iubens Hæbreos ſecum ieiunare modum talem expreſſit, *Non edatis*, inquit, *neque bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* Maria Ogniacenſis Virgo, & Vidua Niuigellenſis ſine cibo per trigintaquinque dies fertur perſeueraſſe; atque ante obitum diebus quinquagintatribus nihil præter viaticum Chriſti deguſtaſſe. Nobiliſſimus Ioannes ille Calybita apud Aſcetas ſexennio nihil niſi Domini corpus aſſumpſit. Hæc Viringus ieiuniorum exempla notauit. Sed longioris abſtinentiæ ampliſſimam fidem faciunt quamplurimæ aliæ obſeruationes humani ieiunij dudum in primo huius operis libro exaratę; famam enim mirabiliter adſerūt ea, quæ eueniunt, quod obſeruat alicubi Plutarchus ſed ignoratio cauſſæ fidem hiſtoriæ derogat; innumera ſiquidem ſunt, quorum quum eſſentia in

Act. Apo. c. 9. — *3. dier.* — *Mut. lib. 8. & Regin. lib. 4.* — *4. dier.* — *5. dier.* — *6. dier.* — *Lib. Quod probus.* — *Epiſt. Canon. ad Baſilid.* — *7. dier.* — *35. dier.* — *53. dier.* — *6. annor.* — *Extra famam adferunt.* — *5. ſympoſ. q. 7.* — *Fidē hiſtoria dero[gat].*

sat ignorata causa. *Multa existunt euenire ex causis incognitis.*

aperto sit, causse tamen nos latent; de quorum vno quum in præsentia meditationem susceperim, & cognata mentis meæ inuulgare proposuerim, prodigiosa eorum aliqua, & incredibilia multis visa iri non dubito; sed vt multa fieri non posse, priusquam aut facta, aut etiam perspecta sint, iudicantur; ita qui omnino in singulis probabilitatem, aut euidentiam, facilitatemque requirit, is quod mirabile est ex omnibus rebus tollit; atque vbi caussæ ratio deficit, ibi dubitare, & inquirere, hoc est philosophari incipimus; vt Philosophiam quodammodo perimant qui admirabilibus fidem detrahunt: & mihi certe contuenti se persuasit rerum Natura, nihil incredibile existimare de ea. Oportet autem cur vnumquodque fiat, caussam ratione inuestigare; an fiat, ex historijs est percipiendum: narrantur autem multa talia in primo nostro huius contemplationis libello; vnde apertissime iam constare debet vnicuique homines diu posse sine alimento viuere. Propterea igitur allatis antea tot virorum fide dignissimorum testimonijs de multiplici, & diuturna hominum abstinentia inhærentes, & rationi nuper e rei naturæ deprompæ insistentes firma tandem sanctione decernimus & hominum genus vna cum ceteris alijs viuentium generibus diu posse absque alimento viuere. Quod pertinet ad An est nostri argumenti. Quum igitur ambigendum non sit de humanæ abstinentiæ diuturnitate; relinquitur modo explicanda illius natura, & caussa propria.

Multa priusquam facta, vel perspecta sint, fieri non posse iudicantur.

Vbi caussa latet, ibi philosophari oportet.

Plin. lib. 11. c. 3.

Quotuplex, quæque caussa de proposito nobis inquirenda sit.
Cap. XIIII.

SAne caussarum genera quum vulgatissima sint quatuor ab Aristotele sæpius decantata, finis non habet locum in proposito; siquidem abstinentia in hominibus est priuatio quædam nutrimenti; priuationum vero proprie nullus est finis; quandoquidem in finem tendunt omnia velut in bonum, priuatio autem bono potius aduersatur, ac tendere videtur ad maleficium; quæ omnia cumulate nos docuit Aristoteles: Habet autem priuatio materiam, in qua inest, propriamque ideam veluti formam; atque efficientem caussam, tum a qua producitur, & conseruatur eo modo, quo priuatio produci, & conseruari potest; tum etiam a qua terminatur, atque finitur, cui corruptricis potius, quam effectricis caussæ nomen aptabitur; sed & hæc tamen ad effectricis caussæ genus redigenda est tum quia corruptio est formaliter actio corrumpentis; tum etiam quia nihil physice corrumpit, quin simul generet; quippe corruptio vnius est generatio alterius, ac speciatim priuationis corruptio. Porro materia nostri ieiunij nullo negocio nobis inquirenda est, quum pateat viuens subcœleste, ac speciatim corpus humanum, siue homo ipse viuens, qui diutius abstinere dicitur. Restat igitur nobis inuestiganda forma, siue idea tam longi ieiunij, & caussa tum efficiens, vnde prouenit, & conseruatur; tum quoque vnde terminatur, & desinit. Ceterum quia ieiunium hoc non solum generatim, & absolute considerari potest, verum etiam speciatim penes varias temporis differentias, quibus admetitur, & penes varias conditiones alias, quibus in diuersis abstinentibus associatur; ne quid intentatum relinquamus, operæpretium fore duximus caussam quoq; varietatis in duratione ieiunij considerare; vbique in omni contemplatione proposita, siue ideam, & formam abstinentiæ, siue caussam effectricem, siue terminatricem ieiunij, siue quoque tempus, & durationem inediæ considerémus, singula cum vniuersim, tum speciatim disquirere a communiori contemplatione principium sumentes.

Priuationis nō est vllus finis.

1. ethic. cap. 1. *2. phy. t. 31.* *1. phy. t. 80. 81.*

Priuationis quot, quæve caussæ sint.

2. phy. t. 35.

Corruptrix caussa redigitur ad efficientem.

Quotuplex, quæque sit vniuersalis idea, communisque forma diuturnæ abstinentiæ.
Caput XV.

DVplex est alimenti ratio; aliud enim extra corpus nutriendum adhuc reperitur alimentum remotum, aliud autem in viuentis corpore iam continetur alimentum proximius: quum itaque ieiunium simpliciter abstinentia sit ab alimento; propterea factum est vt gemina quoque sit idea, seu natura ieiunij; aliud nempe ieiunium est, quo abstinet homo, seu viuens ab alimentis exterioribus; quum tamen interea interioribus enutriatur: aliud vero ieiunium est, quo neque pascimur extrinsecus, neque plane alimur intrinsecus: Mirum est quod dicere gestio, eoque sententiam verbis explicare vix queo, qui multa aliter ac sapientum plurimi proditurum me non eo infitias; nostro etenim, patrumque nostrorum æuo clarissimi viri plerique omnes diuturnæ huius abstinentiæ ideam prioris generis esse sunt arbitrati: quorum sententia quum longe lateque proiecta nobis fuerit in superiori libro; iam necessario colligendum est diuturnum hoc nostrorum abstinentium ieiunium eiusmodi esse, vt in eo viuentes homines pariter neque externum sibi hauriant alimentum, neque interno vlla ratione alantur, ac propterea vere diu viuant abstinentes nostri sine vllo penitus alimento.

Alimenti notio duplex.

Ieiunij duplex idea.

Idea tractandi ieiunij est carentia nutritionis.

Nec me animi fallit quam res noua, miraque menti
Accidat,
Et quam difficile id mihi sit peruincere dictis,
Vt sit, vbi insolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec iacere indu manus, via qua munita fidei
Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis.
Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem. . . . . .

Lucret. lib. 5.

ratio,

ratio, quæ nobis ex rei natura, & antiquorum sapientum placitis depromenda est, ne tam nouum dogma, & inauditum studiosorum animis absque ratione inserere velle videamur. Enimuero quemadmodum in superiore libro fidem derogare falsis, & erroneis opinionibus docuimus opponentes ex rei natura depromptas rationes, & in Republica litteraria illustrissimorum virorum sententias; ita plane quod in hac speculatione verum inuenimus, atque nostro instituto idoneum, demonstrationibus id, ac testimonijs sapientum quasi enutriemus, atque augebimus, vt luce clarius tandem appareat abstinentes nostros diutius nutriendi munus penitus intermittere potuisse.

E quibusnam fontibus hauriantur argumenta nostros abstinentes non ali confirmantia.
Caput XVI.

Huius autem placiti nostri veritatem demonstrantia quamplura desumuntur argumenta cum ex rei natura, tum etiam ex probatissimis autoribus, Aristotele, Hippocrate, Galeno, Auicenna, Celso, alijsque viris sapientissimis; sed rei natura tres nobis præcipuos fontes aperit, vnde plurimæ rationes propositum confirmantes effluant; quum etenim ieiunium sit affectio propria viuentis, elementaris, qua viuens est; quumque subcælestium animatorum quorumcumque vita triplici principio, tanquam fundamentis, essentialiter innitatur, anima nimirum, corpore, & animam corpori connectente naturali calore; quæ omnia dudum in libris *De Vita* inscriptis diligenter a nobis pertractata fuere; sane abstinentes nostros diu viuere posse sine alimento, & absque nutricatu ex rei natura comprobari nequit, nisi argumento ducto a conditione, proprietateque vel ipsius nutricationis, vel vitæ, seu viuentis totius, vel speciatim corporis, animæ, atque caloris. Age nunc singulos fontes lustremus seorsum a rei natura exordientes.

[margin: Ieiunium viuentis sit affectio propria.]

Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem,
Nam tibi vehementer res noua molitur ad aures
Accidere, & noua se species ostendere rerum.

[margin: Lucret. lib. 2.]

Ad rem etenim omnium quæsitu maximam accingimur, cui vix exhausti quidquam satis est: talis namque materia est, vt vna dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut hydræ capita improba fecunditate succrescant; nec vllus sane fuerit modus, nisi quis eas viuacissimo rationis igne coerceat: hunc igitur ex solido naturæ silice mentis attritu peruicaciori nobis excutere iam aggrediamur non partes seorsum, sed integram rei naturam in medium afferentes; naturæ enim rerum vis atque maiestas in omnibus momentis fide caret, autore Plinio, si quis modo partes eius, ac non totam complectatur animo, quod non raro etiam nos docuit Aristoteles, ac præsertim vbi asserit Antiquos non exacte nouisse naturam actionis, & passionis *Quoniam quum oporteat aliquod totum inspicere, partem aliquam dicunt*.

[margin: Lib. 7. c. 1. — Tota rei natura spectari debet non pars. — 1. de gen. t. 48.]

Homines in diuturno ieiunio nutriendi functionem intermittere posse ratione animæ.
Caput XVII.

Porro, vt ab anima, veluti a nutricationis caussa primaria ex Aristotelis decreto, nostræ theoriæ initium sumamus, alimenti omnis vsura totum viuens ea ratione respicit, vt nutricatio quidem vegetantis animæ sit functio, quæ inter alias omnes operationes ad vitæ custodiam maxime necessaria iure censeatur; ea tamen vel ad multum temporis sublata, necessarium propterea non est animam e corporis consortio seiungi, & vitam finiri; Ante omnia etenim quæuis functio sua caussa effectrice posterior est; verum vbique sine suo posteriori prius quodlibet esse potest; quum ergo nutricatio sit ab anima prodiens operatio vt a sui caussa effectrice Aristoteli; clare iam constet animam sine alendi functione consistere posse, ipsique non repugnare diu a nutricatione ociari. Amplius anima non dependet a nutriendi munere, sed vicissim; quum sit illius muneris caussa; quum ergo cuncta independentia diutius valeant sine alijs consistere; quid ni diu maneat in nobis anima sine omni penitus actione? Insuper si solius animæ naturam consideres, nulla ratio est, quare breui tempore possit feriari a nutricatu anima, longiori tempore non possit; hoc enim differt ocium a negocio; quod negocium, quia motus est, vel non sine motu, & omnino actio, proportionatum debet esse viribus agentis quoad durationem; quo factum est vt ego possim ambulare per diem integrum, biduo, vel triduo non possim, consumptis diuturna operatione spiritibus, fatiscentibusque ideo viribus; at vero iacere, & ociari ad plures menses valeam, in diuturna quiete nullam virium iacturam sentiens: quum ergo nihil penitus interfit animæ per biduum a nutricatione feriari, haud certe neque per multos menses, & annos; quum ad huiusmodi ocium nullis vtatur viribus. Præterea cuique agenti perfectio est propria operatio; quum autem nemo ambigat sentientem, & rationalem animam esse perfectioris naturæ, quã sit anima vegetalis; profecto videns ratiocinantem in pueris a prima eorũ constitutione in vtero ad multos annos ociari; quin & in adultis, qui fatui sunt, vel inciuiles, & agrestes, ferarum more solo irrationali appetitu, & phan-

[margin: 2. de an. t. 37. 39. & 41. — Anima est primaria nutricationis caussa vt se habent ad vitam. — Nutricatio — Vide li. 4. cap. 75. — Prius esse potest sine suo posteriori. — 2. de an. t. 34. 37. 31. & 41. — Anima operationũ caussa effectrix. — Ocium a negotio q̃d diff. rat. — Agẽtis perfectio est propria operatio. — Anima rationalis, & sentiens diu feriatur a suo munere.]

nis intermissionem; in primis enim videmus passim viuere diutius homines in ætate decrementi, quibus deperdita substantia non instauratur vere, quum longe maius sit id, quod e corpore diffluit eo quod alimentorum vsu corpori affluit: vt belle cecinit Lucretius,

Instauratio deperditi non redit diuturnâ intermissione alimentorum. Lib. 2.

.... quoniam minui rem quamque videmus
Propterea quia quæ decedunt corpore cuique,
Vnde abeunt, minuunt; quo venere, augmine donant;
Illa senescere, at hæc contra florescere cogunt.

Si ergo ad multos menses, & annos viuunt seniores, quibus quotidie, exempli gratia, recedit a corpore substantia vt quatuor, accedit autem ex alimentis substantia vt tria; sane ad multos menses, & annos absque nutricationis interuentu, nulloque accedente in locum deperditi, viuere poterunt quibus quotidie substantia effluit vt vnum; siue id contingat ob caloris aut imbecillitatem, aut auersionem ad aliud, siue ob corporis resistentiam, siue ob quamlibet aliam rationem. Deinde vero iuuenilia corpora multa videmus varijs de caussis contabescere, licet alimentis vtantur, atque multo tempore semper magis amittere veteris, quam alimentorum vsu acquirere nouæ substantiæ; quare vt in senibus, ita etiam in adolescentibus contingit corpus diu cum vita consistere quamuis iugiter absumatur, nihilo subeunte in locum deperditi ob intermissam penitus nutricationem. Deinceps nouimus omni ætate homines posse atrophia diuturna laborare viuentes; quum ergo hæc affectio sit, in qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa oritur macies obseruatione Celsi; quis non concedet corpus, etiamsi assidue diffluat, nec tamen acquirat ex alimento aliquid in locum deperditi, diu posse vitam producere nutricatione penitus intermissa? Præterea intra latitudinem sanitatis quid prohibet corporis nihil, aut minimum calore miti absumi ad longum tempus, vt proinde citra vitæ dispendium nulla ingruat necessitas eius instaurandi? certe quod absumit corpus nostrum, siue sit calor internus, siue ambientis externus, siue vterque simul, eandem subeunt hac in re legem animata omnia cuiuscunque generis; si ergo plantarum semina, & præsertim frumentum diutius integrum seruatur in horreo viuens ad plures menses, & annos absque eo quod nutricationem vllam obeat, quamuis eius substantia sensim satiscat, & absumatur; dubio procul & homini, iugiter etiam diffluente corpore, sine vllo nutricatu ad plures menses viuere licebit; & eo magis, quo decet summam parentis rerum naturæ prouidentiam nobiliorum, perfectiorumq; viuentium saluti magis inuigilare. Adijciendum his est posse corpus humanum ita se habere ad caloris tum interni, tum externi vires, vt eius actioni valeat ad longum tempus resistere penitus, & in ea lucta nihil suæ substantiæ, solidioris præsertim, aut minimum quidpiam amittere; quod & in plantis, earumque seminibus, & in ouis frequentissimum

Atrophia quæ affectio sit.

Lib. 4. cap. 22.

Corpus resistere posse adeo calori, vt nil consumatur.

esse deprehendas e pondere: potest igitur corpus ad multos menses refectionis haud indigere, atque ideo nutriendi munus intermittere. Non ergo ratione corporis viuentes nutriendi actionem diutius intermittere prohibentur; quod etiam infra patebit. *Cap. 59.*

Homines diu posse nutriendi munere priuari citra vitæ dispendium, habita quoque ratione caloris. Cap. XIX.

Consimiliter dicendum esse, inspecta natura caloris viuentis animam corpori, neim pe viuere posse homines diutius a nutriendi functione vacantes, non vna ratio est, quæ suadere videtur. Ante omnia calor in viuentibus non solius nutricationis, sed vel Aristotelis obseruatione, aliarum omnium vitæ functionũ est autor, veluti primum, & vniuersale instrumentum animæ in omni opere; quum autem certum sit agens unum alicui operi summe intentum a ceteris omnibus feriari; nam & anima uehementer occupata uel in meditando, uel in appetẽdo aliquo, huic soli functioni tota incumbit, alias omnes interim penitus omittens etiam ad multum temporis, ut quibus in Ecstasim diuturnam, aut in uehementem, & assiduam uindictæ libidineui lapsus est; retulit enim mihi strenuus militum Dux Fauentinus, dum iuuenis esset, pulcherrimamque uxorem duxisset, ei tamen maritale debitum non soluisse ad plures annos, quia graues inimicitias cum uiro potenti gerens assidue uoluebat animo insidias hostiles, qua cogitatione adeo solicitabatur, ut naturales etiam functiones negligens, & quasi earum immemor præteriret: Si ergo id animæ contingit, quæ simul plurium caussa esse potest, ut circa unam uehementer occupata ceteras functiones negligat; multo equidem magis calori hoc accidet, ut intense incumbens uni operi alia uel omnia, uel quædam diu penitus intermittat; siquidem calor est agens mere naturale, ac proinde maxime determinabilis ad unum: Quum ergo uaria sint in humano corpore, in quibus calor totus occupari ualet; nihil profecto impedire poterit quominus diu a nutricatione penitus ociari queat: non alia ratione siquidem in magnis febribus, calore alioqui ualde intenso corporis substantiã maxime dissipante, restaurandique deperditum miram necessitatem incutiente, diuturna inappetentia, & abstinentia ab omni alimento penitus, nutriendique functionis inera priuatio conspicitur; nisi quia calor ei, quod magis urget, ceteris omnibus omissis, totus incumbit, discussioni scilicet caussæ morbum facientis; quod Brasauolus adnotauit aliquando: Ac certe si Polydorus ille sine potu & cibo in acuto morbo ad quindecim dies superuixit, reiterato alimentorum usu ad pristinam sanitatem reuocatus, mirum non sit calorem mitem sani hominis alio sic occupari, ut nutriendi munus ad plures menses prætereat. Deinde uero quid ni possit calor diutius ab aliquo impediri quominus alendi fun-

Vide li. 4. cap. 78.

De respir. cap. 10.

Calor primum, & vniuersale instrumentum animæ in omni opere.

Agens vnũ vni operi summe intentũ vacat a ceteris.

8. phy. t. 8. 9. meta. t. 3.

1. de vict. acut. com. 44.

ctionem solam obeat, sed alijs omnibus inuigilet? profecto vt multa possunt homini accidere, quibus impediatur calor ne nutricationē obeat; ita diu potest huiusmodi impedimentum vigere. *2. de an. t. 24.* Deinceps Aristotelis decreto caloris actio nulla esse potest, nisi in apparatum, & idoneum subiectum; tale vero in alendi functione alimentum est e cibis, & potione confectum: quum autem *Quibus de caussis corpus alimento priuetur.* possit corpus varijs de caussis diutius eo alimento carere, nimirum vel quia nihil assumatur extrinsecus, vel quia ingesta ob sui prauitatem nulla ex parte cedant in alimentum, quod ex Aristotele dudum explicauimus; vel etiam quia æstuante calore totum consumatur, aut comburatur antea quam partibus apponatur in alimentum; *1. sect. problem. 5.* vel quia humoribus prauis commistum reddatur alendo ineptum; quo nomine Hippocrati corpora *2. aph. 10.* impura quanto plus nutries, tanto magis lædes, *Cur impura corpora quo plus nutriuntur, eo magis læserit.* conuerso nimirum alimento in prauum succum; profecto ijsdem rationibus cogetur & calor diutius a nutriendi officio feriari. Amplius & vires calori necessariæ sunt ad hoc vt possit nutriendi munus obire, ac certe multo maiores quam vt possit animam corpori colligare; nanque in alendi actione opus est multas moliri substantiarum *Calor alit nō nisi validus.* operosas transmutationes, nempe ciborum, & potionis in chylum, chyli in sanguinem, sanguinis in partes solidas; insuper & excrementorum digestionem, expulsionemque per plurima corporis loca fieri a calore necesse est: nihil autem vetat calorem in eo gradu diutius consistere, vt vires quidem habeat nectendi animam corpori, sed tamen non habeat validiores, quibus opus est ad nutricationem promouendam, & ad consumptionem insignem, ac celeriorem corporis: quo factum est vt calor possit viuente homine diutius a nutricatione desistere. Immo longe minori calore opus quum sit ad partes sustinendas, & loco mouendas, quam ad eas consumendas, vel etiam ad alimenta in partium naturam conuertenda; quum bruta hieme latentia, & inter abstinentes Auia Timonis, puella Tusca, Lucomori, & alij semianimes iacerent; quis adeo languidum calorem in hisce viuentibus potuisse putet tum partes absumere, quas nec attollere poterat? tum alimenta in partium substantiam conuertere, quam nec regere, aut sustinere valebat? Sed esto calor iugiter insensus nostræ substantiæ, ipsamque continenter absumat; proculdubio quum nobis viuentibus, & non febrientibus mitis, & blandus insit natiuus calor tum absolute, *Calor innatus mitis.* tum quoque ob humoris societatem, cuius lentore omnis eius vis acrior hebetari posset; substantiaque partium solidarum non ita dissolutu facilis existat, quin diu resistere valeat actiuitati caloris, & sane magis in humano corpore quam in pipere, pyrethro, sinapi, alijsque tum plantis, tum *Vide lib. 4. c. 79.* seminibus calidioribus; quum ergo videamus piper, & sinapi, & alia huiusmodi semina, licet in sacculis collecta sine alimento detineantur ad multos menses, integra tamen permanere diu absque eo quod a vehementi calore substantia corporis illa exigua consumatur; nonne statuere debemus blandum, & beneficum, minimeque mordacem, ac vno verbo temperatum calorem nostrum diu posse sine vllo nutricatu animam corpori nectere, nihil dubitantes breui tempore corporis substantiam caloris actione consumptā iri? Vlterius triplex in humano corpore calor inest, seu potius in triplici substantia; nimirum calor solidarum partium, qui fixus, implantatus, & primigenius Medicis appellatur; & est propriè temperamentum earum, seu quod in temperamento rationem formæ obtinet, vt alibi disputauimus: *Calor in nobis triplex quomodo sit.* alter est calor influens a Corde in totum corpus; *Lib. de or. an. hum. Lib. de vita.* hic autem geminus est, alter spiritibus innixus a sinistro cordis ventriculo in arterias delabitur; alter vero sanguinea massa contentus a dextro ventriculo per venas diffluens; *Calor influēs quotuplex, quæue sit.* quo nomine sapienter Hippocrates Cordis ventriculos appellat fontes humanæ naturæ, vnde prodeunt flumina (venas, & arterias intelligit) quibus vniuersum corpus irrigatur: *Lib. de Corde.* tres autem hi calores sunt instrumenta deseruientia animæ in omni opere, sed inuicem subordinata, duo quidem necessaria, tertium instrumentum est ad bene esse; necessarium quidem instrumentum, sine quo nihil operatur anima vegetalis (de cuius functione loquimur) est calor primigenius, qui vsque adeo animæ coniunctus est in omni opere suo, vt Hippocrates, & Galenus ipsum dignentur nomine, ac muneribus, & priuilegijs animæ: *Calor vt anima informat ad vita opera.* sed hoc placitum medico artifici seniato, supra vim corporeā, & elementarem sese non attollenti condonandum est: *Cur Hippocrati, et Galeno calor vocetur anima.* Quum autem calor hic sit veluti forma, & actus primus, atque habitus, propterea de se *De trem. palp. c. 6.* immediate fere nihil efficit, nisi ad actum secundum suscitetur a calore influente cum spiritu per arterias; *Calor primigenius veluti forma.* cuius rei signum illud est euidentissimum, quod vincta qualibet arteria, vel secta, vel quomodocumque secus impedito fluxu spiritus a Corde ad partes alias, membra quæcunque influente illo calore priuantur, statim ab omni opere cessant, nec beneficio proprij caloris fixi quidquam moliri possunt; vbi autem illis restituatur caloris a corde fluxus, ea denuo redeunt ad consueta munia; quibus si præter calorem spiritalem, & arteriosum affluat etiam calor sanguineæ massæ per venas, eius consortio adhuc magis roborantur, & promptius suis funguntur officijs; verum quoniam aliquæ partes in corpore sunt, *Ventriculo sanguis venosus quō necessarius nō sit.* quæ citra sanguinis venosi præsentiam, dummodo arterioso gaudeant, suas operationes edere possunt, vt ventriculus; & omnes in sui nutricatione sanguine vtuntur, veluti materia, non vt efficiente; *Ossi partes vt vtātur sanguine.* propterea calor venosi sanguinis inter necessaria instrumenta non connumeratur. Hæc quum ita se habeant, si loquamur de calore fixo, hic diu absque nutricatu consistere potest, tum quia ipse alimentis non reperatur deperditus; tū quia ex se substantiam corporis non consumens, vel admodum lente consumens ob virium temperiem; tactui nanque temperatissimas, ac potius tepidas quam calidas experiens carnes, partesque alias, a quibus recessit sanguis, & cum sanguine calor influens; vti sunt partes externæ in

umore:

timore: Cui calori fixo si addas calorem influentem arteriosum, e duobus tertius fiet calor intensior, non tamen adeo acris, vt breui substantiam partium sit cōsumpturus, nisi circa nouum alimētum suas vires exerceat: huic addito etiam calore sanguinis venosi vigor magis adhuc intenditur, sed tamen ex tribus aggregatus huiusmodi calor in tantam rabiem non efferabitur, vt facile corporis naturam sit destructurus, nisi ei alimentum protinus offeras, velut offam cerbero; nam calore febrili, qui definitur apud Medicos esse natiuus calor in igneum versus, ægrotātium corpora in multos dies abstinentiam seruantia, & plerumque omne alimentum statim euomentia, non adeo absumuntur, vt propterea moriantur: multo magis itaque intra latitudinem sanitatis sine alimenti vsu penitus corpora diu viuere possunt, atque illa præsertim, quæ miti calore constant. Immo abstinentia potius caloris vires obtundit, & corporis dissolutionem impediens, ceteris consentientibus vitam producit; nam alimentum augendo sanguinem tum venosum, tum quoque arteriosum, stimulos, ac vires calori addit, ipsumque reddit consumendo corpori aptiorem: Igitur calor, quantum sit ratione sui, absolute crebrum alimenti vsum non postulat, vt corporis substantiam minus absumendo vitam diuturniori tempore durare permittat. Sed abstinentia si quis contendat corpus exsiccari, & calorem intendi; quum ex intensione caloris in animali febris exoriatur; profecto abstinentes nostros febre carentes non exsiccari verisimile est; quum autem nutricatione vertantur humores in substantiam solidarum partium, atque necessario exsiccentur corpora; plane ipsos eodem tempore non ali probabile est. Tādem huic dogmati aliquam fortasse lucem afferent mista inanimata corpora; ea enim propriam esse obtinēt in specie determinata, licet sit hoc infra vitæ conditionem; sunt nihilominus nobiscum corpora mista ex quatuor elementis, & proprium temperamentum habent ex quatuor primis qualitatibus exoriens, & non corrumpuntur nisi propriū sui caloris gradum amittentia, qui Aristotele autore in omni misto ceu forma, & vinculum coniuncta continet elementa reliqua, eumque suæ speciei conuenientem gradum caloris non amittunt, nisi calore, post dissolutionem humidi, quo deorsum continebatur, ad superas sedes sibi consentaneas euolante, vel ab humidi copia suffocato, vel a contrario frigore vehementiori extincto; quæ sunt etiam caussæ mortis animatorum ex Aristotele: Quum igitur in mistis anima carentibus non solum ignis in mistione, verum etiā calor in temperamento intensioris actiuitatis esse valeat quam calor noster (quis enim ambigat mistorum inanimatorum sulphur, aquam vitæ nuncupatam, oleum sulphuris, & alia multa caliditatem nostra longe magis actuosam, & acrem obtinere?) videntes nos passim horum calorem diu cum proprio subiecto permanere sine huius ab illo consumptione tali, vnde corrumpatur in aliam speciem, licet nunquam in locum absumptæ substantiæ aliquid reponamus, quod vices gerat alimenti; quid ni potiori argumento cōcludamus mitiorem calorem hominis, etiamsi nullus intercedat alimentorum vsus, diu posse corporis naturam viuentem cum anima conseruare? Sane hoc eo magis concludendum est, quo nostri corporis substantia solidior est, ac dissolutu difficilior, quam materia fluxilis oleorum, & aquarum calidissimo temperamento pollētium. Ergo vel caloris natiui ratione possunt diutius viuere homines absque eo quod alantur.

Calor febrilis qd.

Abstinentia vim caloris hebetat.

Vide li. 4. cap. 57. & sequens.

Nutricatio quomodo exsiccet.

Inanimata vt & animata corrumuntur

2. de gen. t. 50.

De long. & br. vit. De iu. & senec. c. 3. & seq.

Posse diuturnam nos agere vitam citra nutricatum, ex ratione vitæ, seu viuentis totius, quod ex anima & corpore mediante calore constituitur. Cap. XX.

Verum si vniuersum quoque vitæ habitum spectemus, qui totius viuentis essentiā definitur ab Aristotele, nihilominus diuturnæ cessationis ab omni alimentorum vsu, ac speciatim a nutriendi munere capacem comperiemus; in primis enim quum huius habitus essentia triplici exposito fundamento adeo nitatur, ut in uitæ natura nihil præter animam, corpus, & calorem illam huic adnectentem reperiri possit; sane quæcunque uiuenti affectiones inerunt, qua uiuens est, ei non nisi ratione animæ, aut corporis, aut caloris inesse poterunt; quod & alijs quibusque compositis commune est, nimirum passiones omnes composito accidere aut ex materia, aut ex forma, aut ex dispositionibus nectentibus naturas illas in unum suppositum: unde quoque uulgo consuetum est dici absolute de accidentium origine, ut quæ maxima ex parte a forma pendeant, Quod tribuit formam compositis etiam dare consequentia formam: Quum igitur sat superque ostensum fuerit breuitatem ocij a nutricatione haud necessario prodire ab anima, uel a corpore, uel a calore natiuo, seu potius diuturnitatem cessationis a nutriendi munere hominibus conuenire posse tum ratione animæ, tum ex parte corporis, tum etiam ex officio caloris innati; necessario colligendum est hominem diu posse a nutricatione uacare, habita ratione totius essentiæ uitæ. Deinde omne subiectum, siue sit substantia, siue sit accidens; nanque accidentia inuicem multa sunt subordinata, ut alterum in altero immediate sit uelut in subiecto proximo, sic in superficie color, lÿquor, & alia: omne inquam subiectum, sua pte natura capax alicuius generici accidētis, indifferenter se habet ad omnes illius species, ac differentias, quamuis inuicem oppositas; ut corpus coloris generatim quū sit susceptibile, ideo album, & nigrum promiscue induere potest; & ita de ceteris: Quum ergo uitæ natura substantia sit, tempori, ut alijs plerisque subiacet accidentibus: quamobrem uita tum operans, tum quoque in ocio degens æque omnibus differentijs, ac speciebus temporis, præsertimque breui, & longo tempori absolute, quantum sit ratione sui, subijci poterit: si ergo de ratione uitæ est, aut saltem

2. de an. t. 35. Vide li. 4. cap. 70.

Vnde passiones insint cuique composito.

Accidentiū origo.

Accidens vt sit accidenti subiectum.

Corpus sit sæpe ceptiuū esse caloris generatim.

sia ra-

ni a ratione vitæ alienum non est posse biduum a nutriendi munere ociari, pariter ab ea dissentaneum haud erit posse bimum, & amplius a nutricatu vacare. Insuper quæcumque agentia possunt suam aliquam functionem breui tempore intermittere, possunt necessario ab ea longiori tractu etiam cessare, quantum sit de ratione agentium, nisi quid aliud obstet: Quum ergo valeat, immo vero debeat vegetalis vita nutricationem interponere ob multas rationes alibi allatas; procul dubio æque poterit ex se in tali ocio & breue, & longum tempus transigere. Demum habitus vniuersæ vitæ eodem modo se habet ad suas operationes omnes; neque vlla ratio assignari potest ex parte vitæ, ob quam oporteat viuens in hac diutius quam in illa sui functione posse morari: si ergo vi a diu potest ociari ab augumentatione, a generatione prolis, & ab alijs omnibus suis operationibus, cur eidem interdictum sit æque a nutriendi functione ociari? Necessario itaque concludendum est posse hominem ratione dicta ex natura vitæ diutius a nutriendi munere supersedere.

Lib. de vita.

Diu intermitti posse nutricationem ab homine ratione ipsiusmet nutricationis. Cap. XXI.

NOn aliter censeas de proposito, si ad ipsiusmet functionis naturam te conuertas, nimirum alendi operationem posse diuturno tempore intermitti citra vitæ discrimen: primo siquidem operationes omnes interpollatæ, ac potissimum quæ determinata mensura semper non admetiuntur, promiscue breuem, ac longam intercapedinem temporis in se admittunt; sic possumus ad libitum legendi, scribendi, psallendi, & plurimas id generis actiones ad annum, & vltra intermittere æque atque ad diem, aut mensem; quum ergo nutricatio ex alibi demonstratis, quæ non opus est hoc in libro repetere, sit operatio interpollata; procul dubio poterit & ipsa, quantum sit ratione sui, consimiliter & ad breue, & ad longum tempus intermitti. Præterea quies, & motus eodem modo se habent ad tempus quoad durationem; vtrumque siquidem pariter longo, breuique tempore admetiri potest Aristotelis decreto; quum itaque priuatio, seu cessatio a nutriendi munere sit quies illius motus, qui in operatione alendi reperitur; profecto si de natura nutricationis est hominem posse ad longum tempus eam obire, nihilominus de illius natura erit, quum intermittitur, eundem posse ab ea diutius ociari. Addere liceat, quum vita subcœlestis, ac proinde omnis eius operatio, præsertimque nutriendi functio sit ortui, & interitui obnoxia; nutricationem cuiuslibet viuentis aliquando incœpisse, quum antea nunquam multo tempore non fuerit, & aliquando finiendam, quum postea nunquam perpetuo futura sit; si ergo de ratione nutricationis est antequam incipiat, & postquam finita fuerit ex toto, posse longissimo tempore non edi; quid prohibebit eam in viuente homine intermissam aliquot mensibus, & annis ocio, & quieti cedere? nihil certe, quod ad nutricationis intimam naturam per se pertineat. Deinceps & ex Aristotele habemus inter omnes operationes vitæ subcœlestis vnam contemplationem esse ceterarum assiduissimam; contemplari siquidem assidue magis possumus, quam aliud quippiam operari; quod axioma latius alibi explicauimus; Quum ergo nemo in semetipso non experiri possit se ad multos annos pro nutu suæ voluntatis ab omni contemplatione vacare posse, ac necessario vacauisse primis ætatibus; quis non asseueret a nutricatione posse homines diutius vacare, quæ functio non est sic assidua, vt Aristoteli dicitur esse contemplatio? Demum nutriendi operationem, quæ est conuersio alimenti digesti in substantiam viuentis, necessarium est præire multas coctiones, & distributiones alimenti, quibus obeundis temporis differentia efflatu digna necessario impenditur, ea ratione vt si quæ in stomacho sit coctio, quaternis horis editur, secunda in hepate paullo paucioribus completur, distributioque cocti alimenti per venas in vniuersum corpus momentanea quoque non est, vt propterea ab esu ad actum nutriendi non infra diem intersit interstitij: vnde liquido constat nutriendi functionem euidenter esse interpollatam: quam sententiam aperte habeas apud Galenum scribentem, si in somnis sanguis, & cum eo naturale calidum interius abditur, in vigilia vero ad extima profunditur, quæ in ventriculo, & iecore sunt, per quietem concoquentur, in vigilia vero totum corpus aletur: si ergo nudam spectare volueris naturam functionis alendi, iam diffiteri non poteris vel eius merito posse homines diutius, hoc est ad multos menses, & annos ab ea ociari.

Vide lib. 4.c.81.

Lib. de vita.

Quies & motus eodem modo se habent ad tempus. 4.phy.t. 113.

10 ethic. 7.

Vita functio assiduissima, quæ sit.

Lib. de vita cap. 14.

Nutricatio quid.

Ab esu ad actum nutriendi quid intersit temporis.

5. in 6. Epid. c.32.

Nutriendi functio est interpollata.

Diu posse intermitti functionem alendi ratione humoris, qui calori subditus esse dicitur, & omnino ratione spirituum. Cap. XXII.

QVamuis humor continens huc apud nos calorem natiuum appellatum, ad rationem corporis proxime accedere videatur, vt propterea ijsdem rationibus, & humor arguat diuturnum ocium ab alendi functione, quibus & corpus militasse visum est supra; quia tamen propriam obtinet hic humor naturam a natura corporis distinctam in ratione vitæ; quippe corpus est alterum ex principijs internis, ac primarijs, immediatisque, vnde constituitur essentia viuentis; humor autem haud ita intime, proximeque vitam constituit, qui solum calori hic apud nos detinendo inseruit: propterea propriæ sunt hoc loco etiam rationes afferendæ, si quas habeat humor intermissionem nutricationis comprobantes: hæ certe duæ sunt, maximique momenti, quas breuiter hic afferemus infra commodiori loco fusius explicaturi: prior quidem est, quia humor calorem natiuum continens in viuente non est in indiuisibili positus, sed magnam obtinet latitudinem, vt non possit cito a calore consumi, cuius actioni etiam resistit visciditate sua; quum autem nutricatio videatur in eum etiam finem concessa vi-

Cap. 43. & seqq.

Humor non est in indiuisibili.

sa vi-

sa viuentibus, vt retardaretur humidi cōsumptio a calore, qui ad alimenta solet auocari; profecto vel ociante facultate alente calor non adeo cito humorem absumet, quin hic illius tyrannidem ad longum tempus in viuente sustinere valeat; videmus enim vulgo misturam e resina, pice, alijsque similibus diutius vim ignis tolerare in vocatis ignibus artificialibus: posterior autem ratio est, quia in viuente calor ea proportione humori coniungi potest, vt hic ab illo non consumatur; humore scilicet habente vim resistendi vniuersæ caloris actiuitati; quod eo facilius contingere potest, quo calor in nobis blandus est, ac mitis longe infra vires ignis vulgati robur obtinens; humor autem, cum alligatur viscidus est, ac lentus, dissolutuque difficilis, & caloris moderati viribus resistens: sed hæc oportuniori loco fusius explicabuntur infra. *Cap. 53. & seq.* Potest igitur & ratione humoris, cuius consumptioni a calore natura cō suluit nutricatione, alendi functio diutius intermitti. Quod autem de humore dictum est, idipsum de spiritibus est asserendum, qui sui copia calori præsertim debiliori iuncti reluctantur ad multam temporis intercapedinem. Deinde vt sine spiritibus diu viuunt plantæ, suæque vitæ munia exercent; ita sane animalibus ad nutricatum, & longe magis ad vitam spirituum non est opus, quorum opera sensui, ac motui plane necessaria est: quod vel inde constet, quia spiritus vitales, & animales à corde, ac cerebro influentes dati sunt a natura viuentibus, quibus nulli sunt naturales influentes ab hepate, vel fixi partibus solidis (quicquid aliqui medicorum existimauerint.) Quo fit vel consumptis a calore, vel extinctis a frigore spiritibus, diu viui possit; quod Timonis auiæ, Lucomoris, & exolutis contigisse nouimus: vt spiritus non ad vitam simpliciter necessarij sint, alioquin & plantis inessent, sed ad sensum, & motum, sine quibus multi diu vixere abstinentes: sed qui ieiunantes sensu, ac motu pollent, in ijs vitales, animalesque spiritus eandem cum calore proportionem, quam humor, habere possunt, ob quam sine alimentorum vsu diu conseruentur. Neque etiam Vallesio damus necessario indigere corpora ad retinendas vires recenti cibo, & potu, vt spiritus reficiatur, alioqui animo, viribusque linqui homines, etsi sint pleni succis: etenim e succis bonis actione caloris iugiter noui spiritus gigni possunt sine recentis alimenti vsura; quippe sunt spiritus nil aliud quam sanguinis portio tenuior, & a prædominio ignea, vel si mauis aerea: quis autem ambigat iugi caloris in sanguinem actione hunc succum in spiritus conuerti? quis non inficiabitur oriri spiritus proxime e recenti cibo, potuque? ex ingestis enim externis primo fit chylus in stomacho, ex chylo deinde sanguis in hepate, & e sanguine demum spiritus in corde omnibus Medicis. Sic ergo sex e naturæ fontibus dudum apertis, anima scilicet, corpore, calore, vita, nutriendi functione, ac humore radicali appellato, hausimus ideam vniuersalem admirandi huius ieiunij esse abstinentiam ab omni alimentorum vsu, ac speciatim ocium nutricationis.

Confirmatur diu sine opera nutricatus viuere posse homines de sententia principum autorum, ac primum Hippocratis. Cap. XXIII.

AGenuinæ naturę Principes, ac summos Dictatores adeamus, si tale quid vnquam in proposito cogitauerint, quo eductum iā dogma ex natura rei aliqua ex parte illustrari, & confirmari valeat; ne sine aliquo ex præcipuis Ducibus temerario conatu audere videar contra innumerabilem doctorum hominum exercitum solus inire pugnam litterariam. Prodeat igitur ante omnes vetustissimus autor Hippocrates, qui vel vnico principio maximum nobis affert emolumentum; scribens etenim aliquando apertissime in hanc sententiam, *Lib. de Flatib.* qui alioquin obscura quædam, & breuia Philosophiæ, ac Medicinæ fundamenta, & quasi prima semina iacere consueuit, *Stilus Hippocratis.* nihil fuse, vel aperte explicare, non leue argumentum præbet de veritate propositi: *Tanta* (inquit) *omnibus corporibus spiritus necessitas extat, vt si quidem ab omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: si cui vero spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat; vt vel hinc quanto vsui spiritus corpori sit liceat æstimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines; multæ enim sunt mutationes in vita; verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum ducere, ac rursum exhalare. Vides ergo ex his, quæ dixi, quanta communio omnibus animantibus in fruendo aere existat.* Hæc ille. Quorum *Locus Hippocratis explicatur.* interpretationi breuibus insistentes vnicuique patere arbitramur in allatis conferre Hippocratem aeris inspirati substantiam cum cibo & potu; atque ipsiusmet respirationis naturam cum ceteris vitæ operationibus: Sane primam aeris, & cibi, potusque collationem faciens inquit Hippocrates hominem posse duos, vel tres, vel plures dies a cibi, potusque ingestione abstinere; at eundem non posse vel breuem vnius diei partem sine aeris inspiratione transigere; sapienter quidem duos, vel tres dies, vel plures indeterminate dixit hominem citra cibi, potusque assumptionem viuere posse, significans tum breui, tum etiā longo tempore absque vlla determinatione pro varietate naturæ posse homines ab alimento externo penitus abstinere. Consimiliter in secunda comparatione inquit homines aliquando ab omnibus operibus immunes quiescere, præterquam ab actione respirandi, a qua penitus cessare nequeunt; atque hic scite admonet homines ab omni operatione immunes quiescere *aliquando*, quæ particula indefinite cum breue, tum longum tēpus connotat; nam præterquam a munere respirandi, ab alijs functionibus potest homo, ac proinde quoque a nutriendi officio *aliquando*, nempe tum breui, tum longo tempore ociari; quippe a respiratione haud nisi breui tempore feriari possu-

Idipsum confirmatur ex eodem Galeno propositam Cornelij sententiam approbante. Cap. XXVI.

Vide lib. 4. cap. 82.

QVem modo vidimus more suo Hippocratis Coi dogmata explicantem, eundem habemus Galenum Cornelij placita varijs in locis corroborantem, nam alicubi legimus *Atrophiam, quę tum in toto animali, tum quoque in vna eius particula fieri potest, esse frustrationem in actione nutriendi*. Quin & alibi scribitur; *In nutriendi actione priuatio quidem actionis in atrophia est; deficiens vero nutritio in gracilitate; vitiosa in leucis, & elephantiasi cernitur.* Deinde subdit; *Naturalium actionum prima, ac propemodum omnium maxime necessaria nutritio est: quæ quidem frustratur quum vel prorsus non fit, vel intra iustum modum, vitiose ve fit; defectu vero in atrophijs, quæque ob defectum, quæque ob priuationem vocantur:* Deinceps addidit; *Priuatio actionis digerendi alimenti in corpus atrophiam necessario inducit.* Præterea etiam alibi scribitur *Atrophia esse affectus, in quo corpus non nutritur; insuper & particulas, quæ ex nutrimento fructum non sentiunt, atrophusas Græcis appellari*: Viterius *Medicum quendam quinquagenarium, quum iam septimam noctem ægrotaret, nec viribus admodum valentibus esset, dolore illi capitis vehementi oborto in dextro potissimum tempore, non expectantem, dum amicorum quispiam ad se veniret, sibi ipsi nocte venam incidisse; itaque dolorem illi protinus conquieuisse; ceterum longo tempore tum decolorem, tum viribus imbecillum, tum exilem mansisse, aliqne corpus eius desiisse, (ἀτροφεῖν Græci vocant) sic vt vix pristinum habitum receperit:* Posterius autem *dicitur atrophia esse quum corpus ali desinis*. Denique alias de proposito differit Galenus dum statuit atrophiam esse quum corpus ex alimento fructum non sentit, & securasse multos, quorum corpori longo tempore nihil ex alimento accessit, ἀτροφοῦντας Græci vocant. Vt iam nihil manifestius ex Galeno habere possimus, quam homines diu viuere posse ociantes a munere nutricationis.

3. de symp. diff. cap. 4.
3. de symp. caus. cap. 1.
Symptomata nutricationis læsa.
Cap. 2.
Cap. vlt.
1. meth. cap. 9.
Atrophia quid.
7. meth. cap. 7.
12. meth. cap. 1.
14. meth. cap. 15.
3. de sani. tuen. c. vlt.
5. de sani. tuen. c. 3.

Confirmatur hominem sine actione alendi consistere posse diu de mente Galeni ex comm. 15. aphoris. 1. sectionis. Cap. XXVII.

NEque vero præterire possumus illustrem Galeni sententiam, ex qua præclare admodũ colligere licet posse homines diu alendi functionem intermittere; quum enim scribat Hippocrates ventres hieme naturali calore maxime pollere, atque ideo tunc temporis corpora pluribus indigere alimentis; Galenus hoc assertum explicãs ait ab hoc censu excipienda esse animalia, quæ in latibulis degunt, quæ totam hiemem inedia transigunt; cuius rei optimam rationem, & illustre proponit exemplum: *Quemadmodum enim* (ait) *contingit hominum generi ex balneo frigida, vt qui gracile corpus habuerint, caloremque debilem, a frigida lotione valde patiantur, ac refrigerentur adeo vt nequeant postea caloris munia integre obire; qui vero contra carnoso corporis habitu, multoque, ac vegeto calore pollent, ijs concentratus calor, prohibitusque foras egredi maxime virescat, vnde promptiores ad vitæ munia euadunt; ita prorsus ab aeris hiberni frigore animalia calidiora concentrato calore, ac viuidiori reddito vberioris alimentorum copiæ indigere; quæ vero imbecillo calore constant, his calorem ab ambientis frigore adeo lædi, vt fere extinguatur; quamobrem plurima ipsorum similia mortuis apparent, quum sine sensu, & motu in latibulis iaceant; quædam vero in hoc ipso affectu penitus extincto calore moriuntur:* Quum autem alendi functio, quæ multiplici alimenti coctione, transmutationeque, ac excrementorum expulsione perficitur, vegeti caloris opera necessario indigeat; & vegetioris quam motus localis, quo nomine vel ipse Aristoteles non vno in loco nutricationi præfecit calorem, quem vegetum designans appellauit ignem; animamque in parte nutrimenti coctioni dicata ignitam esse non alia de caussa scribit, quam indicaturus ad functionem alendi tum plantis, tum quoque animalibus viuido, præpotentique calore opus esse: quibus ergo animalibus ab hiberno frigore calor adeo labefactatur, vt pene extinctus ea non possit loco mouere, sed veluti mortua in latibulis totam hiemem iacere sinat; ille multo minus in ipsis alimentum in corporis substantiam conuertere, ac nutriendi functionem celebrare poterit: quod aperte indicat Galenus asserens *animalia hæc hieme latentia mortuis videri similia, & sine vllo sensu, aut motu*, nimirum sine sensu quoque suctionis, & sine motu alimenti, qui nutricatio est apud Aristotelem: Quin & asseuerans *quædam præ nimio frigore penitus commori*; si enim adeo ijs calor ab externo frigore patitur vt quibusdam penitus extinctus mortem accersat; proculdubio ceteris, quæ mortuorum instar prostrata iacent, calor adeo labefactari dicendus est, vt alimenti coctioni, transmutationique, ac proinde nutricationi vires nõ habeat vllo pacto sufficientes: Galeno igitur animalia hieme latentia, iacentiaque semimortua ob summam caloris imbecillitatem, deiectionẽque ab inimico frigore alendi functionem exercere nequeunt: Quum autem inter huiusmodi animalia non solum bruta reperiantur, sed ex hominum genere quoque non pauci; namque præter auiam, nutricem ve Timonis, quæ quotannis hieme bimestre tempus Vrsarum more in Ciliciæ speluncis delitescebat iacens semianimis vt vix sola respiratione viuere dignosceretur; etiam nunc in vlteriori Sarmatia Lucomoriæ populos totam hiemem, quæ illis ad quinque menses producitur, quotannis iacere mortuorum, ac serpentium instar sine sensu, motu, ac respiratione vlla frigidos, immo potius rigidos, & conglaciatos compertum habemus, vt satis constat ex superioribus: Quum igitur eadem affectio in homine, atque in brutis latentibus hieme reperiri possit; Galeno brutis hieme latentibus interdicente nutriendi functionem ob caloris maximam eneruationem prope accedentem

1. aph. 15.
2. de an. t. 40. & 50.
De iuu. & sen. cap. 4.
Nutricationi calore vegeto ri opus esse, quam motui.
2. de an. t. 13.
Motus alimẽti quid.
Lib. 1. c. 6.

ad ex-

ad extinctionem; poterimus & nos de mente, ac ex doctrina Galeni colligere diu posse homines ab alendi functione penitus vacare.

Operationem virtutis nutritiuæ in atrophia intermitti ex Auicennæ sententia. Cap. XXVIII.

PRinceps Arabum Auicennas, qui ex omni antiquitate meliores Medicinæ fructus deligens, atque in vnum quasi horreũ colligens, quæ præsertim fusius a Galeno explicantur omni studio ad breuia quædam capita redigere contendens, hac in re a Galeni, Celsiq; sententia non deflectens decernit in atrophia partes alimento priuari, ac proinde a nutriendi munere penitus ociari, dum inquit. *Si fallat nutritiuæ facultatis operatio eo quod partibus non adueniat alimentum, atrophiam fieri:* Quum autem certum sit diutius posse viuentem hominem atrophia laborare, manifesto etiam ex Auicenna constet nihil impedire quominus queant homines absolute diu multumque a nutriendi operatione vacare; quod in præsentia contendimus.

Lib. 1. f. 1. doct. 3. c. 2.

Atrophia ergo ex Auicenna.

Aristoteli quoque priuatum actione nutriendi hominem viuere posse in textu 13. libr. 2. de anima. Cap. XXIX.

HVic veritati Aristotelem pluribus in locis manus dedisse compertũ habemus, quæ nobis nunc sigillatim explicanda sunt; atque in primis textus 13. lib. 2. de anima, vbi sermo ex rei natura cõtemplationem propositi aggressus, *Dicamus igitur* (ait) *principium accipientes considerationis, determinari animatum ab inanimato ipso viuere.* Ex quo primo dogmate cuique satis aperte constat omne animatum, quomodocunque animatum sit, proprie vitam habere. *Multipliciter autem* (subdit) *ipso viuere dicto, & si vnum aliquid horum insit solum, viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundum locum: adhuc autem motus secundum alimentum, & augumentum, & decrementum.* Quibus manifestũ est Aristoteli primum scindi ipsum viuere in varias, multiplicesque aut differentias, siue acciden tales, siue substantiales, nihil in præsentia referat ad nostrum negocium; aut species, siue analogas, siue æquiuocas, neque nostra similiter intersit; dummodo habeamus ex Aristotele quod vere animatum est, ac viuit, multifariam viuere posse: Deinde vero perspicuis verbis admonet Aristoteles ex multis, vnde vita multiplex esse dicitur, non oportere plura in singulo viuente reperiri, sed sufficere vnum aliquod horum solũ, quodcunque illud sit, in eo inesse ad hoc vt vere viuat, & proprie sit animatum: Tandem enumerans hæc multa, quorum vnumquodque seorsum in aliquo existens, ipsum viuere facit, ait Aristoteles esse *vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundum locum, adhuc autem motus secundum alimentum, & augumentum, & decrementum:* Quibus siue dicamus Aristotelem significare operationes vitæ, siue vt alij volunt, vitæ differentias, siue demum animæ facultates, quas appellant alij potentias, alij partes, alij gradus animæ, vbique ipsum comperiemus proposito nostro apertissime suffragari; atq; vt a primis exordiamur, si viuere dicuntur, quibus vnica tantum ex multis enumeratis vitæ operationibus inesse dicitur; siue illa solus sit intellectus, qua viuunt Ecstatici, siue sensus, siue motus, siue status secun dum locum, siue nutricatio, siue augumentum, siue decrementum; multo magis viuere dicendi erunt ex Aristotele, qui solam nutricationem, & augumentum intermittentes intelligunt, sentiunt, mouentur, ac diminuuntur: Et sane deligẽdam non esse vnam determinate functionem ex prædictis, quæ sola possit eum vita consistere ad aliarum discrimen, vt multi accipiunt nutricationem, illud aperte demonstrat, quod Aristoteles indeterminate loquitur, & promiscue de singulis; ait enim, & si vnum aliquid horum insit solum, viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundum locum, & reliqua. Deinde vere si propositas dicamus esse vitæ differentias, nimirum accidentales; nam augumenti ætas vitam non variat essentialiter ab ea, quæ conuenit ætati decrementi: quippe Aristoteli mutatio pueri in virum in eodem numero supposito fit secundum essentiam nõ mutato: nec motus essentiam vitæ variat, quæ prius cum quiete inerat, siquidem homo idem numero eandem essentiam vitæ obtinet quiescens, & ambulans; crescens, consistentis ætatis, & in senectute decrescens; sufficiet profecto ex Aristotele homini ad hoc vt viuat absolute, si habuerit vitam decrescentem, motus, ac status participẽ, sentientem, ac intelligẽtem, etiamsi priuetur ad multum temporis vita nutricationis, & augumenti; quum ipse vnam tantum ex his; quæcunque sit illa, satis esse dicat ad hoc vt eam obtinens viuere dicatur. Demum si enumeratas putemus esse facultates animæ, quum certum sit eandem numero facultatem esse, qua mouemur loco, & quiescimus; eandemque pariter, qua nutrimur, augemur, ac diminuimur, solaque ratione distin gui a varietate operationis, quam obit; apud eũdem etenim Aristotelem habemus idem alimen tum ab eodem calore natiuo in virtute eiusdem facultatis per eandem functionem, quatenus substantia est, alere; quatenus autem quantum est, augere corpus; vt apertissime constet eandem penitus facultatem esse, quæ nutrit, auget, ac minuit (si diminutio inter animæ, vitæque functiones connumeranda sit cum vulgo) quum itaque nunc distincte sumat Aristoteles unamquamque facultatem ex enumeratis, necessario illas concipit ut ratione distinctas diuersis operationibus addictas; nimirum uegetatricem ut solum diminuentem, ut solum alentem, ut insuper augentem; sensitricem ut solum mouentem, ut solum quiescere facientem, ut solum sentientem, & sic de reliquis: quare inquiens multiplici existente, ac multiplieiter, hoc est multiplicibus operationibus se se explicare ualente singula facultate animæ, in quocunque uel unam tãtum

Ecstatici qua vita viuant.

1. de caelo t. 107.

Eadẽ numero facultate quiescimus, & mouemur loco.

2. de an. t. 47.

Vide 2. de vita. c. 16. 3. de vita. c. 18.

ex his actionibus obeat, quæque sit illa, ipsum protinus viuens futurum, atque dicendum esse; manifesto consentit Aristoteles posse hominem alias vitæ functiones edentem a nutriendi munere ociari.

Confirmatur idipsum ex eodem Aristotele in textu 14. eiusdem operis. Cap. XXX.

SEd & in sequenti contextu ad vitã necessarium nõ esse nutriendi munus euidentissime profitetur Aristoteles, dũ inquit, *Vnde & vegetabilia omnia videntur viuere; videntur enim in seipsis habere potentiam, & principium huiusmodi, per quod augumentum, & decrementum suscipiunt secundum contraria loca: non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtraque, & omnem in partem aluntur; Et viuunt semper quousque possunt accipere alimentum:* In quibus verbis dum primo loco demonstrat Aristoteles vegetabilia omnia viuere, non quia crescant, & minuantur, & alantur in omnem partem, sed quia in seipsis habent potentiam animę, quæ principium est augumenti, decrementi, & nutricationis; aperte nos docet ad vitam necessario minime requiri augumentandi, minuendi, & nutriendi functionem, sed sufficere principium harum operationum in actu primo corpori

2. de an. t. 13.

coniunctum: secus enim qui paullo ante sibi naturam animæ ab obscuris naturæ, nobis autem manifestioribus indagandam proposuerat, immemor propositi a notioribus naturæ, & nobis ignotioribus vicissim exorsus esset; siquidem potentia, quæ est principium augumenti, decrementi, & nutricationis, nobis ignotior est, & naturæ vt prior, ita quoque notior; & eo magis, quo ab essentia animæ re non distinguitur.

Potẽtia re non distinguitur ab essentia animæ.

Amplius si æque ad vitam necessaria est functio, atque functionis principium, vt sine alterutro consimiliter viui nequeat; multo equidem magis a manifestioribus nobis demonstrarentur vegetabilia viuere, quia nutriantur, crescant, & minuantur, quam quia in seipsis habeant principium augumenti, decrementi, & nutricationis; cur ergo qui proxime nobis promiserat Aristoteles in hac re se a manifestioribus nobis progressurum, promissis non stetit, nosque tam cito fefellit? certe ab operationibus argumentum non petijt demonstraturus vegetabilia viuere, nonnisi quia vitam videbat sine augumento, decrementoque, ac citra nutricationem posse consistere. Dum vero postea scribit *vegetabilia viuere semper, quousque possunt accipere alimentum,* liquido & hoc ipsum testatur; cur enim haud inquit ea viuere semper, quousque accipiunt actu alimentum, sed quousque possunt illud accipere? profecto nonnisi quia etiamsi non accipiant alimentum, & quamuis omnino a nutriendi functione ocientur, dummodo in seipsis potentiam illam animæ obtineant, quæ principium est nutricationis, semper proprie viuere dicuntur; quippe vita consistit in participatione sola eius potentiæ, non autem in operatione, quæ ab huiusmodi principio prodire potest. Alioquin si nutriendi functio ad vitam necessaria esset, cur ab ea veluti a nobis notiori, vt dudum pollicitus fuerat, non duxit argumentum hoc in loco Aristoteles? immo cur a potentia claritatem venatur, vnde omnis proficiscitur obscuritas? ratio nanque intelligendi, & cognoscendi actus est Aristoteli, potentia vero vicissim eiusdem obseruatione radix est occultationis, & ignorantiæ ijs rebus omnibus, quæcunque per actum dilucidari possunt. Et quamuis hoc proprium sit maxime potentiæ passiuæ, omni tamen potentiæ absolute conuenit in relatione ad actum sibi proprium, in quem scilicet velut in finem dirigitur.

Potentia est caussa obscuritatis.

9. meta. t. 20.

9. meta. t. 35.

Nutricationem in viuente intermitti posse Aristotele autore in vltimo problemate decimæ sectionis. Cap. XXXI.

IDemmet Aristoteles quum 3. de partibus admoneat animalia sanguine carentia viuere posse diutius truncata capite ob caussam alio loco expositam, apertum facit vltimum problema sectionis decimæ, in quo de proposito disserit, genuinum esse, vt nulli dubium sit in eo contenta dogmata esse Aristotelica; inquirens igitur cur animalium alia præciso capite, vel protinus moriuntur, vel paullo post, alia minime; *an* (inquit) *ita afficiuntur, quæ sanguine carent, exiguoque cibo contenta sunt? quippe quæ neque continuo cibum desiderent, neque in humore calor eorum diffundatur; quibus rebus priuatum animal sanguine constans viuere nequit, illa vero sine respiratione viuere multo diutius possunt: caussam cur ita alias abunde reddidimus.* Quæ quidem interpretabere, quod monet ipsemet Aristoteles ex ijs, quæ alibi professus est, nimirum libello de respiratione, hunc in modum, vt duæ propositi caussæ afferantur ex eodem principio; quia duplex genus est animalium, sanguineum aliud, & aliud sanguinis expers; quæ vt in eo ambo conueniunt, quod tandiu viuant, quandiu animam retinent; & animam eousque retineant, quousque calorem, qui vinculum est, quo anima corpori adnectitur; sic in duobus præsertim a seinuicem maximopere dissident; alterum est, quod exanguia pauco cibo contenta sunt ad multum tempus; sanguinea vero longe pluris alimenti egent; alterum est, quod exanguia sine respiratione viuunt, sine qua diutius viuere sanguinea nequeunt, præsertim bene constituta; nam vltra modum refrigeratis nulla est respirandi necessitas, vt hirundinibus germanicis euenit, & Lucomoriæ populis hieme: At vtriusque huius differentiæ rationem in textu reddit Aristoteles inquiens exanguia idcirco sat habere pauci alimẽti ad multum tempus, quia continuo cibum non desiderãt, neque in humore calor eorum diffunditur, effunditurve: quæ ita accipies, animalia sanguinis expertia viuunt beneficio caloris, qui solidis ipsorũ partibus fixus est, ac non habent calorem vllum influentem a parte principe in vniuersum corpus in humoribus insidentem: At calor fixus ex se citra influentis societatem mitissimus est; nam recurrente sanguine in timore ad partes intimas, & cum eo calore influente, membra externa suo sibi

Cap. 10.

Cap. 11.

Animaliũ duo genera.

Exãguia, & sãguinea quo conueniãt & differant inuicem.

Exãguia cur pauco alimento diu viuãt

Animalia carentia sanguine quo calore viuant.

Exãguia carere calore influẽte.

Calor fixus mitissimus.

calore fixo aliquandiu sufficientia temperatissima sentiuntur, ac fere frigida: quæ itaque natura sua tum sanguine carent, tum quoque calore influente, solius fixi beneficio viuentia insecta omnia, illa exiguo, debilique admodum calore pollent; qui propterea nullius indiget refrigerij ab aere inspirato, nec fuligines tantas excitat, vt expiratione iugiter expelli debeant; paucæ nanque vim expultricem non stimulant ad excretionem: secus de sanguineis cogites animalibus, quorum duplex calor, influens nimirum, & fixus, in qualitatem intensam conspirat, quæ assiduo fere indiget refrigerio, & adeo multas excitat fuligines, quæ iugiter naturam stimulent ad expulsionem: Quo factum est vt exanguia non indigeant respiratione, cuius indiga fuit animalia sanguinem habentia. Insuper autem calor fixus ex se mitis existens, minimum substantiæ corporis depascitur, etiam vel ad multam temporis intercapedinem; quomodo enim cito debilis ille calor solidam, & crassam consumat corporis substantiam? propterea igitur contenta possunt esse pauco cibo exanguia, & diu intermissam nutricationem sustinere valent; neque assidue, ac statim vnquam cibum desiderant: Sanguinea ex aduerso, quibus calor fixus cum diffuso, effusove calore in humoribus coniunctus est, duobus caloribus in vnum coeuntibus intensum, facilius consumptionem, ac dissolutionem suæ substantiæ patiuntur; cui exterminio substantiæ oportet naturam occurrere pluri, & crebriori alimento, data proportione, quam in exanguibus.

Cur exanguia non egeant respiratione.

Hinc soluitur facile problema, nam animalium sanguinea præciso capite protinus moriuntur, vel paullo post, nec diutius superuiuunt, quia in amputatione capitis multæ, ac magnæ secantur venæ, vnde affatim maxima copia sanguinis effluit, & vna cum sanguine subtrahitur & omnino alimentum corpori, & calor influens, quem supra necessarium esse ostendimus ad coniunctionem animæ cum corpore, atque ad omnes viuentis operationes, præsertimque ad respirationem, qua diutius priuata viuere nequeūt animalia sanguinea gelu nimio non rigida: contra vero exanguia præciso capite diutius superuiuunt, quia ex vulnere affatim nihil effluit aut humoris, aut caloris ad vitam, vitæve operationes necessarij; sed, quo solo viuunt, calore fixo firmiter hærente partibus, obtruncata sine respiratione, ac sine alendi munere diutius vitam protrahere possunt.

Cur sanguinea præciso capite statim moriantur.

Exanguia cur præciso capite diu superuiuant.

Hæc omnia vero nituntur eo principio ex Aristotelis obseruatione, quod promulgatum fuerat antea libello de respiratione, scilicet Nutritiuam animam, sine qua ceteræ non sunt, in corpore absque naturali calore non esse; calorem autem vel marcescere ob defectum alimenti, vel extingui a contraria frigiditate ambientis; celerius autem id perpeti diuulsum, quam integrum: in sanguineis amputato capite, sanguineque exeunte, calor influens diuellitur a fixo; quare celerrime hic marcescit deficiente pabulo, ille vero extinguitur frigiditate ambientis; vnde protinus mors obrepit: in exanguibus vero truncatis nullo effluente calore, totus qui permanet integer in corpore diutius conseruatur, & animam corpori constantius adiunctam retinet. Ex his habemus Aristoteli animalia exanguia posse diutius nutriendi functionem intermittere nonnisi quia diutius conseruare sibi possunt calorem suum mitem, ac blandum, etiamsi obtruncentur: Quod quidem quamuis obtruncatis animalibus sanguineis non accidat ob rationes allatas, quas illud experimentum comprobat, quo compertum habemus etiam nunc apud nationes crudelitate barbara execrandas consueuisse homines discindi medios, & calce, ac igne vulneri statim admotis inducta eschara prohiberi sanguinis profusionem, quo miseri busti partes diutius in tormentis agāt, & longiorem cum morte luctam producant: animalibus tamen sanguineis etiam integris idipsum contingere, quod exanguibus obtruncatis euenire vidimus, facile haurias ex traditis ab Aristotele; nimirum quia inter homines multi esse possunt, quibus calor exilis, quantum fert hominis conditio assidue respiratione temperatus adeo cōseruatur, vt corporis substantiam vel non absumere, vel minimum absumere valeat; quos propterea, vt exanguia, diu sine cibo, & intermissa nutriendi functione viuere dicendum sit ad aures Aristotelis.

Cap. 10.

Animam nutritiuam nō sine calore in corpore esse posse.

Confirmatur hominem posse absque nutriendi operatione viuere ex definitionibus animæ ab Aristotele promulgatis. Cap. XXXII.

QVia in posteriori analysi præceperat Aristoteles quamcunque rerum definitionem assignaturis nihil nobis antiquius esse, quam claritatem, ac euidentiam propositi affectare; vt quod alijs persuaserat ipse confirmaret exemplo, iure in secundo de anima definiturus animam esse tum Actum primum corporis naturalis potentia vitam habentis; tum Principium quo viuimus, & sentimus, & mouemur loco, & intelligimus primo, ante omnia monet se nomine vitæ significaturum actiones animæ vegetalis, nempe nutricationem ex se, augumentum, decrementumque: itaque prioris definitionis sensus hic erit, Anima est actus primus corporis habentis potentiam sese nutriendi, augendi, & minuendi; quum autem huiusmodi corpus, cuius anima est actus primus, sit vere animatum ex Aristotelis decreto; satis cuique apparere potest apud Aristotelem animato corpori necessariam non esse nutriēdi operationem, sed sufficere illam habere in potentia, & proinde ipsam ab eo vel diutius intermitti posse. Posterioris vero definitionis intellectus hic erit, Anima est principium quo primo nutrimur, & augemur, & sentimus, & mouemur loco, & intelligimus; quum igitur anima, & animatum æque respiciat singulas vitæ operationes; cō similiter vt anima præditi diu possumus & intellectionem, & sensum, & motum, & augumentum intermittere; ijdem quoque a nutriendi functione diutius ociari poterimus ex Aristotelis doctrina.

2. posteri. 22. *t.6.* *t.14.* *t.3.*

Animæ definitionū sensus.

t.10.

Anima æque respicit vitæ functiones.

Dedu-

Deducitur hoc ipsum ex trigesimosexto secundi de anima. Cap. XXXIII.

Anima vt sit caussa triplicis generis.

NEque difficile hoc idem nobis erit colligere ex iis, quæ profitetur Aristoteles inferius contextu trigesimosexto, & sequenti; vbi scribitur anima viuentis corporis caussa esse, ac principium triplici modo, nempe vt finis, vt forma, vt efficiens; siquidem corpus viuẽs primum gignitur, deinde est, deinceps operatur; operatio enim vbique sequitur essentiam, & essentia originem in nostratibus; profecto viuentis corporis, quod generatur, anima est finis; est enim terminus ad quem tendit eius generatio, & vltimum illud bonum, gratia cuius generans suo munere fungitur; quam rationem finis in anima humana suo loco insinuauit Aristoteles inquiens rationalem animam post omnes alias in generatione hominis fetui aduenire, quia propria cuiusque forma est finis suæ generationis, finis autem est vltimum in omni motu: At vero eiusdem viuentis corporis geniti, quod existit, anima est forma, quum enim forma definiatur esse ratio eius quod quid erat esse, hoc est caussa interna quidditatis quantum ad esse, & hoc ad materiæ discrimen, quæ rebus caussa est vt esse, ac non esse possint; anima est caussa vitæ, quæ viuentibus esse definitur: Demum si corpus viuens consideres in vltimo statu, quando iam operatur, in eo anima est causa efficiens omnium operationum, siue illæ omni viuenti communes existant, siue non: Ex his aperte constat vitam, quę ab anima veluti a forma prodit, tum præcedere omnes functiones, quæ ab anima ceu ab effectrice caussa proficiscuntur in vltimo statu viuentis corporis, & speciatim nutricationem; tum ab illis non dependere; tum denum ipsis non indigere: quum autem priora, & independentia, & non indiga, diu esse possint ex se; fateri necessarium sit ex Aristotele, corpora viuentia, vt reliquas vitę functiones singulas, ita & nutriendi munus diu intermittere posse.

Actio essentiam sequitur, & hæc originem.

Anima vt sit finis viuentis.

2. de gen. an. cap. 3.

Anima vt sit forma viuentis.

2. phy. t. 28.

Formæ definitio explicata.

2. de an. t. 36.

Anima vt sit caussa efficiens.

Adiicitur his definitio vitæ in Paruis naturalibus exarata propositam intermissionem nutricationis adstruens. Cap. XXXIV.

De vita & mort. cap. 14.

HVc ea etiam pertinere videntur, quæ de natura vitæ in opusculis Paruorum naturalium ab eodem Aristotele proponuntur; nimirum Generationem viuentis esse primam participationem nutritiuæ animæ cum calore, vitam autem esse mansionem, siue moram huius ipsius: Quum enim generatio viuentis tota penitus a nutricatu absoluatur, siquidem non alitur Aristoteli nisi viuens iam sit; nondum autem est dum quidpiam gignitur; quippe finis generationis est esse rei genitæ: imo quum generatio viuentis hic ab Aristotele ponatur in prima participatione animæ nutritiuæ ante omnem nutricationem; statuens ipsemet immediate vitam esse mansionem, seu moram huius ipsius, cuius proxime dixerat generationem esse primam participationem, cui non videatur Aristoteles vitam ab omni nutriendi functione absoluere, perinde ac generationem, nulli certe, qui mente polleat: Quum itaque vitæ natura nutricationem haud magis includat, quam generatio viuentis; dubio procul vt generatio absque nutricatu celebrari potest, sic vita etiam diu durare valet sine alendi munere.

Generatio viuentis quid sit.

2. de an. t. 46.

Finis generationis est ipsum esse.

Aristoteli hoc ipsum placuisse in primo Magnorum Moralium. Cap. XXXV.

EVidentiorem sane legas huiusmodi sententiam ex Aristotele in quinto primi Magnorum Moralium, vbi animam nutrientem igni comparans inquit, *Nutrientis partis animæ actio ab electione non est, nam in huiusmodi parte impulsus esse non videtur; sed igni videtur esse consimilis, cui quicquid immerseris, absumet: at si non obieceris, ne quidem ad capiendum impellitur: ita hæc habet pars animæ, vt si alimentum obiicias, alat; sin minus, ne quidem ad alendum commoueatur:* Hæc Aristoteles; quibus apertissime constat alentem animam in homine posse a nutriendi officio feriari, & quidem diutius, si diu careat homo alimentis; haud secus atque ignis diu consistere potest nihil comburens in propria sphæra, si eo nihil ascendat combustibile: homines quidem, & animalia multa diu viuere citra nutrimenti vllius ingestionem, abunde ostensum est antea; illis igitur nullum ab anima nutrice impetum, impulsumque fuisse ad alendum, nullamque nutricationem penitus ex hoc loco Aristoteleo adeo liquet, vt nihil amplius.

Hominem diutius nutricationem intermittere posse de mente Aristotelis in 5. problemate primæ sectionis. Cap. XXXVI.

AD nostram sententiam confirmandam etiam problema quintum primæ sectionis accedat, in quo hæc habentur. *Quamobrem qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumescere solent? an vtrisque per tabem, consumptionemque illud accidat? tabescunt enim & qui esuriunt, quia nullum penitus capiunt alimentum, & qui vitiose vescuntur, quia quod assumpserint, perfrui nequeunt.* In hac enim sententia, præter ea, quæ superius obseruauimus, illud nunc ad propositum nostrum maximopere confert, quod sibi proponit indagandam caussam Aristoteles, ob quam pedibus intumescere soleant tum qui diuturna fame laborant, tum etiam οἱ κακοσιτοῦντες. siue cum Gaza interpreteris, qui vitioso cibo vescuntur, siue cum peritissimo Guastauinio, qui malo habitu sunt, cachectæ nuncupati; quum autem experimento compertum sit huiusmodi tumorem pedum cum tabe, consumptioneque supernarum partium omnium haud nisi multum post temporis interuallum cachecticis, & famelicis contingere; sane referens hunc euentum vtrobique Aristoteles in alimenti vsum om-

Libr. 2. t. 102.

Tumor pedũ cachecticis, & famelicis nõ statim oritur.

nem interdictum, aperte statuit homines diu posse nutriendi functionem intermittere: Ac profecto quomodo clarius indicare poterat Aristoteles posse hominem diutius a nutricatione penitus ociari, quam asseuerans tum qui male cibo vescuntur, malove habitu afficiuntur, iecirco intumescere pedibus, reliquis autem partibus cōtabescere, quia quod assumpserint, alimento perfrui nequeunt; tum qui diuturna fame laborant, idipsum perpeti non nisi quia nullum penitus capiunt alimentum? certe nihil æque notius est quam ab omni nutricatione ociari, & alimento assumpto non perfrui, ac nullum penitus alimentum capere idem omnino significare; nam essentia nutricationis in eo constituta est, vt viuentes alimentum capiant, captoque fruantur. Aristoteles ergo diu potest homo sine alimento viuere, atque a nutriendi functione vacare.

Nutricationis essentia in quo sit constituta.

Aristotelem supposuisse, ac potius expresse decreuisse viuentia functionem alendi posse intermittere, quod etiam notauit Auerroes 2. de an. t. 5. Caput. XXXVII.

Coronidem huic Aristotelicæ comprobationi textus quintus secundi libri de anima imponat, in quo Aristoteles demonstrat animam non esse actum secundum viuentis, qui operatio est, sed actum primum, ex eo quod anima æque in dormientibus atque in vigilantibus inest; id enim supponit functiones omnes viuentis, atque adeo nutricationem in somno intermitti posse, ac propterea diu, siquidem somnus diuturnus non raro visitur: Quinimmo idipsum expresse dicit mox Aristoteles, dum vigiliam speculationi, somnum vero *habitui non exeunti in actum* proportione respondere admonet: secus enim nisi somno possint omnes vitæ functiones, nutricatioque præsertim ociari, ex eo quod somno sopiti animam habeant, colligi nunquam poterit eam esse actum primum, nō autem secundum. Quam veritatem in commentario huius loci Auerroes subodorasse videtur, licet alendi functionem aliter quam in somno intermitti posse constituat: etenim considerans vt plurimum contingere animantia nostratia nutriri, aliquando vero vitæ operationes omnes promiscue intermittere posse; raro admodum in quibusdam etiam nutriendi functionem cessare ad aliquod temporis interuallum, non ab re admonens animam nutritiuam sæpissime, hoc est in quamplurimis viuentibus ad aliarum animarum discrimen semper operari, ac nunquam non esse in actu secundo, aliquando tamen concedit, eam quoque ab alendi munere ociari, dum scribit, *Anima autem nutritiua nunquam inuenitur in animalibus, nisi secundum postremam perfectionem*, hoc est in actu secundo, *nisi aliquis ponat quod sit quidam modus animalium, qui non nutritur in aliquo tempore, scilicet in tempore, in quo manet in lapidibus, vt ranæ magnæ, quæ nihil thesaurizant* (ad formicarum differentiam, quæ sibi æstate pabulum recondunt ad hiemem) *& manent tota hieme in lapidibus; & similiter plures serpentes: & secundum hoc erit hic commune animæ sensibili, & nutritiuæ eadem intentione*, scilicet esse actum primum corporis naturalis organici: quod placitum Aristoteli consentaneum magis est asserenti commune hoc esse omni animæ, vt sit actus primus corporis naturalis instrumentalis; quem actum primum somno, & habitui similem esse admonet, non autem vigiliæ, ac operationi, quæ dicitur actus secundus. Auerroi ergo non est inconueniens animal vllum animam vegetalem a nutriendi officio per plures menses ociari.

2. de an. com. t. 5.

2. de an. t. 7.

Marcello nutricationem in viuentibus intermitti posse. Cap. XXXVIII.

Venetæ nobilitatis, idemque Latinæ philosophiæ iubar clarissimum Christophorus Marcellus huic veritati lumen haud exiguum dedisse videtur in grauissimo illo suo volumine de anima scribens, *Quum generationem vita, vitam sequatur alitio; primum enim fetus particeps animæ gignitur, postea viuit, mox denique vt viuat alitur, instauratur, & crescit; si quidem aliquandiu vita manere potest absque hoc, quod viuens suscipiat alimentum, non diutius tamen, quum humoris non reparati consumptione decederet: Quocirca vt diu pro viribus maneat, atque perduret, altricem ei natura facultatem iniunxit, quæ vitam a primordijs inde assidue comitatur, cui seruiat, & veluti singulare præsidium opituletur; quæ item etsi (vt diximus) absque alendi beneficio modicum manere possit, attamen natura sagax vitam pariter, & alimētum concessit*, & reliqua: Quibus apertū est viro doctissimo nutricationem ad vitæ diuturnitatē necessariā esse, simpliciter viuenti necessariā non esse; verum nos viuere posse modicum, & aliquandiu ab ea ociantes: hoc autē modicū, & aliquandiu relatum ab egregio Philosopho ad vniuersum humanę vitę spaciū non paucis diebus necessario clauditur, sed vltra mēses, & annos aliquot efferri potest: potissime vero a nobis, qui non consuetam viuendi normam contemplamur, quam forte vir eximius inspiciebat statuens alitionem ad modicum tempus intermitti posse: sed considerantes quod raro a natura fieri potest, non ab re tempus ocij a nutricatu in longum extendimus: vt non immerito virum hunc præstantissimum nobis consentire dicamus, quorum sententia ab eorum placito plane dissentit, qui nullo casu arbitrantur hoc vegetanti animæ posse contingere, vt vlla intermissio fiat officij.

Lib. 2. c. 34.

Nutricatus ad vitæ diuturnitatē necessarius.

Laurentio Nutricationem vitæ necessariam non esse. Cap. XXXIX.

Nouissime autem inter neotericos celeberrimus Anatomicorum Laurentius in eruditissima sua historia anatomica vitam nutricationis absolute indigam non esse professus est: *Prior (inquit) illa fetus vita primis post conceptum diebus simplicissima est, & sine nutricatu perficitur: Quid enim nutritione opus, vbi partium nullus exhaustus?*

Cap. 13. lib. 2.

exhaustus? ipse suo se calore, & spiritu insito satis fouet conceptus: postquam vero discreta sunt, & delineatæ partes, statim & nutriri, & augeri incipit Embrio. Illud quidem nos a Doctissimo viro accipimus vitam dari posse absque nutricatu; an vero talis sit vita fetus in vtero dum formantur organa corporis, nempe primis quadraginta diebus a conceptu, & ob rationem allatam a viro egregio, quia tunc nullus fit partium exhaustus, id nobis commodiori loco fusius disquiritur, quæ specula tio huc afferenda non est, nisi velimus filum methodi perturbare. *Cap. 42. & seq. 56.*

Colligitur forma, & idea vniuersalis abstinentiæ nostrorum ieiunantium. Cap. XL.

Vide lib. 4. c. 34. SIc ergo ex rei natura, consentientibus, & adstipulantibus Sapientissimis viris Hippocrate, Aristotele, Galeno, Auicenna, Celso, Auerroe, Marcello, & Laurentio, quorum autoritate non vterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habenda esset oratio; quum vero prudentissimis scripturum esse me sciam, quibus isti autores merito probantur; ex ipsis audacter, vt dicere institueram, vnaque ex rei natura colligendum nobis est viuere posse homines a nutriendi munere ociantes; ac propterea nostros abstinentes, quibus nullum, neque externum, neque internum alimẽ tum vsui esse antea demonstratum est fusius, ab omni penitus nutricatione desistere; vt forma, & idea longi huius ieiunij vniuersim nulla sit alia, quam abstinentia ab alimento externo, & interno cum intermissione nutricationis; quæ firmis opinor rationibus est nixa sententia, quamuis illam inter eas, quas inopinabiles vulgus existimat, ponendam censuerint viri alioquin magni nominis, quia id hominum sermo communis vsurpat, & quidem crebro, sine alimonia, & nutricatu animatorum nostratium nullum viuere posse. Quum igitur summorum sapientiæ procerum cõ sensus sit absque nutricatu diu viuere nos posse; quando illis nihil absque ratione e rei natura desumpta decerni vsquam consueuit; palam est hoc eorum decretum legem naturæ habere non ignotam, etiamsi nondum percognitam, quam hoc opere disquiramus. *Lib. 2.*

Quotuplex, quæque sit vniuersalis caussa efficiens diuturnæ huius abstinentiæ. Cap. XLI.

VIsa formali caussa ieiunij nostrorum abstinentium, iam nunc ad effectricem descendamus oportet. Qua quidem in requum nutriendi munus multiplici functionum genere constet, appetitione absentis alimenti, coctione crudi, expulsione excrementi, & conuersione digesti in substantiam corporis animati: quia tamen omnes huiusmodi actiones adinuicem subordinatæ sunt, atque in vnum communem finem a natura sunt institutæ, nimirum vt auocetur calor natiuus a celeri consumptione humidi primigenij, atque ideo animati vita cõseruetur diutius: quod monuit nos Aristoteles alicubi scribens alimenti naturam esse conseruare substantiam præsentem, non, quod vulgo dicitur, instaurare deperditam: proculdubio quæcunque præter vsum alimenti prohibere poterunt celerem consumptionem humidi substantifici, ea omnia tollendo necessitatem nutricationis, recte statui poterunt caussæ effectrices diuturni huius ieiunij, cuius ideam vidimus esse ocium a nutriendi officio: Ceterum duobus modis citra nutrimenti opem impediri potest calor innatus, ne cito consumat humidum substantificum veluti sæuus Tyrannus populum sibi subditum, nempe mutando crudelem caloris Tyrannidem supra humorem, vel in Rempublicam (vt ita dixerim) vel in Regium dominium: in Rempublicam sane vertetur caloris dominatus, si æqualibus viribus euadat cum humore: in Regium vero dominium, si parum superet humorem viribus: sic enim vel nihil a calore consumetur humor; vel tarde, ac lente calor humoris substantiam in suum usum quasi vectigal conuertet: Accommodatius exemplum forte non reperias: quemadmodum enim Tyrannus assidua tum nocentis, tum innocentis cæde in populi desolationem adeo inuigilat, ut nisi bello cum exteris, & aduenis iugiter occupetur, in proprios sæuiens totam sui gentem sit exterminaturus: ita calor innatus polles uiribus continua tum mollium, tum solidarum partium consumptione in totius humidi substantifici exterminium suas uires adeo exercet, ut nisi ad alimentare, aduentitiumque humidum conuertatur, celeriter animati uniuersam substantiam radicalem sit depopulaturus: & quemadmodum Rex lente admodum e subditorum substantia exiguis uectigalibus decentem sibi uictum comparat pacificum diutius Regnum gubernans, in quo non coguntur subditi exterorum bona surripere, ut dominantis auiditati quoquo pacto satisfaciant: ita calor proportione quadam parum excedens uiribus humorem, illum sensim, ac potius insensibiliter depascitur, ut hic non cogatur externa nutrimenta ingerere calori subministranda edaciori, sed absque illorum usu diutius caloris dominium, ac moderationem sustinet: Ac demum uelut in Republica omnes ciues æquales sunt, nec ullus alterius substantiam consumit; sic ubi calor & humor uirium æqualitatem sortiantur, neuter alterum consumere poterit, nec ulla necessitas aderit externi alimenti, quo auocetur calor a celeri consumptione humidi. Hinc itaque duæ sese nobis offerunt caussæ diuturni ieiunij nutricationem haud agnoscentis, quarum altera prorsus tollat consumptionem humidi, altera uero eam retardet, ac lentam, & insensilem efficiat: Age singulam seorsum contemplemur a priori exordium sumentes. *Quot modis impediatur calor ne cito absumat humorẽ.* *Vide lib. 4. cap. 85.* *1. de an. c. 47.*

Quid, & quomodo radicalis humoris a calore natiuo consumptionem penitus prohibere possit. Cap. XLII

QVum singulis elementis propria summaque perfectio, quæ est vniuersi huius mundi constitutio, ab ordine illorum essentiali, atque ideo a naturali suo loco insit, propterea fit vt eadem extra illum nonnisi vi detineantur, & semper in prohibentis remotionem inuigilent vniuersa: Quare calor, seu ignis insita, & naturali sui propensione sursum semper inhiãs in his corporibus infernis nonnisi violente retinetur; humidum autem illud esse, quod lentore suo calorem vi deorsum in mistis quibuslibet ceteris elementis agglutinet, tum norunt omnes, tum fuse nobis est alibi demonstratum: Ceterum & illud vetus est, calidum, & humidum esse agentia naturalia, quorum commune est vt omni conatu semper illud extirpare contendant, quod sibi impedimento est ne propriam perfectionem consequantur. Verum agentia physica, vt cetera omnia illud necessario patiuntur, quod nisi vires habeant supra resistentiam passi nunquam intẽtum consequi valeant; nam æque vnicuique a natura insita est vis destruendi, ac tollendi id, quo impeditur ne proprium finem assequatur, & resistendi ei, a quo damno afficitur; quia in re illa suo fine potiri valebunt, quæ vires ad operandum validas, & efficaces obtinuerint; quum ergo duo inuicem opponi queant in pugnam tendentia viribus tum æqualibus, tum inæqualibus; profecto quemadmodum viribus existentibus inæqualibus, oportet alterum alteri succumbere; ita viribus æqualibus altercantibus alterum alterius actioni penitus resistere opus est, ac vtrumque ociari, aut ad summum æque fatigari, neutrum tamen ab alio superari necesse est. Quare si calor humori permisceatur in viuente viribus æqualibus, vt quantam vim obtineat calor destruendi humorem, tantundem ad amussim roboris sortiatur humor resistendi prorsum caloris actiuitati, ijs ita permanentibus nunquam fieri poterit vt alterum ab altero destruatur: Hac sola ratione plurimi e Platonicis existimantes cælestia corpora constituta esse ex quatuor elementis, vt animalia nostratia; cælos tamen nec alimentis indigere, nec interitui subiacere dicunt; quia in cælo elementorum omnium æqualis est potestas; vnde alterum ab altero corrumpi, & consumi non potest; quum ad eorum consumptionem necessario aut occurratur alimẽtis, aut subsequatur interitus: Certe vt ego non dixero cælos ideo non ali, nec mori, quia æquali elementorum vi constituantur; ita equidem affirmauero, si cælum æqualibus elementorum virtutibus constet, propterea nullo vnquam alimento ei opus futurum; interitum attamen ab externo, si non ab interno agente illi euenturum; tum quia omne mistum corruptioni obnoxium est; tũ quia igne subdito cælum conflagrari posset, aut intimus eius calor supra vires aliorum elementorum tanquam a cognati adiectione vigorari; vnde interitus occasio. Itaque in nobis etiam si caloris virtus humoris vigori penitus æquipolleat, neutrum alterum consumere valebit; quocirca in adultis potissimum nulla ingruet alẽdi necessitas; immo sublato nutricationis fine, qui est auocatio caloris a consumptione humidi, munus ipsum alendi cessare oportebit: Dixi consulto in adultis, namque in nuper ortis viuente, quia corpus non obtinuit ab initio iustam partium magnitudinem, quæ necessaria est ad exacte obeundas vitæ operationes, ideo augeri corpus oportet, atque nutriri vt augeatur; quod nos aperte docuit Aristoteles non vno in loco.

Calor quo telinea- ... ur in misis.

Lib. de vita.

Naturale agens vbique consumere tentat id a quo prohibetur perfici.

Cur Platonici cælum ex elementis constans non corrũpi putarunt, nec alatur.

3. de an. t. 59.

2. de gen. an. cap. 1.

Quotuplex esse possit æqualitas in misto. Caput XLIII.

QVoniam vero multæ possunt in misto calidi, & humidi æqualitates considerari, quæ nostri huius obiecti caussæ assignari nequeunt; ad exactam propositi theoriam breuiter nobis ex rei natura inuestigandæ sunt omnes, & ab ea discernendæ, in quam velut in caussam admirabile abstinentium nostrorum ieiunium referendum esse putamus. Porro multa quum sint in misto, quæ tum æqualitatis, tum etiam inæqualitatis caussæ statui possunt; multifariam inde mistum æqualem, aut inæqualem naturam adipisci valet; quæ quidem æqualitatum genera vt ex reipsa pateant, sciendum est vniuersam misti naturam ab elementis pendere; in elementis autem singulis tum substantiam, tum vires, tum demum opera considerare possumus veluti tres fontes variarum æqualitatum in misto. Sane ab elementorum substantia mistum æqualitatẽ constitutionis nanciscitur; ab eorundẽ viribus æqualitatem obtinet temperamenti; ab operibus autẽ sortitur æqualitatem caloris natiui, & humoris primigenij, seu radicalis nũcupati; prima etenim opera, quæ ab elementis in misto fiunt, vbiq; sunt calor innatus, & humor radicalis: tria vero hæc æqualitatum genera maxime ab inuicem dissident tum origine, tum essentia, tum etiam quantitate.

Vniuersa misti natura vnde pendeat.

Ab elementis quot & quas misti habeat æqualitates.

Prima opera in misto ab elementis facta, quæ sint.

De differentia originis æqualitatum misti, deque origine radicalis humoris. Cap. XLIIII.

QVum autẽ in origine cuiusque rei duo præcipua spectari valeant, nimirum ordo progressus, & suppositum, ex quo prodeunt quæcunque oriri dicuntur; profecto in his vtrisque dissident abinuicem origine propositæ species æqualitatum; ordine quidem in primis, quia quum vbique prior sit substantia viribus, & vires præcedant opera; namque opera sunt virium effectus, & vires sunt qualitates substantiæ; mistum ab elementis acquirit æqualitatẽ, vel inæqualitatem primo substantiæ, seu constitutionis; deinde virium, seu temperamenti; deinceps operum, seu natiui caloris & radicalis humoris: Supposito vero postea differunt, ex quo ducunt originem huiusmodi æqualitates, quoniam calor innatus

Substantia prior viribus.

Calor innatus qd.

innatus nihil reuera est aliud, quam illud, quod in temperamento est summum, ac flos, omnia regens vt quinta qualitas, in qua eminentiori quodam modo reliquæ contineantur: humor autem primigenius ita se habet ad corpora elementorum in misto, veluti sic habere diximus calorem innatum ad eorundem formas, seu vires in misti temperamento; quare nascetur ex mistione corporum: hæc igitur in misti constitutione series est operum naturæ, quæ vbique a materia ad formam progredi consueuit, vt primum misceantur elementorum corpora, vnde prima æqualitas constitutionis, & humor primigenius exoritur; deinde confunduntur elementorum vires, seu formæ (hæ nanque nonnisi ad mistionem corporum confundi possunt, quum illis insint inseparabiliter) vnde secunda æqualitas temperamenti, & calor natiuus enascitur; demum vero coniunguntur calor innatus, & humor primigenius; quorum vnio est vltimum misti complementum; nondum enim mistum genitum esse dicendum est, quousque post corporum, & formarum elementorum coniunctionem seorsum, simul iungantur eorundem opera prima sub specie calidi, & humidi natiui. Sic ergo differũt tres æqualitates enumeratæ quoad originem.

Humor radicalis vnde nascatur in misto.

Series operum naturæ in misti constitutione.

Mistum quando genitum esse dicatur.

Differentia essentiæ trium æqualitatum propositarum; & essentia natiui caloris, humidique radicalis explicatur. Cap. XLV.

EX his haud erit difficile venari discrimen essentiæ, quod interest inter propositas æqualitates; quum certum sit primam æqualitatem constitutionis consistere in pari participatione corporum elementarium; secundam vero æqualitatem virtutum, ac temperamenti residere in pari participatione primarum qualitatum, & respicere formas elementorum; tertiam demum æqualitatem operum contineri in pari participatione humidi radicalis, & calidi naturalis: Et sane alia est essentia corporum elementorum, alia qualitatum, & alia calidi, humidique natiui; quum corpora sint vt materia, qualitates vt forma, calidum & humidum obtineant in ipsa prima mistionis fundamenta; si quidem calor innatus simplex qualitas non est, sed idea, & veluti extractum temperamenti; humor primigenius item simplex elementum non est, sed veluti quinta quędam essentia, & veluti flos, & omnino apex substantiæ elementorum, vt nuper ostendimus; quare prima æqualitas est simplicium corporum in materia misti; secunda est æqualitas simplicium qualitatum, seu formarum in temperamento; tertia demum est æqualitas supremæ naturæ (vt ita loquar) & apicis, τῆς ἀκμῆς proximę materiæ, ac temperamenti in toto misto; quamobrem quantum distat mistum a simplici, tantundem differet essentia æqualitatis calidi, & humidi natiui in toto misto ab essentia æqualitatis tũ qualitatum, seu formarum in temperamẽto, tum substantiarum elementorum in proxima misti materia; nam elementorum tum substantiæ, tum formæ simplices sunt; calidi vero, & humidi natiui substantia mista est, non secus atque temperamentum, & materia vltima misti; quippe calor innatus temperamenti est apex, radicalis autem humor est flos materiæ proximæ misti: Quãtum vero distat forma a materia, tantundem essentia æqualitatis qualitatum in temperamento dissidet ab essentia æqualitatis corporum simpliciũ in vltima misti materia; quandoquidem simplicia corpora sunt proxima misti materia, qualitates vero temperamentum constituunt, quod est forma misti. Sic differunt proposita tria æqualitatum genera quoad essentiam.

Calor innatus simplex qualitas non est.

Humor primigenius simplex elementum nec est.

Discrimen trium earundem æqualitatum ratione quantitatis discretæ; vnde innumeræ species temperamentorum, & mistorum æqualium innotescunt; a quibus seiungitur æqualitas caloris natiui, & humoris primigenij, seu radicalis. Cap. XLVI.

SEd in his æqualitatibus alia multa discrimina reperias penes quantitatem tum continuam, quæ respicit varietatem durationis, tum quoque discretam, quæ respicit specierum multitudinem; atque vt ab hac exordiamur, prima æqualitas corporum simplicium in materia misti tres primas continet differentias, seu species; prima est æqualitas omnium elementorum, ignis nempe, aquæ, aeris, & terræ; qua præditum mistum vulgo nuncupatur æquale ad pondus, quod an reperiatur, vel dari valeat in rerum natura, nec ne, magna lis est inter sapientes; negat apud Auicennam Sapientissimus Costæus; adstruit politissimus Fernelius; nos id nunc disquirere non duximus operæ precium; Secunda species est æqualitas trium tantum elementorum ad inuicem quatuor differentias continens, nimirum æqualitatem ignis, aeris, & aquæ; ignis, aeris, & terræ; ignis, aquæ, & terræ; aeris, aquæ, ac terræ, reliquo elemento vbique vel excedente, vel deficiente; quæ quidem æqualitas reperiri potest, ac diutius in misto durare: Tertia species est duorum æqualium tum comparando vnum simplex alteri, vt ignem aeri, aerem aquę, aquam terræ, terram igni, ignem aquæ, aerem terræ, alterutro aliorum elementorum vbique vel excedente, vel deficiente; quæ sunt sex species non raro in mistis contingentes; tum conferendo vnum simplex cum tribus alijs vna sumptis sub ratione vnus misti, vt ignem cum aere, aqua, & terra in misto a prædominio igneo; aerem cum igne, aqua, & terra in aereo; aquam cum igne, aere, ac terra in aqueo; terram cum aqua, aere, & igne in terreo misto; quę sunt species quatuor: tum comparando consimiliter vnum elementi in misto cum duobus alijs sub ratione vnius, vt ignem cum aere & aqua, vel aere & terra, vel terra & aqua; aerem cum igne & aqua, vel igne ac terra, vel aqua & terra; aquam cum igne, & aere, vel aere & terra, vel terra & igne; terram cum igne & aere, vel aere & aqua, vel aqua & igne; quę sunt species itidem subalternę duodecim; in quarum singula pro excessu, vel defectu elemen-

Species æqualitatis elementorum in misto.

3. physi. disq. c. 1. 3. physiol. c. 4. & 7.

elementi inęqualis geminatur numerus specierum inferiorum: quas nihil prohibet in rerum natura consistere. Secundę vero ęqualitatis formarum, seu qualitatum in temperamento numerantur tria itidem summa genera; primum genus est temperamentum, in quo æqualis est gradus omnium qualitatum primarum, quod vulgo ad pondus æquale quoque nuncupant, licet minus proprie; de quo an reperiri possit in corpore naturali non minor controuersia est inter viros clarissimos, quam de corporum æqualitate huic proportionata; adstruit Galenus, quem sequitur Fernelius, & alij plurimi; destruit Auerroes, Auicēna, & Arabum quisque sequax; Quam litem nostra non interest hoc in loco dirimere: Alterum genus est temperamenti, in quo tres tantum qualitates æquantur, nimirum vel calidum, frigidum, siccum, exuperante, deficienteve humido; vel frigidum, siccum, & humidum; vel calidum, frigidum, & humidum; vel calidum, humidum, & siccum, residua vbique deficiente, exuperanteve qualitate; quæ temperamenti æqualitates omnes, obstante nemine, reperiuntur passim: Sed tertium genus est temperamentum, in quo vnica, eademque simplex qualitas æquipollet tum duabus alijs simul velut vnam consideratis, tum tribus eodem modo simul acceptis sub ratione vnius compositæ qualitatis; duabus quidem, vt calidum frigido, & humido, aut frigido, & sicco, aut humido & sicco; frigidum calido & humido, aut calido & sicco, aut humido & sicco; humidum calido & sicco, aut frigido & sicco, aut calido & frigido; siccum humido & calido, aut humido & frigido, aut frigido & calido simul iunctis in vnam qualitatem compositam, reliqua simplici extra æqualitatem exuperante, siue deficiente: tribus autem in vnam qualitatem coeuntibus reliqua simplex æqualis esse potest, vt calidum frigido, humido, & sicco; quæ æqualiter persimilis est æqualitati caloris natiui & humidi radicalis; frigidum calido, humido, & sicco; humidum frigido calido, & sicco; siccum frigido, humido, & calido; quas æqualitates passim reperiri nemo ambigit: Tertiæ demum æqualitatis vna tantummodo species inuenitur, quum duæ solum sint res comparandæ, calor naturalis, & radicalis humor; quum autem in humore tum substantiam, seu corpulentiam; tum quoque vires animaduertere liceat; in calore vero nulla corpulentia, sed solæ vires comperiantur; siue enim calor dicatur esse simplex qualitas in temperamento, siue temperamenti extractum, & veluti quinta essentia, is nihil est aliud quam mera qualitas, cuius nulla est substantia, nullave corpulentia; quamobrem vna tantum æqualitate ad vires perfrui poterunt calor, & humor: bene verum est huiusmodi æqualitatem virium niti & copia vtriusque proportionata, & corpulentia, viscidi tateque humoris; plurimus enim humor, & viscidus ea proportione calori associari potest, vt vires resistendi habeat ęquales viribus caloris actuosis; calori autem copia inest per accidens ad quantitatem subiectę materię, nempe spirituū, & elementorum calidorum in temperamento; sed ęqualitas hęc virium caloris, & humoris, vndecunque fit, esse potest tum quoad gradus, siue vt vulgo dicitur, quoad pondus; tum etiam quoad iustitiam, nimirum cum paruo excessu caloris; iustum est etenim calorem, cuius officium est continere humorem in misto ne diffluat, & inseruire omnibus vitę muneribus, iustum est inquam calorem nescioquid roboris vltra vires humoris in sano viuente obtinere. Tot ergo sunt ęqualitatum propositarum species.

2. col. vlt. & 12. meta. com. 3.

li. 1. f. 1. doct. 3. q. 1.

Discrimē caloris & humoris.

Differentia promulgatarum specierum æqualitatis penes durationem. Cap. XLVII.

Earundem vero non multo minor est durationis varietas; nam prima ęqualitas omnium corporum simplicium in misto ad pondus cognominata consentientibus plurimis ac fere omnibus aut non datur in natura rerum, aut citissime definit, breuique temporis tractu quasi momentanea oritur, & occidit: Æqualitas trium elementorum in materia misti cum quarto excedente, aut deficiente permittitur, & longiuscula conceditur; idemque iudicium esto de duorum æqualitate; sed ęqualitas vnius ad duo simul iuncta, vel ad tria in vnum sumpta & frequentissima est, & diuturno temporis tractu perdurare cernitur. Consimiliter ęqualitas qualitatum omnium aut non reperitur, potissimum in viuente corpore, aut sensibili tempore non durat: Æqualitas trium qualitatum quarta excedente, vel deficiente, frequentior est, ac diuturnior: Æqualitas vero vnius ad vnam, vel ad plures sub ratione vnius consideratas passim obseruatur, & in longum tempus producitur. Æqualitas demum caloris natiui, & radicalis humoris quoad iustitiam, nemine discrepante, passim, & pręcipue in sano viuente reperiri potest, & longo tempore in mistis conseruari: Eorundem vero, caloris nēpe, ac humoris natiui ęqualitas quoad gradum, nullo prohibente, inueniri valet etiam intra sanitatis aream, & longiori tempore consistere in viuente. Sed hac de re mox suo loco fusius pertractabimus. *Cap. 49. 60.*

Quæ sit æqualitas impediens consumptionem humoris radicalis a calore natiuo. Cap. XLVIII.

Qvum alia longe mensura sit corporum, & qualitatum in elementis; nam ignis etiā minoris magnitudinis aerem, & aquam virtutis efficacia longe superet: proinde fit vt in primo ęqualitatum genere actiones inter ęqualia non tollantur; ignis enim non agit quatenus ignis, sed quatenus calidus Aristoteli; quare mistum ex ęquali portione singuli elementi calidum erit a prædominio; quippe calor actuosissima qualitatum est; ac in tali misto prorsus ad pondus ęquali calor humidum cōsumet. In secundo autem æqualitatis genere, quod pertinet ad solius temperamenti qualitates, si quidē quæuis æqualitatis species actionem tollit; eam tantum-

Actio quō esse, possit inter æqualia.

De sen. & sen. c. 4.

Mistum æquale ad pondus esse a prædominio calidum.

tantummodo tollit, quæ inter qualitates est, intacta substantia corporis: nam temperamentum in sui constitutione, ac natura corpus non includit, sed est mera forma ex puris qualitatibus, seu differentijs in unum coeuntibus coagmentata, & uerum & huiusmodi actionem non omnem tollit æqualitas formarum in temperamento; non enim eam actionem inter qualitates, quæ fit citra interitum alterius: nam uires æquales inuicem pugnantes sese mutuo infringunt, nulla tamen alteram superante, quod accidit in lucta inæqualium: quis non uideat aquam frigidissimam, & calidissimam pari portione, & æquali gradu sibi inuicem refrangere uires, atque ad teporem redigere? quis nesciat æqualium uirium athletas diuturna pugna delassari ambos neutro aduersariũ uincente? Immo uero quis non animaduertit animal a seipso moueri? etsi enim anima sit principiũ quo mouet, & corpus quo mouetur; agens tamen adæquatum, & omnino principium quod mouet est totum animal, & idipsum est principium quod mouetur; quum autem idem sibi ipsi uarias non habeat vires, & nulla ratione inæquales; iam inter quæ nulla est uirium inæqualitas, vel insensilis, aperte actio concedenda est; quando ambulans homo ipse seipsum moueat; & a semetipso repatiens fatigetur. Quum itaque radicalis humor, qui a calore consumitur, & cuius consumptioni alimentorum interuentu consulitur, corpoream naturam obtineat, sitque misti corporis materia vltima; vt nuper explicauimus; quumque natiuus calor non sit vnica tẽperamenti qualitas simplex, sed totius temperamenti flos, & apex; liquido iam constat in secundo æqualitatis genere nullã reperiri speciem, cuius merito actio caloris in humidum tollatur, aut humidi a calore consumptio impediatur: Relinquitur necessario vt in tertio genere caloris natiui, & humidi radicalis æqualitas ea sit, ob quam contingat humidũ a calore non consumi; quod ita ex rei natura distinctius explicatur; consumptio nanque humidi a calore non fit, nisi calor habuerit vires quam humidum robustiores; æqualibus enim vtriusque viribus existentibus, sane quantum vi propria tentabit calor humidum consumere, quo prohibetur ascendere; tantundem resistet humor pro sui conseruatione caloris actioni; neutro alterum superante, neque caloris extinctio, aut marcor, ab humido; neque humidi a calore consumptio contingat: Sed quum in hac humidi, & caloris naturalis æqualitate duplex connumeretur species, nimirũ quoad gradum, siue quoad pondus, vt vulgo dicitur, & quoad iustitiam, in qua ponebamus tantillum caloris excedentis; nemini dubium est in caloris, & humidi æqualitate ad iustitiam posse humidum a calore absumi, quamuis lente admodum; eam vero æqualitatem, in qua nihil penitus humidi a calore consumitur, esse ad gradum, quam minus proprie nuncupant ad pondus.

Calor natiuus, seu temperamentum corpus nõ est.

Virium æqualium quæ actio esse possit ad inuicẽ.

Radicalis humor corpus est.

Calor natiuus non est vnica temperamenti qualitas simplex.

In misto æquali ad iustitiam calor humidum consumit.

Aequalitatem caloris natiui, & humidi radicalis quoad gradum virtutis in homine reperiri posse. Cap. XLIX.

Huiusmodi vero æqualitatem caloris naturalis, & humidi radicalis quoad gradum virtutis in homine reperiri posse, multa sunt, quæ suadeant ex natura rei ducta argumenta; & illud in primis, quod calor naturalis quum nihil aliud sit reuera quam temperamentum, aut quod in temperamento est optimum, aut ad summum pars temperamenti præcipua; radicalis autem humor nihil aliud reipsa quam proxima, siue vltima misti materia, vel eius mater æ summum; profecto calor innatus ad substantificum humorem non nisi vt ad materiam forma sese habere potest; quando temperamentum est propria forma misti: Quum autem vbique natura materiam formæ associandam apparare soleat, quo melius in vnam substantiam coire possint, nec vnquam valde discrepantes iungat, nec promiscue quaslibet, quod monuit nos Aristoteles alicubi statuens ad aliam formam esse aliam materiam a natura institutam: plane statuendum est non repugnare, sed maxime consentaneum esse naturæ operibus, legibusque, & rationi formam suæ materiæ proportionatam esse quam maxime fieri potest, ac præsertim quoad uires: ita ergo calor insitus in uiuente homine uiribus æquipollere potest humido radicali. Deinde uero natura nihil generat illico destruendum, ex obseruatione Aristotelis, sed suorum effectuum omnium conseruationi summopere incumbit: at in homine calorẽ natiuum uires æquales ad gradum habere cum humido radicali maxime confert ad hominis cõseruationem; siquidem fere solis externis iniurijs, ac certe paucioribus de caussis occumbere possunt, quibus caloris & humoris uires sunt æquales: in his enim neque calor humidum cõsumit, neque humor calorem suffocat, aut extinguit: quibus autem caloris & humoris uires inæquales contigere, his & ab externis, & ab internis principijs imminet interitus: itaque decebat maxime naturam uiuentia constituisse calore, ac humore uirium æqualium: sed quia ob alios usus, nimirum ob augmentum, & generationem, caloris vigore uegetiore opus erat: durationi cõsuluit alimentis: quoniam uero uiuere potest homo absque eo quod augeatur, aut generet, quin etiam citra nutricationem, ut fuse antea demonstrauimus: plane iam constat hominem habere posse humorem & calorem naturalem æquali gradu uirtutis. Deinceps forma suapte natura non debet destruere suam materiã, sed perficere semper; nam forma omnis est actus, & omnino perfectio suæ materiæ, adeo ut uel ipse ignis rerum omnium uoracissimus materiam propriam non absumat, sed perficiat; absumat autem alienam solum, quæ propriæ aliquando adiniscetur, & adiungitur: Sin uero forma quæpiam propriam materiam sæua corrumpat, hoc est per accidens aliquod, quodcunque sit illud: sed omne accidens, potissimum separabile nuncupatum, potest

Temperamentum est forma misti.

2. phy. t. 26.

8. phy. t. 63.

Natura nihil generat illico destruẽdum.

Qui externis iniurijs soli obnoxij sint

Cur natura non cõstituit in omnibus calorẽ hũmori virium æqualem.

cap. 17. et sequent.

Forma ut possit suã materiã corrumpere.

potest abesse; calor itaque natiuus, qui est forma humoris radicalis, hunc suapte natura perficere, ac fouere debet, ac proinde supra ipsum vires corruptiuas non habere, nisi per accidens; ceterum hoc accidens est augumentum viuentis, & propagatio sobolis; quæ quum possint a multis indiuiduis impune abesse, illis profecto contingere poterit calor naturalis, & radicalis humor viribus in gradu æqualibus. Demum experimento compertum habemus plerosque homines calorem habere valentiorem, cui humidum non habet vim resistendi, atque ideo in ipsis a calore humidum absumi; alios nouimus, in quibus caloris vires longe cedant viribus humoris, vt eorum calor vicissim ab humore suffocatus extinguatur: sed Aristoteles non vno in loco apertissime statuit in omni re continua, & diuisibili aliud plus, aliud minus, aliud æquale accipi, ac reperiri posse: quin & alibi scribit, in quacunque actione est plus, & minus, in eadem esse æquum necesse est: sed & vulgata est dignitas, Quocunque datur magis, & minus, eidem reperiri æquale: vnde colligendum necessario sit in humano corpore, cui vires caloris excedere possunt vires humoris, & vicissim ijs cedere, reperiri posse calorem, & humorem viribus æqualibus. Addere liceat negaturum neminem in humano corpore adeo multum, adeoque viscidum humorem inueniri posse, qui viribus pauei caloris quantumuis vegeti plane resistere valeat.

2 ethic. c. 6. — idem. c. 5. — Vbicunque plus, & minus est, ibi & æquale datur. — 5 ethic. c. 3.

Aequalitatem virium caloris, & humoris naturalis in homine diu seruari posse. Cap. L.

QVibuscunque vero huiusmodi caloris & humidi naturalis virium æqualitas contigerit, in illis ea diutius conseruari potest, quia sublata caloris in humorē actione, illorum æqualitatem per se destruere nequeūt nisi extrinsecus occursantia, quibus vel augeatur, vel imminuatur vis alterius eorum: ceterum in abstinentibus ab omni cibo nihil est extrinsecus accedens, quod valeat hanc humoris & caloris æqualitatem destruere, quam aut aer inspiratus, aut potus aquæ, seu vini, quo nonnullos abstinentium visos fuisse scribitur in historijs; aut agitatio corporis nimia; aut animi passiones vehementes, aut alia multa, quæ tamen omnia redigi possunt ad duo summa genera, nimirum ad ineuitabilia, seu necessaria, cuiusmodi sunt aeris inspiratio, & potus; atque ad euitabilia, seu non necessaria, veluti sunt motus vehementior, æstus ambientis nimius, & id generis plurima: si species hæc vltima, quum sine his homines diu consistere possint, diu quoque humidi & calidi naturalis vires æquales sibi conseruare poterunt: sin autem considerespriora illa, quod quidem pertinet ad potum, dicere primum liceat ab eo quoque abstinuisse multos ieiunantium commemoratorum; vt hinc appareat eos saltem calidi & humidi natiui æqualitatem quoad vires diu retinere potuisse, quod satis est ad confirmandum posse homines semel acquisitam æqualitatem virium caloris, & humoris diutius conseruare; dicere deinde possis vsu aquæ, ac vini limphati abstinentes diu conseruasse potuisse hanc æqualitatem, non ipsam demoliri debuisse; nanque a motu etsi non adeo vehementi, & a loquutione, ac respiratione calor excandescens aliquantisper, partiumque substantia incipiens exsiccari, ad pristinum statum a potione frigidi, & humidi liquoris, tanquam a medicamento reduci, & in virium æqualitate diutius contineri probabile est. Adijciendum his est exiguam illam potionem vim non habuisse immutandi aut calorem, cuius vis est actuosior; aut humorem, cuius substātia solida est admodum; vt nonnisi post multum temporis eo potu illorum æqualitas turbari potuerit. Nec prætereundum est quod potu hauriebatur ab abstinentibus, ijs non diffusum fuisse in vniuersum corporis habitum, non solum quoniam aqua non est alendo corpori, quum alimentum solum per totum corpus ferri queat; verum etiam quia & vinum in ijs, quorum ob calidi & humidi æqualitatem nulla est nutricatio, nullaque nutriendi necessitas, non debet in partes corporis omnes influere: quare neque huiusmodi potione potuit caloris naturalis, & humidi radicalis æqualitas virium tolli; quum vterque horum, quo de agimus, calor, & humor naturalis vniuersum in corpus extendatur. Quantum vero pertinet ad aerem inspiratum, duobus præsertim ex propositis circa potum argumentis asserendum est eum non posse dirimere hanc virium æqualitatem in calido & humido naturali; nimirum quia & respiratione conseruatur calor in eodem statu, quum refrigerio aeris ad mediocritatem redigatur, a qua multis de caussis sensim abduci potest: & adeo mites obtinet qualitates, tenuemque substantiam aer, vt neque calorem valde alterare, neque radicalem humorem solidiusculum sensibiliter immutare valeat, nisi post multum tempus. Sed & illud omittendum non est abstinentium nonnullos vt sine alimento, ita sine respiratione vixisse; sic hystericæ mulieres, sic Pamphilus ille Platonicus, sic Lucomoriæ populi, sic in brutorum genere Germanicæ hirundines hieme sub aquis latentes. Ita ergo caloris natiui, & humoris radicalis æqualitas quoad vires semel in humano corpore vndecunque progenita, nulla eaussa eam statim demoliente, diutius conseruari potest.

lib. 1.

Quomodo æqualitas virium caloris natiui, & humidi radicalis sit caussa diuturni ieiunij. Cap. LI.

QVibuscunque vero, & quandiu contigerit caloris natiui, & radicalis humoris viriū æqualitas; ijs plane, ac tandiu neque humor calorem aut extinguet, aut suffocabit; neque calor humorem consumere tentabit; quippe actiones huiusmodi vbique sunt agentis robustioris erga debilius: Quibuscunque autem, & quandiu nulla fit humoris a calore consumptio, ijs, ac tādiu nulla ingruit necessitas prorogandi vitam, & conseruandi propriam substantiam, auocando calorem natiuum a celeri destructione radicalis humoris, vel si cum vulgo placet, restaurando effluxam corporis substantiam alimento-

mentorum affluxu, & nutricationis beneficio: quum autem conseruare diu substantiam viuentis auocando calorem a celeri consumptione humidi radicalis, siue quod vulgo dicitur, instaurando deperditum, sit finis alimenti, & nutricatus Aristotelis testimonio; quumque hominem caloris, & humoris vires æquales habentem nulla cogat necessitas, nullaque vrgeat occasio, vel ratio aut auocandi calorem ab humidi exterminio, aut restaurandi quod effluxerit e corpore; manifesto iam constet diuturnam æqualitatem virium calidi natiui, & radicalis humidi tollendo finem nutricationis (qui est auocare calorem a celeri consumptione humoris, aut si malueris instaurare deperditum) tollere simul vsum alimenti; atque ita esse caussam effectricem longioris abstinentiæ: Sufficere vero ad auferendum alimenti vsum, & nutricatum, remouere finem, cuius gratia & alimenta, & nutricatio instituta sunt a natura, duo apertissime doceant; vnum est, quod anima vegetalis, cuius actio est nutriendi munus non ex electione agit, sed semper ex necessitate; citra vero necessitatem agendi ociatur vbique; quippe natura quicquid operatur, id omne propter aliquem finem agit ex Aristotelis admonitione; quum autem eodem Aristotele autore in operibus naturæ necessitas agendi omnis exoriatur a fine; liquido iam constat sublato fine nutricationis eam a natura non tentari, quæ vbiq; propter finem, & necessario agit quicquid operatur: alterum est, quia non alicuius gratia, & citra finem operari, est frustra, & superuacanee laborare; quod abhorrere naturam, cuius opus est nutricatio, tam notum est in Peripato quam quod notissimum. Quibus ergo calor humori associatur in virium æqualitate, in his nullus finis est, cuius gratia nutriri debeant, & propterea carentes diu fine nutricationis, diu debent ab omni alimentorum vsu abstinere.

[Margin: 2. de an. t. 47. — 2. phy. t. 78. & sequent. — t. 88. & seq. — Necessitas agendi unde pendeat — 2. cal. t. 32]

Quibus præsertim æqualitas virium caloris & humoris sit caussa ieiunij. Cap. LII.

QVum autem in abstinentibus nostris duo spectare possimus, penes quæ ieiunium ipsorum in varias species partiri valet, nimirum differentiam temporis, quo perdurasse dicitur; & abstinentiæ coniuncta corporis vel consumptio, vel auctio, vel consistentia in eodem statu: Quod quidem attinet ad varietatem temporis, quum æqualitas virium caloris & humoris pro varietate subiecti corporis possit promiscue tum breui, tum longo temporis tractu perdurare; ab ea ieiunium cuiuscunque generis procreari valet, menstruum scilicet, annuum, & vlterius: Quod autem pertinet ad molis corporeæ vel consistentiam, vel immutationem, quemadmodum certum est abstinentes, in quibus caloris actiuitati penitus resistit humoris virtus æqualis, nullam perpeti a calore humoris consumptionem, & proinde nulla ingruente necessitate alendi nullam fieri nutricationẽ; ita notum est eos non augeri; siquidem augumentum citra nutricationem non est, quod subtiliter, & fuse nos docuit Aristoteles eo quia incrementum est actio, qua conuertitur alimentum in corporis substantiam maiori quantitate quam fuerit moles effluxi, adeo vt eadem transmutatione alimentum quatenus substantia est, alat; quatenus quantum est, augeat. Sed quum corporis nostri substantia, tum ab internis principijs, nimirum a calore consumi valeat, tum quoque ab extrinsecus accedentibus; quemadmodum quibus calor vim supra humoris resistentiam non habet, ij ab internis principijs non absumuntur; ita quibus consimiliter caloris vires humoris viribus æquales contigere, ijdem possunt ab extrinsecis caussis destruentibus tum validioribus insigniter emaciari, tum mediocribus leuiter extenuari, tum demum infirmis nihil prorsum labefactari: Quare paucis illis exceptis abstinentium, qui ad instar vrsorum ieiunio crescunt, atque pingue scunt, omnes alij, siue consistentes in eodem statu, siue quomodocunque tabescentes, suæ abstinentiæ caussam in caloris, & humoris æqualitatem quoad virium gradum referre possunt, cum hac differentia, quod abstinentes, qui non adaucti, nec diminuti a ieiunio in eodem statu permanent, id habeant necessario ab æqualitate humoris, & caloris, exclusis omnibus externis iniurijs tam vehementibus, quam mediocribus: Abstinentes vero, qui sensim & leuiter contabescunt, possint ieiunium longum habere ab eadem æqualitate, cui extrinsecus accedat aliquid mediocriter sensim destruens pari gradu calorem, & humorem naturalem. Ieiunantes demum, qui euidenter extenuantur, idipsum vt diu sine alimento viuant, sortiri valeant ab eadem æqualitate, cui externum lædens associetur vehementius caloris, & humoris naturam acrius exterminans, sed pari passu: Ita ergo ab æqualitate virium humoris, & caloris naturalis quotquot abstinentes, aut in eodem statu corporis diu permansere, aut quomodocunque contabuere, caussas omnes proprij ieiunij sortiri potuere. Atque hæc dicta sint de prima caussa ieiunij huius admirandi, quæ tollere dicitur ex se consumptionem humidi radicalis a calore natiuo, & ea ratione nutricationis finem, ac necessitatem demendo abstinentiam procreare diuturnam.

[Margin: 1. de gen. t. 34. & sequen. 2. de an. t. 47. — Augumentũ quid.]

De altera caussa huius admirabilis ieiunij, qua non tollitur omnino, sed retardatur humidi consumptio. Cap. LIII.

SVccedit nunc explicanda ieiunij altera illa caussa superius inuenta, qua humoris consumptio a calore non penitus tollitur, sed retardatur; huiusmodi vero caussam nullam esse aliam certum est, quam eam proportionem caloris & humoris, in qua parum admodum vires caloris exuperent radicalis humidi vigorem, quæ proportio aut est æqualitas virium caloris & humoris ad iustitiam appellata, de qua superius; iustum est enim vbique formam, cuius propriũ est continere, ac regere materiam, supra materiam 3. phys. t. 67. 4. cal. t. 3.

vires

vires obtinere, non tamen adeo validas, quibus eam cito consumat; aut saltem huic æqualitati ad iustitiam valde similis erit hæc virium caloris, & humoris proportio. Consistit autem huiusmodi commensuratio vt plurimum in calore blando, & miti ad infirmitatem vergente, vel ad summũ in mediocritate consistente iuncto cum humore substantifico multo, crasso, & viscido; nanque caloris virtus vegeta est, & actuosa; humoris autem vis est imbecilla; quare vt ad æqualitatem proxime accedant, & ne cito a calore humor absumatur, necesse est multum humoris crassi, & viscidi calori subijcere; secus enim vim non habuerit humor diu resistendi actiuitati caloris: De hac proportione, ad quam veluti ad caussam ieiunium diuturnum, abstinentium nostrorum referri posse putamus, meminit olim Apponensis; sed ita meminit, vt certi nihil determinans, hæsitabundus referat potius caussam abstinentiæ huius in virtutes astrorum, quam in proportionem humidi ad calorem; immo vero non parum mirãdum esse ait quomodo humidum ita calori sit proportionatum, vt non dissoluatur eius viscíditas, cuius verba referre non pigeat, Calidum potens (ait) eliquationem continue caussat in humidũ, & resolutionem, propter quam quotidiano indiget alimento; euaporat enim subtiliatum humidum continue: Et ideo mirandum est non parũ quod a fide dignis dicitur quod quædam iuuenis in Normandia reperitur iam trigenaria per decem & octo annos non comedens, quomodo humidum sit eius sic calido proportionatum, quod non dissoluitur eius viscositas; aut vis siderum in hoc operatur non parum. Qua quidem in re nõ puto proportionem caloris & humoris quoad vires in solam viscíditatem humoris referendam esse; iam enim haud sit humor, sed solidissimæ, siccissimaque natura, quæ a calore non dissipetur, & adamantina; sed in copiam humoris viscidi associati cum calore non ita multo; siquidẽ calor actuosissimus quum sit nonnisi multus humor, multumque viscidus paucæ substantiæ calidæ resistere poterit; in pauca enim substantia, copiaque ignis, & spirituum vegetus calor inest. Ex his itaque constat; quibus calor humori sic proportionatus est, vt humor sui copia, & viscíditate multum resistere possit actioni caloris eo quia vires non admodum inferiores habeat; ijs non cito a calore humidum consumi, propterea que ieiunium in longum tempus protrahi posse; quum nutricatio, & alimentum non sit nisi ad auertendum calorem a celeri consumptione humidi, adeo vt quibus lente, non cito, humor a calore absumitur, eos ali non oporteat, quod infra latius apparebit suo loco.

10. probl. ult.

Proportionem hanc humidi radicalis ad calorem natiuum, in qua lente humor a calore consumatur, in homine reperiri posse. Cap. LIV.

Haud equidem infitiabor Aponensi mirandum esse valde in humano corpore calorem humori sic proportionatum existere, vt ab eo huius viscositas non dissoluatur, seu potius dissolui non videatur; sed tamen præter hoc multa in rerum natura mirabilia valde negare non poterit vir egregius; quum Aristotelem habeamus asseuerantem multa quamuis mortalibus incredibilia, vera tamen esse, perinde ac falsa sunt plurima, quæ credibilia sunt: Mirandum certe est in humano corpore calorem adeo proportionatum humori existere, vt longo tempore ipsius minimum quid absumat, quia hoc raro admodum contingit; at vero contingere id aliquando posse non vnum est quod confirmet; ac in primis illud, quia mirando effectui, cuiusmodi est diuturnum hoc ieiunium, quo de agimus, admiranda caussa, qualis est æqualitas virium caloris & humoris ad iustitiam, optime congruere videtur: Deinde vero, quia calor ad humorem se habet veluti temperamentum ad misti materiam proximam, & omnino veluti forma ad materiã; quum autem apud Aristotelem naturæ consuetũ sit non quamlibet formam cuilibet materiæ connectere, sed proportionatam determinatæ; plane diffitendum non est calorem natiuum in nobis naturali humori sic esse proportionatum, vt ab eo cito consumi nequeat. Deinceps formæ proprium quum sit continere, & conseruare subditam sibi materiam, non eam perdere, atque consumere, quod clare nos docuit Aristoteles, nisi forte per accidens, quod abesse potest, vt dudum ostendimus; profecto potest, immo debet aliquando calor in homine humori ea proportione iungi, qua ipsum non destruat, sed potius conseruet, atque perficiat, vel si destruat, lenie admodum destruat: Tum vero si multos hominum scimus calorem humore longe validiorem obtinere, in quibus hic ab eo iugiter absumitur; alios vicissim humorem caloris vires excedentem, in quibus calor ab humore suffocatur, & extinguitur; quidni alios reperiri dicamus, in quibus calor humori ea lege, ac proportione iungatur, vt parum excedens calor etiam longo temporis tractu minimũ humoris consumere possit? immo quum in eodẽ homine non raro mutatio fiat a prædominio humoris ad exuberantiam caloris, & vicissim; quũque mutatio quælibet ab extremorum vno ad alterum fiat necessario per medium; quemadmodum motu continuo existente, ac vnamquamque sui partem temporariam gerente, necesse est aliquando ea hominem per frui caloris ad humorẽ proportione, in qua paruus sit illius supra hunc virium excessus, adeo vt in eo statu permanens nequeat calor nonnisi exiguum quid humoris ad multum temporis absumere. Vlterius Aristoteles alicubi aperte statuit longæuitatis caussam in animalibus, & plantis propriam esse calidi naturalis

2. Rethor. cap. 24.

Mirabili effectui mirabilis caussa congruit.

2. phy. & 26.

3. phy. t. 65. 66. 67. & 4. cael. 39

De long. & br. vi. cap. ult. Longæuitatis caussa propr.

ralis ad humidum substantificum talem commensurationem, vt huius ab eo minima portio post lõgum tempus consumi valeat; quum autem reperiri longæuos homines ambigat nemo; quis dubitet eos inueniri, quibus calor humori sit adeo proportionatus, vt huius substantia non ita cito ab illius vigore absumatur? certe vt longæuis humor ab externis caussis plerunque celeriter consumitur, ita potest his etiam inimicis aliquando priuari, ac necessario debet ab innato calore nullam violentiam perpeti vehementem. Nihil ergo vetat, immo vero summopere decet aliquos reperiri homines, in quibus calor adeo sit humori cõmẽsuratus, vt hic ab eo celeriter absumi nequeat. Demum quis neget in homine reperiri posse humidum adeo multum, & viscidum quod actione pauci caloris quantumuis vegeti non nisi parum, ac lente absumatur illi multum resistens?

Commensurationem hanc humidi & caloris in homine diu conseruari posse. Cap. LV.

QVæ autem potest in homine reperiri proportio caloris ad humorem cum exili caloris excessu, quid prohibet ne diutius in homine aliquo conseruari valeat? Et certe in abstinentibus a cibo commensuratio hęc quæ vel aucto, vel diminuto nimium aut calore, aut humore dissoluitur, destrui nequit (si calorem excipiamus, quem certum est haud breui tempore id posse præstare) commensuratio inquam hęc destrui nequit nisi ab extrinsecus occurrantibus; quæ sunt vel aer inspiratus, vel potio, vel animi passiones vehementiores, vel corporis motus validi, vel eiusdem alterationes omnes; quæ singula nullam necessitatem obtinent demoliendi, ac exturbandi ex humano corpore omni propositam caloris & humoris interni commensurationem: In primis enim horum nullum reperias in Lucomoris, & alijs quorum cum abstinentia perpetuus comes est somnus, vel torpor: Deinde vero, vt singula percurramus, aer inspiratus vel occulta qualitate afficit, vel manifesta; si occulta, ea necessario perniciosa est; siquidem suapte natura duas tantum obtinet aer qualitates vulgatas, caliditatem scilicet, ac humiditatem; quoniam est elementum; occulta vero illi omnis est aduentitia qualitas; quæ si fuerit adeo imbecilla, vt cito nequeat alterare cousque corpora nostra, quod facile tollat caloris, & humoris interni proportionem, iam eam diutius perdurare sinet; quod volumus: sin fuerit adeo valida vt cito proportionem illam dissoluat, necessario morbosa, immo vero mortifera erit; quum omnis subita mutatio, & præcipue in rebus proxime vitam, & sanitatem sustinentibus, quales sunt calor, & humor naturalis, & cor, ad quod inspiratur aer, non possit aut mortem, aut morbos saltem non parere: Quare quibus transitus erit de caloris excessu, ad excessum humoris per mediam æqualitatem, aut vicissim, ijs omnibus morbo, aut morte occũbendum erit; quod tamen falsum esse quotidiano constat experimento. Sin autem aeris ea qualitas

Aer inspiratus quo modis afficiat corpus.

manifesta sit, certe vel erit propria, vel adscititia: Et quidem naturales qualitates aeris adeo sunt infirmi vigoris, vt vix sensu dignoscantur, vel Aristotelis testimonio; non ergo his aer poterit cito destruere calidi, & humidi proportionem: aduentitiæ vero qualitates in aere vrgentes esse possunt; sed facile cuique fuerit eas euitare; nam aer ob suæ substantiæ tenuitatem prompte alterari poterit semper in oppositum; quin & hoc aeri cõtingit vt nunquam diutius vel caleat, vel frigeat; noctu enim vbique diei æstus temperatur; & vix credere possit physiologus angusto diei spacio firmam caloris & humoris proportionem ab aere tolli posse, præsertim satagente quouis homine aeris inclementias fugere. Potio consimiliter a plurimis enumeratorum abstinentium intermissa fuit vna cum cibi vsu; eos igitur potus priuare non potest caloris, & humoris commensuratione, qua participes esse queunt. Addo eandem ob caussam potione vtentes ab hausto liquore non amittere huiusmodi proportionem, ob quam supra ostendimus homines non spoliari æqualitate caloris, & humidi primogenij, nimirum tum quia tanquam medicamentum excessus potio commẽsurationem conseruare potest alioqui fluxilem; tum quia exigua copia, exilisque virtus potionis sufficiens non est cito dissoluendæ huic proportioni; tum demum quia in vniuersum corporis habitum non dispergitur huiusmodi potus, in quo sita est caloris & humidi commensurati natura; quæ omnia distincte superius. Animi passiones imbecilles ad euertendam huiusmodi proportionem satis non habent roboris: validiores autem possunt semper abesse ab ijs, quibus contigit calor humori sic proportionatus, adeo vt plerique hominum reperiri valeant, in quibus ea commensuratio ab animi passionibus cito non destruatur. Idem penitus esto iudicium de motibus corporis cuiuscunque generis, nempe tum lationis, tum quoque alterationis; nam si leues fuerint motiones, cito non destruent proportionem; si vrgeant, non necessario inerunt cunctis hominibus, quorum vt multi possunt ab illis abstinere, ita plurimi commensuratis humido, & calore possunt diutius gaudere.

1. phys. t. 54.

Cur aer facile alteretur in oppositũ.

cap. 50.

Proportio hæc natiui caloris & humoris quomodo sit caussa longioris abstinentiæ. Cap. LVI.

FInis alimenti omnibus viuentium subcœlestium generibus est auocatio caloris a celeri consumptione humidi, quemadmodum supra notatum est; & infra latius apparebit commodiori loco; non autem (quod aliqui sentiunt) impedimentum totale illius consumptionis, aut omnimoda prohibitio extinctionis caloris innati; in primis etenim quum nusquam id assequatur alimentorum vsus, vt vel calor excedens penitus desistat ab humidi consumptione, vel humor superabundans omnino vacet a caloris extinctione, ac suffocatione; frustra instituisset natura vsum alimentorum, quibus nunquam liceret proprio fine potiri; quum tamen frustra nihil a natura

Lib. 2. c. 205.

Li. 4. c. 68.

ra factum acclamare physiologi non desinant. Deinde vero viuentia cuncta sub cælo naturam per se mortalem adepta sunt adeo vt ipsis haud minus præter naturam sit ex internis principijs nunquam interire, quam ante senectutem violenter occumbere: quemadmodum autem violētum omne ab extrinsecus accidente necessario prouenit, sic prorsus quicquid alicui per se contingere dicitur, id ei nonnisi ab internis, atque essentialibus principijs euenire potest: quum igitur homines, & alia cuncta viuentia nostratia cum eo quod per se, ac naturaliter interitui obnoxia sunt, violente quoque, ac per accidens ante statutum tempus a natura interire valeant; plane iam cōstat vniuersis ab interno aliquo principio mortem imminere. Ceterum quum vita nitatur anima & corpore natiui caloris interuentu copulatis, quumque huiusmodi vnionem neque anima, neque corpus dissoluere tentet; quippe anima propensionem naturalem ad corpus obtinet, corpus vero ab anima insuper & assidue perficitur; necessario colligas vni calori tribuendam esse vitæ dissolutionem; sed hic sui præsentia nectens animam corpori, sola sui absentia connexa hæc separare poterit: modo quum vi quadam calor ab humore detineatur in hac regione inferiori viuētium corporibus implicatus, sponte sua semper inhians ad superam, hinc absolui nunquam poterit nisi humore consumpto; quare naturalis est pugna caloris cum humore substantifico, nihilominus quam humoris violentia in calorem; natura namque ad viuentis constitutionem iussit humorem prohibere lentore suo ne calor sibi iunctus euolaret ad supera; vt autem diuturnior esset caloris mansio in corpore viuentis, quia summæ illius actuitati breui admodum tempore potuisset humor primigenius obstare, quum caloris vbertate ad multas vitæ functiones rite obeundas, velut opportuno instrumento indigeat viuens vnumquodque, alimenti vsum inuenit natura sagax, quo auocaretur calor a celeri humidi cōsumptione. Quod vel inde constat, quia inanimata cuncta in mistorum genere, etsi calore interno iugiter absumatur eorum humidum substantificum, quo nomine ipsa quoque per se corruptibilia sunt, & secundum naturam caduca; quia inquam mista inanima lente a calore proprio cōsumuntur, nullam a natura vim altricem sortita sunt; neque enim putes ea negligi a natura; nam vt prouidentissimam vniuersi gubernatricem decet, omnium conseruationi semper inuigilat, nihilque gignit statim corrumpendum natura prudens, vel Aristotelis obseruatione. Finis ergo alimenti proprius est conseruare diu substantiam viuentis auocando caloris vim a celeri consumptione humidi substantifici. Quæcunque igitur præter alimentorum vsum in homine impedire poterunt huiusmodi celerem consumptionem humidi substantifici a calore naturali, ea proculdubio abstinendi necessitatem imponent ab omni alimento remouendo finem alimenti; siquidē natura, quæ frustra operari nescit, vbi suo fine potest sine labore potiri, superuacaneam actionem non admolitur. Quibus itaque hominibus calor humori sic proportionatus contigerit, vt nonnisi multum post temporis spacium, minimum quid humoris a calore consumatur, eos ab omni penitus alimento abstinere cogit huiusmodi proportio tollendo finem nutricationis, qui consistit in prohibenda celeri consumptione humoris radicalis a calore naturali.

Vide li. 4. cap. 26.

Violētum omne ab extrinseco prouenit.

Viuentia subcælestia cur sint per se mortalia.

Principiū interdum quod viuētibus mortem machinatur.

Mista cur per se corruptibilia.

Mista inanima cur vi altrice vi priuata, non tamē neglecta sunt a natura.

2. phys. t. 63.

Quibus præsertim sit caussa ieiunij hæc proportio caloris ad humorem. Cap. LVII.

VT omnibus quodcunque temporis spacium ieiunantibus huiusmodi caloris innati ad substantificum humorem proportio abstinentiæ caussa ideo esse potest, quia tum breui, tū longo tempore in humanis corporibus conseruari valet: ita quum semper aliquid in ea calor absumat humoris substantifici nihilo in consumpti locum alimentorum opera succedente; ijs tantummodo abstinentibus ieiunij caussa esse dicetur, qui assidue contabescunt, siue celeriter, & euidenter, siue occulte, ac lente contingat eos emaciari. Si qui vero abstinentes nihil omnino imminuantur, eos plane ob huiusmodi commēsurationem, in qua calor natiuus humorem substantialem parumper superet, ac sensim depascatur, longum ieiunium ferre verisimile non est; quia iugiter, quātumuis lente, calor si humorem substantificum absumat, fieri non potest quin corpus abstinentis imminuatur. Multo minus ob huiusmodi proportionem caloris ad humidum abstinere illos asserendum est, si qui reperiantur homines, qui in ieiunio crescant; augumentum etenim nutricationem necessario comitem habet ex Aristotelis decreto, quæ nisi calore cito humidum consumente non obitur, ac omnino citra necessitatem auocandi calorem a celeri consumptione substantialis humidi, siue citra proprium finem nō editur; qua eum celeri consumptione proposita, reperiri nequit caloris & humidi commensuratio abstinentiæ caussa. Ceterum vt pauci admodum sunt inter enumeratos abstinentes, qui semper in eodem statu consistentes nihil omnino imminuantur, nec euidenter, nec latenter contabescant; paucissimi, atque vt ego quidem censeo nulli, qui vere augeantur, licet aliqui decepto sensui crescere videantur; quemadmodum in superioribus de abstinente Consolentanea obseruatum fuit; magna vero manus eorum, qui sensim contabescunt; ita communem diuturni ieiunij caussam pluribus abstinentibus commemoratis assignare liceat eam caloris natiui ad substantificum humorem proportionem quoad vires, in qua paruus adeo sit caloris excessus, vt eius actioni humidum maximopere obsistens non nisi lente, ac multam post temporis intercapedinem vinci, & absumi valeat.

Vide li. 4. cap. 34.

1. de gen. t. 34. 2. de an. t. 47.

Lib. 2. c. 145.

Quomodo se habeant ad inuicem proposita duæ caussæ in producendo ieiunio. Cap. LVIII.

DVæ vero allatæ caussæ ieiunij, nempe caloris natiui, & humoris substantifici æqualitas, & proportio, vt multa obtinent, in quibus conueniunt; ita nonnulla etiam habent, quibus dissident ab inuicem: conueniunt in duratione, quia vtraque breui, & longo tempore admetiri potest, pro varietate subiecti, & extrinsecus occursantium: conueniunt deinde in ratione operandi, quoniam ieiunium producunt ambæ prohibendo nutricationem, hanc vero prohibent tollendo vsum, & finem alimenti, nempe celerem consumptionem substantifici humoris inhibendo; quæ omnia fuse superius: conueniunt deinceps quia pariter appetentiam demoliūtur, quod similiter efficiunt impediendo nutricationem, prohibendoque humoris celerem consumptionem, & procul arcendo partium, & vasorum exinanitionem, ac desiccationem; appetitus enim tunc solum viget, suoque munere fungitur, quando exsiccatæ partes a vasis trahunt, inde vasa exinanita sugunt alia ab alijs continuata serie quousque tractionis, suctionisque motus ad ventriculum perueniat, quem sentiens facultas veluti molestum incitat nos ad appetendum: æqualitas autem, & proportio caloris, & humoris tollens celerem desiccationem, exinanitionemque, tractum & suctum simul prohibet, ac vna impedit eorum sensum, vnde quoque appetitum demolitur. Dissident autem quoniam æqualitas omnem humoris destructionem tollens ab interno principio, communior est ad varias ieiunij species, quam sit proportio prohibens solam celerem humidi consumptionem; siquidem æqualitas abstinentibus tum in eodem statu, & habitu corporis permanentibus, tum quoque sensim, ac iugiter contabescentibus diuturni ieiunij caussa esse potest; proportio vero solis tabescentibus, nullum penitus ius obtinens in consistentes, vt antea notauimus: Dissident secundo, quia vicissim quoad numerum abstinentium fortasse multo plures erunt, quibus ieiunium diuturnum est a proportione, quam ij, quibus ab æqualitate; siquidem æqualitas proportione rarior est, seu difficilior inuentu, & minus durabilis, quum minorem obtinuerit latitudinem; in ijs enim, quorum amplior est latitudo, plures reperiri, & diutius immorari valent; contra facilior est lapsus ab indiuisibili, seu ab eo, quod magis accedit ad indiuisibile, paucioresque in eo consistere possunt; in quam sententiam & Aristoteles adnotauit in vnaquaque re, ac præcipue in particularibus & singulis medium inuenire, atque diutius consistere difficile, rarumque admodum esse.

Appetitus quando vigeat.

2. ethico. 9.
Difficile, ac rarum est in singulis medium inuenire, & diu consistere.

Aequalitatem, & proportionem caloris natiui, & humoris radicalis posse statui caussas ieiunij communes omnibus abstinentibus ab initio enumeratis. Cap. LIX.

QVum autem duo potissimum sint in abstinentibus nostris admirabilia, quæ humanas mentes hucusque non parum exercuere, nempe diuturna ciborum, potionumque intermissio, & æque longa huic abstinentiæ comes appetitus ignauia, ita vt huius vtriusque si caussas nouerimus, sat superque arduæ quæstioni satisfecisse videamur; quum alia cuncta in abstinentibus obseruata vel manifestas alias caussas obtineant, vel ex ijsdem principijs, vnde abstinentia, & inappetentia prodeunt, exoriantur; Porro caloris naturalis, & humoris substantifici æqualitas, & proportio quum æque impediendo celerem humoris consumptionem alimenti necessitatem tollant, vnde abstinentia, & partium desiccationem, exinanitionemque prohibeant, vnde inappetentia enascitur diuturna; duæ sunt hæ caussæ, quæ vniuersis abstinentibus antea commemoratis vitam sine cibo potuque diu protrahere possunt.

Manifestatur ex his caussis diuturnum hoῖ ieiunium proficisci rei naturam consideranti. Cap. LX.

VIuentium nostratium natura duplici principio essentiali constituitur potissime, anima & corpore; anima quidem licet multiplicis naturæ sit pro varietate viuentium; nullum tamen apud nos viuere, cui non insit vegetalis anima, nonus est quam dignum vt in eo confirmādo tempus conteramus: corpus autem viuenti omni subcælesti mistum ex quatuor elementis contigisse, perspicuum est non minus, latissimeque in superioribus demonstratum: quare viuentia hęc apud nos omnia essentialiter sunt mista ratione materiæ, & animata ratione formæ: Quum autem necessitas alimenti non aliunde ingruat huic viuentium generi, quam e celeri consumptione humoris a calore; quæ duo sunt partes essentiales misti vt mistum est; facultas vero nutriendi nemine discrepante ad animam pertineat; hinc necessario colligas uiuētia nostratia, quatenus animata sunt, eatenus habere facultatem alendi: quatenus autē mista sunt, eatenus obtinere necessitatem quandam, seu potius indigentiam nutrimenti: non autem uicissim: nanque anima non habet uim consumendi humidum. Quoniam uero facultatis, & necessitatis, seu indigentiæ alendi ea est differentia, quod facultas in potentia est ad agendum, nec ullo pacto cogitur semper operari, sed ęque se habet ad otium, & ad negotium: quippe sapit naturam potentiæ, quæ ex se indifferens est ad opposita: necessitas autem, & indigentia magis actionem respicit, requiritque præsentem: hinc factum est ut uiuentibus ab anima conueniat posse ali, a corpore uero qua ratione mistum est ijsdem competat debere nutriri. Ex his liquido constat homines ra-

Calor & humorsūs partes misti essentiales.

Potentia ex se indifferens est ad opposita.

Viuēti ab anima est posse ali, a corpore debere ali.

tione animæ ad libitum posse a limentis & vti, & abstinere tota vita. Sin autem abstrahendo ab anima considerentur viuentia nostratia quoad corpus, & quatenus mista sunt, inde quidem adipiscuntur vt ali debeant, non tamen vt assidue sint nutrienda, nec possint a nutricatu diutius ociari; nam primo necessitas hæc, siue indigentia illis inest obseruatione Aristotelis ex necessitate augumenti; quum autem augumentum adeo necessarium non sit viuentium singulis, quin plerunque ad multum temporis intermittatur; saneque vius alimenti haud minus in hominibus plurimis ratione corporis intermitti poterit quam augumentum. Deinde vero viuentia vt mista, seclusa consideratione animæ, quoad corpus ijs obnoxia sunt affectionibus, quibus & mista inanima passim subijci obseruantur; inanima enim hæc & corpora sunt, & mista ex quatuor elementis, & proprium temperamentum habent ex quatuor primis qualitatibus exoriens, quin & proprium calorem naturalem, humoremque substantificum nostris proportione respondentes; vt liquido constat ex superioribus; & eadem inanima corruptibilia quum sint natura sua, si non mortalia, non tamen ab interno principio corrumpuntur nisi vel humore in eis suffocante calorem, vel calore vicissim consumente primigeniam humiditatem, eaque consumpta, illo sursum ad propriam sphæram euolante, ad quã propensus ab humoris materia tenaci, & viscida impediebatur ascendere; quæ omnia itidem comperias in viuentibus subcælestibus: Quum itaque in mistis anima carentibus calor naturalis humori substantifico adiunctus permaneat multos annos citra nutricationem, & sine alimento, vnde impediri queat humiditatis internæ cita cõsumptio a calore, seu si mauis quod vulgo dicitur, vnde quoquopacto restaurari possit humor substantificus, qui a calore iugiter absumitur, nonnisi quia vel calor vires obtinens æquales viribus humoris eum non consumit, qui propterea non indiget refectionis ex humido exteriori; vel etiamsi calor humidum continenter absumat, humor tamẽ ex se poteit caloris actioni sic resistere, vt sufficiat ad retinendum calorem in misto per longum tẽporis interuallum rei corruptibilis durationi consentaneum: profecto si viuentibus necessitas, & indigentia nutrimenti est ob humidi substantifici celerẽ cõsumptionem a calore, quatenus misti principia sunt seclusa consideratione animę, vt nuper ostensum est; nulla ratio suadere potest cur simi liter id euenire nequeat in mistis animã habentibus, & speciatim non accidat in ijs viuẽtibus nostratibus, quę diuturnam vitam sine cibo, potuq; degunt, nẽpe vt non indigeant nutricationis vel quia in eis calor humori non prædominãs ipsum cito non dissipet, vel parum prædominans ipsum cito non absumat; vnde sufficiat humor interior solus absq; exterioris alimenti aduentu ad retinendũ in viuentis corpore calorem naturalem per multum tempus, ne quo propensus est, euolãs ad æthera, & ideo corpori animã nectere desistens vitam interrumpat. Id quod vel ea ratione manifestum cuiq; fieri potest, quia quũ propter maximos caloris vsus in humano corpore (omnibus etenim vitæ functionibus obeundis calor deseruit Arist. passim autore, Medicisq; nullis reclamantibus) propterea calorem vt plurimum humori longe prædominantẽ a natura sortiri consueuimus: vnde fit vt illo hunc celeriter consumente fere omnes alimẽtorum vsu indigeamus calorem acita humidi consumptione auocantium; nec diu sine alimento viuere possimus nisi caloris acies retundatur, & humoris virtus ad illi resistẽdum roboretur; atq; ita caloris, & humoris vires aut ad exactã æqualitatem redigantur, aut saltem ad eã proportionẽ, qua calor minimum superet virtute humorem: id autẽ præter cetera mirifice præstat vna frigiditas; ea enim tum contrarij caloris vires labefactantur; tũ substantia humoris cogitur in maiorem dẽsitatem, qua longe melius apta est consumẽti calido resistere: Nec alia sane ratione ab hiemis frigiditate Lucomori, Timonis auia, serpentes, vrsi, glires, aliaq; omnia brutorum genera, & stirpium quoque secla hiemem sine vllo nutricatu degentia sortiuntur huiusmodi habitũ ieiunij, nisi quia caloris natiui, & humoris substantifici vires ad æqualitatem, aut prope ab vno ambientis frigore calorem hebetante, atque humorẽ condensante rediguntur quã facillime.

3. de an. t. 59.

cap. 43. & sequent.

Alimentorum indigentia viuentibus conuenit qua mista sunt.

Vide li. 4. cap. 88.

Confirmatur hoc ipsum argumento desumpto a lucernis vetustissimis, quæ nostris temporibus in sepulchris ardentes reperiuntur. Cap. LXI.

IMmo vt ad specialia quoque mistorum animã carentiũ genera descendamus, quũ apud probatissimos quosq; Philosophos, & Medicos vita, & viuẽtium calor innatus, atq; humidum radicale lucernæ ardenti, & flammæ, atque oleo in ea contentis quoad propositũ aptissima proportione respondeant; quum nostra, & superiori ętate Romæ, & alijs plerisque Italiæ locis repertæ sint paruæ lucernæ in antiquissimis sepulchris ad huc ardentes post multas annorũ decades, & centurias, absque eo quod extrinsecus liquor ullus iugiter inferretur combustibilis, eo solo, quo ab initio refertæ fuerant, sufficiente ad continendam tãdiu flammam; quumq; id non aliunde fieri possit quã ex eo quia calori obtineat liquor uires uel æquales, ut omni eius actioni penitus resistẽs nihil unquã ipsius absumatur a flamma; uel proportionatas adeo ut nonnisi multã post temporis intercapedinem minimũ quid humoris ab igne cõsumi ualeat; quocirca eius residuum citra noui exterioris accessum possit longissimo tempore flãmulam sustinere: Quæ omnia longe, lateque discutimus in opere *De priscis sepulchrorum Lucernis*: si ergo propter æqualitatem, uel proportionẽ uirium caloris & humoris interni solius lucernæ lumen, & ardor, ignisque in summo fere actiuitatis gradu per tot annorum uices nullo extrinsecus affuso pabulo perdurare potuit; cur calor innatus animaliũ, & hominis longe mitior, uitaq; illo calore nixa ijsdem nominibus per plures etiam annos absque alimentorum usu conseruari nequeat, nulla ratio est, quæ suadeat satis:

Vt apertissime iam constet ex traditis caussas naturales tam diuturnæ abstinentiæ omnibus ieiunantibus commemoratis nullas alias esse posse generatim, quam duas propositas vna tollentes necessitatem alendi, & appetendi, illæsa vtriusque functionis facultate, quæ ab anima est; quæ caussæ sunt æqualitas virium caloris natiui, & humoris substantifici, qua neuter alterũ destruat, sed vterque alterum in viuente contineat; & virium earundem proportio illa, qua calor nonnisi multum post temporis tractum humoris minimum quid absumat; quum alimenti necessitas, & indigentia viuentibus ingruat ex celeri humoris interni a calore consumptione.

Vide li. 4. cap. 39.

De æqualitatis propositæ inter vires caloris & humoris varietate essentiali. Cap. LXII.

Porro æqualitas virium caloris & humoris interni licet pro varietate graduum vtriusque plurimas differentias habere possit;

Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint
Est numerus, neque enim numero comprehendere refert:
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionij veniant ad littora fluctus.

nihilominus claritati studentes ad tria summa capita illas omnes redigenda putauimus, nimirum ad caloris imbecillitatem, vigorem, ac mediocritatem; quorum capitum nullum putes in indiuisibili positum, sed magnam scias obtinere latitudinem: Æqualitas ergo primi generis ea est, in qua calor debilis adiungitur humori tum quãtitate tum consistentia moderato citra lentorem, visciditatemve sensibilem; æqualitatem nanque virium calor & humor habere tunc dicuntur, quando tantundem habuerit humor vigoris ad resistendum, quantum calor virtutis obtinet ad agẽdum; at vero calori debili moderatus humor, etiam non lentus penitus obsistere poterit; sed tamen humor infra mediocritatem constitutus a calore, cuius virtus ceteris paribus longe actuosior est, non poterit non dissipari: supra eandem autem moderationis metam humor calorem suffocabit, aut extinguet: ita ergo calori debili vires obtinebit æquales humor quantitate, consistentiaque moderatus. Æqualitatem vero secundi generis comperias in calore vigenti, & valido, cui subsit humor plurimus, densitatem, seu consistentiam maximam sortitus cum viscididitate, ac lentore summo; siquidem vehementi calori penitus resistere nequit humor nisi plurimus, soliditate, ac lentore inexpugnabili. Tertij demum generis æqualitate virium fruuntur calor & humor medius inter propositos vtriusque gradus, calor scilicet mediocris, & humor quantitate, consistentiaque mediocritatem parum excedente, cum lentore, ac visciditate sensibili; quum etenim caloris virtus actiua sit admodum, humor autem minimum vicissim obtineat actiuitatis, fereque sit absolute passiua qualitas; caloris mediocris actioni haud profecto reluctari, & resistere posse verisimile est nisi humorem quantitatis, consistentiæ, ac visciditatis multæ, ac omnino mediocritatem quoquopacto excedentis.

Calori debili quis humor vires habeat æquales.

Calori valido quis humor habeat vires æquales.

Calori mediocri quis humor vires habeat æquales.

Proportionis inter eadem vitæ principia propositæ varietas essentialis. Cap. LXIII.

Svnt autem & in altera communi abstinentiæ caussa, nimirum in ea caloris, & humoris proportione, qua calor adeo parum excellat supra vires humoris, vt ipsi continenter infensus hunc tamen cito consumere nequeat; sunt inquam totidem in caloris, & humidi naturalis proportione differentiæ, quot nuper in eorundẽ æqualitate repertæ fuere; siquidem calor tarde admodum humorem consumere potest tum imbecillus, tum mediocris, tum etiam validus; quippe humor esse valet in corpore viuentis, qui diutius queat sustinere actionem caloris & debilis, & moderati, & potentis. Profecto proportionis omnis differentia in eo constituta est, quod calor parum excedat vires humoris, nempe gradu vnico, ita vt si calor imbecillus habuerit vires vt quatuor, humor illi proportionatus vigorem suum ad tria extendere debeat; si calor mediocris agere valeat ad sex, humor illi subiectus obsistere possit ad quinque; si demum calor potens polleat viribus vt octo, humori subdito insint resistendi vires vt septem. Sed speciatim primum genus proportionis ille est, in quo exilis calor pauco, tenuique humori associatur ad mediocritatem accedẽti, nulliusque visciditatis participi; nanque ob disparitatem actiuitatis, etiamsi pari mensura iungantur ad sensum, vbique tamen caloris vigor excedet virtutem humoris. Secundi vero generis proportio consistit in societate moderati caloris, & humoris paullo mediocritatem superantis copia, & consistentia, quibus nonnihil visciditatis adiunctum fuerit; belle siquidem calori mediocri ad longam temporis intercapedinem resistere poterit humor huiusmodi cum leui, & lenta propriæ substantiæ iactura. Tertio denique proportioni generi adscribendus est calor ingẽs adiunctum habens humorem plurimum, crassissimum, & viscidissimum, quantum viuentis natura, & sanitatis latitudo ferre poterit.

Quibus abstinentibus a primo genere tum æqualitatis, tum proportionis virium caloris & humoris interni ieiunium ortum duxerit. Cap. LXIV.

Qvum autem superius longe lateque consisterit æqualitatem, & proportionem generatim propositas inter vires caloris & humoris substantifici esse caussas communes omnium differentiarum admirandi ieiunij cum eo discrimine potissimum, quod ab æqualitate originem tum tabescẽtium, tum in eodem statu perseuerantium abstinentia originem trahere potest; quum proportionis effectus esse nequeat nisi eorum ieiunium, quorum corpora iugiter sen

sum con:abescunt: præstat nunc speciatim magis varias abstinentiæ differentias in gradus certos propositarum caussarum resoluere. Qua quidem in re quum notum cuique sit calorem naturalem haud solum illud esse instrumentum, quo anima corpori adiuncta vtitur ad operandum; sed esse præterea vinculum, quo anima primum corpori iuncta fuit, & adusque internecionem corpori associata detinetur; euidens id etiam cunctis esse debet calorem sola sui præsentia corpus disponere, apparareque ad animam, eamque corpori adiungere, adiunctamque retinere; at vero deseruire vitæ operationi cuilibet proprijs viribus in actum exertis; nanque dispositiones præuiæ subiecti ad formam sola sui præsentia suo muneri satisfaciunt, quod est formæ subiectum disponere, apparato formam iungere, adiunctamque retinere; at instrumenta deseruire nequeunt alienis functionibus nisi proprias vires exerceant in subiectam aliunde sibi materiam, quæcunque sit illa: Quum autem omnibus ratum, confirmatumque sit instrumenta, & agentia cuncta nostratia, seu elementaria semper agendo repati, atque a patientis viribus renitentibus quoquopacto labefactari; proculdubio hinc necessario colligas calori ad inseruiendum operationibus animæ sub instrumenti ratione multo magis opus esse vires, quam ad vniendam animam corpori sub ratione vinculi. Quum denique calor viuidus, aut mediocris animæ præsto existens, ac potissimum ab obiectis præsentibus lacessitus nequeat non in actum prorumpere; profecto quicunque abstinentium nostrorum ab omni penitus vitæ operatione feriati leguntur, vt auia Timonis, quæ vrsarum more semianimis in spelunca bimestre iacebat, non audiens, non videns, immobilis, minime, aut minimum respirans, & fere mortua; vt Lucomoriæ populi, qui fere semestre cuncta itidem vitæ munia mortuorum instar intermittunt; vt in genere brutorum ex obseruatione Galeni serpêtes, muscæ, aliaque plura hieme torpentia; ijs calor adeo imbecillus est, qui sui quidem præsentia vitã sustinere potest animam corpori iunctam conseruando; sed vires tantas non habet, quantis opus esset ad hoc vt instrumenti officio fungens deseruiret animæ ad vitę munia obeunda nimirum ad nutricationem, sensum, motum, & reliqua id generis: Quare horum abstinentia effectus est æqualitatis virium caloris, & humoris in primo genere. Verum quoniam calor imbecillus humoris vires excedere potest, & quamuis opportunum instrumentum animæ non sit ad operationes vitæ obeundas; vires tamen habere potest supra resistentiam humoris; quum enim calor suapte natura sursum semper inhians vi ab humore detineatur deorsum in misto, proinde nunquam non studet humorem consumere tanquam impedientem sibi ascensum: Quare abstinentes, quibus & hic debilioris caloris excessus est supra vires humoris, & æqualitas virium vtriusque, omnes torpere semianimes, cunctasque viuentium operationes intermittere necesse est: Quæcunque igitur viuẽtium genera diuturno in ieiunio languida torpẽt

Calor sui præsentia vita deseruit, suis viribus vitæ operationi.

Dispositionum præcedentium munus.

Calori magis opus est vigor ad obeundas vitæ operationes, quam ad viuentis constitutionem.

1. aph. cõ. 15.

veluti mortua, nec vllam vitæ functionem obire videntur, ea omnia suæ abstinentiæ originem referre debent in æqualitatem, aut proportionem virium caloris, & humoris in primo gradu, in quo calor est imbecillus.

Quibus abstinentibus longi ieiunij caussa sit e secundo genere tum æqualitatis, tum proportionis, quæ sunt cum valido calore. Cap. LXV.

Ex his difficile non erit inuenire quibus abstinentibus secundum genus æqualitatis, & proportionis virium caloris & humoris longum ieiunium dederi; nam quicunque abstinentes præter vegetales operationes probe funguntur omnibus officijs vitæ cum sentientis, tum etiam rationalis, vt qui [illegible]ntiunt, mouentur cũ agilitate, ratiocinantur, & alia quęque prompte peragunt ciuilia, domesticaque ministeria, ijs calore validum inesse opus est ad tot munia rite peragenda: ceterum calori valido æqualis, aut quasi æqualis esse non potest humor nisi plurimus, densissimus, atque lentissimus intra valetudinis arcã; quod erat secundum genus æqualitatis, & proportionis virium caloris, & humoris primogenij. Qui ergo diu ieiunantes recte simul obeunt omnia vitæ munia præter vegetalia, quæ intermittunt, his caussa ieiunij est humor æqualis, aut proportionatus calori valido, quæ superius exposita fuit æqualitas, & proportio virium caloris, & humoris naturalis in secundo genere; huiusmodi autem fuere abstinentium plurimi, nempe inter feminas puella Narbonensis, Schmidvveillerensis, Normandica, Pedemontana, & aliæ; inter viros autem Nicolaus Heluetius, Melancholicus Alberti, Scotus Cardani, & alij quamplurimi.

cap. 62. 63

Quibus longæ abstinentiæ caussa fuerit æqualitas, & proportio virium humoris, & caloris mediocris in tertio genere. Cap. LXVI.

At vero quibus calor neque adeo inualidus cõtigit, vt nullam vitæ functionem recte queant edere, neque adeo potens, vt omnibus alijs, præterquam nutricationis opere, vitæ muneribus fungi valeant; sed mediæ cuiusdam sortis inter imbecillum, & fortem, cuius beneficio possint vel aliquot solum edere, vel diminute operationes animæ sensitricis, & rationalis obire; quemadmodum euenisse obseruatum est antea in puella Spirensi, quam taciturnam, desidem, somnolentam scribunt clarissimi viri; taciturnitas ocium ratiocinantis animæ aperte prodit, pigritia motus impotentiam, somnolentia vero sensuum torporem, & impotentiam vigilandi; huic sociam damus puellam etruscam, quæ respirans, videns, & audiens, in lecto ægre mouebatur, vix loquebatur matri, & somnolentam vitam agebat. Sed inter abstinentes extitisse plures, quibus calor in ea latitudine contineretur amplissima, quæ media est inter debilem, & validũ; & proinde quibus aliquæ vitæ operationes ederentur, sed tamen haud optime perficerentur, ne-

mo

Lib. 1. mo iam possit ambigere, qui abstinentium propositas legerit historias, quique communem hominum inspexerit naturam intra sanitatis latitudinem, ac præsertim etiam in eo statu, quem Medici artifices sensati medium ponentes inter ægritudinem, & sanitatem neutrum appellant, in quo calorem debilem adeo non esse, vt vitæ operationibus deseruire nequeat, neque adeo validum vt ijs omnibus apte famulari valeat, ex eo facile probes, quia vbi fieri nequeunt actiones, morbus est in viuente, quod si eas omnes rite possit obire, sanitate necessario fruitur; quas si minus recte perficiat, vt in conualescentibus a morbo, quales plerosque abstinentium nostrorum fuisse constat ex historijs, neutro in statu reponitur: Quicunque igitur abstinentes vitæ illa munia, quæ ad sensum, motum, & rationem pertinent, aliqua ex parte intermisere, aut recte obire non potuere; ijs ieiunium e tertio genere proportionis, vel æqualitatis virium humoris radicalis, & caloris naturalis mediocritatem non excedentis exoritur.

De discrimine trium horum generum æqualitatis, ac proportionis virium caloris, & humoris in producendo ieiunio. Cap. LXVII.

CONuenire tria hæc genera proportionis, & æqualitatis virium caloris, & humoris substantifici in eo, quod tollendo finem nutricationis, & alimenti vsum, abstinentiam, ieiunijque necessitatem inducunt, obseruauimus antea: Sed nunc ex rei natura præstat indagare nunquid in tanta conuenientia reperiatur aliquod discrimen: rationi equidem consentaneum est etiam in eadem functionis specie a tam diuersis caussis, cuiusmodi sunt calor infirmus, fortis, & mediæ conditionis, discrimen aliquod euenire, haud secus ac probabile fuit vnum, & eundem finem, qui est abstinentia longa, vno & eodem medio, nempe sublata necessitate alimoniæ, a diuersis caussis prouenire: Et sane discrimen illud est, quod in primo æqualitatis, aut proportionis genere calor ille nimium debilis nec debuit nutricationem promouere, nec potuit; non debuit quidem ob allatas antea rationes; non potuit autem, quia nutricatio multiplicem alimenti coctionem, ac transmutationem, excrementique segregationem includit, quæ opera exiguus ille calor non potest vlla
Aph. 15. ratione perficere, vel obseruante Galeno. In secundo autem genere proportionis, & æqualitatis calor potens, ac vigens vires equidem habet nutricationem celebrandi, easque mutationes omnes efficiendi, quæ nutricatui necessariæ sunt; at vero non debet nutriendi munus obire, quia frustra illud corpus alitur, cui humor cito non absumitur, augumentumque aut impeditur, aut
de an. 1. non requiritur; cuiusmodi est corpus propositam
Gal. 8.32 æqualitatem, vel proportionem virium caloris & humoris obtinens in secundo genere; at vero natura, cuius organum est calor innatus in actione alendi, vt monet Aristoteles, nihil vnquam frustra gerit. In tertio demum genere calor mediæ fortis nutrire viuens non debuit eandem ob caussam,

Calor innatus est natura instrumen... in fun...

incertum an potuerit; seu potius aliquando potuit, aliquando non potuit; profecto quum ad motum multo pluri, seu robustiori calore sit opus, quam ad sensum; quippe motus est actio mera, sensus vero est passio quædam, & magna ex parte; vigor autem ad agendum requiritur magis, quam ad patiendum: Deinde calor est organum deseruiens viuenti ad agendum simul & dispositio eiusdem ad patiendum; robur autem virium ad patiendum non requiritur formaliter, sed ad agendum; materia enim nullas obtinet vires penitus, quum sit principium mere passiuum: Deinceps autem obseruamus moribundos extincto fere calore immobiles iacere, at acutissimo auditu pollere; vt plane pateat longe magis ad motum, & omnino ad actionem viuentia indigere virium caloris, quam ad sensum, & ad passionem: Quum ergo nutricatio non sit passio viuentis, & caloris, sed vtriusque actio, & motus, isque multiplex, vt antea probauimus; rationi consonum est, quibus abstinentia inest ob æqualitatem, ac proportionem virium caloris & humoris in tertio genere, si calorem adeo imbecillum habuerint, vt motui locali simul & alicui sensui deseruire non possit, eos ab eiusdem caloris opera, etiamsi ali deberent, haud enutritos iri; si vero adeo potentem, vt sensuum muneribus inseruiens, motum etiam localem aliqua ex parte promoueat; illos nutriri quidem eo calore potuisse, si ali eos oportuisset.

...ctione ad... ds. *Ad motū calore opus est robustiore quā ad sensum, & cur.* *Calor est organū agentis, & dispositio patientis* *Materia nullas habet vires.* *cap. 19.*

De caussis terminantibus ieiunium generatim. Cap. LXVIII.

DIximus de caussis diuturnum ieiunium abstinentium nostrorum tum constituentibus, tum efficientibus, tum etiam conseruantibus abunde in superiori speculatione: quum autem eorum, quę tempore admetita intra certos limites includuntur, exacta contemplatio notitiā quoque termini postremi exquirere videatur; nūc eas caussas explicandas esse duximus, quibus eadē abstinētia terminatur; nihil enim physice ortum subterfugere potest interitum. Porro in termino, seu fine longioris huius abstinentiæ tria considerare valemus, effectricem caussam, formalem ac tēpus: age singula explicemus orsi ab efficientibus, hoc est a caussis ieiunium hoc tandem terminantibus. Profecto accidentia cuncta, immo vero effectus omnes, cuiuscunque generis extiterint, consistentibus, vigentibusque caussis, vnde prodeunt atque seruantur, semper consistere, uetus est: caussis uero conseruantibus de medio sublatis aduentu contrariarum aboleri pristinos effectus, & locum cedere contrarijs, nouum non est: Quum ergo producentes, conseruantesque caussę diuturnā abstinentiam sint æqualitas, vel proportio posita inter uires caloris naturalis, & humidi substantifici: haud certe alijs de caussis finiri poterit ieiuniū quam ijs, quæ tollere possint æqualitatem, & proportionem prædictam: Sed æqualitas, & proportio huiusmodi sunt accidentia; accidentium vero ut duplex origo est, ita geminatur illis corruptio:

Nil physice ortū subterfugere potest interitum. *Effectus vigente cā semper durat.* *Accidētiū duplex tū origo, tum etiā corruptio.*

exoriun-

exoriuntur quandoque accidentia per accidens, seu secundario, vel ex necessitate materiæ, ad ortum subiecti, cui proprie insunt; sic albedo, & dulcedo ad originem lactis enascitur, grauitas ad originem terræ, leuitas ad originem ignis, & ita de ceteris; de qua generatione vulgatum est axioma, Quod tribuit formam dat etiam consequentia formam; eaque est origo propria accidentium inseparabilium, & propriarum passionum:

Dans formã dat cõsequentia formam.

Nascuntur præterea sæpenumero accidentia primario naturæ, seu agentis cuiusuis alterius instituto, ac per se in subiecto iam multo antea genito, ac omnino secundum tempus præexistente; sic litteræ gignuntur in papiro a scribente, sic doctrina in animo discipuli a doctore, sic ab igne caliditas in aqua, & id generis; quæ origo communis est etiam accidentibus separabilibus: huic accidentium ortui duplex proportione correspondet interitus; alius est per accidens ad interitum subiecti, quo nomine corrupto animali scribit Aristoteles alicubi corrumpi & scientiam, quæ in animali; qui communis esse potest interitus omni accidentium generi: alius vero interitus est per se, ac primario instituto intentus a caussa contraria naturæ interimendæ illæso subiecto, qui casus est pro prius accidentium separabilium, etsi non semper eo interitu cadant: Quum ergo æqualitas, & proportio virium caloris, & humoris interni sint accidentia separabilia a suo subiecto, quod proximum est ipse vigor, & remotius calor, & humor in vnum coeuntes; proculdubio tolli poterit æqualitas, & proportio virium caloris & humoris tum per se, ac primario, superstite subiecto; tum quoque secundario, & per accidens ad subiecti exterminium. Age seorsum vtrumque genus caussæ inuestigemus, ab eo auspicantes initium, quod per se primo abolere potest virium caloris, & humoris æqualitatem.

Corrupto aiali corrumpitur scientia quæ in animali.

De lõg. et bren. vit. c. 2.

Corruptio propria accidentium separabiliũ

De caussa per se tollere valente virium caloris, & humoris æqualitatem; & ostenditur eam non esse calorem, nec humorem, nec animam, sed extrinsecus occursantia. Cap. LXIX.

Per se quidem æqualitas virium caloris, & humoris aboleri non potest, nisi alterius tantũ eorum, caloris nempe, ac humoris viribus aut adauctis, aut imminutis infra vires alterius; quumque hoc a neutro illorum fieri valeat; primum enim calor a semetipso non potest sui vires intendere, ac remittere; tum quia nihil in semetipsum agit, potissimum si fuerit naturæ simplicis, cuiusmodi calor est, qui pura forma, & qualitas existit; tum quia remissio calori est vel propter admistionem contrarij, vel propter rarefactionem subiectæ materiæ; intensio vero vel propter adiunctionem similis, vel propter densationem subiecti; verum hæc omnia sunt a calore distincta, vt proinde his de caussis aucto, aut imminuto caloris vigore, ipse sibi calor a semetipso vim aut addidisse, aut ademisse dicendus non sit; sed eius intensio, remissiove talis vbique pendere censenda sit ab alio agente: Humor quoque ijsdem rationibus a semetipso non potest sui vires aut acuere, aut eneruare.

Calor sibi vires intẽdere, ac remittere nõ potest.

Remissio caloris vnde fit. & intensio.

Deinde vero neque calor æqualis humori quoad vires eiusdem humoris potẽtiam, vigoremque potest vel augere, vel imminuere; non quidem imminuere, quia tantundem resistit humor calori, quantum calor in humorem agere conatur; atque in lucta paribus armis, æqualibusque viribus, vterque pariter adeo labefactatur, vt post pugnam vtriusque robur æquali remissione langueat: non autem augere, quia calor nihil adiungit humori, cuius virtus nonnisi vel adiectione nouæ materiæ succrescit, vel nouo densitatis, lentorisve gradu acquisito; multus enim humor plurimum pollet viribus, perinde quoque densus, ac viscidus vim magnam obtinet resistendi: etiãsi vero caloris opera densari valeat humoris substantia magis quam prius, atque vigoris nouum gradum superinduere; quia tamen nihil a calore suscipit, quod ei non rependat: siquidem calor in humore densiori virium & ipse robur maius adipiscitur e subiecti crassitie: propterea fit vt a calore humor æqualis vigoris nequeat hoc pati, quod eius vires adeo uel augeantur, uel imminuantur, ut æqualitas pristina dissoluatur.

Calor æqualis humoris vires nec augere, nec infringere potest.

Humoris vis vt augeatur.

Humor æqualis nihil a calore suscipit, quod ei non rependat.

Eadem penitus ratione humor caloris uires suis æquales nec intendere, nec remittere potest, quin una & propriæ cõ similiter intendantur, ac remittantur, permaneat que illæsa æqualitatis ratio pristina: Tolli ergo nõ potest æqualitas uirium caloris, & humoris ab ullo ipsorum: Quum autem in corporibus uiuentibus nihil essentiale reperiatur, atque internum, præter calorem naturalem, humorem radicalem, quibus (ut dudum ostendimus) uniuersa corporis natura integratur, & animam: quumque hactenus longe pateat a calore, uel humore, si fuerint uirium æqualium, huiusmodi æqualitatem destrui non posse: profecto si ab aliqua interna caussa id opus prouenire potest, nonnisi ab anima proficisci poterit extinctio æqualitatis uirium caloris, & humoris naturalis: ceterum qua ratione anima ualeat per se, ac immediate aut caloris, aut humoris seorsum uires uel intendere supra uigorem alterius, uel remittere infra robur alterius, nec demonstrari potest, nec ulla euidentia comprobari: est enim anima æque actus, & perfectio caloris, & humoris: quum unico respectu totum corpus compleat, quod calore simul & humore constare supra demonstrauimus.

Humor æqualis caloris uires nec intendere, nec remittere potest.

Viuẽtis essentialia sunt calor, humor, & anima.

c. 44. & 45.

Corporis viuentis natura calore, & humore constituitur.

Animam non posse destruere æqualitatem viriũ caloris & humoris.

Anima secundũ eãdem habitudinẽ totũ corpus complet.

Relinquitur ergo id, quo per se tolli possit æqualitas uirium caloris, & humoris nihil esse aliud, quam quicquid extrinsecus occursans potest suapte natura tum caloris robur intendere supra uires humoris, tum uicissim caloris uigorem deprimere infra uires humoris: tum humoris uim adaugere ultra caloris uirtutem, tum demum humoris uim diminuere infra caloris ualentiam. Porro non omnia extrinsecus occursantia possunt caloris, aut humoris uires intendere, uel remittere; sed ea tantum, quæ uigorem obtinuerint supra robur caloris, & humoris: nam ubique necesse est agentia uiribus superare patientia diuersæ naturæ: quia unumquodque a simili etiamsi exiliori addito augeri uiribus nouum non est: sic frigido trium graduum

adie-

adiectione vnius gradus augentur vires euidentissime: Valentiores itaque oportet illas esse caussas externas, quæ caloris, & humoris interni æqualitatem dissoluere valeant: Valentiores autem huiusmodi caussæ duplici differentia continentur; nam aliæ sunt robustiores vi, aliæ perseuerantia, seu diuturnitate actionis, dicerent scholastici alias potentiores intensiue, vt ignis aere valentior, ceteris paribus; alias extensiue, vt gutta lapide, & caprificus marmore valentior, non quidem vi, sed perseuerantia, & diuturnitate operationis, vnde in adagium cessit, *Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpe cadendo*: sic inter extrinsecus occursantia, quæ virium caloris, & humoris æqualitatem destruere possunt, alia sunt validiora intensiue, alia extensiue: Quum autem eorum species adeo multæ sint, vt certo numero complecti nequeant, proinde in proposito hucusque peruenisse sufficiat, vt agnouerimus caussas, quibus æqualitas virium caloris & humoris interni tolli potest, ac proinde ieiunium inde ortum finire, ac terminare per se, nullas esse alias, quam res illas, quæcunque occursantes extrinsecus ea vi pollent, vt vel statim, vel tempore longiori caloris, aut humoris solius vires vel augere, vel possint labefactare.

Validum quid bifariam dici.

Prouerb.

De caussis per accidens generatim euertentibus æqualitatem virium caloris, & humoris interni. Caput LXX.

QVum autem per accidens tolli dicatur æqualitas virium caloris, & humoris, quando destruitur subiectum, in quo fundatur; recte caussas eam per accidens corrumpere valentes dignoscere non poterit, qui prius naturam subiecti non agnouerit: Qua quidem in re paullo altius nobis petenda res est; Omnium accidentium subiectum commune substantia est; sed hoc alijs remotum, alijs est proximum subiectum; nanque accidentium alia immediate insunt in substantia, vt quantitas; alia mediante aliquo accidente priori, quod illis est ad instar subiecti proximi, vt albedo, & omnino color, qui dicitur esse in superficie, siue in substantia quanta ex Aristotele velut in subiecto adæquato, in substantia velut in subiecto remoto, in superficie velut in subiecto proximo; quo nomine colores ad superficiei mensuram metiendos, & per additamentum superficiei definiendos esse Physiologum docuit Aristoteles: Ea vero vbique accidentium est a subiecto dependentia, vt nullum viribus naturæ sine subiecto consistere possit, sed omne accidens quodcunque subiectum ab ortu nactum fuerit, tum remotum, tum proximum, tum adæquatum, necessario idipsum semper obtineat vsque ad interitum; sic a pariete si demas puram superficiem, quicunque illi color inerat, necessario corruet, perinde ac si parietis tota corrumperetur substantia: His ita constitutis commus ad rem accedere licet; Æqualitas accidens est, cuius immediatum, seu proximum subiectum sunt vires, remotum vero caloris, & humoris essentia, siue natura; vires autem accidunt essentiæ, viribus æqualitas; vt superficies corpori, & color superficiei; suntque calor, & humor substantialia misti principia, vires sunt qualitates de secundo genere, æqualitas est relatio: Itaque poterit aboleri æqualitas per accidens illi subtrahendo subiectum & viribus solis de medio sublatis, superstite natura caloris, atque humoris; & sublata quoque caloris, & humoris substantia.

Substantia non omnibus accidentibus est subiectum æque proximum.

cap. de Quant.

de sen. & sen. cap. 3.

Explicantur externæ caussæ per accidens æqualitatem propositam destruentes. Cap. LXXI.

CEterum æqualitatem hanc virium caloris, & humoris ei subtrahendo subiectum corrumpere valent caussæ plurimæ tum externæ, tum quoque internæ; externarum amplissimus est numerus, inter quas ad rei euidentiam duas considerabimus, nimiam scilicet frigiditatem, nimiamque caliditatem; externo etenim frigore vehementi quomodocunque, siue per asperam arteriam in inspiratione, siue per leues in transpiratione, intus recepto potest caloris vigor superari, & extingui; vt Lucomoris illis contingere supra visum est, qui torporem fugientes aeri gelido data porta per nares, & poros cutis apertos, mortem obeunt calore ui frigoris extincto; sunt enim contraria; quorum proprium est vt alterum a ualentiori destruatur; sic ergo ab externa frigiditate intra corpus irrumpente uires caloris extinctæ cum uiribus humoris integris æqualitatem non seruant: Ab externo, aduentitioque calore, qualis in hectica febre obseruari potest, substantia humoris natiui consumitur, non adeo refractis uiribus caloris interni; quare sublato remotiori subiecto æqualitatis, & ipsa dissoluitur ex necessitate: Hac ratione quidem innumeræ sint externæ caussæ, quæ calori, humorique uires, aut substantiam detrahendo, illarum æqualitatem destruant.

lib. 3. c. 6.

Afferuntur caussæ internæ per accidens euertentes æqualitatem virium caloris, & humoris; quarum vna ostenditur esse anima. Cap. LXXII.

AT uero internæ caussæ, quæ hoc ipsum præstent, duæ sunt; una quidem est anima, sed altera est mutua, & irrequieta caloris & humoris pugna: quæ caussæ seorsum exactius explicandæ sunt: Anima quidem quum utatur calore tanquam instrumento communi ad motus, sensus, & omnes alias quascunque vitæ functiones obeundas, duplici ratione subtrahere potest subiectum proximum huic æqualitati: prima ratio est, quia caloris uires magna ex parte auertit, ac distrahit a pugna cum humore; humor itaque totis suis uiribus agens in partem uirium caloris alibi uires impertientis ad uitæ munia, cum æquali non agit, sed cum inferiori uirtute: quare illis infensus demum perniciem inferet, nisi omnes aduersus humoris uim

Anima auertat calorē ab humore fine nutricationis interuētu

reuo-

reuocentur caloris vires; quod in abstinentibus illis contingere par est, qui desidem, & ociosam penitus vitam degere conspiciuntur: Huius autem dogmatis veritatem confirmet Hippocrates non alia de caussa cibum in accessionibus prohibens, quam ne auocatus calor a pugna cum caussa morbifica ad alimenti concoctionem, viribus imparibus morbo succumbat. Secunda vero ratio est, quia omnium subcælestium virtutum ea est conditio, vt assidua, & diuturna operatione fatiscant, ac remittantur; quæ quidem res in viuentibus vel sensui euidentissima, in alijs quoque apparet ratione dictante, qua certum est Aristotele non reclamante, inferi huius mundi virtutem agendo repati, ac propterea remitti; & hoc eo quia subcælestis virtus omnis corporea est: corpus autem, corporeumque agens nil agere potest quin moueatur: sed speciatim calorem nobis in diuturna, & iugi motione, molitioneque fatiscere, quisque vel in semetipso valeat experiri: Quoniam igitur anima humoris virtute non vtitur ad opera vitæ obeunda, quemadmodum vtitur viribus caloris; proinde fit vt in caussa sit anima, quare caloris robur in ijs operibus hebetetur, ac refrangatur, debiliorque fiat; quum autem pari ratione non imminuatur humoris vigor; inde fit vt qui prius erant æquales vigore calor, & humor interior, posterius inæqualium sint virium, caloris virtute labefactata multo magis quam robori humoris contingere potuerit.

Cur in accessionib' abstinere oporteat. *1. aph. 11.* *Conditio omnium virtutum subcælestium* *Virtus sublunaris agendo repatitur; & eur.* *Anima humoris virtute nō vtitur ad vitæ munia.*

Enucleatur altera interna caussa per accidens huiusmodi æqualitatem destruens. Cap. LXXIII.

Altera vero interna caussa, quæ per accidēs æqualitatem virium caloris, & humoris substantifici destruere valet, nimirum subtrahendo illi subiectum, siue tollendo aut vires ipsas, aut substantiam caloris, humorisque, nulla est alia, quam ipsamet vtriusque natura vtrique infensa; calor enim, & humor, licet æquali vigore sint, pugnant nihilominus assidue inter se, ex qua pugna neuter alteri aut præualet, aut succumbit, sed vterque sensim fatiscit æqualem debilitatis gradum incurrens, perinde ac duo athletæ pari vigore pollentes pugnare quidem adinuicem possunt, sed pugnando neuter neutrum vincere valet; vterque tamen vtrunque fatigat, & eneruat necessario, vt ex pugna vterque lassitudinem patiatur, & viribus adeo langueat, vt plerunque obstinata pugna vterque vel suffocatus, vel exolutus deficiat: sic diuturna pugna æquali virtute calor & humor sensim proportionabiliter hebetantur, atque fatiscunt, vt postremo ad eum tenuitatis gradum perueniant, in quo iam non amplius vitam, seu animæ cum corpore vnionem, coexistentiamve conseruare valeant; quo casu extinctus calor innatus, & consumptus esse dicitur substantialis humor in viuente; quod fusius alibi explicauimus; atque ideo subtractum esse subiectum æqualitati, quam demonstrauimus esse caussam longæ abstinentiæ.

Vide li. 4. cap. 90. *Agentia æqualium virium pugnant ad inuicē* *De ort. an. hum.*

De ijs, quæ per se destruunt aliam ieiunij caussam, proportionem scilicet virium caloris & humoris, ac speciatim de extrinsecus accedentibus. Cap. LXXIIII.

Proportionem vero & illam virium caloris, & humoris, unde consimiliter longū ieiuniū prodire probauimus, alia per se primo tollere possunt, vnius tantum eorum vires aut hebetando primaria quadam ratione, aut acuendo; alia solum per accidens eam euertunt, illi subtrahendo subiectum, quo nititur, siue proximum, siue remotum, sine quo proximum haudquaquam consistere valet. Profecto caussæ, quæ per se primo proportionem hanc virium caloris, & humoris interni prosternere queunt, duum sunt generum, externæ scilicet, ac internę; quum enim ab eo per se dirui huiusmodi proportio dicatur, a quo vires alterius tantum vitæ principij aut eneruantur, aut intenduntur, alterius viribus intactis; sane multa extrinsecus nobis occurrere posse, quorum opera intactis viribus caloris, vigor naturalis humidi augeatur, aut minuatur, nouum nulli videri debet; siquidem sula humoris condensatione, aut rarefactione; seu crassefactione, aut attenuatione; seu viscíditatis, aut contrariæ qualitatis inductione, vires, quibus humor caloris actioni resistit, attolluntur, aut deprimuntur; condensantia vero, & rarefacientia, incrassantia, tenuantia, lentorem, contrariamque dispositionem humori conciliantia extrinsecus nobis accedere posse quis non videt innumera? Quamplura item externa caloris interni vires acuere, vel hebetare posse, intacta humoris virtute, quis ambigit? frigus equidem ambientis eo gradu esse potest vt vires caloris frangat solius, humoris vigore non tacto; & calor similiter externus, odoresque intus attracti caloris vim roborare possunt, humoris virtute non tacta; quod in animi deliquijs ob exolutionem caloris frequentissime liceat obseruare; viribus enim caloris languentibus in exolutione statim odoratorum olfactu robur additur, quo breui temporis tractu substantia humoris incrassari, aut condensari nequit; immo humoris vigor ab odore minueretur, si tunc etiam in humorem operaretur odor; odoris etenim natura calefactoria existens humorem attenuando potius, minus aptum redderet ad obsistendum contrarijs, & eius vires potius hebetaret, quam adaugeret. Multa itaque sunt extrinsecus occursantia, quæ per se possunt aut caloris, aut humoris interni seorsum vires hebetando, vel acuendo proportionem earum tollere. Ceterum quum huiusmodi proportio, quam diximus esse caussam effectricem ieiunij, haud consistat in indiuisibili, sed effatu dignā obtineat amplitudinem; propterea non ita celeriter ab externis caussis extirpari valet: Quum autem istarum variæ sint differentiæ penes multiplices

Subiectū proximū sine remoto consistere non potest, *Calor vt roborari possit intacto humore radicali.*

plices gradus actiuitatis, illud hac in re decernendum est, ab extrinsecus occursantibus valentioribus citius proportionem dirimi, ab imbecillioribus vero tardius pro ratione virtutis; neque enim certum temporis terminum præfinire possis; quia mensura proportionis, & vigoris extrinsecus accidentium indefinita sit, nec vlla ratione homini determinari valeat.

Pro ... de... tardius.

De interna caussa per se primo proportionem virium caloris, & humoris euertente. Cap. LXXV.

PRæter externas innumeras, vnica latet in corpore caussa proportionem virium caloris & humoris tandem euertere valens, ea vero est calor ipsemet naturalis; quum enim huiusmodi proportionem ieiunij longi procreatricem eam esse dixerimus, in qua caloris vigor parum excedit virtutem humoris; atque ideo caloris vis vim humoris assidue destruit; vbique etenim pugnantium uirtutum ualentior infirmiorem eneruat, licet ubi exiguus fuerit excessus, lente admodum, & nonnisi post longam temporis intercapedinem minor potentia ex toto cedat, & destruatur a contraria sibi robusta magis; profecto continuata, & in longum producta caloris actione in humidum, tandem oportebit humoris uim obliterari, superstite ui caloris; atque ita una superstite, altera obliterata, intercedens antea inter eas proportio euersa corruet: Quamuis enim caloris uigor excedens in proportione uirtutem humoris iugiter eneruando, & ipse assidue repatiens debilitatem contra here possit illæsa proportione; quia tamen caloris, & humoris mensura quædam certa, & determinata necessario requiritur ad uitam sustinendam, ultra quem mensuræ terminum humor calorem hic apud nos retinere nequit, neque calor animam corpori adiunctam conseruare, proinde fit ut in proportione humor calori quoad uires non æqualis, sed paullo inferior iugi actione, atque uictoria uirium caloris oporteat humoris uires prius egredi terminum uitæ necessarium, caloris uigore consistente adhuc in eo gradu, quo possit animam corpori iunctam seruare, ac uitam sustinere; quæ ut lucidiora fiant, supponamus gradus uirium caloris, & humoris, quibuscum potest uita consistere, esse a duobus ad octo, ita ut intra duos gradus, & supra octo, neque calor, neque humor uitam conseruare ualeant; intra hos uero terminos quacunque proportione alter alteri iunctus commode possit uitam sustinere: sane proportio abstinentibus ieiunium producens erit (exempli gratia) ubi calori ut octo adiungatur humor ut septem; tunc autem agentibus his inter se, licet penes calorem uictoria futura sit, haud tamen citra sui dispendium futura est, repatiente ipso a uiribus humoris: quare hoc esto proportionatum dispendium, ut scilicet dum humor uirium suarum eam iacturam fecerit, qua descenderit ad sex, caloris uigor quoque refractus labatur ad septem; ratione siquidem consentaneum est calorem tantundem satisfecere, quantum humoris destruitur, quia caloris uigor & per se ab humoris uiribus infringitur, & per accidens ad subiecti humoris consumptionem dilabitur; secus enim sola reactione quod uincitur tantundem uictori contrario non rependit damni, quantum ab eius uigore sustinet: ita ergo diuturna caloris & humoris proportionati pugna urgente, ubi ad humorem ut duo, & ad calorem ut tria peruentum fuerit, qui ultimus gradus est proportionis uitalis, si pergat calor in humorem agens illius uires eneruare necessario infra eum gradum uirtutis corruet humor, qui uitæ necessarius est; redditus itaque humoris uigor uigens ut unum, uitæ penitus ineptus existet; quamuis autem calor inde redactus ad uires ut duo sit uitæ sustinendæ aptus, & eandem cum humore ut unum uideatur habere proportionem, quam paullo ante habebat ut tria cum humore ut duo; solus tamen calor uitæ sustinendæ sine humore idoneo non sufficit: neque proportionem eandem habet cum humore formalem, siue specificam, hoc est uitalem, & omnino abstinentiæ ueluti effectus, affectionisque uitalis procreatricem; sed proportionem tantum retinet secundum materiam, & genericam, ac uitæ, ieiunijque, quod uitalis passio est, penitus ineptam: sic igitur a calore soluta proportione illa uitali uirium caloris, & humoris innati, quæ abstinentiæ caussa esse perhibetur, ab interno agente demum ueluti a caussa per se finis emergit, terminusque ieiunij.

Vide lib. 4. cap. 91. & sequentibus.

Calor naturalis destruens humidū radicale, est praua...

Cur calor tantundē satisfeat, quantum humoris destruitur.

Agens repatiendo tantū non afficitur ut patitur.

Vide lib. 4. cap. 97.

De caussis per accidens euertentibus eandem virium caloris & humoris proportionem abstinentiæ procreatricem. Cap. LXXVI.

QVum autem nihilominus quam æqualitas, proportio hæc virium caloris & humoris accidens sit de genere relationis, cuius subiectum proximum sunt vires, remotum vero essentiæ, quibus vires illæ nituntur; profecto etiam proportionem tollere poterunt per accidens illa omnia, quæcunque ipsi subiectum detrahent, nimirum vires, aut essentias, unde vires ipsæ nascuntur: Quemadmodum vero ab innumeris externis caussis extingui posse vires, destruique naturam tum caloris, tum quoque humoris notum, vetus est: ita quæ per accidens tollant ex abstinentium corpore huiusmodi proportionem, caussas externas plurimas esse nouum non est: Immo quemadmodum a calore potentiori humoris substantiam absumi, certum est; ita prorsus caussam internam dari, qua per accidens extirpetur allata proportio, necessarium est. Duo igitur sunt caussarum genera, quibus per accidens, nimirum sublato subiecto, destruitur proportio virium caloris & humoris naturalis; quam videmus esse caussam abstinentiæ diuturnitate mirabilis; vnum externum, internum alterum; & quidem externum genus multas in se caussas complectitur, quæ omnes ad duas differentias redigi queunt, altera est omnium eorum extrinsecus occursantium, quæcunque vires caloris, aut humoris seorsum per se primo deijcere,

Vide lib. 4. cap. 97.

cere, ac extinguere possunt, quas vires nouimus esse subiectum proximum proportionis, vt superficies coloris: Altera vero est eorum, quæ extrinsecus accidentia naturam ipsam, & substantiam caloris, humorisve, cuius vires sunt qualitates, destruere valent; eam enim destruendo naturam, remotum proportionis subiectum de medio tollunt; at accidentia cuncta naturæ legibus inde per accidens intereunt, vnde subiecto, siue proximo, siue remoto priuantur. Internum vero genus caussæ, a quo per accidens tollitur proportio virium caloris & humoris, vnus est ipsemet calor excedens humorem in proportione, non quidem quatenus vires humoris labefactat, sed quatenus substantiam ipsam destruit humoris; simul enim calor agens in humorem proprijs viribus & vires humoris eneruat, & substantiam humoris exterminat; profecto qua humoris viribus infensus est, dudum caussa per se primo proportionem destruens dictus est; sed qua humoris ipsammet substantiam depascitur, nunc idem calor intimus caussa interna per accidens euertens proportionem constituitur. Hinc ergo habeas iam caussas abstinentiam longam effectiue terminantes cum per se, tum quoque per accidens, siue internas, siue quæsiueris externas.

Cap. 68. *Accidentia a quo per accidens corrumpantur.* *ide lib. 4 cap. 71.* *Cap. 75.* *Vide lib. 4 cap. 103.*

De forma, siue idea termini illius, in quem desinit longum ieiunium. Cap. LXXVII.

AGe nunc ideam, seu formam huius termini longæ abstinentiæ introspiciamus: Profecto quum diuturnum hoc ieiunium sit viuentis hominis quædam affectio, idea sui finis nihil aliud esse poterit, quam habitus, seu status, in quem a ieiunio permutatur homo; ceterum de abstinentia longa tendere nequeunt homines nisi vel in habitum sanitatis, vel in statum ægritudinis, vel in mortem; triplex igitur est forma termini, in quem ieiunium desinit, sanitas, ægritudo, mors; & reuera ieiunantium alij moriuntur, alij ægrotant, alij sani degunt, ieiunio terminato; quibus ieiunium desinit in sanitatem, his a ieiunio semper reditus est ad vsum alimenti; quibus autem ieiunium terminatur in mortem, his nunquam a ieiunio reditus est ad cibum, quippe mortui cibo non vtuntur; quibus vero de abstinentia transitus est in ægritudinem, his non necessario reditus est ad cibum; sed aliqui ex eis reiterato alimentorum vsu conualescunt; aliqui vero, quibus indigent alimentis perfrui nequeuntes, non quidem ieiunio, sed post ieiunium fame intermuntur; hoc enim proprie discrimen sit inter ieiunium, & famem, quod fames, siue inedia est priuatio alimenti necessarij; sed ieiunium siue abstinentia est non necessarij alimenti carentia; eos nanque homines, quibus ob caussas antea memoratas humor primigenius non absumitur, nullaque inest alendi necessitas, si diu ciborum vsum intermiserint, vere abstinentes, ac ieiunantes appellaueris; at esurientes, fame, inedia-

Forma termini ieiunij triplex *Fames a ieiunio qd interfit.* *Vide infr cap. 80.*

que detentos non vere dixeris; quibus autem humor celeriter consumitur, nec alimentis frui, vel vti conceditur, qualibet ex caussa, hos nedum ieiunantes, abstinentesque, verum etiam famelicos, & esurientes, inediaque laborantes scite nuncupaueris. Sed iam seorsum singulam ex propositis formis aperiamus.

De his, qui post ieiunium sani remanent, atque ad intermissum ciborum vsum necessario redeunt. Cap. LXXVIII.

QVicunque ob æqualitatem, aut proportionem virium caloris & humoris interni antea diuturno ieiunio peracto, demum abstinentiam deserentes bona valetudine fruuntur, atque intermissum alimentorum vsum innoxie repetunt; his necessarium est solutam fuisse proportionem, aut æqualitatem virium caloris & humoris ab aliqua ex nuper allatis caussis cum caloris victoria, humoris parua iactura, & partium nutricatui deseruientium integritate, aut exili admodum mutatione a pristino statu, quo fruebantur ante ieiunium: Profecto cum caloris victoria, quia secus, vbi penes humorem victoria remaneat, necessario morbus, & sæpenumero mors irrepit; quandoquidem in viuente, ac sano animali calor humori præesse, ac dominari debet veluti forma materiei; quod placitum ex ijs longe lateque demonstrari posset, quibus dudum ostendimus calorem ad humorem in nobis se habere, quemadmodum temperamentum ad corpus, siue ad materiam misti se habere dicitur; si quispiam propositi confirmationem, explicationemque desideret: Cum humoris parua iactura tum simpliciter, tum quoque ad caloris vires habito respectu; simpliciter quidem, quia soluta æqualitate, ac proportione humor ad eam tenuitatem deuenire potest, qua non amplius calori sustinendo, ac vitæ conseruandæ sit aptus; quum ad vtrumque hoc opus humoris determinata mensura non solum quoad molem, sed etiam quoad vires necessario requiratur; habito autem respectu ad caloris vires, quia si ab externis, internisue caussis in euertenda æqualitate, aut proportione uirium caloris & humoris adeo labefactetur humor, ut multus remaneat supra eius uires caloris excessus: quum sanitas non sine caloris & humoris commensuratione quadam consistat; & quum utriusque magno supra uigorem alterius excessu mala fiat ualetudo; tunc post abstinentiam haud necessario sanus deget homo: Cum partium nutricationi dicatarum integritate, quia fieri potest, immo uero sæpenumero contingit, obseruatione Hippocratis, ut ex intermisso usu alimenti per longum tempus stomachus, & intestina constringantur, arescant, & adeo exsiccentur, ut iam desuetum alimentum nec recipere, nec ui etiam intrusum retinere, ac elaborare ualeant ad nouam nutricationem. Quibus ergo ex abstinentia diuturna sanis permanentibus ad intermissum alimentorum usum necessarius est reditus, his æqua-

In viuente sano calor humori dominatur. *Cap. 44. et sequentib.* *Sanitas in caloris & humoris commensuratione.* *Lib. de Principys.*

æqualitas, aut proportio uirium caloris, & humoris interni abstinentiæ caussa sublata est eum caloris uictoria, cum humoris parua iactura, & cum partium nutriendi officio destinatarum integritate.

De his, qui ex longo ieiunio tandem moriuntur. Caput. LXXIX.

Sin autem æqualitas, aut proportio uirium caloris & humoris interni longam abstinentiã procreans ab allatis antea caussis, seu per se, seu per accidens sic aboleatur, ut ab ijsdem simul aut calor extinguatur, ac suffocetur, aut humor absumatur maxime: quibuscunque huiusmodi est abstinentiæ terminus, his omnibus ex ieiunio mortem adesse necesse est; ex ieiunio inquam, non ex inedia, non ex fame proprie dicta; siquidem quum fames, & inedia sit eorum affectio, quibus auertendus est calor a celeri consumptione humidi substantifici: sane tum quibus calor extinctus est, uel etiam extinguitur, suffocaturue intacto humore; tum quibus humor lente consumitur, uel etiam consumptus est, his nulla inedia, nullaque fames proprie inest, dum abstinent; quum nunquam indigeant alimenti usu, quo auocetur calor ualidus a celeri consumptione humoris. Amplius fames, & inedia est priuatio alimenti, cuius necessitas urget; quum ergo ieiunantes, quibus allatas ob caussas aut calor extinguitur, aut humor sensim consumitur, nulla urgeat alimenti necessitas; illos plane dicas ex ieiunio interire, non fame, quibus caussa ieiunij tollitur ab eo, quo calor innatus extinguitur, uel humor internus vltra mensuram vitæ necessariam absumitur. Et sane his abstinentibus terminus ieiunij necessario cum morte iungitur, quia vna & eadem res illa est, quæ tollit abstinentiæ caussam, & vitam destruit; immo simul & semel vna & eadem ratione abstinentiam terminat, & vitam; siquidem vitæ necessarius est tum calor natiuus animam corpori copulans, tum humor substantificus calorem in misto retinens; Quicquid ergo proportionem, aut æqualitatem virium caloris & humoris interni abstinentiæ caussam destruit aut extinguendo calorem natiuum, aut consumendo substantificum humorem, illud omne simul vitæ vincula dissoluendo mortem inuehit necessario.

Fames, & inedia quorũ sit affectio.

De his, qui ex longo ieiunio incidunt in ægritudinem, a qua conualescere possunt redeuntes ad vsum alimentorum. Cap. LXXX.

Ceterum præter hos alij sunt abstinentes, quibus ieiunium terminatur citra caloris extinctionem, humorisue consumptionẽ, aut leuem iacturam, partiumque nutricatui deseruientium integritatem; sed abstinentiæ caussa virium caloris, & humoris interni æqualitas, aut proportio aboletur cum notabili detrimento caloris, humorisve, aut partium corporis, siue singula seorsum accipias, siue omnia simul: Quibus tale quid accidit, his a ieiunio decubitus est in morbum: Quoniam vero morbus hic potest cum salubritati cedere, tum etiam morte finiri, vtriusque naturam exploraturi primum de his agamus, quorum ex ieiunio transitus est in ægritudinem, a qua conualescentes diu intermissum repetunt alimentorum vsum: His equidem morbus non aliunde potest exoriri, quam vel ex caloris, humorisve aut excessu, aut defectu extra sanitatis aream, vel ex partium nutricationi dicatarum læsione: Si ea quidem ratione soluatur caussa ieiunij, quia calor, etiamsi citra vitæ periculum, nimium tamen excedat vigorem humoris, tunc celeriter calor humorem depascitur, vnaque morbum, vt puta febrem excitat, & alimenti necessitatem incutit; ceterisque bene habentibus, illico appetitus alimenta postulat, cui subministrata nutricationem renouant: Sin autem eadem euertatur æqualitas, vel proportio virium caloris, & humoris interni absque nimio excessu virium caloris, nihilominus partes nutricationi destinatæ longo ex ocio desuetudinem, atque ineptitudinem (sanabilem tamen) contraxerint ad operandum; abstinentes e ieiunio descendent in famem, atque in atrophiam, in quo statu poterunt alimenta quidem, si non appetere, atque assumere, saltem immissa extrinsecus recipere; sed ijs non fruentur, nutrienturve antequam remedijs cesserit, vel sponte discesserit naturalium partium ægritudo prædicta. Duplici ergo ratione abstinentes nostri in ægritudinem decumbunt dum vsum alimentorum repetunt; nempe vel quia tollatur ieiunij caussa vel longe aucto calore supra vires humoris, indeque ingruente alimenti necessitate, quæ prius in virium caloris, & humoris æqualitate, ac proportione aberat, vt ostendimus; vel quia partes naturales, ventriculus potissimum, intestina, iecur, tam longis ferijs torpeant, nec apte debito iam fungantur officio elaborandi alimentum ingestum, & prius partium exinanitione, ac suctu ex ore petitum, vbi sublata ieiunij caussa cœpit calor humorem celeriter absumere.

De his, qui ex longiori abstinentia morbum incidunt, in quo non possunt intermissum alimenti vsum repetere. Cap. LXXXI.

Quod si æqualitas, proportione prædicta virium caloris & humoris interni, caussa diuturnæ abstinentiæ, soluatur adauctis nimium viribus humoris supra vires caloris, tunc abstinens morbum incurret, ac interitu ieiunium finiet; quandoquidem sanitatis, immo etiam vitæ interest calorem humori præesse, ac dominari; quum calor ad humorem se habeat, vt ad materiam forma; Naturæ nanque lege cautum est, in omni re formam continere, moderari, & omnino supera-

Sanitatis, ac vitæ interest calorẽ humori preesse.

re materiam; quam legem quidquam non transgreditur e corporibus physicis, quin statim, ceu pœna capitali, plectatur interitu; quod in mistis frequentissime obseruare liceat; quandiu enim calor intimus proprio humori dominatur, tandiu consistunt incorrupta; sed vbi a calore ambientis euocatus calor interior viribus cedit humori, statim putredine coorta mistum quodque corrumpitur; quæ omnia scite nos docuit alicubi Aristoteles. In his ergo, quibus superante humore vires caloris tollitur caussa ieiunij, abstinentia finitur interitu. Sidemum aliter etiam sublata caussa ieiunij, nempe cum laudabili caloris dominio supra vires humoris, partes tamen naturales impense diuturno ocio exsiccatæ, constrictæ, corrugatæque fuerint, quod abstinenti Consolentaneæ contigisse monet doctissimus Citesius, tunc organis non recte se habentibus, etiamsi vrgeat alendi necessitas, neque cibum appeti, neque vi etiam intrusum concoqui verisimile est, vt propterea ieiunantes in huiusmodi statu ex abstinentia in atrophiam, & ex atrophia in mortem necessario concidant; quod pulchre insinuasse Hippocratem in primo fere gradu longæ abstinentiæ dudum notauimus; inquit enim plerosque septem dies abstinentes exsiccari, & concrescere ventriculo, qui proinde nihil vel violenter intrusum recipere valens mortem ieiunantibus affert. Duabus ergo etiam de caussis abstinentes de ieiunio in morbum labuntur insanabilem, adeo vt, etiam sublata caussa ieiunij, alimentorum vsum repetere nequeant; nimirum vel quia soluatur proportio, aut æqualitas virium caloris & humoris interni cum victoria humoris supra calorem, cum qua victoria nec sanitas consistere, nec vita conseruari potest; vel quia stomachus, & intestina, ceteraque membra nutricationi destinata longo ieiunio exsiccata, contracta, & corrugata cum in mala conformatione, ac intemperie morbum contraxerint, quo neque appetere, neque intrusum etiam violenter alimentum concoquere valeant; vnde alimento, cuius eo tempore indigent, patientes destituti necessario moriuntur de abstinentia labentes in interitum.

Mista quādiu consistant incorrupta.

4. meteor. cap. 2.

Libr. de Principijs lib. 1. c. 2.

De caussis communibus varietatis, seu differentiarum temporis, seu durationis metientis longum ieiunium a subiecto desumptis. Cap. LXXXII.

HActenus abunde caussas longi huius ieiunij tum constitutrices, tum procreatrices, conseruatricesque (coincidunt enim hac in re, vt in plerisque alijs) tum quoque terminatrices contemplati fuimus: superest modo differentias temporis, quo admirabilis hæc abstinentia metitur, speculari, & in suas caussas referre. Ceterum quum multæ sint hæ ieiuniorum differentiæ a varietate durationis desumptæ, ad rei obscurissimæ dilucidationem præstat eas primum generatim considerare inquirendo ... communes varietatis, deinde ad specialem cuiusque durationis differentiam deuenire, singulam ieiunij speciem resoluendo in eas caussas, a quibus originem traxisse potuit. Generatim autem illud occurrit vnum adnotandum, haud potuisse omnes abstinentes ad eundem temporis terminum ieiunare; sed abstinentiam necessario multiugi temporis differentia debuisse metiri; atque huius varietatis in duratione ieiunij caussæ surgunt mihi e triplici fonte & vberes, & limpidæ, nimirum ex subiecto ieiunij, ex caussis efficientibus, & ex terminantibus abstinentiam; quæ sigillatim sunt explicanda: Quum enim hominum corpora & absolute, & speciatim nostrorum abstinentium diuersitate maxima in ætate, sexu, regione, temperie, moribus, vita, & alijs dispositionibus dissideant; nam ieiunantium commemoratorum sunt senes, iuuenes; masculi, fœminæ; Scoti, Hispanici, Normandi, Galli, Allobroges, Etrusci, Germanici; biliosi, melancholici, pituitosi, eusarchi, siue sanguinei; mites, feri; segnes, agiles; virgines, nuptæ, viduæ; sani, ægrotantes, neutri; profecto & ab ijsdem caussis ieiunantes ad eundem temporis terminum abstinentiam producere potuisse verisimile non est; quippe vel ad solam subiecti varietatem accidentia eiusdem naturæ multas differentias, potissimum in duratione sortiri necesse est; quum enim a subiecto quoque adeo pendeant quælibet accidentia, vt sine ipso viribus naturæ vllis consistere nequeant; saltem ad subiectorum tam differentium durationem variam, & abstinentiæ difformem quoque durationem fuisse oportuit: Quinimmo & subiectorum varietas caussa est etiam vt ab ijsdem caussis ijdem effectus varie, hoc est, citius, ac tardius producantur, ac terminentur; citius enim caloris idem gradus ceram quam ferrum emolliet, tardius viride lignum quam aridum accendet: Itaque vel ab eodem gradu æqualitatis, aut proportionis virium caloris & humoris interni eandem speciem abstinentiæ in varijs subiectis exortam dissimili duratione metiri necesse est.

Cur non omnes abstinentes potuerint æquali tēpore ieiunare.

Accidentia vt a subiecto depēdeāt.

De caussis varietatis in duratione ieiunij ab efficientibus, & conseruantibus abstinentiam depromptis. Cap. LXXXIII.

ALter eiusmodi fons est varietas caussarum producentium abstinentiam; vbi enim a varijs caussis seorsum idem effectus prouenire potest, ac potissimum in varijs subiectis; is non nisi multiplicis durationis esse valet: Quum itaque abstinentia hæc longa tum ab æqualitate, tum etiam a proportione virium caloris, & humoris interni exoriatur; immo veroquum & æqualitatis, & proportionis huius ieiunij procreatricis multi, & innumeri pene sint gradus, licet ad tria illa summa capita illos contraxerimus breuitatis, & clarioris doctrinæ gratia, quæ continentur calore valido, imbecillo, & medio; quis non videt a multiplici caus-

ei caussarum differentia, & a multiiugi gradu virtutis efficientis necessario multiformis durationis effectum procreari debere? Insuper autem quum eædem, quæ productrices caussæ dicuntur, sint etiam ieiunij conseruatrices; quumque ad varietatem durationis caussarum conseruantium variari conseruatorum effectuum durationem necesse sit, quod mirum si æqualitas, & proportio virium caloris, & humoris varijs in hominibus, & variorum in seipsa graduum, eadem nequit mensura temporis admetiri; quod ab huiusmodi caussa nascitur, & conseruatur ieiunium consimiliter non vbique temporis differentiæ æquali admetiatur? mirum sane foret, si non varia duratione suæ caussæ corresponderet abstinentia; non enim fieri potest vt vel ante conseruantis caussæ interitum cadat effectus, vel post eiusdem caussæ corruptionem perduret; quum simul necessario nexu iungantur conseruantia & conseruata proxima, seu immediata. Quum ergo æqualitas, & proportio virium caloris, & humoris interni, quæ varijs in hominibus, & varios in gradus multiplicata caussa est cum generans, tum etiam conseruans longam abstinentiam, diuersæ rationis duratione metiatur, plane opus est asseclam, indiuiduamque ab illa pedissequam abstinentiam difformi temporum intercapedine terminari, multiformique duratione admetiri.

Simul sūt conseruantia, & conseruata proxima.

De caussis varietatis in duratione ieiunij desumptis a finientibus, ac terminantibus abstinentiam. Cap. LXXXIV.

Tertius, ac postremus fons, vnde haurire possumus caussas varietatis in duratione ieiunij, varietas est, ac multitudo caussarum, quæ ieiunium exterminare possunt quacunque ratione tollendo caussas ipsius procreatrices, & conseruatrices, nimirum æqualitatem, proportionemque virium caloris & humoris interni: Quum enim fere innumeras esse caussas illas dudum obseruauerimus, a quibus ieiunium finiri potest, quamuis ad externas, & internas; ad per se, ac per accidens eas reduxerimus; quumque caussarum terminantium ieiunium varietas non minus in essentiæ natura, quam in gradu vigoris, & actiuitatis reperiatur; qua ratione a diuersis agentibus, dissimilique gradu virtutis idem effectus tum in eodem, tum quoque multo magis in varijs subiectis inæquali temporis mensura perficitur; eadem ratione a multiplici caussarum natura, & vigore, inæquali tempore ieiunium tolli necesse est; ratio vero ea hæc est, quia vbique obsistunt omnia instinctu naturæ ijs, quorum actione destrui tentantur; quo maior autem est in patiente vis resistendi, atque minor in agente vis destruendi, eo magis in longum protrahitur pugna, diutiusque durat corrumpendum: sic ergo licet idem gradus sit abstinentiæ in pluribus hominibus eiusdem penitus conditionis, quin & ab eadem caussa prorsum genitus, & conseruatus; si tamen plura sint ea, quibus tale ieiunium destruē dum petatur, vt scilicet aliæ sint caussæ internæ, aliæ vero externæ; & rursum aliæ per se operantes, aliæ per accidens; quinimmo aliæ coiunctim, & aliæ solæ seorsum agentes; opus est profecto in his abstinentiam citius, in illis terminari tardius; & eo magis, quo externæ caussæ, ac per accidens alijs præsto adsunt, ab alijs longe absunt; alus euitari possunt, ab alijs non possunt; in alijs suum opus terminant, in alijs non terminant, siue impediatur, siue deficiant inter agendum: Quum itaque circa eas caussas, quibus ieiunium finiri dicitur, tanta diuersitas sit in essentia, in virtute, in duratione, in distantia, in operationis modo, ac tempore; non potest non esse in abstinentiæ duratione par inæqualitas. Hæ sint caussæ communes varietatis in duratione ieiunij.

Caussa quot modis opus suum non terminet.

De fontibus, vnde hauriantur caussæ speciales variæ durationis abstinentiæ quoad singulos gradus. Cap. LXXXV.

Nunc per singulas ieiunii differentias, præteriam dicta, membratim tractetur inedia. Qua quidem in disquisitione non alijs de fontibus haurias peculiaris cuiusque gradus in ieiunio varietatis caussas, quam ex tribus propositis; siquidem vbique in vniuersalibus particularia continentur: ceterum quia singulorum fontium penetralia in proposito exquisite velle disquirere laboriosum nimis, & prolixum, viribusque hominis impar opus, & fortassis etiam tædiosum, ne dicam superuacaneum, existeret; operæ precium erit selecta quædam capita considerare, quæ maioris momenti ad propositum nobis negocium futura sint; ea vero propterea desumentur præsertim e secundo fonte, ex quo caussæ ieiunium longum producentes scaturiunt; quippe de his præcipue nobis instituta est meditatio, & omnibus expetita explicatio: Qua quidem in re vbicunque se se nobis afferat occasio eas varietatis huius caussas habere, quas produnt viri Clarissimi, æquo animo autoribus quibusque sua red demus inuenta; ita enim dogmata in superiori libro examinata non abhorrent ab hoc argumento, vt quæ omnium differentiarum ieiunij caussę statui non potuere, ipsæmet in aliquo abstinentiæ gradu locum non habeant; neque Philosophum decet suis inuentis ita inhærere, quin aliorum etiam placita, si vera fuerint quoquopacto, vel ad solius veritatis, quam illustrare aggreditur, confirmationem, recipiat: ceterum ad euidentiorem, faciliorem que disquisitionem propositi, ne lateat id, cuius caussæ quæruntur, ob durationis varietates innumeras, præstabit in primis eas ad certos gradus redigere determinatos intra limites.

Distribuuntur gradus ieiuniorum penes durationis varietatem in certa capita. Cap. LXXXVI.

QVando in proposito nostro vniuersa disquisitio est de caussis varietatis in duratione ieiunij; certe non aliunde nobis petendi erunt abstinentiæ gradus varij, quam ex varijs durationis, ac temporis differentijs: Quum autem tres potissimum sint communes differentiæ temporis in duratione, iuxta illas commode abstinentiam ieiunantium nostrorum partiri poterimus in breuem, mediocrem, & longam; Quoniam vero huiusmodi differentiæ latitudinem obtinent, & indeterminatum tempus connotant, præstat ad rei euidentiam sigillatim vnamquamque determinare; itaque breue ieiunium sit quod frequentissime accidit, & fere citra vitæ periculum; mediocre vero quod frequenter, sed cum periculo vitæ contingit; longum autem quod raro, & cum euidentissimo vitæ discrimine; sed adhuc euidentius, breuis abstinentia coerceatur intra diem tertiam, mediocris intra sextam, vltra quam omne ieiunium longum appellatur, & est vt plurimum obseruatione Hippocratis extiosum: Habet autem longum ieiunium, vt pote amplissimæ latitudinis, tres alias differentias, quo niam esse potest tum longum simpliciter, tum longius, tum etiam longissimum; quin etiam quælibet harum differentiarum quatuor gradus obtinet; nulla etenim consistit in indiuisibili, sed latitudinem adepta est singula sensibilem, ac sane longi ieiunii primus gradus est dies septima, secundus nona, tertius duodecima, quartus decimaquinta: Longioris autem ieiunij primus gradus extenditur ad vigesimum diem, secundus ad trigesimum, tertius ad quadragesimum, quartus ad sexagesimum: Longissimæ demum abstinentiæ primus gradus terminum habeat in tertio mense, secundus in sexto, tertius in anno, quartus vltra tempus anni quodcunque. Age singulorum graduum longæ abstinentiæ caussas disquiramus, omisso breui, & mediocri ieiunio, velut a proposito nostro alienis.

[Margin: Tres differentiæ temporis in duratione. — Breue ieiunium. — Mediocre ieiunium. — de Princip. — Longi ieiunij tres differentiæ. — Longi ieiunij gradus quatuor.]

De caussis abstinentiæ intra septimam inclusæ, qui est primus gradus longi ieiunij, inter quas numeratur sanguinis copia in venoso genere, quam protulit Bottonnus insignis Medicus. Cap. LXXXVII.

INediam septimæ diei, quam vt plurimum letalem esse monuit Hippocrates, atque ideo ad primum gradum longi ieiunij nobis reducere placuit, tolerari posse verisimile est, tum ob caloris naturalis cum humore substantifico æqualitatem quoad vires; tum quoque ob earundem virium proportionem, de quibus caussis abunde superius; tum præterea ob sanguinis, & omnino propter alimentaris humoris copiam in venoso genere; quæ fuit sententia Clarissimi Bottoni; quum enim sæpenumero liceat obseruare non solum in magnis vulneribus, verum etiam in apertione venarum spontanea ex ore, naribus, aliisque partibus maximam sanguinis copiam effundi patiente superstite, ac longe maiorem quam sit alimentorum quantitas, quæ, detractis excrementis, corpori nutriendo sufficit ad septimum diem; siquidem ex cibo, & potu consueto, quod in corporis substantiam nutriendi actione mutatur spacio dierum septem, non excedere pondus librarum trium, ex eo facile coniectari liceat, si comparetur quantitas assumptorum toto eo temporis tractu cum excretorum quantitate; quod fuse superius expendimus apud Præceptorem ex Hippocrate; Quum ergo sanguinis fluxus e vulnere, aut naribus affatim factus id ponderis æquare multoties sit obseruatus; aperte iam constet quæ in venoso genere continetur sanguinis massa, ex se citra externi vllius alimenti interuentu sufficere nutriendo corpori vsque ad diem septimam: Id autem verum non est in omnibus, sed in iis tantum, quibus multus est sanguis, & calor mitis, seu mediocris; aliis autem ante septimam ieiunium exitiosum est, præsertim pueris, quibus & calor multus, & sanguinis massa ob corporis paruitatem non multa inest: qua ratione olim gnatos Comitis Vgalini cum Patre Pisis carceratos ante septimam interiisse verisimile est, quorum casum pulcherrime Dantes deflet apud inferos. Primus itaque gradus longæ abstinentiæ, qui ad septimam diem porrigitur, præter caussas a nobis dudum allatas, a multitudine sanguinis venosi sufficiens alimentum corpori subministrare valentis exoriri potest, vt censuit Egregius Bottonnus.

[Margin: Lib. de Princip. — Copia sanguinis in venis sententia sit caussa ieiunij. — De obseru. vita. c. 58 de humani. — Lib. 2. c. 59. 4. de morb. — Cant. 33.]

De caussis ieiunij ad nonam diem producti: in quibus locum habere videtur alienatio animæ a vitæ muneribus Ecstasis nuncupata quam excogitauit Abulensis. Cap. LXXXVIII.

SEcundus autem gradus longæ abstinentiæ, qui ad nonam diem extenditur, cuiusmodi fuisse inediam Comitis Vgolini, qui triduũ superuixit filiis intra sextam diem in carcere a fame necatis, exoriri valet non solum ab æqualitate, ac proportione humoris & caloris naturalis; verum etiam ab alienatione animæ quoquopacto a munere nutriendi, quam ieiunii caussam inuexisse ante omnes Abulensem adnotauimus antea; quæ coniuncta esse debet cum sanguinis vbertate, cuius calore foueatur vita; nam etsi ab omni munere, ac speciatim a nutricatu alienata sit anima, non ideo tamen prohibetur quominus calor suapte natura iugiter humidum absumat, sine quo vita non consistit; quippe anima cum calore non conspirat ad humidum consumendum, sed potius vbique studet eius incolumitati; quare si paucus fuerit in corpore sanguis, etiam alienata anima ab opere nutriendi, breui, & ante nonam diem a calore consumptus humor vitæ necessarius mortem accerset: at si multa sit sanguinis copia, vbi anima quoquopacto alienata nullam, aut minimam eius partem nutriendo consumat in substantiam corporis, diutius caloris actioni resistens humor internus arcere poterit interitum: Quum autem tum rationalis, tum quoque sententiis animæ

[Margin: Alienatio animæ à nutritione ieiunium sine ferro posse. — Calor humidum non consumit in virtute animæ.]

mæ affectione alienari possit vegeta facultas ab opere nutricationis; namque, vt superius abunde ostēdimus, vbique inferioris fortis anima indiget auxilio superioris ad suas functiones omnes obeundas; quo si destituatur, a suo quouis officio vacare cogetur: Ita ergo rationali anima profunda meditatione, aut ardenti desiderio summe occupata circa vehemens obiectum, nihil, aut parum admodum inferioribus partibus, sensuali nempe, ac vegetali, auxilij largitur; Vnde illæ sua munia intermittere aut penitus, aut magna ex parte coguntur; quo factum est vt in Ecstasim lapsi neque sentiant, neque alantur: Haud absimili ratione sentiens anima vel odio, vel iræ, vel timori, vel dolori, vel cuiuis alio vehementiori affectui tota succumbens nihil auxilij potest impertiri nutrienti animæ, quæ ideo cessat a nutriendi munere; tunc autem nulla, vel exigua par te sanguinis in alimentum corporis consumpta, licet assidue calor, & aliæ quoque caussæ externiores humidum omne tum fixum, tum alimentare vitæ necessarium depascantur; sufficit nihilominus is mole sua vitæ sustinendæ vsque ad nonam diem; id quod ex dolore accidisse Vgolino Comiti Dantes asserit.

Li. 1. cap. 199. & sequētib.

De caussis abstinentiæ ad duodecim dies prorogatæ, e quarum censu non remouetur caloris imbecillitas a doctissimo Bonamico proposita. Cap. LXXXIX.

Tertius gradus in longo ieiunio protrahitur ad duodecimam diem, cuius abstinentiæ meminit Plinius, & ante illum Plato; ille nanque homini non ante diem septimum letalem inediam scribit, duraffeque vltra vndecimū plerosque; hic autem Eri Pamphilij casum recenset, quem narrat inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse: Porro huius abstinentiæ caussa tum æqualitas caloris, & humoris; tum eorundem proportio; tum demum cum sanguinis vbertate, & animæ alienatione fuit fixi caloris imbecillitas, quam inter caussas longioris ieiunij connumerauit acutissimus Bonamicus, & alij doctissimi viri, quorum sententias expendimus antea; etenim vt in alienatione miti parum sanguinis vertitur in alimentum corporis, in graui nihil; ita in caloris imbecillitate parum sanguinis consumitur; sanguis ergo in vasis corporis vnica vice contentus sufficiet in abstinentia duodecim dierum ad sustinendam vitam illius, cui cum multo sanguine alienatio animæ, ac imbecillus quantum fieri potest, calor extiterit: Hæc omnia equidem aperte docuit Plato, & ratio dictat in Ero Pamphilio conuenisse; quippe inter dimicandum socijs amissis, ab hostibus victoribus magno perculsum metu, & mente consternatum, alienatumque, & calore fere priuatum fuisse verisimile est; quando mortuorum instar frigidum iacuisse constat, nec prius alimentis vsum, quam tum externo calore fotus, ac viuificatus interior pene ob metum extinctus; tum discusso timore, ac reuocata iam anima ad consuetas, intermissasque operationes, rogo impositus reuiuiscere videretur.

Li. 9. cap. vlt. 10. de Repub.

Lib. 2.

Vt caloris imbecillitas sit caussa ieiunij.

De caussis abstinentiæ quindecim dierum: quarum vna perhibetur esse morbosa constitutio autore Brasauolo. Cap. LXXXX.

Quartus longi ieiunij gradus ad quintumdecimum diem porrigitur; huius autem caussam, præter adductas a nobis, caloris nempe, ac humoris æqualitatem, proportionemue, putamus esse caloris auersionem ab humidi consumptione ad aliud opus, quod magis vrgeat; naturæ siquidem consuetum est vbique, si duo simul obire munia non possit, sed alterum intermittere cogatur, ei solum incumbere, quod magis vrget, ac melius esse videtur, altero neglecto: quoniam vero plerumque in ægris contingit vt adeo multa prauorum succorum copia congeratur, quæ nisi a natura reguletur expellenda, præsentaneum minetur exitium; quumque natura vbique caloris ministerio indigeat, sed præsertim ad humores in ægroto corpore peccantes modificandos; mirum non erit si ægroti quamplures ad quindecim dies sine vllo penitus alimentorum vsu viuant; in ijs enim calor totus vni peccantium humorum coctioni studens, nihil sanguineæ massæ consumit vllo pacto; hæc autem solis externis caussis resistere valet usque ad eum terminum; quum neque corpori cedat in alimentum sine caloris opera, qui totus prauo succo elaborando incumbit: hanc sane abstinentiæ caussam assignauit doctus Brasauolus, & cum eo illi omnes Clarissimi Viri, quos vidimus antea referentes caussam longi ieiunij in varias morborum species; fieri nanque potest vt occupetur calor circa morbi materiam, quocirca sanguis contentus in venis sufficiat ex se ad vitam sustinendam pluribus diebus, quod notauit etiam Auicennas, & contigit Polydoro, cuius meminit Brasauolus. Sed & citra morbum quibuscunque multo sanguine refertis calor occupatur totus in aliqua functione, vt neque nutricatui deseruiat, neque humorem vitæ necessarium consumat, hoc alijs caussis eius perniciem procurantibus obsistere valente ad terminum præscriptum, eos arbitramur abstinentes viuere posse ad quindecim dies, qui complere dicuntur vltimum gradum longæ abstinentiæ. Hæc dicta sint de gradibus longi ieiunij.

Natura vrgentiori semper incumbit muneri.

1. de rat. vict. in acut. com. 45.

Li. 2. cap. 211.

De caussis ieiunij viginti dierum, e quarum numero legitur pituitæ copia cum Magno Alberto: attexitur que propositis noua historia longioris abstinentiæ Canonici Leodiensis. Cap. XCI.

Svccedit nunc explicanda caussa singulorum graduum in longiori abstinentia; & profecto in ea primus gradus, qui ad vigesimam diem vsque protenditur, vltra caussas a nobis propositas, nisi potest cumulo pituitæ dulcis, & naturalis, cruditatumque in corpore cum caloris imbecillitate, & alijs caussis nuper allatis coniuncto;

Pituitæ vbertas cuius abstinentiæ caussa esse possit. iuncto; rationi siquidem consentaneum est, quo plures in vno corpore congregantur caussæ ieiunij, eo ieiunium produci posse in longiorem terminum; quamuis autem solius pituitæ vbertas forte non sufficiat ad longiorem abstinentiam, cum alijs tamen caussis ieiunium longum procreantibus pituitæ copia coniuncta ea ratione potest longiorem inediam cum vita seruare, qua sensim caloris actione potest pituita in sanguinem mutari: eius vero beneficio, & præsertim solius, non putamus ieiunium egredi posse diem vigesimam, ob rationes antea propositas apud Albertum, quas non est vt in præsentia repetamus: sed speciatim quia ex pituita in sanguinem, & alimentum conuersa non possunt non egredi excrementa per aluum, & vesicam educenda, quemadmodum fuse superius obseruauimus ex Hippocrate; in homine autem vltra viginti dies alui, & vesicæ supprimi excrementa non posse citra vitæ discrimen, & sine morborum, symptomatumque grauiorum exortu, quotidie Medici experimento compertum habent: Mirum etenim fit quod mihi Tabellarius quidam retulit, se Roma profectum ad Belgas inde rediisse Romam aluo adstricta totos quindecim dies: licet parco vtens cibo, & vehementi motu excrementis maxima ex parte dissipatis, exigua superessent in ventre intestinorum expultricem stimulantia. Ac profecto si quis abstinens ieiunij sui caussam in crudioris succi abundantiam referre potest, ille vnus mihi videtur Canonicus Liegensis, siue Leodiensis, cuius obseruationem hesterna die mihi videre licuit idiomate Gallico descriptam in volumine cui titulus est *Historiarum admirabilium*, ab eius autore depromptam e Tractatu *de Ieiunijs Commentitijs* inscripto; habet autem historia Haud ita multum transijsse temporis, ex quo Canonicus quidam Leodiensis volens suarum virium in ieiunio periculum facere (improbum ausum? verum ita euidenti, certoque testimonio confirmatum, vt pudeat non credere) quum ab omni esculentorum, potulentorumque vsu abstinens adusque decimæ septimæ diei lucem perseuerasset, tandem adeo se languidum sensit, qui nisi celeriter optimo nutrimento refocillatus esset, omnino viribus, vitaque defecisset: nempe consumpta tota illa humorali massa, vel ex pituitosis succis vlteriori coctione a calore in sanguinem nutriendo corpori aptum commutatis; caloreque postea non amplius alimentis a consumptione solidarum partium, humidiue radicalis auocato; proptereaque in sui subiecti exterminium sæuiente, ac vires, quæ humidi radicalis vbertate, copiaque spirituum, & humorum innituntur, depopulante. A quibus caussis exortum ieiunium etsi alio in temperamento abstinentiæ magis apto vltra decimæ septimæ diei metam excurrere potuisset; vltimum tamen suæ durationis terminum in die vigesima (vt ego quidem ob allatas iampridem rationes plurimas arbitror) habuisset.

Li. 2. cap. 130. & sequentib.

Li. 2. cap. 69.

De caussis ieiunij triginta dierum.
Cap. XCII.

At vero secundus gradus longioris abstinentiæ, cuius terminus est intra mensem, si ab abstinentis corpore demas humoris, & caloris æqualitatem, & proportionem superius adductas, tanquam veras, & proximas longioris ieiunij caussas, referri poterit in vsum odoris, & aquæ post omnes, vel aliquot ex prædictis caussis; adijcimus odori vsum aquæ, non quidem tanquam alimenti, nam aquam non alere sat superque demonstratum est in superioribus; sed veluti medicamenti, quo arceatur sitis, siccitasque & caloris ardor temperetur; immo vero veluti vehiculi, quo pituita coctione in sanguinem mutata ferri valeat ad vniuersi corporis particulas enutriendas, ad quas per angustissimas venas sibi transeuudum est non semel, nimirum e ventriculo per meseraicas ad hepar, & ex hepate, ac venis grandioribus per capillares ad membra singula; consimiliter odorem inter caussas abstinentiæ ponimus, veluti medicamentum redigens calorem ad proportionem cum humore debitam ieiunio, vt olim ostendimus; non autem veluti nutrimentum; siquidem cum Plutarcho damus non esse homines, qui concreto ore solis viuant odoribus, vt pridem censuit Megasthenes, a quo sumpsit Plinius Indicam radicem eos qui nihil bibant edantque, sed ore prorsus careant, suffire, itaque odore vitam tueri suam: His ergo, & alijs quibusque nominibus, absque eo quod alat, odor, & aqua procul arcendo caussas morbificas, mortemque inferre valentes, nutrimentique distributioni deseruiendo, potest abstinentium vitam cum antea memoratis caussis coniuncta vsque ad mensis integri spacium conseruare: Scio vix fieri posse vt in vno corpore conueniant omnia proposita eo plane ordine, quo nobis nuper dispo sita fuere; sed quia rei naturæ non repugnat concursus tot caussarum ieiunij, hunc veluti possibilem præterire non debui, quando ex professo, ac dedita opera de caussis diuturnioris abstinentiæ tractandum suscepi: Arbitror tamen multo facilius esse in humano corpore humoris, calorisque naturalis aut æqualitatem, aut proportionem virium ieiunij longioris procreatricem reperiri, quam ceterarum omnium caussarum congeriem nuper allatam; multoque plures abstinentes ab illis duabus seorsim, quam ab his omnibus simul, facultatem, aut necessitatem sui ieiunij adeptos fuisse. At vero cuique liberum sit hac in re alterutram rationem suscipere; sat nobis est ex iis, quæ fuse disputauimus in præcedenti libro propositas ex viris Clarissimis caussas particulares, licet vna omnes coniungantur quomodocunque in eodem subiecto, vltra mensem abstinentiam producere non posse.

Odore, & aqua vt possit produci abstinentia.

Li. 2. cap. 58. & sequentib.

Lib. de fac. i orb. Lun. in f.

Lib. 12.

De caussis abstinentiæ quadraginta dierum, quas inter numeratur vini potio, duæque mirabiles historiæ longioris ieiunij superioribus adijciuntur: & supranaturalis, sanctorumque virorum abstinentiæ explicatur. Cap. XCIII.

Vini solius potio quam protrœt abstinentiã.

SOlius vini potu ad quadraginta dies vitam protrahere sine cibo frequentissimum est, & opus naturæ; quod experimento multiiugi compertum habemus apud autores: at longe vltra hunc terminum solo vino viuere homines, a naturæ legibus abesse dudum fuse comprobauimus. Supra naturæ vires quadraginta diebus ab omni cibo, potuque abstinere homines vetus est; nam & Moysem in monte a Deo summo legem accepturum, & Redemptorem Dominum in deserto quadragenarium ieiunium produxisse, nouum non est: immo & qua vi tandiu abstinuerunt viri Diuini, eadem multo diutius abstinere potuisse, certum mihi est; sed omnes ieiunantes, quorum historias antea posuimus, diuina pariter, præpotentique virtute supra naturæ cardines tandiu non abstinuisse, superius late comprobatum est. Quam sententiam mire confirmat Ieiunium ad quadraginta dies repetitum ab Hęretico dudum flammis damnato; quem certum est supra naturæ vires tantam abstinentiam nõ produxisse: cuius historiam nouissime habitam huc afferre liceat ad rei euidentiam: transtulit eam Gallice in suo volumine Autor de Admirabilibus historijs e Tractatu de Ieiunijs commentijs in hanc sententiam. *Henricus Hasseldius quum è Belgicis oris petysset Bergh in Noruegia, quo loci mercatorem agebat, tentauit ieiunare, & abstinere penitus a potu, & cibo; quumque abstinens perdurasset tres integros dies persensit famem valde sæuam, quã vt sedaret bucellam panis assumpsit eam deglutire statuens cum vini ciatho; sed ingesta cibi, potusque materia illi adeo in gula* rectius dixeris in imo gulæ, vel in stomacho *remansit vt permanserit ipse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus sine vllius cibi, potusque vsura: quo tempore transacto idem ore vomuit cibum, ac potum illum iampridem assumptum, & in gula moratum: Adeo longa abstinentia hominem eousque confecit, debilemque reddidit, quẽ ad vires sustinendas, recuperandasque lacte nutriri oportuerit. Prouinciæ Præses audito tam admirabili Ieiunio, iussit ad se illum ipsummet Henricum peruenire, a quo seriem, veritatemque facti exaudiret: Sed dictis fidem exhibere non valens nouum tanti ieiunij periculum facere voluit: quamobrem Hasseldium claudi, obseruarique summa cum diligentia iussit in quodam thalamo per spacium quadraginta dierum, & quadraginta noctium absque eo quod illi porrigeretur vllius generis alimentum. Quam abstinentiam, & custodiam non reclamans, minimeque detrectans tolerauit Henricus ille minori longe cum difficultate ac prius ieiunium tulerit. Is quum postea rediisset ad Belgas Hæresi damnatus a sacrosanctæ Inquisitionis officio Bruxellensi Brabantiæ viuens combustus est anno Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.* Hæc ille. Nemo itaque iam neget ieiunium quadraginta dierum posse citra miraculum exoriri. Quod placitum & alia belle confirmet abstinentia relata a Petro Foresto Medico lib. 18. suarum obseruationum sectione 8. fuit Monialis (inquit) in Monasterio Sanctæ Barbaræ Delftensis, quę morbo regio laborans anno a Partu Virginis quingentesimo sexagesimo secundo supra millesimum decubuit infirma degẽs in lecto sine cibo & potu sex hebdomadarum spacium, nec tetigit vllum nutrimentorum genus, exceptis aliquot granis citriorum malorum, quę ore detinebat, & sugebat aliquando: Præfectus illius Monasterij me ad eam inuisendam veluti ad miraculum duxit, sed ægra sequenti die qua eam inuiseram interijt. Hæc Forestus: vnde plane constet monialis abstinentiam naturæ viribus, non miraculo perdurasse. Ceterum ex aduerso non viribus naturæ vllis, sed puro miraculo quamplurium virorum sanctitate illustrium abstinentias diuturnas non modo, verum etiam cibationes (vt has quoque obiter consideremus) adscribere necesse est: sic Diuo Paulo primo Eremitæ quotidie dimidium panis coruus subministrabat admirabiliter sic Mutio Abbati septimo quoque die panis ad soluendum hebdomadæ ieiunium cęlitus mittebatur ex Viringi relatione in opere *de ieiunio & abstinentia*: sic Eliæ in torrente Carith Deus omnipotens quotidie per coruorum ministeriũ carnes, & panem transmittebat. sic Danieli apud Babilonios in lacu Leonum clauso Angeli ministerio prandium misit, quod in Iudęa messoribus ferebat Habacuc: Vt hinc apertissime constet sãctorum cibationes miraculo claruisse: Id ipsum de longioribus quamplurium ieiunijs afferas: sic septem Dormientũ abstinentia ducentesimum fere annũ attingens vires excessit omnis naturę, vt eorunde somnus: sic pie credimus Danielis ieiuniũ ad tres hebdomadas extensum: sic Eliæ ieiunium quadragenarium in miraculi vim referẽdum esse arbitror: sic demũ, ne plura huc exẽpla transferam e sacra pagina, Redemptoris Domini abstinentia quadragenaria supra naturæ cardines a præpotenti Dei summi virtute originẽ habuit. Ceterũ lõge alia ratio miraculi mihi esse videtur in Eliæ ieiunio, atque in Domini abstinẽtia; quum enim sacro in textu legamus Eliã trãsfugã ab Iezabel monitu Angeli comedisse subcineritiũ panem, & aquam potasse, atque ambulauisse per desertũ in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montẽ Dei Horeb: ieiuniũ hoc ideo miraculosũ non fuit, quia Elias absq; alimento tandiu viueret, sed quia exiguo pane alebatur admirabilem vim habentẽ nutriẽdi tanto tẽporis tractu hominẽ tantopere laborantẽ in itinere; panis etenim semel ingestus, imo neque alius cibus vllus, si qui reperitur pane ad nutriendũ valentior, tãtis a natura viribus pollet, quibus quadraginta dies noctesq; hominẽ vel quiescentẽ, nedum ambulãtem iugiter alat, sustineatq;, ne fame deficiat: dedit ergo Deus optimus panẽ in se habentẽ supra

Li. 2. cap. 119 & sequent.

3. Reg. c. 17.

Dan. c. 14

Dan. c. 10

3 Reg. c. 19.

naturæ vires facultatem admirabilē nutriēdi peregrinantē Prophetam toto quadragenario, vt ratio miraculi tota consistat in virtute cibi illius a Deo missi. At vero Redemptor dominus in deserto pariter abstinens quadraginta dies noctesq; non in virtute cibi vllius diuersam habet caussā, vnde tantum ieiunium supra naturæ limites originem traxerit necessario; Illud hac in re accipimus ante omnia Christū Dominū integerrima sanitate fuisse dū ieiunarer, & propterea calorē humori prædominantē obtinuisse; quamuis.n. intra sanitatis latitudinē, quæ vasta est admodum, aliquando reperias hominē calore, & humore ad æqualitatē commensuratis, in valetudinis tamē fastigio necessarium est calorem humoris vires superare, vt forma superare dicitur materiam; id ipsum necessariū est ob vitæ operationes omnes, quas probe non obeas non prædomināte calore, qui est communissimū animę instrumentum: At vero naturalis humor a calore viuidiori, & ab extrinsecis caussis valentioribus non potest non celeriter absumi naturæ decreto: eiusq; cōsumptioni, quæ corporis diminutionem, ac tabem, immo tandem & mortem secum necessario affert, non nisi alimentis, & nutricatu consulere possis: Quū ergo Dominus in deserto integra sanitate polleret, proindeq; tum calorem naturalem humore longe valentiorē obtineret; tum multis externis iniurijs, & inclementijs aeris, terræque degeret expositus; quumque nihilominus quadraginta dies ab omni cibo, potuque citra vllam corporis maciē inde acquisitam abstinuerit, atq; ideo sub stantificū sui corporis humorem illæsum, intactumq; a calore interno, ceterisq; caussis exterioribus conseruauerit; miraculi vis, diuinæque virtutis actio in eo mihi agnoscenda est, qđ humor a valentiori calore, potentioribusq; caussis externis, a quibus naturæ necessitate assidue consumi debebat, nihil omnino tunc tēporis passus fuerit: sublata vero consumptione humoris a caussis validioribus vigore supranaturali, iā naturale fuit, Dominum abstinere; quamobrē in summi Dei filio naturalis effectus a caussis supranaturalibus originē habuit: simile quid admirandum multo prius in rubo illo ardenti, & incombusto contigerat, quem viderat Moyses; nam ignis ardebat rubum, quem non consumebat; ita in Domino calor valentior humorē continebat, quē non dissoluebat; ardere rubū, & continere humorē, calori, & igni fuit naturale; sed humorē a calore potentiori non absumi, & rubum ab igne ardenti non comburi, naturæ vim omnem superauit; siquidem naturæ decretis omne agens physicum proximum passiuo bene disposito in hoc ipsum suas vires necessario exercet, nisi ab altiori virtute impediatur: Quum ergo non consumpto humore nulla vrgeat alimenti necessitas in adultis; quumque humor a calore vehementiori tutus, & illæsus nonnisi a Diuina virtute supra naturæ leges diu conseruari possit; liquido iam constat caussam abstinentiæ Domini extra naturæ limites fuisse admirabilem, abstinentię vero formam naturæ legibus fuisse consentaneam.

Essentia ieiunij Domini.

In sanitate apta calorem humori prædominari.

De caussis ieiunij bimestris, inter quas reponimus meatuum cutis adstrictionem cum Benedicto, & Montuo. Cap. XCIV.

AT quorū abstinentia secundū mensem cōplet, cuiusmodi fuisse notauimus ex Athæneo, & Plutarcho ieiuniū Timonis auiæ, quæ quotannis bimestre tempus in spelunca vrsarum more semianimis iacuisse dicitur; quale itē ieiunium est anguium, & insectorum plurimorū hieme latentium; ijs nō aliunde facultas tolerādi tam lōgam abstinentiam contingere pōt, quam vel ex caloris aut nullo, aut minimo excessu supra vires humoris; quod inde manifeste constat, quia huiusmodi animalia ob summā caloris imbecillitatem veluti mortua iacent, nec tanto calore pollent, quo se mouere valeant; vt notauit pulchre Galenus, vel ad summum prægressis omnibus ex ordine caussis antea numeratis accedente occultorum meatuum cutis obstructione, adstrictio neue, a Clarissimis viris Benedicto, & Montuo proposita, qua claudatur & exitus substantię vtili e corpore in aera; & introitus caussis externis ex ambiente in corpus, a quibus tū calor aut extingui, aut vicissim exacui possit; tum humor substantificus absumi: Ceterum quemadmodum tot caussas adeo varias in vnū ex ordine cōcurrere multo difficilius est, quā in viuentis corpore gradum illum caloris inueniri, quo valeat vita sustineri, nequeat aūt humor absumi; ita longe verisimilius est animalia hæc ad alterum mēsem abstinentia, cuiuscunq; generis extiterint, quæ toto ieiunio languida torpent, ac veluti semimortua iacent, ob summā caloris inopiam, & proinde ob æqualitatem, aut propositā proportionē eius cum humore naturali tantum ieiuniū tolerare: quum.n. humor sit qualitas passiua, minimumq; obtineat actiuitatis, vt docuit nos Aristoteles; plane quibuscunque calor humori vel æqualis virtutis, vel paullulum valentioris obtigerit, ea viuentia imbecillo calore esse necesse est, aut saltem humore admodum crasso, tenaci, & solido, qui ratione consistentiæ multum obtineat resistentiæ, cuius merito diu quoque valido calori valeat obsistere.

Lib. 1. c. 5

1. aph. 10. 15.

Cutis adstrictio giuis caussa ieiunij.

4. meteo. c. 1. 2.

De caussis ieiunij trimestris, & explicatur quomodo animalia quædam sine natricatu pinguescant: Adijciturque promulgatis noua longissimi ieiunij obseruatio. Cap. XCV.

POstremi generi abstinentiæ primus gradus, qui obseruatur in plantis, in vrsis, gliribus, alijsque plurimis brutis hieme latentibus, atque in hominibus, pro varietate subiectorum a diuersis caussis ducit originem: Ac sane in plantis nō aliunde oriri potest, quam ex caloris imbecillitate, ac humoris crassitie, ac proinde ab equalitate virium vtriusque, aut saltem ab exiguo, ac omnino insensili dominio caloris ob Solis absentiam, & ambientis frigiditatem, quibus calor intus

Plantis hieme cur non alantur.

situs earum adeo eneruatur, vt humorem absumere nequeat, nutricationemque celebrare nec valeat, nec debeat ob rationes in superioribus latius adductas. In vrsis, gliribus, ceterisque brutis ex abstinentia pinguedinem contrahentibus ieiunij caussa est alimenti interioris multiplicis vbertas cum caloris temperie, ac meatuum cutis exacta clausura; internum vero alimentum multiplex dico sanguinem in venis; crudiusculum chylum in stomacho, intestinis, & mesæreo; pituitam dulcem in toto corporis habitu: calorem temperatum pono, qui sensim concoquat, nihilque, vel minimum subtilantifici humoris dissoluat; meatuum clausuram volo, per quos nihil possit vtilis egredi e corporis substantia, vel minimum; nihilque possit noxij ingredi calorem extinguere, aut intendere, humoremue consumere valentis: hæc autem vera fuerint, si hac ratione nutrita viuentia, quæ necessario ex alimentis omnibus segregantur, excrementa egerant per consentaneos naturæ meatus; alioquin haud egestis excrementis, quorum retentio tam longo tempore morbos non parere non potest, opinandum est vere nullam nutricationem in ijs obiri; pinguedinem uero illam esse non ex alimenti copia, sed ex caloris imbecillitate; qui enim adeo non viget ad conuertendum sanguinem in carnium, & solidarum partium substantiam, debilis calor plane patitur vt affusus humor iam partibus alendis frigore, seu calore debili concrescat in adipem, siue in substantiam adipi consimilem: ob caloris enim debilitatem ex fructuum copia crudiorem sanguinem, & pituitosum congerunt vrsi, & glires; sanguis autem pituiteus, crudusque a venis capillaribus roris instar supra partes inspersus quum a calore languido verti nequeat in membrorum substantiam, cogitur in materiam similem pinguedini, qualis pituita est, qua scatent intestinorum tunicæ interiores; & propterea ex interni alimenti copia interuentu nutricationis videntur ea viuentia in ieiunio pinguescere, quibus ob caloris infirmitatem sanguis crudior est, nec potest in partium naturam verti; sed ob frigiditatem in pituitam, & substantiam similem pinguedini condensatur in toto corporis habitu, vbi ab osculis venarum capillarium effunditur. In alijs vero brutis, quæ non pinguescunt inedia, sed vel in eodem statu permanent, vel contabescunt, abstinentiæ caussa esse nulla potest alia, quam caloris imbecillitas, & ad humorem æqualitas, proportioque illa, qua vel nihil, vel parum humoris dissoluatur a calore, & ab alijs caussis exterioribus. In hominibus demum trimestre ieiunium haud alia ratione quam in brutis postremi generis fieri posse putandum, nimirum vel ab æqualitate, vel a proportione virium caloris, & humoris, qua humor aut nihil, aut parum admodum patiatur, vt fuse antea explicauimus. Quam ob caussam abstinentium vt numerosior, quam alia ratione ieiunantium, est numerus; ita in eo collocandam esse admirabilem arbitror abstinentiam, quam iuuenis quædam in Vuestphalia nuperrime tolerasse legitur apud autorem historiarum admirabilium, ex tractatu de Ieiunijs commentitijs itidem excerptam; nimirum *Iuuenis Buchold in Ditione Munsterensi Vuestphaliæ humore melancholico quum affligeretur domum egredi nulla ratione volebat; propterea quum a matre verberibus tusa esset, adeo illi geminata est affectio melancholica, vt somni expers quatuor integros menses perstiterit sine cibo, & potu; licet aliquando masticaret quædã poma cocta, & ablueret sibi os pauca aqua hordeacea: quo genere victus* (nil in ventrẽ dans alimentorũ) *extreme cõtabuit. Tandẽ pristinã sanitatẽ acquisiuit.*

Cap. 8.

Bruta ieiunio pinguescentia cur abstineant.

Quomodo sine nutricatu pinguescant.

Cap. 41. & sequentibus.

De caussis ieiunij semestris Cap. XCVI.

SEmestre ieiunium, quod habet secundum gradum in abstinentia longissima, obseruare liceat quotannis in Lucomoriæ populis; quibus profecto a caloris imbecillitate, ac torpore, vnde iacent veluti mortui, ea ratione ingruit necessitas, nedum facultas tandiu abstinendi, quia calor adeo infirmus vel nullas, vel exillimas obtinens vires supra humorem, neque ipsum consumit, aut minimum ipsius absumit; neque si absumeret, vim obtinet nutricationem promouendi, attrahendi, coquendi, conuertendique alimentum in partium omnium substantiam, aut excrementa varia ex eo segregandi, segregataue a corpore propellendi vllam; quemadmodum nec habet facultatem mouendi, quocirca veluti cadauera iacere visuntur: Quibus autem calor ita infirmus est, iis naturalis humor mediocris consistentiæ, ac vbertatis esse potest ad longissimam abstinentiam; nanque vtriusque vitalis principii viribus æqualibus, aut insensili, & exiguo admodum caloris excessu pollentes nullam obtinebunt alendi necessitatem, aut facultatem: ceterum ne ab externis iniuriis calor exillimus extinguatur, & statim primis diebus ieiunii commoriantur abstinentes, necessarium est plane obturentur, adstringanturue meatus omnes corporis tum occultos, tum quoque patentes; cui natura consulens dum rigere incipiunt Lucomori, tenuis pituita e naribus effluens concrescit, concretaque patulas alioqui nares obturans frigoris præpotentis ingressum prohibet, quo ingrediente calor internus extingueretur facile; qui ob maximam sui deiectionem nullum refrigerium postulans, respirationem respuit; sublato autem respirandi munere iacentes Lucomori vulgo creduntur mortui, eoque restituto denuo reuiuiscere. Quod autem Lucomoris ab æqualitate, aut proportione virium imbecillimi caloris cum humoris resistentia contingit longissimum ieiunium; id ipsum aliis multis abstinentibus ab eadem æqualitate, aut proportione virium caloris validi cum humoris resistentia contingere potest, sed hoc discrimine intercedente, quod calore imbecillo præditi abstinentes humorem obtinent mediocri tum quantitate, tum consistentia; & corpus habent omniquaque occlusum externis iniurijs; quare iacent ad instar mortuorum; & alii nec debent, nec possunt ob caloris inopiam; respirationemque non obeunt, aut vix obeunt: at calore vegeto ieiunantes humore gaudent multo, & crasso, & viscido; corpore cõstat vndiquaque per

Calor imbecillitas us sit caussa diuturni ieiunij

Cur Lucomoris necessaria non sit respiratio & ieiunio.

uio,

uio,& agili ad omnē motū; respiratione indigent, ac vtūtur; nutricationē, quā caloris vigore obire possent, humoris incolumitate edere nō debent.

De caussis abstinentiæ, quæ ad annum integrum protrogatur. Cap. XCVII.

Tertius gradus longissimi ieiunij spacium integrum totius anni complectitur: huiusce modi alimēti priuationem quamplurima stirpium semina tolerare cōspiciuntur, ea scilicet, quæ non ante annū vim generādi amittunt, aut arescunt, qui proprius est plantarū interitus apud Aristotelem: Inter animalia pisces plurimi seruātur in vasis vitreis aqua pura semiplenis absque alimēto plerunque ad mensem duodecimū, aliquando etiā vlterius: serpentes itē, & phalangia seplasiarijs tantundem sine cibo detineri autor est Aristoteles, cōfirmatrix experientia: Quū autē in his aperte videamus abstinentiā fieri calore ob imbecillitatē vires supra humoris resistentiam aut nullas, aut exiguas admodū obtinente; ac proinde celeriter nō absumpto humore substantifico, nullaque ideo ingruēte necessitate alendi; quūque nulla possit alia huius rei caussa naturalis assignari: quod ex superioribus longe cuique patere potest: propterea si qui homines ad anni terminū abstinētiam protraxerint, eos Physiologo nō aliunde ieiunare potuisse constat, quā ob æqualitatem, aut proportionem propositam superius inter vires caloris natiui, & humidi radicalis, quibus de caussis arceatur longe nutricationis necessitas, & alimentorum vius.

Plantarū proprius interitus qui.

de vit. & mort. c. 14

8. hist. c. 4

Lib. 1.

Cap. 41. & sequentibus.

De caussis abstinentiæ vltra annum protensæ. Cap. XCVIII.

Vltimus longissimi ieiunij gradus anni mensuram excedens omniū amplissimus est cū ratione termini, tum etiā ratione subiectorum; nanque inter celebriores abstinentes ieiunarunt biennium tres a Cælio, & Pogio commemorati, & Monialis Saxonica; triennium vero puellæ tres, Germanica, Tullensis, & Narbonensis; quadriennīū autem abstinens Confolentanea Citesij; septenniū Palumba Interamnensis, & Catherina Binders; duodecim annos puella Pogii altera; quindecim Nicolaus Heluetius; decē & octo mulier Normanda; triginta vero puella ex eadē regione; quadraginta sacrificus Hermolai Barbari, & vlterius etiā plures alii, quorum historias ab initio huius traditionis legere quisque potest; quū autem hi naturaliter ab omni alimenti vsu abstinere valeant nulla ex allatis caussis, præterquam ob æqualitatē viriū caloris natiui, & humoris substantifici; aut ob minimū excessum caloris supra vires humoris, quemadmodū abunde superius explanatum fuit; quænam alia tantæ abstinentiæ caussa afferatur, nisi virium caloris, & humoris interni æqualitas, aut proportio dudum explicata, omnem alimenti vsum, ac necessitatē viuentibus adimens? nobis itaque physice de proposito agētibus nulla potest adeo longæ abstinentiæ caussa assignari alia, quā æqualitas, aut proportio virium caloris & humoris, quarū meritovi uente animali nō absumatur cito humor substātificus, etsi cōtinētur nō suggeratur illi nouus humor ex alimētis

Lib. 1.

Lib. 2.

Præter caussas physicas dudum allatas, tres alias reperiri valere diuturni huius ieiunij procreatrices. Cap. XCVIIII.

Hactenus quidem caussas omnium graduum mirabilis ieiunii physicas adduximus: reliquum nunc est ad operis complementum indagare nunquid alicunde præter allatas aliæ aliquæ afferri valeant caussæ longissimi ieiunii: Quaquidem in re facile tres caussas propositi assignare possumus; prima est clandestina cibatio viuētis ab aliquo Dæmone, cuiuscunque sortis extiterit, quā sententiam hausisse multos ex Diogene, atque Demetrio superius adnotauimus: altera caussa est præpotentis Dei sūma potestas vltra naturæ limites ieiunium producens, quā opinionē habuit insignis Medicus Haruetus; vltima caussa est, quam referunt existimātes homines illos, qui tandiu abstinere visuntur, vere homines nō esse, verāque vitā non viuere, sed æquiuoce viuere, ac proprie cadauera esse ab aliquo Dæmone assumpta, & mota; quę proinde cibis nō indigenti adiutius absque alimēto consistere possint: Quarum sane caussarū quālibet queadmodum nemo infitiari potest longissimum quodque ieiuniū producere posse; ita illas non habere locum in omnibus enumeratis ab stinentibus, satis demonstratū est antea, vbi aperte innotescit vicissim ob caussas naturales a nobis inuentas cunctis abstinentibus omnia ieiunii genera contingere potuisse.

Lib. cap.

Lib. cap.

Lib. cap.

Caussarum propositarum abstinentiæ comparatio ad inuicem. Cap. C.

Omnium vero, quę superius propositæ fuere ieiunii caussæ, non eadē est ratio in producendis variis abstinentiæ speciebus; nam quæcūque longū ieiuniū efficere dictæ sunt, haud omnes longiorē, & longissimā abstinentiā producere possunt; sed vicissim a quibus diuturnior abstinentia exoritur, ab iisdē breuior produci valet: Quare inter naturales caussas sola caloris & humoris tū æqualitas, tum quoque proportio quoad vires vniuersalis caussa esse potest, vnde proxime pendeāt singulæ ieiunii differentiæ: Immo vero inter omnes caussas hæ duæ nobis inuentæ cūctis abstinētibus adaptari possunt; quum tres vltimæ nō physicæ, quāuis ex se omnē abstinētiæ speciem producere valeāt, ratione tamē subiectorū, & aliis nominibus multis antea cōmodiori loco explicatis, vere connumeratos omnes abstinētes nostros attingere nequiuerint. Ita ergo satis patere arbitror tū omniū differentiarū lōgæ abstinētiæ caussas esse posse naturales; tū caussarū huiusmodi naturaliū alias esse formales; alias vero efficiētes, & conseruātes: & demū alias finientes, ac terminantes ieiunii hoc diuturnitate nō minus, quā diuturnitatis varietate mirabile: Quæ caussæ omnes ex rei natura inuētæ, ac explicatæ nobis sunt in hoc opere, qua maiori diligentia per nos fieri potuit.

Finis Tertij Libri.

FORTVNII LICETI GENVENSIS

IN QVARTVM LIBRVM

De his, qui diu viuunt sine alimento

PRAEFATIO,

In qua notatur difficultatum explicandarum natura, & agendorum ordo.





Irca mirabilis, memorabilisque Ieiunij naturam in superioribus libris non solum summo studio clarissimorum virorum placita expendimus; verum etiam accurata disquisitione labore proprio ex rei natura caussas generatim, speciatimque diuturnam hanc Abstinentiam tum constituentes, procreantesque, & conseruantes; tum quoque finientes, ac terminantes inuestigauimus, & pro viribus ingenij nostri hactenus explicauimus. Quoniam vero difficultates plurimæ dedita opera pridem inuolutæ silentio, ne sæpius ab incœpto argumento ad eas enodandas diuertendo crebris digressionibus confusam contemplationem redderemus (quod stigma plerumque inuritur viris alioquin sapientissimis) methodique filum interrumperemus; quoniam inquam dubitationes quamplurimæ negocium haud leue legentium mentibus facessere, easque non patrum adhuc præpedire visuntur, quominus promulgatis antea dogmatibus assentiantur; operæ pretium fore duximus, ac necessarium plane hac nostræ in contemplationis parte postrema sigillatim eas dubitationes enodare, quæcunque in vniuersa methodo superiori determinatis sententijs ex mente propria obijci ab alijs consueuere, atque etiam quæ nondum obiectæ, obijci tamen facile valerent. Qua quidem in meditatione plurimus circa eas fuero, quæ ad longioris abstinentiæ, illique contrariæ nutricationis naturam proxime pertinebunt; parcus autem circa eas, quæ longiuscule ab instituto nobis argumento distare videbuntur; ac nullus omnino circa olim obiter dicta exorientes: Neque enim singula, quæcunque in dies, ac verius horas quolibet in argumento dubia concipiunt animi mortales, decet de re aliqua ex professo tractantem considerare: quis enim scriptor vel maximo in volumine cuncta illa, nedum enodare, sed vsquam valeat connumerare? Ea est siquidem humanæ natura mentis, vt in quauis contemplatione, aliena præsertim, dubitationes parere malit, quam soluere: Sed ita temperandus est iste modus, vt assentiri vel aliorum dogmatibus probabilibus intellectus malit, quam de illis dubitare;

aut

aut ſaltem vt ſtatim enaſcentes dubitationes, quaſi hydræ capita ſuccidere: Decet enim alienis in ſcriptis euoluendis plerumque (ni veritas, & ratio potior aliter ſuadeat) optimam nutricem imitari, quam indulgentiorem eſse quam matrem ſæpenumero conuenit; quod ſapienter admonet alicubi multiſcius ille autor vulgo ignotus. Illas itaque dubitationes hoc in operis volumine tractabimus, quæ magnam, ac euidentem cum propoſito nobis argumento habent affinitatem, quæque reipſa nobis a Viris Clariſſimis obiectæ fuere. Ceterum in huiuſmodi dubijs explanandis nullum mihi alium ordinem obſeruandum propono, quam eum, quo theoremata illa ſuperius diſpoſita ſunt, quæ nunc nobis illuſtranda, confirmandaque ſumuntur. Iam ergo & ad operis noſtri complementum hoc ſaxum tandem euoluamus Deo bene fauente.

Plinius lib. 17. cap. 10.



FORTV-

FORTVNII LICETI GENVENSIS

De his, qui diu viuunt sine alimento

LIBER QVARTVS.

In quo enodantur difficilia, quæ hactenus explicatis obstare, ac obijci posse videntur.



Decere Philosophum de re aliqua ex professo tractantem tum omnes aliorum opiniones de proposito expendere, tum illustriores tantum: vnde innotescunt scribentium fines, officia, crimina, & contemplationum varietates.
Caput Primum.



ADmoneor a viro doctissimo, cui officij caussa superioribus annis opus meũ *de vita* donaueram, videri me posse cuipiam in recẽsendis, & expẽdendis quorumcunq; opinionibus nimis prolixum; immo & Aristoteleo præcepto non obtemperantem, quo

1.Top.c.9

tum in topicis cautum est, *De vnoquoque contraria proferente stultum esse curam habere; neque oportere omne problema, omnemuè positionem considerare*; tum quoque in æthicis & Nicomachijs cõstitutum est

1.Aeth.c.4.

opiniones tantum illustrium Philosophorum expetendas esse, aut efficacissimas habentes rationes; & Eudemijs

1.Aeth.c.1.

omnes omnium opiniones persequi supernacaneum esse: Quæ obiectio, quum nihilominus locũ habere videatur in hoc opere, in quo dedita opera, quotquot mihi videre licuit, de proposito sententias attuli, & examinaui diligenter,

Vid.lib.1.cap.16.

in præsentia nostrã ante omnes ad se trahit excercitationem. In qua primum illud occurrit discrimen animaduertendum, quod a persona scribentis desumitur; sane poterat Aristoteles sapientissimorum summus in quouis argumento negligere, vel dicto, & autoritate solũ improbare multas opiniones aliorum, quos longe doctrina superabat; ego autem de memetipso ita sentire nõ debeo, vt vllius autoris sententias despicere possim, aut sine ratione, illasque multiplici deserere: non ab re igitur in aliorum placitis afferendis, & examinandis multus sum in meis lucubrationibus: Aristoteles enim locis allegatis sibiipsi, non alijs, nec nobis modum præscribit in alienarum sententiarum examine. Id ipsum facile comprobare potero a fine scriptoribus intento in vniuersa methodo; nam summis viris scopus esse potest

Finis scriptorũ quotuplex, & qui.

scribendo iuuare tantum; alijs vero minoris conditionis autoribus necesse est scribendo iuuare simul, & oblectareq́; ratio discriminis est, quia sapientia iam celeberrimi sola nominis autoritate compellunt homines ad studium suorum operũ, adiumentumque maximum sine fuco pollicentur, & exhibent; at noui scriptores, nondum autoritate, nominisque celebritate conspicui, nisi lepore aliquo sua scripta condiant, legentes vix inueniant; ea enim ætate viuimus, qua delitiola, & delicata nimis vigent ingenia nihil nisi aut vetustum, aut lepore conditum degustantia; ceterũ scriptis ad oblectandum tum alia multa conferunt, tum præsertim sententiarum varietas: iucunditatem nanque vbique oriri ex varietate, vetus est adagium: Aristoteles ergo, alijque summi sapientes nullius indigent externi fuci ad suas lucubrationes exornandas, quum sola nominis autoritate cunctos ad eas amplectendas attrahãt;

Ex varietate iucunditas

at humiliora ingenia iuuare simul ac delectare debent, & propterea suis operibus ad oblectandũ varietatem opinionũ impune queunt, immo vero iam debent inserere. Verum deinceps id manifesto iam constet, quod probare volumus ex fine peculiari, quo quisquis autor ad alienas opiniones considerandas impellitur; duplicem enim ob caussam aliorum placita expendere consueuimus,

Cur aliorum placita expendantur.

mus, nempe vel vt rei explicandæ, quæ difficilis, & obscura est admodum, lucem aliquam afferamus; vel vt in re suapte natura non adeo difficili erroneas sententias euertamus; si aliorũ dogmata sumamus tãquam falsa demolienda, certè nos de vnoquoque contraria proferente soliciti esse non debemus, neque omnem positionẽ, omneque problema considerare oportet, sed opiniones tãtum illustrium Philosophorum sunt expendẽdæ, aut efficacissimas habentes rationes; quippe his de medio sublatis, minutiores facile cuiuis conuelluntur: Sin autem ideo sententias aliorũ examinamus, vt ex eis in re ardua lucem aliquã hauriamus; quia nulla est tã absurda opinio, quæ aliquam veritatis fauillam non habeat; quumque in argumento quouis arduo maximi referat quamcunque lucis scintillam, & vndecunque illã hauriamus; propterea nullam opinionem de proposito non diligenter expendere debemus: Quod monuit vel ipsemet Aristoteles dum ad hauriendam veritatem ex veterum scriptis de animæ natura sibi necessarium esse duxit abunde omnium placita expendere, quicunq; aliquid de ipsa enunciauerunt: Quum igitur susceptum a nobis negocium, & antea de Vitæ natura, Ortuq; animæ humanæ, & nunc de mirabili Ieiunio, seu de his, qui diu viuunt sine alimento, difficillimum, & obscurissimum sit; cur eius vtriusq; in argumenti explicatione a quibusque auxilium non inquiramus omnium placita examinantes? Demum & methodi forma, seu natura pro nobis est in virũ eximium; quum enim duplex scriptoribus negocium sit, actiuum scilicet, aut contemplatiuum; sanè methodo actionem respicienti tum simpliciter nullius rei exquisita meditatio necessaria est Aristotelis decreto; tum speciatim omnes velle opiniones exquirere superuacaneum est; satisq; est si eæ solummodo inuestigentur, quæ extant maximè, ac supereminent, vel videntur rationem aliquam in se habere, eiusdem Aristotelis cõsilio: At vero in methodo speculatiua, & acroamatica præstat omnes omnium sententias de proposito diligenter expendere: quod religiosè obseruauit semper Aristoteles; nam & in primo de Auscultatione physica exquisite nimis opiniones omnes antiquorum de principijs examinat; & in primo de anima hoc ipsum ea diligentia exequitur, vt vel Hipponis placitum non spernat, quem tamen alibi cum ceteris comparans antiquis adeo contemnit vt scribere non dubitauerit oblitus fere modestiæ philosophicæ, *Hipponem etenim nemo dignabitur cum istis connumerare propter intellectus eius vilitatem*; His adijcienda est par diligentia eiusdem Aristotelis in expendendis veterum omnium dogmatibus primo Metaphysicorum, primo de Generatione, primo Meteororũ, & alibi. Ceterum haud solum hoc præstitit Aristoteles, sed ipsum efficiendi sibi, nobisque in omni contemplatione ardua necessitatem iniunxit euidentissime plurimis in locis, vnus est vbi scribit perspicuis verbis, *Intendentes autem de anima, necesse est simul dubitantes de ijs, quibus abundare oportet, pertranseuntes priorum opiniones comprehendere, quicunque aliquid de ipsa enunciauerint, vt bene quidem dicta accipiamus, si vero aliquid non bene, hoc euitemus.* Alter locus est egregius, vbi ait, *Ad illam, quæ quæritur, sciẽtiam necesse est in primis nos percurrere de quibus primo dubitandum est; hæc autẽ sunt, & quæcunque de eis aliter quidam existimauerũt, & si quid vltra hæc prætermissum sit.* & mox. *Quare omnes primo difficultates speculari par est.* & paullo post. *Item melius se habere necesse est illum ad iudicandum, qui tanquam aduersarios, omnes vtrinque rationes oppositas audiat.* Hinc facile constat ex Aristotele in methodo speculatiua oportere nos ante omnia expendere non solum quæcunq; aliorum placita, sed etiam quęcunque prætermissa de proposito ab alijs afferri poterant. Quia ergo nobis instituta erat pura veritatis contemplatio, non autem agibilium peritia, necessariũ fuit nos Aristotelem circa opiniones alienas imitari, ac præeuntem sequi, non quidem in æthicis, vbi rudiuscula sufficit propositi cognitio, sed in physicis, metaphysicis, & omnino in methodis speculatiuis, vbi exactissima scopi dignotio requiritur, quæ non nisi ex diligenti omnium dubitatorum examine acquiritur. Tertius locus est, vbi monet Aristoteles in omni methodo prius aliorũ opiniones esse considerandas, tum vt obstacula de medio tollantur, scilicet malæ stirpes de agro mentis, in quo ad vberiorem messem serantur veritatis semina; etenim, vt belle Seuerinus,

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arua prius fruticibus.
Tu quoque falsa tuens bona prius
Incipe colla iugo retrahere,
Vera dehinc animum subierint.

tũ vt nostra sententia magis credibilis reddatur; opposita siquidem se cõmanifestant; tum quoq; ne videamur indicta caussa condemnare alios; tum demum quia oportet eos arbitros esse, non aduersarios, qui veritatem sunt iudicaturi sufficienter: Quum itaque nos omni studio veritatẽ nostris in lucubrationibus insectemur, nec aduersarios vlli vnquam esse profiteamur, nec indicta caussa quempiam condemnare debeamus, & nostra dogmata credibilia cunctis efficere totis neruis studeamus; plane decuit, oportuitque nos nullam de proposito præterire opinionem, a quocunque prodierit autore. Quartus locus est, vbi dicitur Aristoteli, *Verum non solum illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis, qui superficietenus dixerunt; conferunt enim aliquid etiam isti. habitũ nanque nostrum exercuerunt:* Si ergo ijs agendæ sunt gratiæ, qui superficietenus dixerunt; cur non omnes opiniones expendere debuimus? aut quomodo ij habitum nostrũ exercere poterunt, quorum sententias diligenter non examinemus? Quintus locus est, vbi docet Aristoteles *opinionem Antisthenicorum, & indoctorum habere aliquid occasionis vt soluatur:* non ergo necesse est sola doctissimorum placita nos examinare, si vel Aristoteles in tollendis indoctorum opinionibus semetipsum exercere non dubitauit. Iure itaque in explicandis aliorum quorũcunque sententijs hic, & alibi accuratam diligentiam

Nulla tã absurda opinio, quæ scintillam veri non habeat.

1. de an. t. 19.

1. Aethic. cap. 3.

Actiua methodi non exquisita cõtemplatio.

1. Aethic. cap. 4.

1. Metaphy. proa. cap. 3.

1. de an. t. 19.

3. Meta. t. 1.

1. Cal. t. 101.

2. Meta. t. 2.

8. Meta. t. 9.

tiam impendimus. Ad obiectionem vero petitã ex Topicis facile occurras ex Aristotelis mente il lo in loco; nam quod primo scribitur *stultum esse curam habere de quouis proferente contraria opinionibus communiter acceptis*, id locum habet solummodo in ijs dogmatibus, quæ absurda sunt euidentissime, cuiusmodi ea sunt, quæ ibi enumerat Aristoteles, nimirum positio Antisthenis dicentis *Non esse contradicere*; placitum Heraclyti asserentis *Omnia moueri*; & assertum Melissi statuẽtis *Quicquid est vnũ esse*. Quod autem deinde subdit Aristoteles, *non oportere omne problema, nec omnem positionem considerare*, statim ab eodem Aristotele declaratur, inquit enim *eã considerari oportere positionem, quam dubitabit aliquis eorum, qui ratione egent, & non pœna, vel sensu; nam qui dubitant vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, an non, pœna indigent; qui vero vtrũ nix alba, an non, sensu*: Quum ergo nulla ex opinionibus examinatis antea huiusmodi extiterit, vt eius autor pœna, vel sensu indiguerit, aut in ea quid simile portentis Melissi, Heraclyti, & Antisthenicis ef futuerit; profecto necesse fuit nos illas omnes considerauisse, deque vniuersis maximam curam habuisse. Ad oppositionẽ vero ex Eudemijs nullam des aliam responsionem, quam proxime allatam Topicis, si Aristotelis eum locum animaduertas, *Verum (inquit) omnes omnium de his opiniones persequi, superuacuum sit, quando & ægrotis, ac deliris, & pueris quædam videantur, quæ nemo sanæ mentis in quæstionem posuerit: ratione enim opus non est, sed his quidem ætate prouectiore, qua corrigatur iudicium; illis vero punitione politica, medicane, quæ dolori inferendo plagis vim habet haud minorem: similiter & vulgi de rebus omnibus fere pronuntiantis obmittenda sententia est; absurdum quippe ratione cum ijs contendere, qui non rationem, sed mulctam mereantur*. Ad obiectionem ex Nicomachijs dum scribitur ab Aristotele, *sed omnes velle opiniones exquirere, superuacaneum fortasse est; satisque erit si eas solummodo inuestigemus, quæ extant maxime, ac supereminent, vel videntur rationem aliquam in se habere*; licet ex traditis distinctionibus multiplex solutio pateat, peculiari tamen ratione occurras ex verbis contextus; in primis Aristoteles (quod obijcitur) non absolute determinat superuacaneum esse velle omnes opiniones exquirere, sed in ambiguo ponit, & quum non determinet quid in re controuersa sentiendum sit, relicta optione omnibus accipiendi vtramlibet cõtrouersiæ partem; quid accusamur, si libertate nobis data vtentes omnes potius, quam selectiores opiniones examinare voluerimus? & præsertim quum eadem libertate vsum fuisse constet Aristotelem aliquando cunctas, aliquando digniores tantum sententias expendens? Deinde vero non ait Aristoteles necessarium esse opiniones illustriores solum exquirere, sed satis esse, ac sufficere alienas sententias expendenti nobiliores tantummodo attingere, nec oportere, nec cogi eum posse ad omnes absolute considerandas: ceterum non propterea damnandus est, qui præter illas, quas relinquere nõ poterat, alias

1. Top. 9.

1. eudem. cap. 1.

Punitio politica, & medica non minorem plagis vim habet inferendo dolori.

Omittẽda vulgi sententia.

1. eth. c. 4.

item sponte sua opiniones voluit ad maiorem propositi elucidationem examinare. Deinceps aperiens ibidem Arist. quænam sint opiniones exquirendæ absque superfluitatis crimine, illas nominat, quæ videntur rationem aliquam in se habere; at vero nulla fuit nobis examinata vnquã positio, quæ non aliquam in se rationem habere videretur; immo potius opiniones antea nobis expensæ omnes sigillatim pluribus rationib. munitas habuimus; ut propterea in ijs exquirendis, vel Arist. testimonio superuacanei haudquaquã fuerimus, quod primũ nobis obijciebatur. Sed ẽ generatim ad opponẽtes dicere possumus de duobus malis minus eligendum esse; nisi enim omnes opiniones diligenter expendissem, protinus dãnari negligentiæ potuissem, quod longe maius crimen est in scriptore, quam prolixa curiositas. Demum cur inde accusari ego debeam, vnde Plato laudatur maxime? gloriosum mihi fore credebam, nõ turpe, summos sapientiæ proceres in ea omni re imitari, de qua ipsi laudes essent cõsequuti; quum enim apud Ficinum legissem, *Plato noster mirifica in genus hominum charitate nihil in disputationibus suis intentatum relinquit, quod ad humanam salutem quauis ratione conducere videatur; atque dum id studiose contendit, mauult vel prolixi nimium, vel etiam curiosissimi crimen subire, quam negligentis*: Liceat ergo nobis cum Platone, immo uero iam necessarium sit in hoc opere cum Aristotele susius de proposito aliorum opiniones considerauisse, nulla excepta.

In scriptore negligẽtia maius crimen est quam prolixa curiositas.

2. de legib.

Licere Physiologo inter expendendas opiniones aliorum, nouas a semetipso comminisci, & velut alienas examinare, ex quo patet cognitionum varietas, & ordo. Cap. II.

IS ego sum, qui vt non multum mihi tribuo, ita nihil mei cogitatus in vulgus prodire patiar, de quo prius amicorum, & sapientum virorum iudicium non habuerim; propterea ergo de superioribus meditationibus varios quũdudum consuluerim, ab ijs enixe petens aliquod monimentum ad operis emendationem, & perfectionem, non semel interrogatus cur in recensendis aliorum opinionibus alias in autores certos retulerim, alias autoris nomine suppresso proposuerim; quum aliquorum nomina iustis de caussis mihi silenda fuisse aperuissem, ceteros me ideo nominatos uoluisse, ut de proposito quic quid lucis hauri rein in suos autores relatum omnes conspicarentur; eius enim finis gratia sententias aliorum disquirendas mihi proposui, vt inde mihi aperiretur aditus ad abstrusæ huius veritatis arcana, sinceritatem facti uidentes amicianuere cuncti: Verum quoniam rationes illas inuulgandas non esse duxi, ob quas nonnulla dogmata superius examinata certis autoribus non assignentur, ne hac in re scrupulus remaneat ullus, illud mihi nunc probandum propono, licere Physiologis de proposi-

Cur aliorum sententia fuerint expensa.

to sibi

to sibi quocunque negocio nouas opiniones a memetipsis comminisci, & eas velut alienas expēdere. Id autem tum ratione ducta ex natura rei, tum autoritate, tum demum exemplio summorum sapientię Principum confirmari poterit:

Duplex rerum cognitio,

Ac sane ratio est, quia quum duplex sit rerum cognitio, altera per negationem vocata, per affirmationem altera, vt ambæ conueniunt in fine, qui est notificare propositum, ita differunt præcipue in subiecto, in opere, & in ratione operandi; in subiecto, quia cognitione affirmatiua solū res liquidæ, ac facillimæ solent explicari; difficilimę autem solum negatione dignoscuntur: sic Deu Areopagita monet definiri negatione posse, affirmatione haudquaquam posse; sic Motorem primum Aristoteles docens esse immobilem, incorporeum, impartibilem, immaterialem, eius naturam manifestat per negationem materiæ, partibilitatis, corporis, & mobilitatis; sic idem alibi materiam negatione definit non esse quid, non quale, non quantum, nec aliud quippiam eorū, quibus ens determinatur, neque negationes ipsorum: Quæcunque vero media sunt inter facillima; & difficillima, vtraque ratione debent explicari, per affirmationem scilicet, ac per negationē eo ordine, vt vbiq. notio negatiua precedat affirmatiuæ; siquidem per negationes habemus notitiam confusam, per affirmationes vero distinctā magis; at vbique nobis iter est a cognitione confusa in distinctam, non autem vicissim distincte noscentes aliquid eiusdem notionem confusam quærere aut possumus, aut debemus. nam per cōfusam manuducimur, apparamurque ad distinctam: quam si primo habere possimus, nihil vlterius confusa notione indigemus. Differunt præterea in opere, quia methodus per negationes aperit quid res ipsa non sit; notio vero per affirmationes explicat iam quid res ipsa sit. Differunt tertio in ratione operandi, quia methodus per affirmationes tradita quo in vnaquaq; re paucioribus absoluitur, eo nobilior est, atque perfectior; at methodus negatiua eo melior, quo de pluribus considerat; ratio vero discriminis ea est, quia methodus affirmatiua nobilior continetur demōstratione ac definitione, quibus vnica subiecti essentia per quatuor caussas ad summum distributa, & ab essentia prodeuntes paucæ affectiones propriæ considerantur; sique ad alia deflectant, de sua dependunt dignitate demonstratio, & definitio; at cognitio per negationē ea sane melior, atque distinctior extiterit, quæ a pluribus alienis propositum separauerit, & proinde quæ de pluribus considerationem habuerit: Quum itaque in hac de mirabili ieiunio tractatione vtramque methodum seruare coacti simus, quemadmodum in tertio libro ex mente propria ostendimus naturam propositi affirmatiua disquisitione, ita sane antea in secundo per negatiuam methodum demonstrauimus quid non esset propositum; decebat igitur in ea, præter opiniones ab alijs inuentas, quicquid nobis veniebat in mentem a propositi natura dissentaneum, quod tamen alienum videri posset proposito consentaneum, ad complementum methodi considerare. Autoritas Aristotelis, quæ in exarandis aliorum sententiis, si quid nobis occurrebat eiusdem conditionis, quasi alienum expendere suadebat, clara est, quam supra etiam notauimus, *Ad illam* (ait) *quæ quæritur, scientiam necesse est in primis nos percurrere de quibus primo dubitandum est; hæc autem sunt, & quæcunque de eis aliter quidam existimarunt* (ecce opiniones alienas) *& si quid vltra hæc prætermissum sit;* ecce commentitias: vt plane pateat hoc loco in contemplationibus quibusque inter examinandum aliena dogmata, posse, ac debere nos, si quid ab alijs prætermissum sit, quod afferri de proposito poterit, illud proferre, ac veluti ab alijs promulgatum expendere: Qua quidem in re nobile habemus exemplum Hippocratis, qui aureo in opere *de natura humana* longe, lateque disputat contra opinionem asseuerantem hominis corpus ex vnico, & simplici elemento, aut humore constare, quasi aliqui fuerint, qui hominem pituita sola, vel bile, uel sanguine tantum consistere putauerint; quum tamen nullus vnquam extiterit, qui talia senserit, quod in eius loci commentario notant viri clarissimi. Sed & Aristoteli passim doctissimi quique tribuunt, consueuisse illum sub incerti nominis autore quasdam recensere sententias, quas nemo vnquam protulit, ipse tamen veluti prolatas confutat; tale quid autem facere dicitur ne vllus vlli supersit in proposito dubitandi, aut impingendi locus. Quicunque igitur in superioribus sententias incerto autore perpensas commentitias esse voluerit, sciat is ob allatas nunc rationes impune potuisse me, ac plane debuisse ad complementum methodi ante omnia non solum quicquid alij aliter de proposito senserint, considerare, verum etiam quicquid ab alijs hac in re prætermissum fuerat, a memetipso adducere, ac veluti alienum examinare.

Affirmatiua notio quæ communis, et difficilis negatiua.

8. Phys. t. 40. & seq. t. 1.

7. meta. t. 8.

Ordo cognitionū,

Per negationes habetur notitia confusa.

3. meta. t. 1.

Alimentum omne à viuentibus necessario prodire, nec ali ferro Struthiocamelum: quo cæno alatur animal, & planta.

Cap. III.

DIfficultatem præterea facit placitum illud, quo dudum constituimus omne alimentum nutriendis accedere necessario ex aliquo animato, ita ut proxime fuerit vel pars, vel effectus, uel fructus alterius viuentis suapte natura; namque struthiocamelus alitur ferro, quod non est animatum, neque ex vllo animato prouenìens; multaque animalia, & potissimum in aquatilium genere vescuntur cæno, ꝗ mera est massa ex terra & aqua citra vllius rei mistionē, quę animati fuerit vel pars vel effectus: Quin & plantis alimentū est succus impurus, & lutulētus ex humo haustus absq. vllius viuētis interuentu;

l. 2. c. 10. & 14. & 61.

teruentu; vt propterea multi nobis acriter ſuccenſeant in propoſito. Sed quemadmodum haud ſatis erat illis ad noſtram ſententiam euertendam hæc obiecisſe, diſſimulata rationum noſtrarum vi hoc placitum communiente; ſic eas non duximus ex ſuperioribus in hunc locum transferre, ſat habentes obiectionibus occurrere. Ad primum ergo licet cum doctiſſimo

2. de abd. rer. cauſ. cap. 2. & 11.

Fernelio dicere poſſemus *ſtruthiocamelum ferramenta coquendo atterere, at us non ali*; ſi quidem multa ventriculi calor atterere poteſt, quæ attrita corpori alendo non ſunt, ſed expelluntur poſtea extra corpus tanquam excrementa inutilia, quod nobis etiam euenit; nihilominus ab ijs diſcedendum non putamus, quæ antea

Lib. 2. cap. 136. & 141.

profeſſi fuimus aſſerentes ferri ſubſtantiam non cedere ſtruthiocamelo in alimentum, quod vulgo creditur, ſed tum ferro adnatam rubiginem veluti ſal cedere in condimentum alimentis ſaporem concilians gratum, & ſuauem guſtui ſtruthiocameli; tum quoque ferri vim atterere, attenuareque, ac præparare ad coctionem cibos craſſos, & viſcidos, dentiumque attritionem haudquaquam expertos; ita vt quemadmodum comedentes aquam bibunt, non quia illa nutriantur, ſed quia eius beneficio conſulitur coctioni alimentorum in ſtomacho, quæ elixatio eſt, & diſtributioni alimenti cocti; ſic ſtruthiocameli vtantur ferro, cui vim ineſſe aperiendi, &

Vino chalibeato aperiri obſtructiones.

attenuandi quotidianis experimentis norunt Medici, qui vino chalibeato aperiunt viſcerum contumaciſſimas obſtructiones, attenuatis viſcidis, & craſſis humoribus; tum demum veluti ſuccum melancholicum a liene ad ſtomachum tráſmiſſum, ſic ferri ſubſtantiam, vel etiam rubiginem corrugando, & adſtringendo ventriculum, ciere appetitum, & promouere coctionem, hiſque perfectis, extra corpus cum alui fæcibus extrudi. Sed hac de re fuſe ſuperius. Ad

Lib. 2. ca. 136. & 141.

ſecundam obiectionem concedentes animalia multa e cæno ſibi alimentum haurire, negamus in luto cedente in alimentum corpori viuenti nihil aliud eſſe quam terram, & aquam; ſi quidem miſta imperfecta non poſſe nutrire ſatis conſtat ex traditis antea: negamus item in cæno, quo veſcuntur bruta quamplurima, nihil eſſe, cui ex animatis prouentus fuerit; nam vbique in eo luto multa ſunt animalium excrementa; quin & animalium, plantarumque putredine diſſolutarum ſucci, viſcidique lentores; vnde

Vni viuēti alterius excrementa eſſe alimento.

viuentibus imperfectionis conditionis nutrimentum eſt; vulgare ſiquidem eſt vni viuentium generi, potiſſimum inferioris notæ, alimento eſſe alterius generis animalium excrementa cuiuſcunque naturæ; lutum ergo, quo inſecta præſertim aluntur, multis excrementis animalium tum viuorum, tum etiam mortuorum ſcatet, quorum merito alimentum prodit illis etiam, quæ cæno veſcuntur, ab animato corpore. Addo fieri non poſſe quin cæno illi admiſtus ſit etiam ſuccus ſiue excrementitius, ſiue ex partibus plantatum putridis, quo vniuerſa loca cænoſa viuentibus habitata ſcatent, non minus quam humore ab animalibus prodeunte, de quo etiam mox agemus: vt ex his apertiſſime

Cap. 25. & ſequentib.

conſtet in cæno humorem eſſe a viuente corpore prodeuntem, qui cedat in alimentum inſectorum, luti partibus terreis, & aqueis velut excrementis coctionem, & nutricationem ſubterfugientibus; quod aperte conſtat ex Ariſtotele decernente anguillas veſci non cæno, ſed eo quod in cæno comperiunt, vt infra patebit. Ad poſtremam

Cap. 35.

de plantis conſimiliter dicimus in terra vbique fere locorum inueniri multam manum ſucci a viuentibus corporibus effluxi, quem ſibi radicibus in alimentum hauriant plantæ; nam præterea quod multa degunt in terræ viſceribus animantium ſæcla, quorum & excrementa, & corpora putrida in obitu terræ græmium huiuſmodi humore complent; quæcunque degunt etiam ſupra terram, & in aere animalia ſua excrementa, & cadauera terræ demandant, quæ tum ſponte, ſi liquida ſint, tum pluuijs, & alijs quibuſque aquis eliquata terram veluti ſpongiam penetrant in alimentum plantarum ceſſura: Ex marinis quoque animalibus humores conſimiles terræ imbibuntur; hæc etenim ſiccitate innata ſpongiæ ad inſtar affuſum ſibi humorem auidiſſime attrahit, atque vt aqueum nullius, aut minimi lentoris participem facillime admittit, amittitque; ita humorem ex animalium corporibus quomodocunque egreſſum, qui viſcidus eſt, admiſſum retinet reddere neſcia, ita vt eo non priuetur a plantarum radicibus violentiori attractu: Immo & iugiter ex plantarum ipſis corporibus in humum reſudant humores, & excrementa alijs plantis alimento futura; vt nuſquam terra non ſit humore ab animatis corporibus referta: Quare dum ſibi alimentum hauriunt radicibus e terra plantæ, tunc etiam ſuccum ſibi trahunt, qui ex animato corpore fluxit: Cuius rei euidens illud ſit argumentum, quod in terra ſicca, & huiuſmodi ſucco vel penitus, vel maxime, vel magis quam par ſit deſtituta plantæ nec arte plantatæ viuunt, aut adoleſcere poſſunt, niſi a colonis fimo, ac ſtercore animalium inſpergatur, & affuſa ſtercori aqua ſuccus ille pinguis ad ſtirpium radices infra trudatur; quod Ariſtoteles, & poſt eum Theophraſtus, quotidianumque docet experimentum, quemadmodum antea notauimus. Quicquid ergo alitur, eo quod ex animato corpore quomodocunque defluxerit, ſeu quod antea quoquo pacto vixerit, enutritur; vt fuſe dudum oſtendimus.

Lib. 2. ca. 58. 61. 64. 84. 93. & 96.

Lib. 2. ca. 10. 24. & 61.

A mortuis vt nobis alimenta, augumenta, & semina suppeditentur apud Hippocratem, exercitatio cum acutissimo Scaligero. Cap. IV.

Lib. de insomniis in f.

QVibus nunc addere placet pulcherrimam ex Hippocrate confirmationem; qui de proposito alicubi scribit, *Mortuos in somnys videre puros, in vestibus albis, bonum est; & accipere aliquid ab ipsis purum, bonum est; sanitatem enim significat corporum, & salubritatem ingestorum; a mortuis enim nutrimenta, & incrementa, & semina fiunt; hæc autem pura in corpus irrepere, sanitatem significat: si uero contra videat quis ipsos nudos, aut nigris vestibus indutos, aut non puros, aut aliquid accipientes, aut ex domo portantes, non est commodum; morbum enim significat; quæ siquidem in corpus ingeruntur, nociua sunt.* Quem locum Hippocratis quum subtilissimus Scaliger in commentario ad eum libellum edito interpretatus fuerit, operæ precium fore putaui, si ad propositi eiusdẽ tiam inprimis tanti viri sententiam expenderem anteaquam propriam explicationem aperirem; inquit igitur vir ille doctissimus eo loci, *Nunc aggreditur Hippocrates ea, quæ extra somniantem sunt; aitque nos ali opera mortuorum; credo quia non potest alere nos quidquam viuens:* quo quidem in placito Scaligeri subtilitatem desideres; norunt enim & vetulæ non ali nos alimento viuente, actuque animato; vt propterea hoc non sit theorema Hippocrate dignum: immo vero nec absolute bene vertitur mortuum in nonuiuens; quamuis enim mortuum omne sit nonuiuens; haud tamen vicissim omne nonuiuens mortuum est: siquidem nonuiuens est tum id quod prius nunquam vixerat, cui falso tribuas nomen, & rationem mortui; tum quoque iam vita defunctum: Et sane mortuorũ nomine Hippocrates hoc in loco nutrimenta significat, quia reuera nihil nos alit, quod prius ipsum non vixerit, etiamsi dum alit actu viuens esse non possit: huius rationem profert vir acutus, *quia* (inquit) *necesse sit transformari, quum nihil duabus formis informetur*; quasi viuens in aliud viuẽs vllum transformari nequeat; & hoc si fieri valeat, propterea id, in quod facta est transmutatio, duabus necessario formis informetur; atque id sit penitus absurdum, neque fieri vlla ratione valeat: In primis etenim vel obseruationibus Theophrasti, confirmationibusque Portæ in sua Villa transformatur triticum, & ordeum in lolium; loliumque vicissim transformatur in triticum, & ordeum: præterea zea, triticum, & ordeum mutantur in auenam; ordeumque itidem conuertitur in ægilopem: ocimũ quoque transire consueuit in serpillum, & sisymbrium Theophrasto, Palladio, & Plinio Portæ suadentibus: sed & triticum in tipham, tiphamque vicissim abire in triticum ex Theophrasti, & Portæ monumentis discimus: nec non etiam sisymbrium in mentham commutari: Vlterius Laodiceæ Xersis aduentu platanus in oleam mutata est autore Plinio, cui & olea in oleastrum, & caprificus in ficum, & candida vua, ficusque in nigras conuersa dicitur: sed & eiusmodi mutationibus Aristandi apud Græcos volumen scatere, & apud nostrates C. Epidij commentarios admonet. Insuper autem Galeni testimonio verti consueuisse cassiam in cinnamomum vt genere proximum, ita specie ab illa diuersum, recte mihi obseruasse videtur in suis Epistolis medicinalibus Matthiolus: Quis præterea non animaduertit innumeras plantarum transformationes in insitione, qua certe nihil inuenit Agricultura solertius? de his bellissime non vno in loco P. Maro cecinit

Hippocratis locus illustrandus affertur.

Exercitatio cũ Scaligero.

Apotelesm. 43.

Cur mortui significent alimẽta.

Viuentis in viuens transformatio.

4. de caus. cap. 6.

Lib. 11. cap. 17. & 29.

Plantarũ varia trãsformationes.

10. vill. cap. 43.

11. vill. cap. 30.

L. 17. c. 25

1. de an. d. cap. 14

Lib. 4.

2. Georg.

Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Et paucis interpositis,

Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida;
Et steriles platani malos gessere valentes;
Castaneæ fagos; ornusque incanuit albo
Flore pyri; glandemque sues fregere sub vlmis.

ne alia plurima huc referam, quæ de proposito recensuit Palladius. Deinceps Theophrasto consentiente Aristoteli huiusmodi etiam viuentis in viuens transformatio in animalibus conspicua est; namque vt omittamus tum quæ de transformatione adultorum hominum in feras, & arbores fabulantur Poetæ; Nabuchodonosor enim testimonio sacræ paginæ haud ex homine se conuertit in belluam, sed in hominis figura immanitatem gessit belluæ: tum quæ de transmutatatione mulierum in viros testantur Historici; obseruatione Aristotelis experimento comprobata quotidie insectorum omnium vermiculi trãsformantur in aurelias, & aureliæ istæ, quas etiam nymphas, & Chrysalidas appellamus, conuertuntur in papiliones, sub singula trium formarum distincto, & statuto temporis interuallo viuentes: sed quid insecta commemoro? non ne ouum transmutatur in pullum Aristoteli? ouum vegetans a matre in pullum sentientem a patre? decernit etenim admirandus Præceptor vegetalem animam a matre ouis indi, sensualem vero a patre prolifici seminis interuentu; quam sententiã oportuniore loco fusius explicauimus: non ne fetus humanus eidem Aristoteli primis diebus in vtero materno sola viuens anima vegetatrice, procedente tempore sensitricem subiens, qua fieri dicitur animal, non ne inquam transformatur viuens in viuens? nimirum vegetans in animal? quin & postremum hoc animal induens animam rationalem, qua fit homo, si non simul fit animal & homo, nec animal & equus in vtero matris, vt eo loci nos docuit Aristoteles, non ne animal in hominem, & animal in equum, ac proinde viuẽs in viuens reuera commutatur? Nec tamen inde necessario sequitur (secus atque censeat acutissimus Scaliger) duabus formis idem informari; tũ quia potest præcedens forma sequentis ipsomet in exortu occumbere, quando generatio vnius est alterius corruptio; id quod accidit dum transmutatur triticum in lolium, lolium in ordeum, & in alijs transmutationibus huiusmodi; tũ quia posterior forma priori adiungi, associarique potest in vnam compositam: Neque absurdum est

Lib. 14.

3. de gen. an. c. 11.

Daniel. cap. 4.

Arist. Hist. lib. 9. c. 4.

Plin. lib. 11. c. 4. & 12

cap. 22. dalechap. omnes. in Plin.

3. de ger. an. cap. 4.

1. de ort. an. hum. cap. 52. & sequentib.

2. de gen. an. cap. 3.

1. de gen. c. 18.

vnam

1. de vita cap. 13. 2. de ort. an. hum. cap. 1.

vnam animã ex pluribus subordinatis essentialiter inuicem iunctis coagmentari, quemadmodũ latius alibi demonstrauimus. Non ergo veram caussam nos docuit vir multiscius cur nos alere non possit quidquam viuens: Porro caussa propositi, quantum ego arbitror, triplex est; vna quidem, quia nutrimentum omne antequam alat, necessario est concoquẽdum; at vero tali coctione quod antea viuebat, vita spoliatur; siquidem vt plerumque contingit in eo apparatu, qui extra corpus nostrum alimentis cõciliatur, nutrimenta pristinam vitam exuere; quod in Pythagoram lusit aliquando Laertius ille Diogenes hunc in modum

Cur aliqua nequeamus alimento viuente.

1. de vit. Phil.

Haudquaquam solus tu animatis abstinuisti.
Quisnam animata vorat, dic mihi Pythagora?
Verum vbi quid tostum est, elixũ, vel sale sparsũ,
Tunc edimus, quoniam spiritus omnis abest.

ita vi coctionis internæ, quæcunque nutrimenta viua intra corpus ingeruntur, cuiusmodi sunt stirpium semina, fructus, aliæque partes, quibus citra vllum artis ministerium vesci consueuimus, & crudis, vi coctionis inquam illius, qua & primum in stomacho vertuntur in chylum, & postea in hepate, ac corde mutantur in sanguinem, priori vita priuantur, noua nulla donata; si quidem chylus, & sanguis succus est inanimis: cuius sane rationis ea est explicatio, quia quum duæ quælibet formæ vltimæ, animæuè numericæ in eodem supposito sint incompatibiles; incompatibiles erunt quoque in eodem subiecto dispositiones ad duas animas indiuiduas, quę dispositiones vltimæ vocantur: quum igitur Aristotele autore alimentum nondum cõcoctum dissimile sit alendo corpori, coctum vero adeo simile vt in eius substantiam immediate commutari, atque ideo illius animã induere valeat; iam plane constat coctione alimentum externum si viuens fuerit priuari dispositionibus, quibus propria ipsius anima innititur, tanquam non compatientibus secum dispositiones apparantes materiam ad animam alendi corporis; ac proinde vita spoliari; simulque indui dispositionibus ad animam nutriendi, quã postea subit alimentum concoctum, vbi cõuertitur in naturam eius quod alitur: vt propterea nutriamur nõ actu viuente vnquam, sed corpore vita defuncto, quod per coctionem prægredẽtem nutricationi acquisierit vltimas dispositiones ad animam numericam alendi corporis, & amiserit (si non antea ob alias causas) dispositiones vltimas quibus nitebatur anima illius pristina: quo circa nutrimentum viuens ita per coctionem morte afficitur vt simul ad nouam vitã proximè disponatur; similitudo etenim alimenti vi coctionis parta maxime consistit in dispositionibus vltimis proxime apparantibus materiã alimenti ad subeundam animam eius quod enutritur. Altera vero ratio est, quia nutrimentum, quo nos alimur, debet esse in potentia ad subeũdam animam humanam, veluti suam formam; ac proinde priuatum omni parte animæ nostræ; quippe tum potentia semper adnexam habet priuationem; tum omne recipiens debet esse denudatum a natura recipiendi; quum autem in anima humana sint omnes gradus animæ, vegetans, sentiens, intelligens; plane omni anima, & omni vita destitutum esse quod nos alit necesse est. Tertia ratio est, quia nutrimentum tale esse debet; cui ceu forma vniatur anima nostra; sed anima nostra, quæ in se omnes gradus animæ, ac vitæ continet, vniri ceu materiei nequit vlli actu viuenti; siquidem anima vniuersaliter definitur esse actus corporis potentia vitam habentis, non actu. Ita ergo alimentum debet esse non viuens, quia vita iam functum. Quæ mox afferuntur a subtilissimo viro, *At quod alit nos, nostri pars fit, aut iam est: ergo sub totius forma existit: quod autẽ viuit, suum sibi est:* plena sunt difficultatis; Porro quod alit nos, nostri pars fit; at non propterea sub totius forma existit; namque forma est terminus ipsius fieri, nec alimentum sub totius forma esse poterit, nisi vbi in naturam partis iã transmutatum fuerit. Nec accipere possumus, quod nos alit, id iam esse nostri particulã; quum & partis natura, essentiaque sit nutricationis terminus postremus, vt nemo non fateatur altionẽ esse alimenti in partem viuentem conuersionẽ: quod igitur actu alit, vt potestate solum est nostri pars, non actu; sic neque iam pars esse nostri, neque sub totius forma existere dicendum est; sed solum fieri pars nostri, atque ad formæ totius habitum induendum pergere. Multo minus accipio, *quod viuit, id suum adeo sibi esse, vt sub totius forma existere nequeat, parsque nostri esse nõ valeat:* quandoquidem pars nostri singula, caro, neruus, oculus, brachium viuit, suumque sibi esse non habet distinctum penitus, atque independens ab esse, siue a forma totius. Quod autem mox affertur a Scaligero, *Itaque in octauo Pædiæ, vult terræ mandari corpus suum Cyrus, vt ibi mutato eo, aliquid capiant mortales emolumenti,* mirifice nostram, & ideo Hippocratis sententiam roborat; nimirum quia cadauer prius vixit, propterea terræ idoneũ ad stirpes nutriendas succum præstare potest, quibus homines vtuntur; alioqui si cadauer non vt mortuum, sed vt nonuiuens rationem alimenti obtineret: plane iam omnia nonuiuentia, atque adeo elementa, & mista imperfecta nutriendo essent; quod longe a vero abesse dudum comperimus. Subdit vir insignis *Hippocratem tria tangere, primum, semina, idest, principia: secundũ alimenta, quum sunt mutata: tertium, augumenta, quæ alimentum consequuntur:* In primis nescio cur Hippocratis ordo, quo semina vltimo loco ponuntur, permutandus sit ijs primo loco numeratis: Deinde quid per semina interpretemur principia? hoc enim est per ignotiora progredi; longe namque amplior est principij significatio quam seminis: an per semina significentur principia stirpium, quæ sunt alimenta nõ mutata, & externa, vt videtur innuere vir sublimis? sed anne solis alimur seminibus? certe plantarum liquoribus, frondibus, fructibus, excluso plerũque semine, atque insuper animalibus vtimur in alimentum. Quid opus est Hippocratem de alimentis in-

2. de an. t. 6.

Lib. 2. pos. fin.

Principii amplior significatio quam seminis.

2. de an. t. 45.

crates asseuerans nos a mortuis accipere alimenta, & augumenta, & semina ipsa, indicat aperte omnē alimēti naturā, siue sit eius substantia, qua cōmutata in partes solidas enutrimur; siue quātitas, qua moli nostræ addita crescimus; siue demum excremētum vtile mutato iam alimēto superstes, quo sub forma seminis generamus; omnē inquam alimenti naturā tribus istis essentijs cōprehensam nobis nō aliunde quā a mortuis inesse, nimirū ab animatis vita defunctis; si quidē alimenta nobis sunt tā in ciborum, quā in potionum genere plantarū, & animaliū partes, vel fructus, vel succi ex partibus, aut fructibus quomodocunq; hausti, vbi pristinā vitā exuerint, siue in eo apparatu interierint, quo extra nos arte reddita sūt apta esui, vel potui, vt carnes, & edulia oīa coqui artificiū experta, & vinū, atq; oleū; siue vi uētriculi versa in chylū primo intermoriātur in ea præparatione, qua idonea redduntur nutricatui, vt supra notauimus; vt propterea bellissime in sōnijs phātasiæ apparentes mortui alimētorum antea ingestorū naturā significēt Hippocr. obseruatione. Et sane quum inter caussas tum effectrices, tum quoq; cōseruatrices sanitatis, & ægritudinis primū sibi vēdicent alimēta locum; profecto si pura fuerint, & ad naturæ normā, quæcunq; subeunt in corpus nostrū sub rōne alimenti, sanitatis habitū veluti caussæ effectum arguēt, contra si, quibus alitur corpus, noxia, & omnino extra naturæ regulā constituantur, ijs morbosam affectionē pariter indicari. Qm̄ vero alimenta suis vaporibus inter dormiendū ad cerebrū delatis phātasiæ mortuorū spectra inspicienda proponūt; par est in mortuorū simulachris eas conditiones apparere, quæ alimētorū proprietatibus proportione respondeant; quas breuiter Hippocrates more suo tangens, vtinā doctissimo Scaligero stimulos ad eas explicandas incussisset: sed qm̄ eas forte sibi euidētissimas alijs expedire neglexit, nos (qm̄ i huius loci explicationē incidimus) etsi obiter, aperire tētemus. Porro quicunq; dormiētes vident in sōnis mortuos puros, ac nitidos, ij sunt quicunq; alimēta pura ingerunt, nēpe boni succi, & ab omni excrementorū alienorum sorde intaminata: qui mortuos conspiciūt indutos vestibus albis, eos puta qui externa susceperunt alimenta in debita quantitate, ac bene præparata; accidentia etenim sunt veluti vestimēta induētia substantiā, quam vndique cōplectuntur, sensibusque nescio an inuida cęlent, an amica suapte natura insensilē quoquo pacto cōmōstrent; cādorq; inter colores venustissimus in veste, optimā accidētiū in alimēto cōmoderationem designat; eamq; aliūde, seu ab arte illi prouenientē; nam vestes candidas ab arte nanciscimur oēs: quicunq; vero inspexerint per somnia se a mortuis aliq̄d puri accipere; ij sint, q ex edulijs, ac potionibus in aluo coctionis vi probe confectis purū alimentū hauriunt; vnde sibi sanitatem acquirūt, atque conseruāt: contra qui somniantes vidēt mortuos nudos, ij sint, quibus alimenta nullo debitæ præparationis tegmine circūdata, & debita quātitate carentia ingeruntur; quantitas enim primū est, ac maximum substātię velamentū: qui mortuos nigros somniauerint, eos dicito, qui alimētis tetro aliquo, prauoq; succo infectis vescūtur: quibus mortui per somnia sordidi apparent, eos recte dixeris nutrimentis viuere multa excrementorū fece inquinatis: quib. somnia plena sūt aspectu mortuorū sibi aliquid eripientiū, eos iudica nutrimentis impense calidis, aut frigidis assuetos, q̄ppe calidiora nutrimenta nobis radicale humidū eripiūt, frigidiora calorē naturalem extinguunt, & vtraq. sanitatē auferunt: quos deniq; cōtingit in sōnio videre mortuos aliq̄d ex ædibus asportantes, illos recte putes vti alimentis, q̄ ob prauū succū nec ipsa corpori agglutinātur, nec agglutinari permittunt bonos succos in corpore compertos, sed eos infectos secum auferunt ad pedes tumefaciendos; vt supra fusius ex Aristotele demōstrauimus: ceterum nemini dubium est alimenta vitiosa, & qualitate aliqua præpotentia, vt puta caliditate, frigiditate ue nimia, & excrementis multis scatentia, & succo malefico infecta, & debitā, aut quantitatem, aut præparationem non habentia esse caussas ægritudinis; vt propterea mirifice hoc in loco Hippocrates nos edocuerit rationē præsagiendi sanitatem, ac morbos ex insomnijs aperientib. naturā alimenti, quo somniantes vtūtur; alimentis ipsis sub mortuorū specie somniāti apparentib. eo quod omnia nutrimēta sint mortua, nempe corpora quomodolibet vita defuncta, & omnino ex viuentibus ad nos quomodocunque prouenientia, q̄ in hoc loco disquirimus.

2. de an. c. 65.

Lib. . cap. 102.

1. Probl. 5

Experimento haud comprobari aurum potabile posse nutrire. Cap. V.

Lib. 2. c. 61.

SEd & contra superius demonstrata suum specialim iactant Chymici aurū potabile, tanquā alimentorū oīum nutriēdo corpori maxime aptum, atque (ut aiunt) ex se sufficiētissimū; qua de re pulchrā vir multiplici eruditione insignis, morumq. suauitate amabilis mihi retulit historiā Gaspar Bragatia, nimirū Octauio Farnesio litterarum cultori simul & patrono eximio, eidēque Parmensiū, & Placētinorum Duci Serenifs. magniq. illius Alex. Belgici patri (vt.n. ceteri ex patrib. ita hic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominādus) ei ergo dicebat olim viuenti vna & imperanti duos aduenas Chymicæ artis famosos professores vasculū liquoris nomine auri potabilis miro magisterio, summoq. impendio confecti obtulisse; id munus tanto Principe dignū ea potissimū ratione prædicātes, quod exigua illius portio ingesta, sine alio vllo alimenti genere, hominem posset ad octauam, & vlteriorē diē nedū viuum, sed ēt viuidum seruare; promittentes eius rei veritatem suo periculo statim ad nutū Principis integre se probaturos: Quare nulla mora vltro se se exhibentes custodiæ, immo vero iam custodiā arctissimam sibi efflagitantes, ambos propriis tegumētis oibus exutos, vt omnis tolleretur abditi alimenti suspicio, nouisq; vestibus decēter indutos cū vasculo sui liquoris iussit Princeps solertissimus in aulę proprię cubiculo diligenter custodiri; eos postea die septima cōpertos absq; fraude pauxilli sui liquoris vsura cū virium vigore seruatos, e custodia tūc statim liberandos edixit; sed illos, quo amplius, & illustrius de sui præsidij virtute Principi testimonium perhiberent, adusque diem decimā obseruari uoluisse: itaque demū robustos die decimo e custodia egressos, parua sui li-

Historia auri potabilis.

quoris

quoris particula in uictũ decimæ diei conſumpta, eiuſque proinde admirabili virtute, vt videbatur, cumulatiſſime comprobata, magnanimo a Principe regiis muneribus donatos abiiſſe. Ceterum hæc a viro fide digniſſimo mihi relata etiãſi veriſſima credantur, talia tamen haud ſunt, quæ nos de propoſita in ſuperioribus ſententia deturbare valeant, iterum vel poſt hæc aſſeuerantes e puris, nudiſq; metallis nullum nobis alimentum nos haurire poſſe: allata vero ex hiſtoria, factaque de propoſito obſeruatione oppoſitio non vna ratione diluitur: ſiquidem in primis inde ſatis efficax argumentum non colliges, quo aurum vel potabile nuncupatum, ac redditum innutrire cõprobes: cur etenim eiuſcemodi aurum potabile citra omnem alimenti rationem, aut ſocietatem, veluti purum medicamentum impediendo quomodocunque natiui caloris violentiam, humidique radicalis conſumptionem, ſaltem celeriorem, haud poſſit nutriendi neceſſitatem ad decem dies, & adhuc vlterius ab humano corpore procul arcere? nouimus enim ſupra, & ex Ariſtotele cõprobauimus odores varij generis morientium vitam ſine vllius alimenti miniſterio ad quaternos dies prorogaſſe; idque non vt alimenta nutriendo, ſed vt medicamenta præſtitiſſe alterando: tale quid autem auri ſubſtantiæ potabili eo facilius eſt efficere, quo inſitum eſt a natura cuique agenti phyſico conſimilem ſuæ qualitatem patienti communicare, conditionemque ad propriæ naturæ normam impertiri; quum itaque auri ea ſit naturalis temperatura, & ſubſtantialis humiditas, quæ caloris tum ignis vel ardentiſſimi, tum etiam diuturniſſimi ſummam actiuitatem elidat, violentiamque ſuperet; quid ni aurum potabile hauſtum internarum partium radicalem humorem conſimili diſpoſitione afficiat, qua diutius calori & natiuo, & cuiuis alteri obſiſtat egregie? rationi certe contentaneum eſt ab auri medicamento interioris humidi ſubſtantiam ita firmari, vt non facile a contrarijs cauſſis, ac præſertim a calore diſſipetur; quando auri natura inuicta eſt igni, & omnia phyſice alterantia patienti conſimilem ſuæ diſpoſitionem imprimere obſeruentur. Quum igitur ab auro potabili ceu ab alterante medicamento ſubſtantificus humor vim acquirat maximam reſiſtendi caloris actiuitati, & violentiæ aliorum ſibi infeſtorum, plane vtens auro potabili diu ſine alimento viuere poterit, ſiquidem alimenta in eum finem a natura viuentibus ſubcæleſtibus data fuere, vt ijs auocaretur calor innatus a celeri conſumptione radicalis humoris: Non ergo quia illos chymicos nutriuerit aurum potabile, ſine vulgaribus alimentis decem dies vixiſſe dicendum, ſed quia ipſorum humidum firmauerit, roborauerito. adeo vt calori firmiter obſiſtere potuerit, non mutatum in partium ſubſtantiam (quod eſt nutrimentorum proprium) ſed alterata humidi ſubſtantifici temperie, quod eſt medicamentum officium. Hinc ergo non colligitur aurum potabile nobis cedere poſſe in alimentum. Præterea vero quis certo aſſerat, mihique demonſtret liquorem illum ſuperiorum Chymiſtarum fuiſſe meram, ſimplicemque auri ſubſtantiam, & non potius extractum aliquod ex optimis, defæcatiſſimiſque alimentis ſucculentiſſimum? norunt enim Medici extracto carnium probe confecto ægrotos abſque alio nutrimento vllo ad plurimos dies, vel eius exigua portione hauſta, conſeruari. Haud tamen negauerim eum liquorem ratione alicuius adiuncti auri ſubſtantiæ poſſe nutrire; ſi quidem in auro potabili non parum aquæ vitæ nuncupatæ auro coniungitur, quæ maximam uim habet nutriendi, qua caret omnino metalli ſubſtantia. Deinceps quid ni & iſti Chymici eius naturæ fuerint, vt ſine liquoris illius vſu (quo alter homo fortaſſe tantum haud potuiſſet ſuſtinere ieiunium) a cibo per id temporis ad libitum abſtinentes viuere potuerint, quemadmodum Franciſco Peluſio, Philippo Riminaldo, & Scoto illi iuueni apud Cardanum contigiſſe nouimus? nil certe prohibet vt multos alios errones paſſim videmus venena ingerere, vulnera ſibi varia infligere, aliaque mirabilia in ſemetipſis pericula facere (quæ in alijs ſuæ ſibi fraudis conſcij tentare forſan non auderent) fidem ſuis dictis, mercibuſq; lucrũ aucupãtes; ita iſtos peregrinos, alijs abſtinentibus callidiores, nobili eſca potabilis auri maximo impẽdio elaborati, mirificaque virtute pollentis, a viris Principibus, a quibus ieiunij ſolius quantumuis admirandi oſtentatione nihil hauſiſſent (quid etenim eis dare opus eſt, quibus ad victum nihil opus eſt?) regia munera expiſcari conſueuiſſe: Non iurarem illos non impoſtores, vel ſolertiſſima ingenia fallentes, rem vili precio comparatam, nomine tantum aurum potabile, cum auro ſolido permutare ſolitos; adeo ſcatet vaga, & errabunda Chymiſtarum turba fallacibus, ut interim veros Philoſophos, integroſque viros excludam: De illis ſane pulchre dicere iam poſſumus, quod Accius Diuinatoribus obijcere conſueuerat, dum

Vt aurũ citra nutrimentum vitam ſuſtineat, producatque.

Libr. 2. c. 53.

De ſenſ. & ſenſ. c. 55.

Lib. 1. c. 3. & 4.

,, *Nihil, inquit, credo auguribus, qui aures verbis diuitant*
,, *Alienas, ſuas vt auro locupletent domos.*

Verum enimuero de auro potabili ſyncero illud aſſeuero, ſi ex eo metallo artis miniſterio poſſit potulentus extrahi ſuccus, ſique auri ſubſtantia quouis ingenio valeat in humorem potabilem colliquari, hunc arbitror alendo ineptum fore penitus, ob rationes de metallis tum antea propoſitas, tum infra etiam commodiori loco afferendas, quas non eſt, vt hic fruſtra repetamus: At uero poſſe tanquam medicamentum uel humoris interni vires, quibus conſumenti calori, aliiſque ſibi infenſis ille magis reluctetur, adaugere; ſiquidem, ut nuper adnotauimus, auri humidum ſubſtantiale naturam obtinet igneo calori maxime reſiſtentem, qua ſimilem humori noſtro radicali efficaciam conciliare poteſt, ut diu ſe tueatur a caloris violentia: vel etiam poſſe concedimus caloris ipſam violentiam, actiuitatemque aut coercere, aut (quemadmodum de aqua epota, deque intra lucernam iniecta, & de ſale iampridem conſtituimus) ab humoris exterminio ad

Lib. 2. c. 10. 15. 61. c. 108. & 113. c. 38.

Lib. 2. c. 75.

ſe auo-

ſe auocare, vel aliter ſubſtantiæ noſtræ conſumptionem quomodocunque prohibere; atque ita nutricationis, & alimentorum neceſſitatem ad pluſculos dies arcere non difficimur, qui ei vim omnem alendi, ob allatas antea cauſas, interdicere cogimur.

Homines fæno ſolo an diu ali valeant vti iumenta.
Cap. VI.

Lib.1.1.1. Sed nobis dudum collaudantibus Galeni ſententiam, qua decretum eſt *cuique animantiũ generi a natura præſcriptum fuiſſe proprium alimentum, quale nimirum eſt fænum iumentis, cicuta ſturnis, elleborum coturnicibus*: ac proinde nõ neceſſarium eſſe id, quod certis viuentium ſpeciebus alimento eſſe videtur, poſſe & homini nutrimentum ſuppeditare; quando certum ſit hominibus Veratrum eſſe purum medicamentum, cicuta Venenum, fænum autem excrementum: propoſita inquam nobis afferentibus obſtant do ctiſſimi viri e ſacra pagina legentes tum apud Cap.4.& 5. Danielem Nabuchodonoſor Regem ſeptem annorum curriculo eiectum ab hominibus cum beſtijs habitaſſe, ac fænum ad inſtar bouis comediſſe: tum etiam apud Machabæos Iudam cum Lib.2.4.5. ſocijs perſequente Iudæos Antiocho, eoſque a lege patria deſciſcere cogen..., feceſſiſſe in deſertum locum, ibique inter feras Vitam in montibus agentes, & fæni cibo veſcentes, moram cõtraxiſſe: Ceterum neque hæc propoſitam a nobis ex Galeno ſententiam labefactant; primo quidem quia nos cum Galeno de hominum Victu, & alimento naturæ limites non excedente loquuti fuimus; at allata e ſacris litteris teſtimonia vim phyſicam ſupergrediuntur; nam Rex Nabuchodonoſor in propriæ ſuperbiæ pœnam quaſi infra hominis conditionem deturbatus iumentis in eo ſimilis factus eſt, vt eodem alimento paſtus vitam in miſeria traduceret: cõtra Machabæi Diuinæ legis præcepta deſerere nolẽtes a Deo in ſolitudine fæno, vt olim eorum patres in deſerto Manna, enutriti ſunt, mutante fortaſſe naturam fæni excrementitiam mirabiliter in alimentarem; hoc enim erga fideles, ac pro ſua lege patientes illum præſtitiſſe veriſimile eſt, qui pridem erga eorum patres non ita de ſe benemeritos Mannæ ſaporem omnem concilians ad comedentis deſiderium naturæ leges in alimento tranſiliuit alioquin vel Colotes apud Plu Opuſculo aduerſus Colotem. tarchum *exclamat cibis nos veſci, non fæno*. Deinde Vero nos cum Galeno fæni nomine nuncupauimus certum illud iumentorum pabulũ, qđ Iureconſultus ille definiuit eſſe herbam ſiccam; cui ſane ſuccus non ineſt hominibus alendis aptus, ſed noſtræ naturæ penitus diſſimilis, atq; excrementitius: ſacra uero pagina latius accepto fæni vocabulo forte nobis herbam crudam, & virentem ſignificauit; quæ multiplici genere poteſt alimentum homini ſuppeditare; nam ſolis herbis multos in eremo victitaſſe nouimus itidem ex hiſtoria ſacra, eoſque incolumes; quod cibi genus vt Nabuchodonoſor Regi cum luxu vitam mollem viuere aſſueto tormentum erat, ac pœna intolerabilis; ita Machabæis, vt pleriſque alijs Deo charis vltro ſibi electum alimentum erat, & eſca ſalutaris: quibus fænum proprie dictum, cuius ſupra nos cum Galeno meminimus, citra miraculi interuentum, purum fuerit excrementum alendo penitus ineptum. Ita ergo nobis antea cum Galeno aſſeuerantibus fæno enutriri non poſſe homines, Vt eo aluntur iumenta, non refragantur hiſtoriæ ſacræ in oppoſitum allatæ de Babiloniæ Rege, ac de ſocijs Iudæ Machabæi fæni cibo veſcentibus.

Venena in alimentum nulla ratione poſſe concedere.
Cap. VII.

Quod abſolutè negauimus, venena poſſe in alimentum cedere, cõtrouerſum eſt inter Auerroem, atque Galenum; qua in re doctiſſimus Bonamicus dum Auerroem deſerit Galeno adhærens noſtram ſententiam labefactare videtur; ſtudet enim demonſtrare venena ſimpliciter ſola Vi conſuetudinis cedere poſſe hominibus in alimentum; elicias Vero eius Viri argumenta ex allatis ad ſoluendas rationes Auerrois, quorum ſumma hæc eſt; Galenus, Auicennas, alijque tum Medici, tum Philoſophi teſtantur multos homines paullatim aſſuetos fuiſſe napello, & cicutæ; quibus etiam magna quantitate veſcebantur innoxie; quam ſententiam fuſius explicauit Cælius, *In Ariſtotelis* (inquit) *relatum monumentis inuenio (vt de Mithridate taceam, a quo excogitata antidotus Mithridatios dicitur) puellam cæpiſſe initio paullatim venenis innutriri, conſuetudinemque in naturam abyſſe vt ijs perinde veſceretur, aleretur que, ac conſuetis cibis reliqui*: Adijcit fuiſſe *puellæ cor caloris inops, præterea meatus prætenues ita vt digeſtionis vi inſigniter demutaretur hauſtum venenum priuſquam cor pertingeret: Ipſam vero educationis ratione venenoſam euaſiſſe vt ſputo, ac quouis humore alio perimeret appropinquantes, e veſtigio etiamnum expirantibus qui cum ea coiſſent; vt iam miremur minus anates ponticas edundis vulgo venenis victitare.* *Scribit Auicennas tempeſtate ſua vixiſſe hominem, quem fugerẽt venenata omnia, morientibus omnibus, quæ forte mordicus eum apprehendiſſent, inde nihil omnino læſum; quum vero grandior admota foret ſerpens, bidui quidem induxiſſe febrem, ceterum defeciſſe ipſam: Autor Magnus Albertus eſt in Colonia Agrippina puellã ſe vidiſſe, quæ in trimatu parietibus arreperet araneas venatura, quas voraret, eoque eibi genere oblectata inſigniter aleretur.* His addit ſubtilis Scaliger ab Indo *Cambaiæ Regulo filium veneno educatum, quem adultum adeo factum venenoſum, vt muſcæ, quæ ſolo ſuctu cutim modo perſtringerent, turgidæ interirent.* Subdit vir egregius rationem, quoniã alimenti ratio conſiſtit in ſimilitudine cum natura viuentis, quæ eſt temperamentum; at vero venenum ſola conſuetudine mutare poteſt temperamentum viuentis in ſimilem ſuæ temperaturæ; namque ab initio exigua veneni portio, quæ non ſufficiat euertendo temperamento viuentis

Lib.1.c. 25. 221. 222. Lib. de Theri.11

Lib. 11. cap.13.

Exer.175 art.2.

uentis, sed a calore naturali subigatur; quia omne agens materiale agendo repatitur; fieri non potest quin temperamentum aliqua ratione afficiat hausta veneni portio; repetita vero actione sensim commutatur temperamenti affectio, & actus (saluo tamen habitu pristino, & immutata natura) in affectionem, & actum consimilem ijs, quæ sunt in temperie veneni; atque ita commutato temperamento pollentibus innoxie venena simpliciter cedere posse in alimentum. Sed ob hæc nobis recedendum non est ab ijs, quæ dudum amplexati sumus: Ad primam igitur oppositionem ultro concedimus, & nos consuetudine longa sensim assuescere posse homines napello, cicutæ, alijsque multis uenenis impune assumendis; sed negamus probari experimento huiusmodi uenena in alimentum cedere; id enim solum a consuetudine sortiuntur homines, ne ab assumpto ueneno enecentur, non autem ut eo nutriantur; cuius decisionis ratio non aliunde mihi petẽda est, quam ex clarissimi uiri decretis; ipse enim, & recte ab Alexandro, communique placito haurit consuetudinem afferre impotentiam patiendi, non autem uim agendi in ea, a quibus nata est pati; hæc enim cuique a natura est; quoniam ubique idem est principium quo quid est, & quo quid agit, interior natura: quum itaque hoc dissideat alimentum a veneno, quod natura viuentis in alimentum agit ipsum transmutando, & vicissim a veneno patitur; sane vt consuetudine fieri potest quin a veneno corpus afficiatur; quippe ab assuetis nõ fit sæpenumero passio; certe fieri nequit vt corpus in venenum agat, velut in alimentum: Quare assumptum venenum vi consuetudinis nonnocere potest, quod solum probant allata experimenta; sed alere non potest; vnde inuicto calore inutile quum sit, vna cum excrementis extra corpus egreditur: Quod autem Cælius in Aristotelis monumentis inuenit puellam venenis ali, & innutriri consueuisse, non potui hucusque videre: dixerit fortasse Aristoteles puellam vesci consueuisse venenis, at non ali, aut innutriri: nisi communiori vocabulo vesci, & innutriri cũ vulgo significauerit; idem quod ore assumere ad instar alimenti: sane puella comedens venena potuit sputo, & alijs excrementis homines enecare, quia vt monebamus, veneni substantia, vtpote nutriendo corpori non apta, cum excremẽtis alijs a natura pellitur; sic sputa, vrinæ, sudores, menstrua, semen, fuligines expiratæ, halitusque insensiles e toto corpore halantes veneno adinisto interficere possunt; sic muscæ succu ichoris venenati necabantur ab indo Scaligeri.

Consuetudo afferre impotentiam patiendi.

Vis agendi a natura est, non a cõsuetudine.

Veneno pasti, nõ enutriti, vt enecent proximos.

Ad secundam oppositionem concedentes alimenti rationem in similitudine cum temperamento viuentis contineri; negamus salua vita, & sanitatis latitudine longo vsu veneni sensim adeo mutari posse temperamentum viuentis vt simile reddatur temperaturæ assumpti veneni: Ad probationem concedendo prima vice haustam exiguam veneni portionem a temperamento sic nõ superari, quin hoc ipsum ab ea quoquo pacto non afficiatur, & repetito veneni vsu sensim magis in dies temperamentum ab eo affici; negamus tamen hac ratione mutari tẽperamenti substantiam in similem essentiæ temperamẽti veneni; nam mutatur sola qualitas, quam scite appellat uir egregius affectionem, & actum; non mutatur substantia, quam appellat habitum, & naturam; Quod enim omne agens materiale agendo repatiatur, id ea ratione verum est, vt repatiatur secundum qualitates, & accidentia; non autem penes substantiam; agens etenim, quamuis repatiatur, superat tamen; superat autẽ, quia eius substantiam, & accidentia mutat, a quo intacta substantia, secundum passiones tantum immutatur; alioquin si alterutrius ab alterutro æque mutaretur substantia, & accidens; iam horum pugna dicenda non sit actio vnius in aliud a prædominio, sed æqua multorum in vnum mistio; quippe in mistione contraria mutuo sibi collisis viribus, & substantia permutantur in aliud: si ergo veneni temperamentum ob exilitatem a nostro temperamento vincatur; sane viuentis temperamenti accidentalem qualitatem venenum commutabit, habitum vero, & essentiam non mutabit: Quum igitur similitudo necessaria inter alimentum, & corpus alendum sit similitudo substantiæ, ac naturæ, seu habitus, nõ autem solius affectionis, aut vllius accidentis; quippe alimentum nutrit quatenus substãtia est, non ratione affectionis, ex decreto Aristotelis; propterea venenum nulla vi consuetudinis potest adeo mutare temperamentum animalis, vt cum eo sortiatur similitudinem alimento necessariam. Deinde quum in elementis insint qualitates primæ tum in habitu, quæ sunt eorum formæ substantiales, ac differentiæ constitutiues, consentiente viro doctissimo; tum quoque in actu, quæ sunt accidentia sensibilia, quibus velut instrumentis agunt elementa; sane quando in vnum commiscentur elementa, non solum iunguntur corpora in vnam misti materiam, sed etiã cõmiscẽtur qualitates & habituales, & actuales; Ac profecto quemadmodũ ex vnione primarũ qualitatũ habitualiũ consurgit vnũ tẽperamẽtũ, qđ est forma mistum constituens, quę in viuente nectens animam corpori vnum est e fundamẽtis vitę necessarijs; ita ex coniunctione quatuor qualitatum actualium in viuente nascitur quid simile temperamento, quod est organum inmediate inseruiens omnibus vitæ operationibus obeũdis: Quamobrem venena dum mutant temperamentum habituale, necessario vitã corrumpũt; quippe temperies animam corpori nectens intra certos limites coercetur, extra quos a veneno deturbata vitam non amplius sustinere potest: dũ vero propter exiguitatem habituale temperamentum mutare nõ possunt quoad essentiam, sed vires illi sensim labefactant mutata temperie consurgente ex qualitatibus actualibus; tunc permanente vita, necessario corrumpitur sanitatis habitus in morbum; necesse est enim vitiato instrumento lædi operationes; at quod proxime actiones lædit morbus esse definitur ab vniuersa medicorũ schola;

Agens materiale agendo repatit, vt verũ sit.

Agens repatiendo quomodo superet id in quod agit.

Mistio vt fiat.

Similitudo alimenti, & alendi quale sit.

2. de an. t. 47.

Elementorum qualitates primæ duplicis naturæ.

Vide infra c. 21.

Vitiato instrumento laeduntur operationes.

Non

finitur ab vniuerſa Medicorum ſchola: Non poſſunt igitur homines incolumi ſanitate venenis illis aſſueſcere, quorum vſu mutetur qualitas, & affectio temperamento reſpondens. Bene verum eſt (quod ſuperius etiam notauimus) aliqua eſſe venena, quæ duplici conſtant genere partium, ue nenoſa nimirum, & alimentari, ut cicuta, napellus, & omnino quæcunque deſumuntur venena e ſtirpium, & animalium genere, in quibus id cõtingere poteſt, ut vi conſuetudinis homines aliqui ſortiantur impotentiam patiendi a parte noxia, qui ali poſſunt interim ab innoxia; ſed hos vere non dixeris ali veneno, at nutrimento a natura veneni, cui miſtum eſt, longe diuerſo; quum abſolute citra conſuetudinem hæc venena nulla ex parte nutriant; ſiquidem antea veneno interit homo, quam parte alimentari veneno miſta perfrui, & enutriri valeat: Alia vero ſunt præter hęc venena a metallicis deſumpta in genere miſtorum imperfectorum, quæ nullam obtinent in ſe partem alimentarem, tum quia omne alimentum eſt miſtum perfectum in ſe omnia elementa continens; tum quia nil alere poteſt, quod ex animato nõ prodierit aliqua ratione, ut oſtendimus antea; tum demum quia ſi mutent venena hæc noſtram temperaturam in ſimilem ſuæ, quæ eſt imperfecti generis, neceſſario vna [cũ] ſanitate vitam euertent, quibus vtriſque neceſſarium eſt tẽperamentum miſti perfecti; ſi non mutent, alenda corpori non erunt, vel egregio Philoſopho, cui non habent ſimile temperamentum. Formaliter itaque nullum uenenum ui cõſuetudinis, aut alia ratione aliqua poteſt in alimentum cedere; licet ualeant ſine uitæ diſpendio eorum eſui, & uſui homines aſſueſcere.

Lib. 2. c. 219.

Cur venena, quib. miſtũ partes alimẽtares nihil alant abſolute.

Cap. 3.

Vt Homo, & omnino animal ſuauiter olere valeat ſponte natura. Cap. VIII.

13. Probl. 4.

Lib. 2. c. 30.

ARiſtoteles quoq; dum quærit cur animantium nullum ſuauiter olet, excepta panthera, quæ etiam ipſa non niſi beſtijs ita olet, nobis uidetur aperte refragari, qui ſuperius conſtituimus homines probo alimento enutritos odorem ſuauem toto corporis habitu ſpirare; qui odor nobis etiam percipi ualeat: ſed paucis; non una ratione tollitur difficultas, nanque aliud eſt loqui de odore ſimpliciter, aliud uero facta comparatione odorabilium, & odorum ad inuicem; nos enim abſolute dicentes hominis corpus poſſe bene olere Ariſtotelem aduerſarium non habemus in allato problemate de odore non ſimpliciter agentem; multiplex enim ab eo comparatio fit, & prima eſt inter animalia, & plãtas; ſane quum inter plantas plurimæ ſint, quę tũ uiuentes, tum etiam aridæ bonũ ſpirent odorem, in genere animalium nulla ſpecies eſt, quæ ad inſtar plantæ ſuauiter oleat; nam tota ſpecies humana non ſuauiter olet, ut uniuerſa ſpecies balſami, cinnamomi, & huiuſmodi; ſed aliquis homo indiuiduus tantummodo; ſimiliter nulla ſpecies animalium bene olet, ut multæ ſtirpium; nam ſola panthera, quæ inter bruta bonũ halat odorem, uiuens bene olet, & ſolis beſtiis, homini uero non olet; corrupta autem omnibus odorantibus graue olet: ceterum plantæ ſemper, & omnibus bene olent, nempe uiuentes, & aridæ, belluis, & hominibus. Secunda comparatio eſt inter gradus odoris; quum enim multæ plantæ acute, ac eximie oleant; nullum animal, excepta panthera, adeo impenſe olet; nam mitis admodum, & blandus eſt temperatiſſimi hominis odor, qui ſi cum odore balſami, & roſæ conferatur, odoris rationem ſere non habeat. Quia ergo uniuerſa ſpecies pantheræ ſuauiter olet tota uita, multaque ſtirpium genera tum uiuentium, tum quoque aridarum eximium odorem fundunt; homines uero rari admodum, & eo ſolum tempore, quo temperatiſſimi ſunt, probiſque ueſcuntur alimentis, blando, ac mitiſſimo fragrant odore; ſcite Ariſtoteles ſupponere potuit in genere ſuauiter olentium nullum animantium reperiri, excepta panthera; nec ab re nos dicere potuimus homines aliquos abſolute bene olere: Quod & Ariſtoteles eodem in loco non obſcure nobis inſinuauit, dum reddens cauſſã in problematis ait idcirco ad plantarum diſcrimen animantium nullum, nec uiuens, nec mortuum ſuauiter olere, quia humiditas excrementoſa, & quoduis excrementum crudum graue olet; quũ autem plantæ odoratæ huiuſmodi excrementis crudis, & humidioribus careant cum uiuentes, tum etiam aridæ; quippe a calore non ſolum proprio, ſed etiam ſoli, cælique coquuntur, & exiccantur omnia in illis ſtirpibus, ut nihil coctionem ſubterſugiat, nihil ultra modum humeſcat; proinde ſyriæ, arbicæque ſtirpes plurimæ ſunt odoratiores: at animantia mortua dominãte humore putreſcunt, uiua multis cruditatibus excrementoſis affluunt, ut proinde bene olere nequeant integræ animalium ſpecies: ſed quia nil prohibet in ſpecie humana præſertim, quæ omnium temperatiſſima eſt, aliquos reperiri uiuentes, qui nulla cruditate, nullaque ſuperflua humiditate ſcateant; propterea uel ex Ariſtotelis doctrina colligimus poſſe homines bene temperatos, & optimis nutrimentis educatos toto corpore ſuauiter olere; huius rei argumentum a Plutarcho habemus regem Alexandrum, *cuius corpus dicitur ſuauiſſime oluiſſe ita ut tunicula fragrantia replerentur aromatum odorem æmulante: quod ipſum etiam calidıtati videtur debere; ſiquidem terræ ſiccisſima, & calidiſſima loca thus, & caſſiam proferunt, & fragrantiam: Theofraſtus naſci tradit coctione quadam humorum, quando quod noxium erat, calore excoctum fuerit, atque diſſipatum.* Amplius dic Ariſtotelem in problematibus cauſſas afferre probabiles, non vbique neceſſarias; dogmataque pangere, quæ vt plurimum veritatem obtineant; quia ergo raro admodum reperias homines adeo temperatos, & optima educatione altos, qui nullo ſcateant excremento crudo, nullaque redundent humiditate ſuperflua, potuit ipſe in exotericis quæſtionibus ſupponere nullum animantium, excepta panthera, ſuauiter olere; at

Cur Syriæ, Arabicæque plãtæ odoratiores.

Humana ſpecies omnium temperatiſſima eſt.

1. Sympo quæſt. 6.

nos in acroamatica diſciplina raros etiam illos in humana ſpecie conſiderare debuimus, qui a toto corpore, ac ex ore præſertim ſuauem halitum, ſobolem internæ coctionis, ac temperiei ad ſiccitatem vergentis, vel experimento ſpirare comperti ſunt. Poteſt itaq; corpus hominis ex
Ariſt. a crimine vindicatur. interno principio ſuauiter olere vel in Ariſtotelis diſciplina: Quem immerito culpauit Scaliger inquiens *odoratorum animalium naturam ſero*
exer. 211. *compertam adduxiſſe humanæ ſapientiæ parentem Ariſtotelem, ad querendam cauſſam rei, quæ nuſquam extaret.* Nam Pantheram odoratam nouit Ariſtoteles; & ſi quæ præter Pantheram olent alia, pauciſſima ſunt animalia, & Ariſtotelis tempeſtate ignota; vt vel pluribus exiſtentib. Ariſtoteles cauſſam quæſiuerit rei exiſtentis.

Vt frigus non ingrediatur opera naturæ; ac præſertim vt quæcunque oriuntur ex putri a calore gignantur.

Cap. IX.

DOctiſſimo viro lapſos in ſuperioribus fuiſſe videmur, vbi vulgatum axioma tanquam verum complexi, frigidum non ingreditur opera naturæ, appropriauimus eius vim ad opus generationis viuentium, ac potiſſimum ad productionem eorum, quæ ſponte generantur ſiue vt vulgo dicitur ex putri, ſtatuentes omnia quæcunque ſponte oriuntur, ſeu ex putri, a calore generari ſiquidem ante omnia frigiditatem
4. meteor. cap. 1. æque atque caliditatem numerat Ariſtoteles inter cauſſas effectiuas operum naturæ. Deinde vero a frigore condenſante tum in aeris media regione, tum quoque ſub terra gigni per ſe, ac
4. meteor. c. 30. primaria ratione (quicquid ſenſerit Auerroes) multa naturalia corpora & ſimplicia, & miſta variorum generum, vt aquam, nubes, niuem, grandinem, & id generis alia, nemo non nouit
4. meteor. ſum. 2. c. 2 ex Ariſtotele. Qui &. vlterius perſpicuis verbis frigori concedit vim agendi ea etiam, quæ a calore fieri conſueuere paſſim. Deinceps & in
2. de gen. an. cap. 4. animalium genere Ariſtoteli eidem tum ortus partium ſimiliarium frigore, caloreue agitur; cõſiſtunt, coquunturque alia frigido, alia calido; ſed carnes præſertim, & carni proportione reſpondentia, quin & admodum terrenæ partes, cornua, vngues, vngulæ, roſtra frigore conſiſtunt; cuius indicium illud eſt euidentiſſimum, quod igne ſoluuntur: tum etiam nonnullis origo eſt ex putri ab efficiente frigore, nimirum
5. hiſt. c. 19. vermibus illis, quos naſci refert in niuibus; certe niui nullus videtur calor ineſſe, cui referenda ſit animalium illorum procreatio; vt ſatis pateat cum vulgo dicendum non eſſe ſimpliciter frigidum non ingredi opera naturæ. His tamen haud putamus vulgatum dogma, noſtrumque placitum euerti; & quamuis de propoſito miræ ſint apud viros doctiſſimos controuerſiæ, quas non eſt vi in præſentia fuſius proſequamur; breuiter natura rei nobis explicanda eſt, duobus ia-
Calori frigus vt oppon atur. ctis fundamentis, vnum eſt, Calori frigus ita opponitur vt interſit inter vtrunque tepor; quare quicquid ſupra teporem eſt, id calor mihi eſt, ſiue mitis, ſiue acer; neque remiſſus calor neceſſario frigus adiunctum habet; quum citra contra-
Remiſſus calor non neceſſario frigus adiunctum habet. riæ qualitatis admiſtionẽ ſingula remitti valeat de ſummo gradu actiuitatis, nempe ob ſolam ſubiecti raritatem, atque mollitiem, ut infra demonſtrabimus, & dudũ oſtendimus: conſimiliter quicquid eſt infra teporem, id mihi frigus eſt
Cap. 21. Lib. 2. c. 73. et 127 abſolute, ſiue intenſum, ſiue remiſſum. Alterum fundamentum eſt, Naturæ opera in duas claſſes
Naturæ opera duorum generum. diſtribuuntur, pro maiori, ac minori perfectione; perfectiſſimum opus naturæ eſt generare, ſeu perpetuare ſpeciem cuiuſque rei per quamlibet propagationem; minus perfectum opus eſt alia omnia moliri, quæ ad conſeruationem indiuidui ſpectare videntur; quicquid enim agit na-
Naturæ opus aut indiuiduũ, aut ſpeciẽ ſpectat. tura, eo dirigitur, ac tendit, vt uel indiuiduum, uel totam ſpeciem reſpiciat; quãtum autem huic rerum vniuerſitati maioris momenti eſt vniuerſa indiuiduorum collectio in quacunque ſpecie quolibet indiuiduo ſeorſum accepto; tantum naturæ operationes, quæ conſeruandæ ſpeciei ſunt,
Conſeruare ſpeciẽ præſtantius eſt quam indiuiduũ. perfectione, ac dignitate ſuperant illas, quæ inindiuidui complementum reſpiciunt: ceterum generatio pro varietate termini ſcinditur in tria
Generationis tria genera. genera, nam alia eſt generatio ſimplicis elementi, alia miſti corporis, alia uiuentis: Quibus ita poſitis, aſſecimus in operibus naturæ minus præcipuis promiſcue modo calorẽ, modo frigus, modo teporem, modo alias etiam qualitates rationem habere inſtrumẽti, quo agens natura vtitur ad operandum, nemine diſcrepante: In opere vero generationis abſolute, ſi præuiam ſubiecti diſpoſitionem ſpectemus, ingrediuntur ſimpliciter omnes primæ qualitates. nam pro diuerſitate materierum, alia ſubiecta præparantur ad formã per humectationem, alia per deſiccationem, per calfactionem alia, & alia per refrigerationem; ſin autem conſideretur mera formæ origo, quam vocant eductionem formæ de potentia, ſeu ſinu materiæ, illam generatim efficit calor, frigus, & tepor; ſpeciatim vero in generatione ſimpliciũ,
Generantia elementum quodlibet. ignis proxime a calore gignitur; a tepore pariter, & a calore aer; aqua a tepore, maxime a frigore; terra ſolum a frigore; diſeriminis ratio eſt, quia elementa media remiſſiores habent qualitates extremis: Et ſane quum elementorum origo ſit ex ſe inuicem promiſcue, ignis ex quolibet alio non niſi per caloris miniſterium gignitur; aer ex igne tum per frigus, tum per teporem enaſcitur; nam tepor a ſummo calore ignis valde diſtare videtur, vt plane habeat rationem frigoris; ac tenuitas ignis minime reſiſtit actioni teporis, vt uel experimento comprobetur cuique aſcendentem flammam ex ardente combuſtibili uel a tepore proximi aeris in aerem verti; ex aqua vero, & ex terra non oritur aer niſi actione caloris; quia tepori obſiſtit utriuſq; frigiditas, & denſitas: aqua frequentiſſime a frigore oritur intra terræ uiſcera ex aere, ac in aere medio ex nubibus; non raro etiam a tepore; ſiquidem fumi ex aqua feruente ſublati a tepore operculi tranſmi-

tantur

tantur in aquam euidentissime, vt quotidie obseruant chymici: etsi enim tepor ad calidum se habeat vt frigidum, est tamen vel in calidum agens formaliter, ac reuera tepidum: sed terra non fit nisi a frigore, vndecunque oriatur, ob suæ substantiæ densitatem, ac propriæ formæ naturam. In generatione autem mistorum non est consimilis omnium ratio, sed ex varietate prædominantis, alia calore gignuntur, vt a prædominio calida; frigore alia, ut quæ frigidioris sunt temperamenti; nonnulla etiam tepore, vt quæ maxime ad temperiem accedunt; sic ros Aristoteli, sic manna, & id generis alia. In generatione denique viuentis tepor, & calor ubique obtinent vim effectricem, nec unquam frigus ingreditur opera naturæ; & vere vulgatum axioma formaliter ab Auicenna promulgatum est de operibus animæ vegetalis, quam vocat medicorum more cum Galeno facultatem naturalem; atque ut in ceteris functionibus cuiusque animæ, ita id ipsum est apertissimum in eo vegetantis opere, quod generationem appellamus; nanque generatio viuentis vbique est vnio, & associatio animæ cum corpore mediante calore natiuo, siue vt aliquando sanxit Aristoteles prima participatio nutrientis animæ cum calore; at generans corpori calorem conciliare proxime nequit nisi ministerio caloris, quo & disponat corpus ad animam, & disposito corpori animam iungat: quæ omnia satis comprobat Aristot. alicubi scribens, Ad exequendâ animæ officia calor omnium maxime ad ministrandi vim obtinet; quum enim officium animæ sit alere, & mouere; hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur: Quare ad primam obiectionem distinguendum est naturæ nomen; si enim per naturam significes quamcunque formâ physicam; certe verum est in operibus naturæ promiscue locum habere calorem, & frigus, addimus & ceteras qualitates omnes: nam hæc forma calore, illa frigore, ista qualitate quauis alia vtitur ad agendum; si uero naturæ nomine significes animam vegetalem, negamus talis naturæ opera ingredi frigus; neque Aristoteles allato loco agit de animæ vegetantis operibus, sed absolute, ac speciatim de operibus formarum infra sortem animæ. Ad secundam oppositionem distinguenda sunt naturæ opera; nam alia minus perfecta respiciunt indiuiduum, alia perfectiora speciem, uti est generatio nouæ substantiæ in eadem specie: profecto si absolute agamus de operibus perfectioribus, quę speciei conseruationem respiciunt, hæc in animæ carentibus fiunt a calore, & a frigore, quare & a tepore; quod indicat Aristoteles in loco allegato, & in obiectione cômmunicatur; sin autem loquamur speciatim de operibus animæ, & de generatione viuentis, de quibus instituta nobis est disquisitio, his non interuit frigus, at calor, & fortassis etiam tepor. Ad tertiam difficultatem primo dicimus nos agere de generatione totius viuentis, a qua longe differre formationem partium ostendimus alibi; quamobrem Aristoteles aliquando statuens in formandis quibusdam animalium partibus natu-

4. meteor. cap. 11.
Auicennae axioma frigidum non ingreditur opera naturæ.
Lib. 1. f. 1. doc. 6. c. 3. 6 naturalium.
2. de nat. fac. c. 1. et 9.
Generatio uiuentis quid sit.
De vit. & mor. c. 14.
Generans eur calores indigeat.
2. de part. cap. 7.
4. meteor. cap. 1.
Naturæ opera perfectiora speciem respiciunt.
3 de vita c. 17.
2. de gen. an cap. 4.
Generatio

ram vti frigore vt instrumento, nobis non obstat afferentibus naturâ in generando viuente uti caloris ministerio, non autem frigoris famulatu. Deinde vero dicimus apud Aristotelem media vbique relata ad unum extremorum subire vicem contrarij; quia ergo tepor inter calorem, & frigiditatem medius est; quum anima in variis operibus obeundis alias calore vtatur, alias tepore; his ad inuicem functionibus comparatis, impune dicere potuit Aristoteles ortum similarium partium in animalis constitutione frigore, caloreue agi, frigoris nomine teporem appellâs; secus enim falso poneret sanguinis in carnem cô uersionem a frigore fieri; nam in utero animalis, & omnino in corpore viuentis animalis nihil est infra tepidum, potius me si de sanguineo animali agamus: at frigidi nomine vere tepidû intelligendo, qui partes similares aliquas, & carnes a frigore fieri scribit Aristoteles, nil nobis officit negâtibus frigus infra teporem ingredi opera naturæ, seu vegetantis animæ in generatione viuentis. Addunt viri Clarissimi aliud esse partes fieri, & aliud factas consistere, ac soliditatem acquirere; fieri quidem omnes partes viuentis a calore, sed factas atunt soliditatem, & consistentiam suscipere a frigore condensante: Nos fortasse melius priori solutioni adhæsimus; quia cô sistentia, & soliditas est affectio partium naturalis ab earum forma proxime dependens; quare quod formam partibus elargitur, ijsdem naturalem quoque consistentiam, sibique idoneam soliditatem impertitur: hoc autem nunquam est frigus infra teporem, sed vel calor, uel tepor, qui calori collatus Aristoteli citato loco frigus appellatur. Ad aliam dubitationem ex Aristotele alij dicunt frigidum esse actiuum vt corruptiuum, aut secundum accidens, quia scilicet calorem têperat, aut quia circumobsistat calidum: Nos potius ex ipsomet Aristotele dicendum putamus frigus agere per accidens, quia calorem congregat; congregat autem cogendo, & densando sub standiam calori subiectam; & fugando contrariû sibi calorem a partibus extimis ad intimas; atque nanque frigus, & subiectum caloris cogendo, ac densando, & calorem dispersum ad intimas subiecti partes pellendo, calorem congregat, qui prius laxior erat ad subiecti laxitatem: quin etiâ circumobsistendo, nimirum impediendo ne vlla ex parte calor halet a subiecto frigus calorem auget; quia scilicet fuliginês, & igneæ partes vi caloris creatæ, a frigore undique ambiente quû prohibeantur egredi, genitori suo calori adiunctæ illum adaugent; quum autem calor adauctus fuerit, vrit, & corrumpit; quare qui sensibus omnia metiuntur, hæc opera in frigiditatem referunt, quæ proxime, ac per se a calore adaucto prodeunt, a frigore vero non nisi remote, ac per accidens: id autem vulgo accidit, cui præsentia frigoris, & ustio, corruptioque sensilis est, ac eui dens; at auctio caloris a congregante, circumobsistenteque frigore ignota, & insensilis; ratio vero, qua frigore congregetur calor, & congregatus, & circumuentus augeatur, ignotissima:

diuersa quod est formationi parti
Sanguinis conuersio in carnem vt fiat in frigore.
Quod formam partibus elargitur, ijs & soliditatem, cô sistenciãque impertitur.
4. meteor sum. 2. c. 2
Frigus ut calorem congreget. Calor congregatur, & ad subiecti condensationem; & concentratione.
Frigus, ut calorem augeat circumobsistendo.

non ergo frigori vim concedit Aristoteles agendi ea, quæ a calore fiunt absolute; sed ea quorum calor per se caussa est, a frigore per accidens fieri concedit; itaque nos eum reclamantem non habemus, qui frigidum per se non ingredi operæ naturæ confitemur. Ad vltimum dubium dicimus aliud esse vermes a niue oriri, & aliud in niue, aut ex niue; proculdubio si a niue orirētur, quū nix nihil habeat ex se caloris, aut teporis actualis, a frigore nasci deberent, vt obijcitur; verum quoniam Aristoteles nusquam asserit a niue procreari vermes, sed in illa, aut ex illa; profecto quemadmodum niui extrinsecus multis nominibus calor aduenire potest; sic a calore niuibus extrinsecus adueniente, quicunque sit ille, vermes in niue, aut ex niue oriri cum Aristotele profitemur. Qua de re fusius in opere *De spontina viuentium generatione*, quod propediem inuulgabimus Deo bene fauente, agemus.

Quomodo aqua feruens remoto calefaciente semetipsam refrigeret. Cap. X.

Vid. lib. 2. c. 73. & 74.

IN eo quoque accusamur, quod antea decreuimus aquam calidam remoto calefaciente semetipsam habituali sua frigiditate refrigerare; nam agens omne agit quatenus est actu, habitualis autem virtus potētia est, ac proinde proprie agere non potest nisi actualis euadat; quum ergo nihil fit in aqua feruēti actualis frigiditatis, & nec habitualis fiat in actu solo calefaciente remoto; plane aquam calentem remoto calefaciente a semetipsa non refrigerari opera frigiditatis habitualis: sed & his nodis nos rei natura explicabit; Habet aqua propriam formam essentialem, quæ frigiditas est habitualis; habet etiam affectiones proprias formam illam consequentes inter quas duæ sunt fluxilitas, & humiditas sensibilis, & actualis; sed quando nunc agimus de frigiditate, ea profluit, emanatque iugiter ex habituali frigiditate vt ex rationalitate risibilitas; sed tamen frigiditas actualis in aqua vi caloris externi corrumpi valet, nec solum ab externo calore id patitur aqua, vt actuali frigiditate pristina exuatur, sed etiam induitur contraria dispositione caloris, quo affecta vlterius id patitur ne a frigiditate habituali noua emergat actualis; quippe contraria simul in eodē esse nō possunt; cōtraria est autem actualis frigiditas, actuali caliditati: ceterum quia calor aquæ cōmunicatus in subiecto alieno est, diu consistere nequit nisi a quo primum genitus est, diutius, & assidue conseruetur præsentia sui genitoris; quū vel in aere lumen indigeat lucidi præsentia, a quo primum effluxit, sine quo diu cōseruari nequit in subiecto e cuius intima natura non prodijt, licet eam perficiat: sane remoto igne, atque omnino externo calefaciēte ab aqua, calor aquæ aduentitius extinguitur, non quidem per se a frigiditate habituali, tāquam a contrario; nam tale agens actu esse oportet; quod optime notatur a viro erudito; sed calor aquæ adsciititius corrumpitur fere per accidens ad ablationem caussæ conseruātis, nimirum externi calefacientis; idem enim plerunque est generans, & genitum conseruans: fatiscente igitur calore ad absentiam calefaciētis ab aqua, vbi aqua omnem aduentitij caloris gradum exuerit, ipsa semetipsam refrigerat, quia sublato impediente fluxum nouæ frigiditatis actualis ab habituali, vt natiuæ proprietatis a propria forma, vir tute propriæ naturæ nullo extrinsecus adiuuante aqua frigiditatem actualem induit: Quare ad argumentum dicimus agentia duum esse generum, aliud est agens, quod nouam formam procreat apparando sibi subiectum per ablationem cōtrariarum dispositionum; & hoc debet esse agens actu, nec sufficit si fuerit in habitu: aliud est agens a quo immediate profluit aliqua forma in subiectum bene dispositum, quod agens ideo sat est si fuerit in habitu, quia nulla violētia opus est ad conciliandam formam subiecto iam apparato & optime disposito; sed ad subiectum apparandum, & disponendum violentia, & robore uirtū agentis opus est, quia disponitur, & apparatur subiectum destruendo quæcunque in eo reperiuntur dispositiones contrariæ, quæ naturaliter suæ destructioni totis viribus reluctātur: illud autem discrimen est inter agens habituale & actuale, quod actuale viribus pollet, habituale non agit exertis viribus, sed fere sola præsentia, ac viribus mitissimis. Ita ergo aqua calefacta semetipsam refrigerat, quia remoto calefaciente sensim fatiscit inducta caliditas ad conseruantis absentiam, quo calore penitus extincto frigiditas habitualis in aqua velut in subiecto summe disposito, & apparatissimo actualem frigiditatem generat nullo resistente, veluti forma proprietatem.

Generans & conseruans plerunque idem.

Agentia duum esse generum.

Nulla violentia opus est ad conciliandam formam subiecto aparato.

Agentis habitualis, & actualis discrimen.

Abstinentes a cibo potuque omni prius affligi, & mori siti quam fame. Cap. XI.

Lib. 2. cap. 75.

HAud profecto minus nos vrget vir solertissimus in eo, quod antea nobis constitutū est qui ab omni simul cibo, potuque abstinet, eum citius & affligi, & interire siti, quam fame; obijcit nanque Bonamici rationem, scilicet sensum tristem stomachi esurientis, & sitientis immediate a solutione cōtinui dependere; quippe (ait) in appetitu, quia iucundo, & molesto conectitur, primas obtinet solutio; quum haud nos agitet intemperies nisi effecerit solutionem: Quia vero intemperies accepta refertur prius qua hiatibus actuosis, quod ipsæ bifariam in temperiem conueniunt, vt formæ, & vt materia, præcipueque calor; hic autem deficit dissipato subiecto; solutio vero respicit materiam, in qua est continuitas, potissime autem sicco consistit, quod dissipatur; inde fit vt calidum, & siccum resarciēda primo sint; itaque origine prius nos vrget fames, licet multo acrius sitis; quippe solutio primas obtinet in fame, & siti qua sunt appetitus: His additur alia ratio, quia etsi humida substātia celerius dissoluatur quam sicca, quia tamen in corpore, ac potissime in stomacho uiulto plus est humidæ, quam siccæ substantiæ; proinde ob copiā humida tardius dissipatur quam sicca; quare sitis

3. De alimen. c. 53.

sitis famem sequitur, & prius deficit quod est solutu difficilius, quia paucum; quod vero facilius dissoluitur, diutius resistit, quia multum: ratio petita ex doctissimo Tancredo. Ceterum hæc intimius disquisita tantum abest vt nostra dogmata cõuellant, quod potius ea corroborare videantur. In primis enim famem, ac sitim siue tristem ventriculi sensum in fame, ac siti prodire a deo immediate a solutione cõtinui, vt intemperies non affligat nisi effecerit solutionem, probatione indiget; si quidem intẽperies suapte natura, & per se primo quum sensilis sit, vbi proportionata est organo tactus, iucunditatem sensui affert; vbi vero excedat proportionem, eidem molestiam exhibet a semetipsa immediate. Immo quum dolor, seu molestia in fin, ac fame sit vel ipsamet forma, & idea famis, & sitis; vel accidẽs immediate consequens naturam earum (vt hoc in præsentia demus disputationi) procul dubio in de tristis hic sensus per se nascetur, vnde fames, ac sitis proprie ducunt originem; quum ergo definiantur esse appetitus calidi, & sicci, frigidi, & humidi; nonnisi ab horum defectu exoriri poterunt; quare ab intemperie: Alioquin si proxime a solutione continui, huius in earum definitione meminisse oporteret. Neque illud admittere possumus, quod ad appetitum spectat, qui a iucundo, & molesto concitatur, primas obtinere solutionem; si quidem eidem viro nuperrime constitutum fuerat intemperiem esse ex ordine primarum qualitatum, quæ sunt primo sensiles; solutionem vero ex ordine secũdarum, quæ sunt sensiles simpliciter; vt hoc etiam doctissimi viri fundamento in facultate appetente sensuali primas obtineat intemperies, non solutio. Multo minus illud accipimus intemperiem acceptam referri prius qualitatibus actuosis; nam vt ex omnibus primis qualitatibus in vnum coeuntibus proportionabiliter temperies enascitur; ita quacunque illarum proportionem excedente, siue actuosa, siue passiua fuerit, ilico exoritur intemperies: Ad probationem concedentes qualitatem actuosam vtramque, potissimum vero calorem in temperamento habere duplicem rationem, formæ scilicet, ac materiæ; quum passiuæ qualitates vicem materiæ vbique subeant; si quidem subijciuntur actuosis passiuæ, ut materia formæ, quum idea temperamenti omnibus, & actiuis, & passiuis in vnum iunctis, veluti forma materiæ inijt; negamus proinde fieri vt intẽperies absolute prius ab actiuis prodeat, quam a passiuis; immo potius oppositum contingere arbitramur; quia quum materia prior sit naturæ ordine quam forma ex Aristotelis decreto; sane compositio prius natura inerunt passiones, & accidentia, quæ prodeunt a materia, quam quæ a forma: & quæ communem originem referunt in vtramque naturam, si quæ talia sint, ea prius induet compositum a materia, quam a forma: Quum ergo intemperies animali contingere possit a primis qualitatibus omnibus; quumque inter eas actuosæ sint veluti formæ passiuarum in temperamento; plane dicendũ est animal prius intemperiem sortiri aptum natum esse a passiuis

Lib. 3. de fam. et si ti. q. 1.

Intemperies immediate sensum afficit.

Famẽ, et sitim non oriri proxime a solutione cõtinui.

In appetitu primas obtinet intemperies non solutio.

Intemperies non refertur accepta prius qualitatibus actiuis.

Actiuæ qualitates in temperamẽto formæ, ac materiæ vicem gerunt; passiuæ materiæ solum.

1. phy. s. 12.

Materia prior est natura ordine quã forma.

qualitatibus, quam ab actiuis. Addo ab actuosis qualitatibus, qua formæ rationem sustinent in temperamento, intemperiem nullam nisi forte per accidens exoriri posse; quando intemperies vitium est, atque imperfectio, & omnino corruptio temperamenti; uitium autem, & imperfectio, corruptioue nunquam nisi per accidens a forma est, quæ actus, & perfectio est essentia sua; sed per se vbique a materia, quæ radix, & seminarium est omnis vitij, corruptionis, & imperfectionis: Quare intemperies a primis qualitatibus originem habet non nisi quatenus obtinent vices materiæ in temperamento; qua quidem in re passiuæ non cedunt actuosis, at potius illis præcedunt: ut apertissime constet intemperiem absolute non prius a qualitatibus actiuis emergere, quam a passiuis. Vlterius concedentes calorem deficere dissipato subiecto, solutionemque continui respicere materiam, in qua est continuitas; negamus primum continuitatem potissime consistere sicco, quod dissipatur; nam immediate continuitas humido consistit; siccũ enim penitus humoris expers veluti puluis est nulla continuitate consistens, at uero accessu humidi veluti glutinis iunguntur aridi partes in vnum continuum, ut propterea sicco partium cõtinuitas insit ex admistione humidi; humidum autem suapte natura continuum est, nec aliunde opus habet vllo vinculo, cuius interuentu sua rum partium continuitatem adipiscatur; quum ipsæ sibimetipsis suapte natura cohæreant: Quæ omnia scite Aristoteles perspicuis verbis confirmat inquiens terram, quæ sui natura sicca est, sine humido non posse consistere, quia humidum est id, quod continet, continuatque ita terræ partes ad inuicem, vt si auferas e terra humidum penitus, necessarium sit decidere, ac resolui terram in pulueres; ut pateat continuitatem potissime humido consistere, non sicco. Deinde vero infitiamur dissipato subiecto caloris in solutione continuitatis vrgere protinus necessitatem resarciendi siccum; quippe caloris natiui subiectum non est siccum proprie, sed humidum, cuius desiderium sitim constituit. Immo ex doctissimi viri fundamẽtis aperte colligas fame sitim prius abstinentes affligere; nam si molestiæ caussa sit intemperies, quum hæc viro egregio prius a qualitatibus actuosis oriatur, quam a passiuis, & inter actuosas præcipue a calore; sane calor efficiens intemperiem, eam prius creabit consumendo humidum quam siccum; quippe siccum caloris actioni magis reluctatur, humidum vero celerrime dissipatur; humido autem consumpto, calor associatus sicco æstuat, unde statim est intemperies calida, & sicca, vrgetque primum necessitas, & appetitus frigidi, & humidi; quare fitis; Sin autem tristis sensationis in uentriculo caussa immediata sit continui solutio; quum hæc solertissimo vito respiciat materiã, in qua est cõtinuitas; continuitas vero ex Arist. potissime humido cõsistat, nec nisi sublato humore siccũ dispergatur; satis apparet soluens continuitatẽ absumẽdo humorẽ voti cõpos effici, vnde calor acuitur necessario; quare colligas primã originem sitis esse ad

Ab actuosis intẽperies nulla nisi per accidens.

Imperfectio, et corruptio per se a materia est.

Continuitas potissimum non consistit sicco.

Continuitas ab humido primum enascitur.

2. de gen. t. 2.

scribendā, quæ humiditatis nouæ, ac refrigerij appetitus est ob veteris humidi consumptionē, pristinique caloris excandescentiam. Ad rationē petitam ex doctissimo Tancredo primum absolute negate; possemus humiditatem roscidā, & aqueā, cuius penuria sitis excitatur, esse maiori copia in animali, quam siccum, & solidum, cuius indigentia famem suscitat; si quidem in corpore viuenti solidum liquido prędominari vel sensus agnoscit. Deinde vero calor, quo consumitur siccum & solidum, acer esse debet; nam mitis lente admodū resoluit siccam substantiam; quum igitur calor natiuus & sua natura blandus, & ab humiditate vberiori retundatur, cuius lima siccitas est; profecto licet humor multum superaret siccum, calor mitis & humore retusus prius humorem quā siccū absumere debet, ac proinde prius sitim quā famē suscitare. Deinceps viro clarissimo humidū; quod siti consumitur longe minus vitæ necessariū est quam siccum fame consumptū; quocirca summam decet naturæ prouidentiam humidum prius quā solidum a calore absumi, atq. ideo sitim prius quam famem excitare. Demum si humidum a sicco in corpore nostro diffitum, & separatum esset, fieri fortasse posset vt siccum ab eodē calore prius quam humidū, cui quantitate cedit, absumeretur; at vero si paucum etiam siccum multo permisceas humido, calore in totam massam agente longe citius humidum quam siccum absumetur; nonne vides lutum ex pauca terra, & multa aqua fluentē a calore solis indurari aqua tota dissipata, terra fere vniuersa superstite? nonne cernis carnē igni assandam prius omni humiditate spoliari ab eodē calore quā siccitate? sic ventriculi, & corporis vniuersi natura quum ea sit vt humidū sicco adiunctū, & permistū habeat, calore in totū illud compositum agente (licet mole præualeat humidū, seu siccū) necessario prius humor, quā solida, & sicca substātia cōminuuntur; quippe calor non consumere tentat nisi id quo impeditur ascendere; impeditur aūt humido, non sicco, & ad summū lōge magis humido quā sicco ut potius humidū calori destruatur, quā siccū; & proinde naturaliter sitis famē pręoccupat.

Solidum liquido predominatur in viuente.

Cur calor prius humidum consumat quam siccum semper.

Vt aqua potabilis calore putrescere non possit, atque animari. Cap. XII.

OBijciunt alij male nos antea constituisse aquam potabilem sine admistione alterius corporis, caloris externi actione haud posse cōcipere putrorem, & animari, nam & Arist. aperte statuit alicubi dum calor aquam attigerit, in eius aquę superficie prouenire quiddā nubi simile, atque humorē illum putrescere, ac in plantam animari: & experimentū sępenumero nauigantibus peregre demōstrauit aquā puram in dolijs asseruatam potui, post aliquot dies calorem concipere, caloreque concepto putrescere, putridā verum in vermes animari. Quæ tamen obiecta diluas, medullitus inspecta rei natura; sane autor librorum de plātis diligentius explicandus est loco citato; scribit enim plantas non oriri ex aqua simpliciter calefacta, vt obijcitur; sed e crassitie aquæ stagnantis, & inmotę; profecto aquæ a natura inest partiū tenuitas, crassities vero non nisi ex admistione terrenarum partium, & sordium quarumcunque, quibus quā maxime scatent palustres, & stagnantes aquę; potissimum in superficie ventorū vi multis excrementis crassis, & viscidis aliunde aquæ impactis, quę ob viscidita tē ad instar olei supernatant aquę; cui si calor accedat, eius opera primum sordes illę pingues humore aqueo perfusæ putrescunt, & plerunque in plantas animantur; quæ omnia fuse superius explicauimus. Sed & in dolijs nauigantiū vltro concedimus calore in aquam agente putredinem, & ex putri excitari vermes; at vero non damus calore purā aquam putrescere; atq; animari; siquidem tum ex ipsomet corpore vasis ramenta, & sordes calore in aquam fundi, & liquari, tū extrinsecus per poros vasis multas euaporationes, & sordes nauium, nauigantiumque aquæ indi necessarium est; quę omnia glomerata in cęnum a calore putredine concepta in uermes animātur: cuius illud esto signū euidentissimum, quod eadē aqua primum vase vitreo mundo inclusa, & sigillo hermetis occluso nunquam eadem in naui putrorem concipiet, aut vermes efficiet. Aqua ergo sola ex se non putret: si cui vero aquæ ab aere sordes insideant quomodocunque, halitusque crassi, ex his, & aqua limus efficitur, qui caloris actione in nubeculam verius, putrore concepto animatur modo in plantas, modo in animalia.

Lib. 3. cap. 79.

1. de plan. c. 1.

Planta vt ex cœno animantur.

Aqua vnde de insit crassities, ac tenuitas,

Lib. 2. c. 96.

Aqua in naui non putrescat longo tempore.

Ex putri formaliter animatum procreari non posse. Cap. XIII.

OPponitur nobis asserentibus eodem in loco plantas, & animalia generari posse ex putrescente misto plerunque in aquis Arist. alicubi scribens, *nihil autem gignitur putrescens, sed concoctum: putredo vero, & putridum excrementum rei concoctæ est.* Sane dogma huiusmodi caute intelligendum est, alioqui non nobis tantum, sed omnibus Peripateticis obijci potest, quia cuncti vnaiā mente, ac voce consentiunt plurima naturalia corpora, potissimum viuētia nasci ex putredine: Qua quidem in re præstat nonnulla breuiter huc afferre illorum quæ fusius explicamus in opere *de spontanea viuentium generatione*: Nos enim dum aliqua in plantarum, & in animalium genere oriri ex putri materia cum Arist. confitemur, existimamus ex eo misto, quod putrescit, partem aliquam cedere in materiam viuentis, quod gignitur vi eiusdē caloris, a quo putredo fieri dicitur; nimirū vbi mistum putrescit, quia putredo formaliter nihil est aliud, quam corruptio misti vi ipsi, ac proinde mutatio contraria cōstitutioni misti; quemadmodum misti constitutio est vnio miscibilium alteratorum, siue coniunctio simplicium in vnū suppositum; ita putredo est dissolutio eorundē ab inuicē: quoniam vero vnita dissociari nequeunt nisi soluto vinculo, quo inuicem nectebantur; quum in misto elementa cetera, qualitatesq; aliæ vnius ignis, & caloris vi contineantur; proinde corruptio solū ab eo fit, quod potest calorem propriū misti a misto auocare; id autem est calor vegetior in ambiente; quæ omnia ex Arist. constant, & ex superioribus. Quibus addendum est in misto quolibet esse partes tum puras, tum quoque impuras; quippe varietas hæc eadem partiū est in elementis apud Arist.

Lib. 3. cap. 64. & 79. & lib. 3. 4. & 9.

3. de gen. ani. c. 11.

5. hist. 19.

Vt ex putredine oriatur viuens.

Putredo quid.

1. de gen. c. vlt.

4. meteor. 2. & seq.

1. meteor. cap. 4.

dum

dum ergo elementa inuicem uniuntur in constitutione misti, ex purioribus elementorum partibus misti partes puriores, & ex impurioribus alias minus synceras fieri verisimile est: quumque partes impuriores sint materiei excremẽtosæ vitio inquinatę; profecto materia, & excremẽto vbique unionem exactam impedientibus; quippe obstant diuisioni ad minima, quæ perfectæ mistioni requiritur; arctiori uinculo coniunctas esse in misto synceras partes quam sint impuræ ad seinuicem necesse est: Quare dũ a calore ambientis mistũ putrescit, non ęque simul secundũ omnes partes putrescit, sed prius dissociantur ab inuicem partes impuræ, quam synceę; dũ uero calor ambientis partes misti nõ puras dissoluit in elemẽta, simul agit in partes puras, eas tamen non dissoluit, sed calefacit, & cõcoquit, ac digerit quoquopacto; plerunq. tamẽ fit ut gradus ille caloris ab ambiẽte partibus misti puris imprimatur, qui sit proxima, & ultima dispositio corporis ad animam: vude cõtingit vt idem calor ambiẽtis simul agens in mistũ ipsius partes impuras putrefaciẽs dissoluat in elemẽta, puras uero calefaciat cõcoquat, & disponat ad animã aut plãtę, aut animalis inducẽdã: hęc plane significaturus Arist. ait, *Quorũ ortus spontinus est, citra seminis interuentum, ea omnia gigni cum putredine*: quia scilicet idem calor agens in totã misti substantiã eius partes impuriores dissoluit in elementa, quę est ratio putredinis: & puras concoquendo disponit ad vitam, & animã: Quum enim animatũ quoduis sit mistu, & hoc absolute a prædominio calidũ: profecto pars misti excrementosa dum calore proprio spoliatur ab ambiẽte putrescens, ac mistionis formã amittens, in viuentẽ naturam conuerti nõ potest: & hoc est, quod scribit allato dogmate Arist. nimirum *nihil viuens gigni putrescens, sed cõcoctum*; qđ aliquãdo insinuasse videtur Plutarchus *putredinem vero, et putridum esse rei concoctæ excrementum*: quippe nihil ex toto misto efficitur, sed ex parte: nam ex parte misti pura calore ambientis non putrefacta, sed cocta gignitur viuens: ex parte uero impura, & excremẽtosa quę ab ambiẽte calore priuatur proprio, & resoluitur per putredinẽ in elementa, nihil uiuẽs gigni potest: quando viuens omne mistu est, & uita calore proprio nititur: Séd quoniam vtrumque hoc genus partium in eodem numero misto est, & ab eodem numero calore ambientis eodem tempore patitur, dum altera pars concoctione vertitur in viuens, & altera putrescens dissoluitur in elementa: sensus, qui discernere non potest duas istas mutationes ab eodem agente simul prodeuntes, putat vnicam esse functionem: quare vulgus dudum censuit generationem spontinam insectorum esse tũ ipsammet putredinem, tum ex materia formaliter putrescente: quũ solum sit mutatio associata putredini alterius rei; & ex materia cocta iuncta cum putrescente, seu ex putrescente per accidens: Quo nomine dicere non dubitauimus & nos aliqua ex putri materia gigni loquentes quidem cum vulgo, sed cum Arist. sentientes spontinam viuentiũ generationẽ esse ex misto putrescente secundum partes impuras, quatenus ab ambiẽtis eodem calore partes eiusdem misti puriores disponuntur ad animam, dum impuriores putredine concepta resoluuntur in elementa, & velut inutilia ortui viuentis ab vtili materia segregantur; quamobrem tum calor ambientis primario generationem viuentis intendit; siquidem natura semper intendit quod melius est; tum eius actio in partes puras misti coctio ab Aristotele vocatur, quia simul ab eodem calore partes impuræ segregantur velut excrementa in vera coctione: etenim olim didicimus *loquendum esse vt multi, sentiendum vt pauci*. Ita ergo ex putri formaliter animatum procreari nequit: quã de re cumulatius, & ex professo agimus in opere *de spontina viuentium generatione*.

Materia, & excrementum vnioni obstant.

3. de gen. anim. c. 11.

Putrefit cur in viuentẽ naturam nõ vertatur.

2. symp. q. 3.

Loquẽdũ vt multi sentiendũ vt pauci.

4. de par. c. 10.

Cur generatio uiuentis e putri dicatur e vulgo.

2. topic. c. 1.

Cyprinis, et alijs pisciculis sponte natis non esse ortum, aut victum ex aqua sola. Cap. XIV.

SEd & pluribus argumentis a Rondeletio propositũ dogma illud labefactari videtur, quo supra constituimus aquam non alere, nec ex ea sola quidquam viuentium gigni posse; *locus est* (inquit,) *inter Montempelium, Frezenatium, et Betiras collibus undique septus: hunc fons nullus irrigat, nullus fluuius, palus, aut lacus alluit, denique iam illum præter imbrem de cælo nullus humor influit: eum forte pluuiæ paucis ante diebus quam illac iter faceremus compleuerant, natura piscibus exornauerat, cyprinique inter alios plurimi apparebant. Hoc idem in Galliæ stagnis intueri licet, in quæ nulla vnquam principia, aut semina multorum, variorumque piscium, qui in his reperiuntur, sunt iniecta: sed hæc constare quomodo possunt, nisi ex aqua sint geniti? sin geniti, quomodo ex aqua non alantur?* Verum hæc facile diluas concedens in stagnis antea penitus aridis post imbres oriri pisces, quod & obseruauit Aristoteles inquiens *in Gnido stagnis sub canis ortu resiccatis, & limo iam arido, vbi primum imbribus restagnare loca inciperent, pisciculos nasci visos generis mugilum*; at vero viro illustri non consenties huiusmodi pisces ex aqua sola ortum, & post ortum habuisse alimentum; quando perspicuis verbis nos edocet Aristoteles materiã cum generationis, tum alimoniæ illis extitisse limum, spumã, terramque arenosam putrescentẽ, quę omnia lõge distãt ab aquæ potulentæ natura.

Lib. 2. c. 77. 1. de piscibus c. 4.

4. hist. c. 15.

Pisces ψυχρότροφοι, seu frigida nutriti cur aqua sola viuere non dicendi. Cap. XV.

VLterius (subdit vir egregius) *piscium alij solidioribus cibis aluntur, alij aquam duntaxat haurientes ea nutriuntur, unde pisces ψυχρότροφοι a Grecis, idest frigida, siue aqua nutriti nominantur, aquã enim Græci ψυχρὸν a frigiditate summa, quæ illi inest, Latini frigidam appellant*. Quod argumentum non vnica ratione soluitur. In primis. n. dicimus ueteribus ψυχρότροφον accipi pro eo quod viuat in locis frigidis, & gaudeat frigido quomodocunque, non autem pro eo quod aqua nutriatur; itasiquidem Plinius herbam, quam vocant Galli Betonicam, & Itali serratulam, a Græcis nuncupari asserit *Cestron, aut Psychrotrophon*; certum est autem betonicam non ali aqua frigida tantum, sed succo sibi familiari ex terra hausto: Nõ ergo ex eo, quod pisces aliquot Græcis appellentur ψυχρότροφοι, necessario statuas illos aqua

cap. 12.

Li. 25. c. 8

sola

sola nutriri; verum betonica planta est, quæ nascitur in locis frigidioribus; ijsque gaudet, proindeque ψυχρότροφος appellata est; quod aperte nos docuit actor libelli de Betonica, siue is fuerit Apuleius, siue Antonius Musa Brasauolus; quin & Dioscorides ipse his notis, *Cestron Psychotrophon vocitatur, quoniam frigidis locis inueniatur, Latini Betonicam appellant:* Consimili ergo ratione qui pisces in aquis amant loca frigidiora, nascuntur, & degunt maxime vbi viget frigus, græce vocantur ψυχρότροφοι absque eo quod aqua sola nutriantur. Nisi etiam dicamus quum pisces omnes eo quod in aquis degant ψυχρότροφοι dicantur, aliquos tamen speciatim appellari nomine generis, quia proprium non habeant, vel quauis alia de caussa; sic Aristoteles vegetabilia quandoque generico vocabulo viuentia nuncupat; sic nos vulgo herbam vocamus, quæ speciatim ad purganda iumenta vere, seu mense maio in vsum cessit. Deinde vero vocabuli græci vis proprie significat pisces frigido nutritos, sane hoc erit solum dicere ijs in alimentum cedere, quod frigidum est, hoc autem non est necessario aqua, sed omne mistum a prædominio frigidum: non proprie namque vertitur ψυχρότροφοι, in frigida nutriti, frigidæ voce aquam significando, sed proprie verti debet in frigido nutriti: & sane qui pisces sunt inter alios naturæ frigidioris, quum alimentum simile sit oporteat, congeneumque alendo corpori, alimento frigido nutriuntur, quod est aut limus, aut alga, aut quicquid frigidum a prædominio, mistum tamen perfectum, cedit in alimentum piscibus, vnde scite vocabuntur proprijssime sumpto vocabulo ψυχρότροφοι. Quod nomen absolute conuenit etiam vniuerso generi, quando Aristoteli piscium omniũ natura est frigidior, & proinde frigidiori alimento egeant naturæ suæ cõsentaneo, ac familiari. Sed esto disputationis ergo ψυχροτρόφων frigida nutritũ (quod reuera non est) dicere possumus ea voce significari aquã frigidam piscibus alimento esse, at non solã: quid ni demus aquam vna cum alijs alimentis a calore permistam alere? sed nunc lis est an frigida sola nutriat: sic anthropophagos appellamus, qui humana carne uescũtur, quos non ideo statuas ab omni alio nutrimento abstinere. Prçterea tenue satis a nomine haurias argumẽtum de rei natura, quum plerumq; nomina vulgo rebus imponantur ab eo quod multitudo sibi persuaserit, quum ergo satis non constaret plebi quo cibo vescerentur pisces aliquot vitam in aqua frigida, dic etiam pura, degẽtes; inualuit apud plurimos opinio ijs aquam alimento esse; vnde communi consensu ψυχρότροφοι, seu ψυχότροφοι, hoc est frigida nutriti vocati fuere, doctiores vero eodem vsi nomine sunt, quia loquendum vt multi; ne quis nobis opponat Plutarchum in libello de capienda ex hostibus vtilitate scribentẽ *Aquam marinã neque potui esse, & vitiosam, pisces tamen alere*, sed viros doctos cum turba censuisse frigidam solam piscibus ijs in alimentum cedere a viris illustribus ego quidem non accipio: ac vere si aliqua in re vnquam, in hac præsertim nunc censeo loquendum vt multi, ac sentiendum vt pauci. Ceterum prioribus responsionibus tota vis argumenti conuellitur, quam non imbecillam putant viri clarissimi, & græcæ linguæ alioquin peritissimi.

Marginal notes (left): Lib.4.c.1. — 2. de Gen. an. — 2. de gen. an. c.1. — Piscium natura. — Ab etymologia nominis argumentum. (right): 1. capit. d. 2

Aquam non ideo esse mistum alendo aptum, quia tactu non sentiatur summe frigida, & gustu percipiatur varij saporis. Cap. XVI.

NEmini autem (subdit) *mirum sit, si aqua sola nutriri pisces quosdam affirmetur, neq; enim aqua nostra simplex, synterumque est elementum sed cõpositam, mistamque esse sensu ipso experimur, nam summam illam frigiditatem aquæ non inesse tactu, & hanc amaram, illam salsam, aliam dulcem, & puram, vt Dioscorides ait, gustu percipimus; etenim primum aer, qua est subtilitate omnia facile permeãs, & penetrans eam immutat; deinde terra, per quam fluit, & eorum, quæ inde effodiuntur admistio synceritatem vitiat, & corrumpit; deinceps motu calorem concipit; ventis enim maria agitata sic tepescunt, ut in illis inclusum esse calorem manifeste sentias; atque &c ex iugibus puteis aquam calidam trahi, & id maxime hibernis fieri temporibus uidemus: Eidem etiam admistum esse calorẽ primum ipse liquor, tum aquæ declarat affusio, quæ neque conglaciaret frigoribus, neque niue, pruinaque concresceret, nisi eadem se admisto calore liquefacta, & dilapsa diffunderet: itaque & frigoribus adiectis durescit humor, & idem vicissim mollitur tepefactus, tabescitque calore: quæ omnia nõ simplicem, sed mistam, compositamque esse aquam arguunt: recteque Plato, qui ignem, aerem, aquam, terram, materiam potius igneam, aeream, aqueam, terreamque nominauit, quod neutiquam synrera, impermistaque sunt, sed horum quodlibet omnium aliorum sit particeps.* Quæ quidem ratio intimius introspecta rei natura ideo solui potest, quia duo habet summa capita demonstranda, quæ non concedimus viro eximio; vnum est, omne mistũ alere posse, ac præsertim homines, de quorum alimento nobis nunc instituta est contemplatio; alterum est, aquam esse mistum corpus, & mistum perfectum ex quatuor elementis constitutum; Quando autem primi capitis nulla confirmatio datur ab illustri viro, & ipsum a nobis antea pluribus argumẽtis proscissum est, ad ea sermonem iam conuertemus, quæ in secũdi capitis comprobationem afferuntur. Quod itaque ante omnia de tactu proponitur, & nos vltro concedimus aquam tactui non esse summe frigidam; sed hanc frigiditatis remissionem illi non putamus inesse ob admistionem vllam caloris; at ab solam tenuitatem, raritatemque, ac mollitiem substantiæ; quum illud certo constet eiusdem caloris gradũ in densiori, solidiorique subiecto sensum magis lacessere: Aqua ergo summum in se habet frigiditatis gradum, licet sensui summe frigida non percipiatur: sed hac de re abunde paullo infra commodiori loco, vnde petenda est euidentior nodi solutio. Quod mox adducitur ex Dioscoride gustui aquas alias esse amaras, alias dulces, alias vero salsas, & alias puras; id quidem vere adducitur; sed quemadmodũ hi sapores in aqua producũt peregrinum aliquod corpus, cuius sunt proprijs, sic non

pro-

Marginal notes (right): Lib.4.c.9. — non omne mistum alere. — li.2.c.61. — c.19. & sequent.

probant aquam, & illud corpus sapidum permisceri ad inuicem in vnum mistum perfecti generis, quod sit alendo aptum: non enim quomodocunque quid aquæ vniatur, id mistum perfectū efficit: Quod uel inde pateat in proposito, quia nutricationi, ac salubritati longe magis confert aqua pura, nullius saporis particeps, quam salsa, dulcis, aut amara; immo potius huiusmodi aquę minus syncerae ineptae sunt potui, alimentum vitiant, & nutricationi, valetudinique officiunt maximopere, ut præter ceteros, vel ipse monet
Lib. 4 c. 9. Dioscorides; cui si aqua syncera, & potabilis exiguum illud peregrinum mistum deponat, quod in se habet, virus, ac veluti venenum dicitur deponere.

Aquis permistum non esse aerem. Cap. XVII.

QVod autem pertinet ad aerem, qui sua subtilitate omnia permeare dicitur viro doctissimo, illud adnotamus aerem esse corpus, atque ideo aquæ substantiam nō permeare nisi qua data porta per foramen aliquod; contra vero aquæ partes ob substantiæ crassitudinem, fluxilitatem, ac lentorem ita inuicem cohærere, ut continuatæ sint vndique nullumque meatum relinquant ingredienti aeri; adeo ut commiscere volentibus aerem aquæ, necesse sit aquam solido corpore aliquo secare, ac diuidere, quo inter eius partes distinctas, discretasque aeri pateat introitus, ingressusue; qua ratione spuma agitatione aquæ effici consueuit; at vero spumantem aquam non bibimus, sed sine spuma; quare potantes aquam ieiunantes nostri eam non ingerunt, quam aer tenuitate sua iam permeauerit: Deinde vero ad hoc vt aer aquā permeet, atque illi admisceatur quoquopacto, haudquaquam satis est aerem esse aqua tenuiorem; sed insuper oportet aeri tantum esse impetum in aquam, ut eius corpulentiam, & visciditatem solus discindat; & præter impetum stationem etiam, atque moram in aqua; alioquin ignis aere longe tenuior aeris substantiam permearet minime patiens in aeris regione media frigiditatem vigere; ceterū aer natura sua etsi aliquem in aquā impetū obtineat obseruatione Aristot. adeo tamen uehementem illum non habet, quo possit desuper ingruens aquæ densitatem, crassitiemque diffringere; immo & quauis de caussa intra aquam inclusus, uel sub aquis existens aer nullam ibi moram, stationemque ducere potest, qui ab aqua grauiori sursum extruditur, qua in expulsione quum aer aquarum substantiam viscidiorem ac multam plerumque recta diuidere, penetrareque nequeat, multus inter aquam & terram subiacentem ab aquæ maioris, & grauioris violentia repere coactus minores aquarum partes attollit in undas, ac demum trusus exit cum sonitu ad ripas immistus aer aquæ sponte mox in refluxu ad suum locum redeunti, secumque saxa littoris quasi auidam in aluum trahenti, ac ingurgitanti, rursum cum nouo aere postmodum extrudendo vomituræ; aer inquam pulsus

Aeri vt aquā permeat non sufficit tenuitas.

4. cel. c. 29

Fluctuum marinorum origo.

exit cū sonitu ad ripas immistus aquæ; licet in exitu fractis aquæ partibus terræ illisis interpositus aliqua ex parte spumam constituat: quin & aliquando recta sursum scandens per corpulentiam aquæ, si multus fuerit aer, voragines efficit, replere studentibus aquis locum ab ex pulso aere repente relictum, si uero paucus, turbines leuiores, & ampullas: in quibus omnibus euentibus aer in aqua inclusus est, nō ea ratione ut illi permisceatur in constitutionem vnius tertij, sed ut in loco diuisus, discretusque aer ab aqua per aquam feratur; quod ampullæ, turbines, voragines, vndęque marinæ aperte demonstrant: distincti vero aeris corpulentiam in aquis manere ob aquæ lentorem, qui ut diuisioni, sic mistioni reluctatur, existimandum est; non ut aliqui putant, ad respiratum piscium plurimorum pulmonem habentium; namque delphini, & alij respirant pisces ab aquis exerto ore in aera; & ubi latent plures dies Aristoteli tunc irrespiranter viuunt, vt hirundines Germanicæ, de quibus antea. Est itaque aer in aquis ab earum substantia distinctus, non ita illarum corpori permistus, vt ex duobus elementis unum tertium mistum emergat.

Voraginum marinarum caussa.

Turbinum, & ampullarum ortus.

Pisces respirantes. 6. Hist. c. 12. De resp. c. 11. 1. Hist. c. 11. c. 10.

Aqua terram non esse permistam, cui terra sapores insint. Cap. XVIII.

QVod autem postea colligitur aquis permistam esse terram ex eo, quia ex terra, per quam colata est aqua suscipiat in se varios terræ sapores, & eorum quæ fodiuntur ex terra; non minus enodari poterit rei naturam acriter intuenti; quum enim eadem ratione sensibilium species recipiat medium, qua & sensus quilibet; quippe ab obiecto per medium traijciuntur ad sensum; quumque Aristotele autore sensus omnis receptiuus sit specierum sine materia obiecti: sane de terra suscipiet aqua saporis formam, vt coloris, & frigiditatem, non susceptam in se aliqua terræ portione: si enim aquæ a carbone ignito, ferroque candenti communicatur calor, non communicata substantia, sed genito nouo calore in aqua; cur & terra non cōmunicata substantia suo sapore consimilem in aquam non gignet? non enim magis a materia tangibiles qualitates absolutas esse dixeris quam gustabiles, sed vicissim; quum gustus sit vt tactu nobilior, ita minus materiæ immersus, obiectique proinde à materia magis absoluti. Deinde vero communicet aquæ terra vna cum sapore aliquam sui portionem; illa quidem portio aquę naturam vel destruet, simulque cum ea mistum corpus efficiet; vel non corrumpet, sed puritatem solam turbabit: si mutetur aquæ natura, iam hoc sit lutum, non aqua: & quamuis in eo misto aqua prædominetur, non erit id corpus aqua potabilis, & vsui animalibus, vt supra notauimus; si vero non mutetur aquæ natura interior, sed alterationem aliquam solum patiatur secundū accidentia, iam inde non habeat vir eruditus aquam esse mistam, ac proinde alere: nanque ali-

Species sensibilium eadē ratione recipi in medium, & in sensum.

2. de an. t. 37. 115. & seq.

Terra cur aquæ saporē communicet, non cōmunicata substantia.

alimentum ita mistum esse opus est, vt quintum sit corpus essentialiter constitutum ex quatuor elementorum corporibus in vnum mistis, cuiusmodi est natura eius quod alitur; non autem v. sit vnum tantum elementum per vicinia in alterius altera tum solum in aliquo acciden te, immutata penitus substantia.

Idem etto iudicium de sapore, quem recipiũt aquæ a succis concretis appellatis, alijsque fossilium generibus, vnde fiunt aquæ sulphureę, aut bituminosę, aut cuiusuis alterius cōditionis, quales sunt quæ passim scaturiunt aquæ thermales. Si quis autem contendat his aquis præter qualitates, inesse quoque substantiam fossibilium, quando nec huiusmodi fossilia sunt mista perfecta, nec alendo corpori, plane ab eis aquæ id sortiri non poterunt, vt inter mista perfecti generis, atque adeo inter alimenta connumerentur. Deinceps abstinentes nostri, si qui aquam bibebant, eam non potabant salsam, vel amaram, vel quouis alio sapore pollentem a terra desumpto, per quam transierit, aut a fossibilibus; sed ea vtebantur pura, insipida, qualem nos bibimus; non ergo, quod mista esset cum terra, eos nutriebat aqua.

Aquam motu, ac ventis non incalescere, & cur mota dicatur viua, *Cap. XIX.*

Lib. de vtil. ignis & aqua.

QVod exinde affertur, aquam in se habere calorem, ac propterea ignem, tum quia semper moueatur, & ex motu uentorum potissime incalescat; vnde etiam Plutarcho *viua dicuntur aquæ fluentes, quibus ipse motus calorem, ac proinde vitam quoquõpacto conciliat:* tum quia hyeme hauriatur aqua ex puteis calida; tum quia nisi gradus quidam caloris esset in aqua, ea fluida non esset, uerum necessario congelasceret; tum demum (quod addit Rhodiginus ex Plutarcho) quia nisi calorem insitum haberet, pellucida non conspiceretur; intime perspecta rei natura etiam dissoluitur.

Lib. 26. c. 7.
Lib. 9. varr. q. 8.

Et sane primam rationem tollit cum experimento Aristoteles: agites quantumuis aquam lento, celeriue motu, nunquam illa incalescet: Immo quiescentes aquæ motis, & celerrime fluentibus longe sunt calidiores; quũ agitatæ, motæque sint frigidæ, ac proinde putredine non inquinentur; quiescentes, ac stagnantes calescant, putredinique sint obnoxiæ. Sed & Aristoteles motu incalescere sapienter ait corpora tum solida, & lentoris experti a cuiusmodi sunt lapides, ligna, & ferrum, non autem aqua: tum quæ per attritionem amisso humore vertuntur in ignem, ueluti est aer, non aqua vlla ex parte: Nil ergo mirum si nullo motu aqua incalescat, quæ lenta, & mollis adeo est, ut attritu nequeat humiditate priuari, & igneam naturam indui: mirum profecto est allato argumento cessisse Plutarchum in opusculo de ignis & aquæ utilitate Philosophum alioqui minime vulgarem: non enim aquas viuas vocamus fluentes quia in ijs calorem motus contineat: sed potius quia *motus est quasi vita rebus naturalibus* Aristot. viuentes ergo dicuntur aquæ quia mouentur, non quia mutu incalescãt, vt censuit Plutarchus: & eo magis a motu formaliter viuentes vulgo nuncupantur aquæ, non a calore, quia videntur ipsæ sponte moueri nullo impulsore, motus autem localis ab interno principio animatorum, siue animalium proprius est, atque adeo viuentium Aristotele veteribus consentiente,

Aqua quiescens calidior fluente.
1. Meteo. cap. 4.
2. Coelo. t. 42.
Motu quae incalescant.
Aquæ fluentes cur viuae nuncupentur.
8. Phys. t. 3.
1. de An. t. 19.
3. de An. t. 40. & 8. physic. t. 27. & sequent.

Aqua hyeme calida misti rationem non habet.
Cap. XX.

SEcunda ratio uero quidem nititur axiomate, quod hyeme hauriatur e puteis aqua calida, sed inde uere non colligitur aquam esse mistum alendo aptum, nec iccirco alere potuisse nostros abstinentes: non hoc postremum, quia solum hyeme alti fuissent aqua ieiunantes: quomodo ergo viuebant nouem menses reliquos frigidam haurientes? non illud prius, quia caliditas hæc aquæ aduentitia est, & accidentalis, atque omnino caliditas in actu; non propria, & essentialis, & in habitu, qualis ea est, qua mistum in esse constituitur; mistum enim constituitur in esse a temperamẽto, quod est forma substantialis continens tum ceteras habituales qualitates primas, tum præcipue calorem: Ceterum aquæ temperamentum sola frigiditate, atque humiditate nititur, neque ad ipsum constituendum concurrit caliditas actualis illa extrinsecus aquæ proueniẽs a qualitate loci, per quem transit, aut quomodocunque aliunde: non autem ab admisto vllo elemento calido: sicut enim aqua vinũ sibi aliquando commistum sponte a se nequit excutere, non nisi quia sunt ambo in vnum permista: sic vicissim exiens a fontibus, vel educta e puteis hyeme calens aqua, quia calorem hunc sponte a se discutit quam facillime, necessario fateberis calorem ipsi aduentitium esse, atque ab extrinseco agente impressum inhærere, non autem ab intrinsecus admisto corpore calido, tanquam in misti natura, essentialiter inesse. Sed hac de re plura superius.

Calor hyeme aquis non est ab elemento calido admisto.

Aquam non congelascere, cui nihil insit caloris, etsi frigore congelata, calore diffluat.
Cap. XXI.

TErtia ratio subtilior, Nisi aqua in se calorem haberet aliquem, nec frigore conglaciaret externo, sed suapte natura congelasceret: quippe frigidi in frigidum nulla est actio: nec eadem se admisto calore liquefacta diffunderet. tollitur & ipsa. Congelatio est effectus frigoris actualis excedentis: quod experimento cõstet hyeme, dum a sensibili, vehementique ambientis frigiditate aqua congelatur: non autem a frigore habituali; quippe ab hoc solum prouenit frigiditas actualis, & accidentia propria, quę conueniunt naturę corporis, cuius est habitus, & forma essentialis: quia ergo aquæ substantia natura sua mollis est, ac tenuior, & rarior, quam terra;

Congelationis caussa.
Frigiditatis habitualis effectus.

ra; quum in ſubſtantia minus denſa qualitates omnes receptæ ſint minus actuoſæ, minuſque intenſæ quoad ſenſum; ideo ab aquæ forma, quæ nititur ſumma frigiditate habituali, materiei aquæ rariuſculæ, ac molli data eſt actualis frigiditas non excedens ſenſui: ceterum frigiditas actualis non excedens ſenſui vim non obtinet cōgelandi; quare aqua non eſt ſuapte natura cōgelata, quia frigiditas actualis, in quam ſolam cōgelatio refertur, nō ineſt aquæ in exceſſu, ſed paullo remiſſior; & hoc non ob admiſtionem calidi, vt credidit vir eximius, ſed ob materiæ raritatē, atque mollitiem. Propterea igitur aqua ſua frigiditate, cui nihil caloris adiungitur, ſe ipſam cōgelare nequit: Quam ſententiam illuſtrare poſſumus deſumpto ex niue argumento, cuius & frigiditas actuoſa ſumma eſt ſenſu iudice, & ſubſtātia mollis, atque rara, congelata quidem, ſed nō adeo congelata, vt glaciei, & grandinis materia; vnde hoc diſcrimen prodire putas? non aliunde certe quam a varietate materiæ; fit glacies, & grando immediate ex aqua ab externo ambiētis frigore uehementiſſimo congelata; oritur autem nix proxime Ariſtoteli ex nube a frigore eodem coacta: ſed nubis conſiſtentia longe mitior eſt quam aquæ, ut pote mediam naturam obtinens inter aerem, & aquam, ideo minus congelatur nubes in niue, quam aqua in grandine, glacieque; licet a uehementiori frigore nix oriatur quam grando Ariſtoteli, & rationi, ac experimēto; nam experimento conſtat niues hyeme ſolū prouenire, grandines vere, atque autumno; ratio quoq. ſuadet vehementius illud eſſe frigus, quod non patitur nubes in aquam verti conglaciandam in grandinem, ſed nubem ipſam ſtatim ante ortum aquæ cogit in niuem; quod monet Ariſtoteles: Nubes igitur ob ſui maiorem mollitiē, ac raritatem minorem congelationem a frigore ſuſtinet, quam aqua; ſi quidem congelationis forma, ut quæcunque alia non niſi per modum recipientis materiæ recipitur. Sed redeamus ad penſum. Amplius congelatio eſt paſſio ſemper ab agente externo, & omnino ab ambiente frigiditate intenſa; nec fieri poteſt ut quidquam a propria frigiditate, ſi natura fluidum eſt, ſponte congeletur; quamobrem etiamſi aquæ ſumma ineſſet frigiditas, non ſolum habitualis, verum etiam actualis, haud tamen poſſet aqua eius merito congelari; quippe nihil agit in ſeipſum, & præſertim eiuſcemodi actione, quæ naturæ propriæ aduerſetur; congelatio enim aquæ naturæ, quæ fluida eſt, apertiſſime aduerſatur: & proinde ipſa ſeipſam ſua frigiditate licet excedenti aqua non congelat: At externum agens, cui curæ non eſt ſeruare naturam eius, in quod agit, pro modo naturę propriæ ſemper operatur; quū ergo frigoris proprium ſit condenſare, & intenſioris etiam congelare; ſane ubi aqua in ambiente ſit frigidiori, ab externo frigore uehementi non acquirit nouum gradum frigiditatis ullum; quum ipſa ſit frigida in ſummo tum in habitu, tum in actu, etiamſi ob ſubſtantię ſuę mollitiē, ac lenitatem adeo ſenſum frigore non laceſſat,

Glaciei, & grandinis materia proxima.

1. Meteor. c. 11. & 12.

Nix a maiori frigore quam grando.

1. Meteo. cap. 11. & 12.

Aquae summa frigiditas cur eam non cōgelat.

Aqua vi externi frigoris quomodo cōgeletur.

vt nix, aut glacies; at aqua vi externi frigoris ſummi condenſatur, cogiturque magis quam ſua poſtulet natura, & vertitur in glaciem; conglaciata uero aqua ſenſui frigidior eſt abſque eo, quod nouum in ſe gradum frigiditatis admiſerit: ſed quæ fuſa, liquida, & mollis prius leniter ſenſum refrigerabat, placideque tractabilis erat: nunc rigida, & congelata ſenſum ferit acriter intractabilis: ea nanque actiuarum potiſſime qualitatum natura eſt; ut idem præciſe gradus in materia denſiori euidentius, & acrius ſenſum feriat quam exiſtens in rariori, ac tenuiori: quocirca flammas, prunas, & ſtipulas ardentes diutiuſcule manibus verſabimus innoxie, ferrum autem candens, lapidemue ignitum ne tantillū tractare poterimus impune. Quod autem obijcitur frigidi in frigidum nullam eſſe actionem, tollitur tum quia externum frigus in cogelatione agere dicitur in aquam non ut frigidam, ſed ut fluidam, mollem, ac raram, quam denſat, indurat, & cogit; tum quia externum frigus agit in aquam, cui frigiditas actualis quoad ſenſum remiſſior eſt, quam ambientis; at frigus remiſſum ad intenſum ſe habet ut non frigidum.

Idem gradus caloris cur modo magis, modo minus ſenſum feriat.

Vid. lib 4. cap. 13

Præterea uero falſo aſſumitur aquam ſe ſibi admiſto calore liquefactam diffundere; calor enim aquam liquefaciens aduentitius eſt a ſole, vel ab igne, neque ſubſtantiæ internæ aquæ commiſcetur, ſed forinſecus tantum alterans rarefacit, ac ſoluit concretam aquæ corpulentiam; eaque ſoluta, ſimul cum igne, ac ſole recedit ab aqua; quippe mera qualitas erat ab externo agente in aquæ ſubſtantia gēnita, quæ præſentia generantis ueluti cauſſa fouente, & conſeruante indigebat; quare illo abeunte ſenſim in alieno ſubiecto faticere, quin & a contraria ſubiecti qualitate naturali extingui debuit. Alioquin ſi caloris aliquem gradum haberet aqua, licet exiguum, hic ei eſſet impedimento ne poſſet ab vllo frigore conglaciari, condenſaretur quidem, non autem conglaciaretur; nam ex Ariſtotele habemus aerem, oleum, ſemen, & alia calorem in ſe habentia frigore quidem conſiſtere, atque craſſeſcere poſſe; congelari autem, conglaciariq. non poſſe; cuius ea ratio eſt, quia congelatio calorem penitus extinguit; quorum itaque natura ſine calore non eſt, ea congelari nequeunt, ſed a frigore craſſeſcunt, vel etiam corrumpuntur antea quam congelentur: calor enim ſe habet in miſto, ac omnino in temperamento ad inſtar formæ ceteras qualitates quaſi materiam cōtinentis; quare ad caloris extinctionem miſtum corrumpitur neceſſario.

Calor aquam liquefaciēs externus eſt.

Quae incōgelabilia.

2. de gen. an. cap. 2.

2. de gen. c. 50.

Quomodo aqua frigidiſſima quum ſit ab externo frigore vertatur in glaciem. Cap. XXII.

CArpimur & in eo, quod nuper decreuimus aquam eſſe frigidiſſimam, & ab externo frigore in glaciem commutari poſſe; quod vtrumque reprobatur; & primum aqua frigidiſſima non eſſe dicitur, quia frigiditate vincitur a glacie; quod apertum facit materiæ denſitas in glacie maior quam in aqua; ubique enim qualitates

qualitates actiuosae, calor, & frigus, in materia densiori maiorem suscipiunt intensionem: Dein glacies frigidior esse ideo probatur, quia ex aqua fit frigoris externi actione: Additur etiam iudicium sensus, quo manifeste constat glaciem esse aqua frigidiorem. Alterum vero dogma conuelli propterea videtur, quia quod ex se frigidissimum est, id ab externo frigore non patitur; tum quia passio est inter contraria, & a valentiori; semper enim agens robur habet supra vires patientis, tum quia quod frigidissimum est intendi non potest: Postea vero si condensatio aquae est purę frigiditatis opus, quid ni aqua glaciei naturam induat a proprio frigore? cur ab alieno sortitur quod a proprio nancisci non valet? Quibus tamen oppositionibus vnico fundamento iacto sigillatim respondere licebit; nimirum duplex inest in aqua frigiditas, habitualis altera, qua nititur forma substantialis elementi, actualis altera, quae accidens est ab habituali prodiens veluti risibilitas a rationalitate: Ad primam ergo dubitationem dicimus nos aquam constituisse frigidissimam loquentes de frigiditate habituali, quippe qui cum Graecis arbitremur aquae formam essentialem frigiditate consistere; at obiectio est de frigiditate actuali, quam vltro concedimus intensiorem esse in glacie quam in aqua ob materiae illius maiorem densitatem; subiecti nanque densitas exacuit vbique caloris, & frigoris actualis aciem, sed tamen habitualis caloris, frigorisue vires, seu gradus non adauget; siquidem substantiae vires a graduum multiplicatione potissimum augeri consueuere: quod augumentum graduum formę cuiusque substantialis a nullo accidente, ac proinde nec a densitate subiecti promoueri potest. Ad secundam oppositionē concedentes ex aqua frigoris externi actione fieri glaciem, adnotamus aquam a glacie nō differre habitu, & essentia, sed frigiditate accidentali, & omnino per accidens; nam eadem est forma substantialis aquae, ac glaciei, summa nempe frigiditas humiditati coniuncta; facta fuit solum alteratio in qualitatibus circa materiam aquae inuariata substantia, vt si quis albus carnes diuturna mora in sole niger euaderet quasi aethiops: sic actione frigiditatis externae actualis, quae in aere ambiente viget, aucta fuit frigiditas actualis aquae ad summum, simul & materiei densitas, vnde aqua glaciei conditiones adepta est; cui vt actuali frigiditate cedebat praeexistens aqua, sic habituali frigore par erat, & eadem; vtraque enim est habitu frigidissimo. Ad tertiam difficultatem concedentes glaciem sensui esse frigidiorem aqua, & aquam non esse iudicio sensus rerum omnium frigidissimam, adnotamus sensum solam accidentalem, & actualem frigiditatem iudicare posse; at habitualem, quae substantia est, & essentialis aquae natura, percipere nō posse; siquidem sensus substantiam non pertingit, solumque formas accidentales attingere valet: quo fit vt sensu doceamur glaciem frigiditate accidentali, & externa superare aquam, quod & nos vltro fatemur; at non cognoscamus a glacie aquam vinci habituali, & interno frigore; quod in controuersiam datur.

Duplex inest aquae frigus.

Substantiae vires vnde augeantur.

Aquam a glacie non differre habitu, et essentia.

Sensus nō percipit frigiditatem habitualem.

Ad quartum dubium absolute negamus frigidissimum ab externo frigore pati non posse: Ad primam probationem, qua dicitur passio esse inter contraria, ex Aristotele respondemus duplex esse genus passionis, alia est passio perficiens id quod patitur, alia destruens; sane passio corruptiua vbique a contrario est; nam contrariorum est corruptioni studere; sed passio perfectiua vbique est a simili: quum autem quantitas intenditur, tunc profecto non destruitur, sed perficitur; vires enim, & gradus sunt de perfectione formae; quare frigiditas actualis aquae ab externo aeris frigore consimili augeri, perfici, atque ita perpeti potest. Ad secundam probationem, qua scribitur agens vbique habere uim supra vires passi, continuo liter verum est de passione corruptiua; nam quod corrumpitur, vbique omni conatu suae conseruationi studens pro viribus corrumpenti reluctatur; nisi ergo corrumpens uires habeat supra robur contrarii, nunquam illud corrumpere poterit; at vero in passione perfectiua, quia quod perficitur non reluctatur actioni perficientis, immo vero potius eam vltro desiderat; propterea non est necesse vt agens vires habeat supra vigorem passi; quo nomine vel ab Aristotele scribitur aliquando summum bonum & alicuius alterius boni quantumuis minimi adiectione reddi expetibilius: Sed & in tractione nauis collatis omnium trahentium viribus in vnam, quis neget accedente vndecimo postremum homine prioribus decem vim pristinam magnam minoris accessu adaugeri? sic ergo & aquae frigiditas actualis magna, vel ab eiusdem, aut etiam inferioris gradus frigiditate aeris intenditur in glaciem. Ad tertiā vero probationem, qua dicitur quod frigidissimum est non suscipere intentionem, respondentes animaduertimus dum aqua externi frigoris actione vertitur in glaciem non fieri intentionē frigiditatis habitualis in aqua, sed actualis tantum; nos vero aquam frigidissimam ponimus habitu, non actu; & propterea frigidissimum nō intendimus proprie; sed quod cum frigidissimo habitu est frigidum actu non in summo, hoc intendi posse contendimus. Ad quintam quaestionem respondemus primo frigiditatem habitualem ex se non agere in actualem, sed eam producere in materia, & productā postea vti velut instrumento ad omnia munia obeunda; formae siquidem essentiales immediate non agūt vt plurimum, sed accidentibus ministris vtuntur: Deinde obseruamus omne agens, siue destruens, siue perficiens necessario distingui debere a patiente; ac proinde fieri vt aquae frigiditas actualis a semetipsa nequeat intendi, ab ambientis frigore protinus intendatur: Deinceps uero dicimus intensionem esse augumentum virtutis; augumentum autem vbique fieri aliquo extrinsecus accedente, siue de proprio augumento loquamur, vt docuit nos Aristoteles, siue de metaphorico. Ita ergo aqua essentialiter frigidissima potest ab externo frigore in glaciem densari, non quidem

Agens patiente necessario distingui.

Intensio quid.

Augumentum fieri extrinsecus accedente. 1. de gen. 33.

mutata

mutata interna aquę natura, sed intensa externa, & accidentali, seu actuali frigiditate, quæ summa non erat simul taque coacta materię densitate, auctaque soliditate; quibus accidentibus solum a glacie dissidet aqua.

Quo a glacie differat aqua.

Præter qualitates actuales de genere accidentis inesse cuique elemento habituales qualitates de genere substantiæ, quæ sunt formæ, ac differentiæ constitutrices. Cap. XXIII.

Lib. 2. cap. 73. Lib. 4. c. 7.

Reclamant præterea plerique nobis duplicē calorem, frigiditatemue, humorem, ac siccitatem comminiscentibus, actualem scilicet in genere accidentis, & habitualem in serie formarum substantialium, tum quia nullam rationem habeamus, qua differentias istas habituales in genere formarum essentialium constituere possimus distinctas a qualitatibus actualibus; tum quia nullus ante nos de habituali calore, ac frigore verba fecerit; tum quia calor, frigus, humor, & siccitas ab Aristotele vbique ponantur & in genere qualitatis, & inter per se sensibilia; tum quia omnis calor, frigiditas, humiditas, & siccitas intendi, ac remitti potest, habetque contrarium; quæ omnia abiuncta natura substātiæ Aristotele autore non vno in loco; tum demum quia speciatim habitus ab Aristotele constituitur extra genus substantiæ in prima specie Qualitatis inter accidentia, ut non minus accidens sit habitualis calor quam actualis, vel argumento desumpto ab hectica febre, quę Medicis definitur esse calor habitualis. Quæ tamen obiecta nos adeo non vrgent vt a proposita sententia dimoueant, & his non obstantibus iterum statuentes in elementis præter calorem, frigus, humorem, & siccitatem actualem, quæ sunt accidentia proxime fluentia ex interna elementi natura, reperiri calorem, frigiditatem, humorem, ac siccitatem habituales, quæ sunt differentiæ constitutrices, formæque substantiales elementorum: ad primā etenim obiectionem infitiamur nos nō habere vllam rationem, qua freti constituere possimus differentias istas habituales in genere formarum substantialium distinctas a qualitatibus actualibus; nam plures, & necessarias ad id ostendendum rationes habemus, quas omnes recensere nimis prolixum esset, sat erit præcipuas hic attingere, In primis itaque si præter qualitates actuales in elementis non reperiantur habituales, quæ propriæ sint elementorum differentiæ specificæ, igitur reuera Qualitates ipsæ actuales vel erunt formæ substantiales elementorum, uel qualitates vicem gerentes formæ substantialis in elementis, uel demum accidentia, quæ omnium maxime occultam elementorum formam circūscribere, ac notificare possunt: Sed qualitates actuales primo non possunt statui formæ substantiales elementorum, quia possunt ab elementis auferri non corrupta, sed superstite elementorū substantia; nam & ab aere boreæ flatus actualem caliditatem, humiditatemque demit; & ab aqua ignis actualem frigiditatem tollit; & a terra vapor, & aqua calens actualem frigiditatem, & siccitatem aufert; quum itaque sensu plerunque possimus experiri aerem actu frigidum, & siccum, aquam actu calidam, & terram actu calidam, & humidam, plane constat calorem, & humorem actualem non esse formam essentialē aeris; frigiditatem actualem non esse formam substantialem aquæ; frigiditate, ac siccitate actuali non consistere formam terræ specificam; forma enim specifica non potest ab aliquo tolli citra eius corruptionem, quum natura corruptionis consistat in separatione, ablationeque formę substantialis. Nec tutum est refugium dicere formam elementi non vnica, sed duplici qualitate in vnum iuncta contineri; quæ duæ qualitates a nullo elemento remoueri possint citra eius corruptionem, a quo incolumi vna tantum auferatur; etenim & aerem hibernum flante aquilone sępe numero sentimus, inspiramusque frigidum & siccum; & terram austrina constitutione calidā & humidam non raro tangimus: & quorum formæ non sunt simpliciter simplices, sed e pluribus partibus essentialibus coagmentatæ, his uel unica earum partium corrupta, tota forma corrumpitur, nec in alia superstite conseruari potest: ut enim compositum ex materia & forma corrumpitur totum occidente forma, sed materia permanente incorrupta; ita sane si forma elementi tertium quid totum est e duplici qualitate in unum iuncta coagmentatum; harum altera tantummodo corrupta totam formam corrumpi necesse est. Qualitates actuales deinde non possunt statui vicem gerentes formæ substantialis; nam duo præcipua sunt munia formę substantialis, primū, vt materiam intrinsecus perficiens constituat cōpositum in certa specie substantiæ; alterum, ut sit principium quo primo compositum proprias operationes obeat: ceterū neutrum horum efficere potest actualis qualitas; non primum, quia quum sit accidens (est enim per se sensibilis, sensus autem non pertingit per se substantiam Aristoteli) non potest constituere in esse substantiā: quum enim prius natura sit constituens constituto, prior natura esset accidens substantia, cui inest, quod ab Aristotele nullibi non negatur: Non secundum quia sine qualitate actuali funguntur elementa suis muneribus, nam terra sponte descendit licet non actu frigida & sicca, quin & constituit mistum corpus animalis actu calida, & humida: immo & aqua remoto calefaciente, semetipsam actuali frigiditate ornat, qua violenter priuata fuerat. Addo etiam aquam actu calidam omni actuali frigiditate priuatam tum potu, tum balneo corpora nostra, nostrumque temperamentum refrigerare: ut quotidianis experimentis nouere Medici: at uero huiusmodi refrigerationes nullum aliud agens præcipuum noscunt quam frigiditatem: si quidem ab aqua sunt non ut ab agente æquiuoco, sed ut ab vniuoco: & vt ignis agit Aristot. & aqua, non quatenus ignis, & aqua, sed quatenus ille calidus est, hæc vero sicca, ita plane aqua agit quatenus frigida est. Itaque aqua actu calida refrigerans in se necessario

Cap. de qualit. 2. de an. t. 107. 2. de gen. t. 7. & 8. 7. phy. t. 2. 1. de gen. t. 23.

Munia formę substantialis. 2. de an. t. 65. Supra c. 8

habet habitualem frigiditatem, qua operatur, veluti sui formam essentialem, præter actualem ab habituali prodeuntem. Præterea forma substantialis præsens necessaria est ipsi composito; quare si vicem gerat formæ substantialis qualitas actualis, in elemento, elementum absque illa superstes esse non poterit; hoc autem falsum esse nuper ostendimus; non ergo formæ substantialis vicem gerit in elemento qualitas actualis. Qualitates actuales demum non esse accidentia, quæ omnium maxime occultam elementorum formam nobis aperire, ac circunscribere possunt, inde patet quia formam elementi longe magis indicare possent qualitates motrices, grauitas, & leuitas, quam alteratrices, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, tum quia motricibus nunquam spoliari potest elementum, ut alteratricibus; tum quia motu, & motrice qualitate Neutra nuncupata vsus est Aristoteles ad indagandā naturam formæ, ac essentiæ cælestis occultę: tum quia natura elementi primario instituta est ad cōstitutionem vniuersi, secundaria quadam ratione ad mistorum prouentum; quum autem constitutioni vniuersi deseruiant elemēta ut grauia, & leuia; prouentui vero mistorum ut calida, frigida, humida, & sicca; proinde grauitas, & leuitas formam elementi magis indicare possunt, quam actuales qualitates alteratrices: tum demum quia natura priores sunt in elementis qualitates motrices, ac proinde propinquiores formæ alteratricibus; unde placitum illud effluxit in generatione quoduis elementum acquirere tantum de loco, quantum de forma: sed & rationi consentaneum est elementum prius ea qualitate insigniri, qua concernit integritatem vniuersi, quam ea, qua mistorum prouentum. Itaque præter qualitates actuales in elementis necesse est inesse habituales, quæ sint substantiales formæ, differentieq; elementorum constitutrices. Deinde quemadmodum se habet temperamentum in mistis, ita qualitates primæ in elementis; sed in mistis duo sunt genera temperamenti, quorum alterum est sensibile, nimirum qualitas consurgens ex mistione qualitatum actualium; alterum vero insensile, nempe forma consurgens ex vnione qualitatum habitualium; ergo in elementis pręter qualitates actuales sensibiles reperitur qualitas habitualis, quæ forma est essentialis; proportia euidens est eo quia nihil est in misto, quod non pendeat ex elementis: mistis vero duo hæc temperamentorum, seu qualitatum genera reperiri manifestissime inde patet, quod plerunque temperamenta hæc, qualilatesue contrariantur ad inuicem; nam oleum sulphuris, & chalchanti, & aqua vitæ nuncupata, vinumque ipsum habēt temperamentum actuale, qualitatemque sensibilem frigidam, & humidam; at uero quis nesciat ijs inesse temperamentum habituale prædominio igneum, calidum, & siccum? Deinceps aqua calida epota, & in corpore viuentis nunquā actu refrigerata mirifice corpus animalis refrigerat; quomodo ergo frigiditatem in corpore procreabit aqua non actu frigida, si frigiditatem non habuerit habitualem, quæ sit forma, & principium operandi? Deinde quomodo aqua feruens remoto calefaciente seipsam actuali frigiditate exornabit, si non habeat in se habitualem frigiditatem, unde actualis proficiscatur? quomodo tandem aqua actu calens aget ut frigida ex Arist. obseruatione; & refrigerabit ceu refrigerationis agens uniuocum, & nō æquiuocum (quæ omnia nuper etiam tetigimus) si aqua non habuerit in se frigiditatem habitualem veluti sui formam essentialem ab actuali frigiditate distinctam? Ad secundam obiectionem dicimus primo etsi nullus ante nos de hac habituali qualitate tractauerit, haud propterea negandam esse; quotidie nanque noua inuenta prodire possunt in lucem prioribus ignota; quum hoc peculiare sit obseruatione Aristotelis disciplinarum, immo commune omnibus artibus vt in dies nouis augeantur inuentis: quæ nanque in vita mortales inuenere, nec ab vno cuncta reperta sunt, nec in lucē simul omnia prodiere; sed hæc vna ætate, illa alia, ut dies, & rerum conditio tulit; haud enim mirum sit vt quemadmodum plurima veteribus inuenta, & nota, nobis aut prorsus interiere, aut vix tenuem sui vmbram reliquere, cuiusmodi sunt inter alia non pauca lucernæ perpetuo in se pulchris ardentes per plures annorum decades, centuriasque; & Musicæ illæ admirabiliter affectus hominum commouentes; ita ex aduerso alia nonnulla, quæ ne antiqui quidem nouere, perinde ac enascentia ætate nostra comperta sint, atque nouissime obseruata. Deinde vero ante nos qui habituales qualitates in mistis distinctas agnouere ab actualibus, ijdem in elementis quoque duo hæc genera qualitatum comperta habuere; vulgatum est apud Medicos aquam dulcem tepentem, calidamque actu intrinsecus assumptam, extrinsecusque admotam esse potentia, seu virtute, habituque frigidam; quia scilicet quum refrigeret, omneque agens agat quatenus est actu, si nō sensui, saltem reipsa; plane opus est aquam actu calentem sensui, habitualem actu frigiditatem habere, quam sensus non percipiat; vnde aquæ vis insit frigefaciendi corpora nostra. Ad tertiam oppositionem, quoad primam partem dicimus Aristotelem in genere Qualitatis inter accidentia ponere caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem actuales, quæ possunt a subiecto deleri eo incolumi, & secundum quas fit alteratio: at qualitates habituales, quæ non possunt citra subiecti corruptionem ab eo deleri, & secundum quas fieri generationem docet Aristoteles alicubi, eas ipse nunquam reponit inter accidentia. Deinde vero clare Aristoteles differentias essentiales, & formas substantiales ponit in Prædicamento qualitatis: ut qualitas alia sit accidentalis, alia substantialis, quæ complectatur omnes rerum specificas differentias, & formas substantiales: vnde a Porphyrio definitur differentia prædicari in quale quid: nō igitur quia calor, frigus, humor, ac siccitas Aristoteli ponantur in genere qualitatis, ideo negādum est hæc esse differentias elementorum substantiales.

Li. de sen. & sens. c. 4

8. Phy. & 1. cel. t. 5. & seq.

Duplex temperamentum in misto.

Nibil est in misto non prodiens ex elementis

2. a.

5 meta. 19.

2. de gen t. 25. 26.

Qualitates quæ sint substantiales & quæ accidentales Arist.

5 meta. 8. & 9.

stantiales. Ad secundam partem dicimus Aristotelem reponere inter sensibilia per se caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem actualem, quæ accidens est, non autem habitualem, quam vult esse formam substantialem elemēti, & sensibilem per accidens; nam ipse definiens qualitates elementorum constitutrices, eas nulla relatione ad sensum definit vt habitus, nimirum calidum esse quod congregat homogenea, frigidum quod congregat tum homogenea, tum heterogenea, & ita de alijs habitualibus, quas huiusmodi definitione seiungit a qualitatibus actualibus, quæ id præstant non per se, at in virtute habitualium, quibus deseruiunt velut instrumenta; definitio vero vbique traditur per prędicata per se. Ad quartæ difficultatis ad primam partem vulgo dicunt præter accidentia, intendi, & remitti quoque substantias incompletas, cuiusmodi sunt formę substantiales: Nisi dicere velimus Aristoteli remitti, & intendi qualitates actuales, non autem habituales: Ad secundam partem admonemus Aristotelem substantijs compositis negare rationem contrarij, quam aperte tribuit substantijs simplicibus, ac præsertim differentijs substantiarum specificis, seu principijs corporum naturalium, quæ alio nomine dicuntur forma & priuatio: sed quoties repetit Aristoteles in genere substantiæ vnam esse contrarietatem? quis ignorat hanc esse inter solas substantiarum differentias, formasque specificas? Ad postremam dubitationem abunde respondere licet ex ijs, quæ professi fuimus alias in opere de vita, vbi ex Aristotele ostendimus præter habitum, qui est accidens; reperiri habitum substantialem qui forma specifica est cuiusque substantię, quam theoriam non est vt hoc loco denuo repetamus: Quod vero adducitur argumentum ab hectica febre, quæ sit calor habitualis, inde quoque diluitur, quia habitus hecticæ febris est accidens de prima specie qualitatis accidentalis; at calor habitualis ignis substantia est, cui non repugnat habere adiunctum calorem habitualem de genere qualitatis accidentalis. Ita ergo illibata est nostra positio, qua in elementis præter primas qualitates actuales in genere accidentis, reperiri diximus ijsdem nominibus insignitas qualitates habituales, quæ formæ sunt elementorum specificæ, ac differentiæ constitutrices. Sed hac de re fusius alibi oportuno magis in loco disseremus: Quare ad alia nunc progrediamur superioribus obiecta diluenda.

1. De gen. t. 8. & 9.

An subst. intendatur.

10. Meta. t. 14.

1. Phys. t. 50. 56.

Lib. 2. c. 9. & sub. 2. 12. Meta. 1. 22. 5. Meta. t. 7.

Habitus qui est substantia.

Vt qualitates actuosæ, ac potissimum frigiditas in materia densiori sit intensior. Cap. XXIV.

Lib. 2. cap. 73 at 127

Videmur & in eo defecisse cum vulgo, quod paullo post in substantia densiori qualitates intensiores esse posuimus, atque inter qualitates frigus speciatim acui, & augeri ad subiecti crassitiem, ac soliditatem; nam certo experimento quotannis comprobatur hieme ab aeris ambientis frigiditate aquam in glaciem commutari; & proinde aerem aqua frigidiorem esse; quum tamen nemini non pateat aeris substantiam esse longe tenuiorem, rarioremque, ac molliorem aqua: Ceterum neque his plane oppugnamur, quæ sic urgere uidentur; si quidem tum ex nuper habitis facile obiectioni occurras; tum etiam ex afferendis; & primum quidem adnotamus hieme non alia de caussa ex Aristotele frigiditatem in ambiente vigere maxime, quam ob recessum solis, & immobilitatem: At vero a cælo hieme idem gradus frigiditatis ęque omnibus elementis inferis adest, qui tamen in elemento densiori magis intenditur; quamobrem terræ (loquor nunc de terræ partibus exterioribus, nam internæ hieme per accidens flagrant concentrato calore) intensior inest hieme a cælo frigiditas quam aquæ, & aquæ quam aeri: quum igitur in aere hiberno urgeant maxime uenti frigidissimi, quorum natura est exhalatio a prędominio terrea; plane in aere terreum quid est, ac omnino quidpiam aqua frigidius, quo ea vertatur in glaciem; quare obiectioni negandum est aquam conglaciari a frigore aeris, quum id patiatur a frigore terrestris exhalationis sub forma uenti per aerem dispersæ in maxima ubertate. Deinde vero statuimus aquam ab aeris frigore minor posse in glaciem denſari, nam qualitates augentur, & intenduntur a similibus etiam remissioribus, ut ostendimus; quum enim formæ sint ueluti numeri Aristoteli, profecto quemadmodum quinario adiunctum binarium auget illud ad septenarium sic prorsus aquæ frigiditas ut quinque ab aeris frigiditate ut duo hieme augeri poterit ad glaciei frigus ut septem: Quare negandum est hieme inesse aeri frigiditatem intensiorem quam aquæ: Id quod & sensus apertissime docet, nam manus & faciem lauantes mane aquam hesternam longe frigidiorem hieme sentimus, quam illas eas partes aeri exponentes, si aquam, & aerem sumamus æque supra terræ superficiem: contra si specum, aut puteum profundum hieme adeas, aquam ibi aere calidiorem percipies ob solam substantiæ crassitudinem; quum secus aer calidior percipi deberet; quippe aqua natura sua frigida existens accidentali calore loci, solique afficitur; aer uero præter eundem gradum caloris externi ab eodem loco susceptum, habet natura sua calorem essentialem. Recte igitur cum omni Philosophorum choro statuimus qualitates actuosas, & præsertim frigiditatem in densiori, solidiorique subiecto intendi, & sensui vehementiorem apparere.

1. Meteor. c. 4.

Cur hieme in aere maxime vigeat frigiditas.

Vide inf. c. 44.

Ventorum natura.

Cap. 21.

8. Meta. t. 10.

Formæ sūt veluti numeri.

Aquæ calorem non ostendi a pelluciditate. Cap. XXV.

Quarta ratio adducta Cælio & prius a Plutarcho ex maris pelluciditate necessitatem non habet demonstrantem aquis inesse calorem; quoniam vt

Li. q. nat. q. 8.

in cœlis pelluciditas astrorum ab igne non est; ita neque sub cælo ab igne semper est: in aquis autẽ speciatim pelluciditas in superficie est a lẹuore; quum enim superficies aquæ tersa sit, & polita, minimeque aspera, reflectit facile a se lumẽ externum tum viuidum, tum debile; quare noctu in tenebris splendescit aqua reflectens lumen astrorum, & interdiu in Solis radijs ad instar speculi viuidius lumen repercutiens? Sed etiam citra læuorem splendescit aqua lumen repercutiens sola sui densitate substantiæ; sic adamantis, cristalliq; substantia pu ra quidem, sed aspera lumen reflectere, ac effulgere conspicietur quoquopacto. *Pelluciditas aquæ vnde sit.*

Platonis assertum de elementorum simplicitate explicatur. Cap. XXIII.

QVod autem proponitur dein ex Platone, qui ignem, aerem, aquam, ac terram materiã potius igneam, aeream, aqueã, ac terream nominauerit, existimans elementa impermista non esse, at eorũ quoduis particeps esse ceterorũ, caute accipiẽdũ est; quia in Timæo hac de re loquens Plato longe aliter semetipsum explicat, ac vir eximius; ait enim propterea quæ apud nos sunt elementa non appellari hæc, vt puta ignem, aerem, aquam, & terram, quasi habeant hanc naturam stabilem, sed quia in continuo fluxu versantur, ut quod nunc ignis videtur, mox aer appareat, subinde aqua, & ita de ceteris, propterea vocari talia, ut igneũ aereũ, & huiusmodi nominib. quib. eorũ mutatio iugis, ac fluxus significetur; neque talia censuit appellanda Plato elementa, quia vnũquodque illorum singula in se contineret alia, & mistum esset a prædominãte denominatum, quod existimant viri clarissimi; a quibus ne voluntarie hac in re discedere videamur, Platonem semetipsum de proposito interpretantem in Timæo vnicuique legendum proponimus lectoris iudicium expectantes; nec prolixã Platonis disquisitionem huc afferre neçessariũ duximus ad ulteriora properantes. Illud tamen omittere nolumus in Academia posse allatum dogma subtilius etiam interpretari; nempe Platoni eis forma, & præsertim idea vera est cuiusque rei essentia; vnde solam ideam hominis verum, ac ipsissimum hominem, & proprio vocabulo ipsihominem vocant; sic ergo ignem, aerem, aquam, terram esse iudicat Plato puram ignis, aeris, aquæ, ac terræ formam; elementa vero, seu corpora hęc sensibilia istas formas participãtia verius dicenda putauit nomine ignei, aerei, aquei, ac terrei. Non ergo Platoni unumquodqne elementum corpus est mistum alia omnia in se continens denominatum a prædominante, ut censent viri sapientes.

Pisces in piscinis ex lapide constructis non ali aquas & Aristotelis locus explicatur de terra, & aqua. Cap. XXVII.

SEd quid rationibus (inquit Rondeletius) opus est, quum sensus verissimus iudex esse possit? sunt in Principum, & diuitum domibus ex lapide exædificatæ, & stratæ piscinæ, in quibus permulti diuersi etiam generis pisces aliquot mensibus sola aqua viuunt incolumes. Equidem in piscinis passim apud viros opulentos ex lapide constructis permultos diuersi etiam generis pisces conseruari, & mihi recipitur; sed ibi eos aqua sola nutriri non arbitratur necessarium Columella præcipiens alendis piscibus in piscinas quotidie iacienda poma concisa, ficus aridas, panis offas, & consimilia: sed & illæ piscinæ, in quas nihil projicitur ad alendos pisces, multa præter aquam suggerunt piscibus alimenta solida; nã si piscinæ aqua stagnauerit, fieri nõ potest quin ob sordes in aquã lapsas tum ex aere, tum aliũ de aliqua ex parte putredine concepta in ijs generentur plantæ, uermes, aliaque insecta, uel saltem mista perfecta piscibus in alimentum cedẽtia: Si vero piscinis aqua influit, ac refluit, una cum aqua ingredi possunt pariter herbæ, radices, & insecta piscibus alimentum futura non incommodum: Et absolute vbi multi continẽtur pisces variorum generum, ij sibi inuicem alimento sunt, tum maioribus minores deuorãtibus, quod iam vulgo cessit in prouerbium. *Lib. 9. c. 17.*

Grandibus exigui pisces sunt piscibus esca.

tum omnibus e murtuorum piscium cadaueribus cibum sibi haurientibus; ac fęcunditate maxima sibi mirę prospicientibus; vt propterea semper abundent in piscinis; ne quis timeat eos alterna cæde tandem omnes consumptos iri. *Pisces fecundissimi.*

Multo sane valentius argumentum desumere potuisset vir eximius ex Aristotele alicubi decernente de animalium nutrimento in hãc sententiam, *alimentum autem alijs aqua, alijs terra, alijs quod ex ijs constet*. Quæ tamen obiectio ea ratione tollitur, quia terræ nomine Aristoteles mistum a prædominio terreum, non terram simplicem; & aquæ nomine significat mistum a prædominio aqueum, non aquam solam, siue puram, siue impuram; & misti ex aqua & terra vocabulo alimentum indicat mistum ad ęqualitatem elementorum accedens: atque nõ alio sensu ossa, & capillos terrę nomine alias insigniuit, & oculum aquę; qui alibi terram solam nostratem plantis alimento esse negauerat. Et sane alimentum a prędominio terreum ijs est animalibus, quę cęno vescuntur, ut bufones, & id generis: aqueo autem maxime succo alũtur plurimi piscium: sed alimento sine vllius elementi sensibili prædominio, quod mistum est ex aqua, & terra, ceterisque ad mediocritatem redactis, nutriuntur perfectiora animalia, & præsertim homines, quorum corpora potissimum ex aqua, & terra ad æquales fere portiones cum alijs elementis *3. de gen. an. cap. 2.* *3. de an. c. 66.* *Lib. de sens. & sens. c. 2.* *2. de gen. c. 50.* *2. de an. 3.* *2. de gen. c. 50.*

2. de an. 3. elementis constitutum esse monet Aristoteles,
2. de gen. 1. 30. qui pridem edocuerat nos ali misto alimento prout corpore constamus ex elementis misto consimiliter.

Piscium in perforatis nauiculis quodnam sit alimentum. Cap. XXVIII.

SIc (subdit vir doctissimus) *Lutetiæ, Lugduni, & in magnis alijs vrbibus, quæ procul a mari absunt, pisces in nauiculis perforatis inclusi necessario aqua sola illic victitantes diu commode asseruantur*; cui quidem concedimus & nos in perforatis illis nauiculis pisces inclusos diu commode asseruari, non quia victitet aqua sola, sed quia cibum capiant tum ex ingredientibus vna cum aqua per nauicularum foramina & animalibus varijs, & muccosis excrementis, & herbis, tum ex ijsdem nascentibus per putredinem ligni nauiculæ; tum ex præda & minutorum piscium, & genitorum ab alijs in nauicula inclusis; tum demum aliquando etiam e cadaueribus ceterorum, uti nuper me obseruatum est in piscinis contingere. Ceterum neque absurdum puto eos etiam sine ullius extrinseci nutrimenti assumptione aliquot dies in nauiculis viuere. Immo vero quando videmus eosdem pisces in mari natos & altos de marina in dulcem aquam transferri, atque in hac diutius viuere incolumes, perinde atque in illa: hinc firmum argumentum ducimus neutiquam aquarum piscibus alimento esse: siquidem in tam repentina mutatione alimenti falsi & amari in dulce, atque insipidum fieri non potest ut non ægrotarent
1. probl. 3. & 14. pisces: Aristoteles enim mutationem aquarum quam aeris, & aliorum ciborum nobis magis grauem, & morbosam statuit, quoniam multũ aquæ cum alimentis ingerimus, & diu intra nos
Lib. 3. bg. 67. retinemus: quem locum fuse superius explicauimus: sed quid attero morbosam? quis vnquam putet pisces aqua marina semper antea nutritos posse in posterum dulci nutricari? alitur enim quodcunque similibus atque quibus nutrimentũ simile dudum fuit aqua maris amara, & salsa, ijs postea simile nequit esse alimentum fluminum, lacuumque, ac piscinarum dulcis, & insipida. Quum itaque passim videamus e marina traiectos in aquam dulcem pisces viuere diutius incolumes, & augeri plane iam constet aquam piscibus non esse alimento, sed aliquod mistũ corpus in aqua tum salsa, tum dulci contentum.

Piscibus in vasis vitreis conseruatis, si non aqua, quid in alimentum cedat. Cap. XXIX.

IN *Gallia Narbonensi* (mox addit vir egregius) *curiosi quidã in vasis vitreis aqua plenis pisces diu nutriunt; certumque est, quo purior fuerit aqua, eo diutius vitam producere; celeriter autem interire, si quid aliud præter aquam, vt panem, aut aliud quidpiam solidioris alimẽti in vas coniecerint: hoc modo Coniux mea suauissima tres annos piscem domi aluit, sicque educatus in eam corporis molem accreuit, ut tandem nec vas eum capere, nec qua ingressus fuerat, eadem exire potuerit.* Quæ nihil nos turbant: siquidem veluti nuper in nauiculis perforatis inclusi, sic plane qui pisces in Gallia Narbonensi a curiosis in vasis vitreis aqua plenis seruantur, si augeantur, eos alimento solidiori vesci opus est, ut chamæleo, muscis, aceeno ex uolitante puluere, & aqua facto: sin autẽ non augeantur (quod sæpenumero nos Pisis obseruauimus in Pharmacopœa Paulli Cerinij vna cum solertissimo viro Iulio Guastauinio, & per integrum biennium in vase marmoreo aquę benedictæ in vestibulo templi Diuo Francisco dicati, ubi duo pisciculi semper eadem magnitudine totum biennium vixere) illos arbitramur citra nutricationem viuere ob caussas in libro superiore fusius explicatas; Nisi dicamus exiguum illis alimentum e fordibus ad vitam, & nutricationem sufficere, ad incrementum autẽ minime sufficere; negamus plane illos aqua pura enutritos; Alioqui necessario tum ipsi crescerent, quum in ætate augumenti degant; tũ quoque aqua deficeret, ac imminueretur; tum potius aqua impuriori, quæ magis ad misti naturam accedit, quam simplici alerentur, testantibus etiam viris clarissimis, quorum dogmata considerauimus, aquam alere, quia simplex non est hæc aqua nostra, sed quoquopacto mista: Verum pisces in vitreis vasis aqua plenis inclusi nõ augentur plerunque: aqua non imminuitur vnquam, & nisi certis diebus vetus aqua cænosa reddita mutetur in puriorem, pisces intereunt: certum est ergo eos ibi aqua non ali. Sin autem eorum aliqui oblatis edulijs commoriuntur, ut Rondeletius ait, id propterea contingit, non quia edulia hæc impedimento sint quo minus pisces alantur aqua; sed quia diu assueti ieiunio pisces, si ponantur in aqua edulia, ut panis, & alia id generis, non gustant, immo læderentur a cibo solidiori, quod supra contigisse nouimus Nicolao Heluetio, & alijs post longam abstinentiam; diutius uero morantia illa cibaria in aqua putrescunt, a quorum putredine tetri halitus elati piscem interimunt; quin & aqua crassescit; quare intro hausta per os ad refrigerandum caloris æstum per branchias exiguas exire non potens piscem suffocat; quod & anguillis accidere monet aliquando Aristoteles; ita etiã nisi aqua sæpe mutetur, quum a corpore piscis actione caloris interni continenter effluant cũ fuliginosa excrementa, tum partes propriæ substantiæ in halitus; his aqua incalescit, spissescitque, ac notham contrahit putredinis; calefacta aqua nõ est amplius apta refrigerio caloris, crassefacta non potest exire per brãchias: & putrida est pisci morbosa, & his omnibus caussis mortifera: necesse igitur est aquam puram sæpius affundere, non quidem in alimentum pisci; sed ut docuit Aristoteles in refrigerium calors

Lib. 3. 13.
Aqua vt pisces nat. leat suffo caro.
8. hist. 2.
Lib. de re sp.

 loris

loris insiti; & uetus impura tollenda est, ne pisci obsit cum suffocando, vel quouis alio genere morbi occidendo: perinde autem anguillas, & pisces omnes alios, si semper in eadem aqua exigua versentur, strangulari monet Aristoteles, quomodo spirantia animalia intereunt, si in aere exiguo claudantur: modo certum est spirantia non vti aere ad alimentum, sed ad refrigerium; & in exiguo aere non mori ob inopiam decentis alimenti, sed ob priuationem refrigerii suffocari; ergo & pisces aqua utuntur non ad alimētum, sed ad refrigerium; & in vasis vitreis in exigua aqua inquinata diutius detenti moriuntur priuati non alimento idoneo, sed refrigerio. Quod autem affert Rondeletius vxorem suam tres annos piscem domi aluisse in vase vitreo aqua pleno nulla re unquam pręter aquam simplicem pisci in alimentum data; tali vero educatione piscem ad eam corporis molem accreuisse, ut tandem nec uas eum capere, nec qua ingressus fuerat, eadem exire potuerit; oppositum habet experimentum sæpissime iteratum a Pisano pharmacopæo Paullo Cerinio, qui assidue per duodecim annorum spacium uario genere pisces curiose nimis in uasis vitreis conseruauit ea ratione, ut vas ore aperto semper hiaret aqua semiplenum; nam uel occluso vase, vel omnino aqua repleto sæpius obseruauit pisces intra quatuor, uel quinque dies interire; in semipleno, & aperto ad tres, & quatuor annos superstites eos habuit, quibus in mense bis aquam mutaret; nam in aqua ueteri moriebantur intra mensem omnes: diligenti autem obseruatione comperit hos pisces uenari muscas, & insecta forte per os vasis in aquam lapsa, immo & a seipso aliquando experiundi gratia nū comedere possent, oblata nutrimenta ingurgitare; haud tamen vllo pacto augeri, sed potius decrescere. Adijciebat se obseruasse in huiusmodi piscium corporibus mucum, & lentorem quendam adnasci, qui per aquam postea nataret; ortum puto ex puluere cadente intra vas, & aqua, adda, etiam ex effluente humore vi caloris interni e corpore piscis: cui uiro quum ego retulissem legisse me apud autorem celebrem pisces in aqua sola sic educatos crescere, augerique mirum in modum; historię fidem se non præstare dixit ob multa experimenta opposita: Quocirca suspicatus sum piscem in domo Rondeletia mire crescentem enutritum vel plurimis insectis, vt muscis, & alijs per aera volitantibus, atque in apertum vas continue cadentibus; anguilla namque magna pondo librarum quatuor superioribus annis in puteo capta quotidie obseruabatur bestiolas in aquæ superficie saltantes venari, eisque cibari: vel muco, & limo illo facto ab atomorum per aera volitantium puluere in aquam lapso; Aristoteli siquidem multi pisces limo pasti augentur mirifice: vel fortassis etiam a benigna Matrona metuente ne ieiunio moreretur animal, clanculum pane, aut consimili nutrimento pastum fuisse; ea enim est vbique mulierum conditio, nobilium prælertim, vt vereantur semper viuentia sibi educanda fame conficere, nimiumque affligere. Nisi dicere malimus piscem illum initio multo, eoque concreto phlegmatico succo redundasse, in quem liquatum affusione aquæ calor natiuus agens alimentum nutricationi, & augumento aptum elaborauerit, ea prorsum ratione, qua dudum obseruauimus contingere consueuisse in ocimo, quod in aqua nullo terræ tactu viuere, florere, ac semina ferre, atque ideo nutriri conspicitur: Idipsum fortasse contingit viperulis, quæ nuper natæ, uel etiam e prægnantis corpore a Patauinis Pharmacopæis Theriacam apparantibus eductæ in vase vitreo vndique clauso reconduntur; in quo nullo pastu euidentissime tum mole, tum pondere augentur, atque propterea nutriuntur (si vera est obseruatio mihi ab egregio viro relata) sunt enim quique fetus ab ortu plurima humiditate pituitea referti, & omnino crudiori succo, eoque vt plurimum denso, atque concreto; in quem agens calor coactum fundit, dissoluit, & attenuat, atque adeo ampliat; eoque vlteriori coctione in oportunum alimentum commutato, & enutriri, & augeri potest etiam viperula. Sed fortassis auctio illa molis inflatio est insecti, ceu species quædam hydropis; calor enim debilis bestiolæ in humorem agens plurimam flatulentam materiam procreat quam facillime, vnde corpus intumescit, atque distenditur, vt in Timpanite vocata: ceterum & pondere quoque augeri viperulas impastas plurimi negant citra obseruationem experimenti, qui dubiam quoque molis incremento proposito fidem adhibent; Sed hac de re fuse superius, vbi ex aere citra nutricatum & molem augeri posse, & pondus apertum fecimus. Quare ad pensum aquæ redeamus.

2. hist. c. 2. — Pisces ut aqua vtātur. — Lib. 2. 84. — Lib. 2. 19.

Ostrea, Mytulos, & Holothuria non ali aqua. Cap. XXX.

Quod si quis morosior (subiungit Rondeletius) *his contentus non sit, consideret Ostrea, mytulos, & holothuria: Vnde quæso holothuria, nisi ab aqua nutrimentum accipiunt, quum duo solum, eaque per exigua foramina habeant, per qua nihil prorsum alimenti, dempta aqua, intro ad vitæ subsidium meare possit? Vno igitur necesse est ad alendum corpus aquam recipi, altero, quod superuacuum est, expelli, quod etiam experientia docet, nam ex ipsis holothurijs manu compressis multa aqua per eos meatus exprimitur.* Ceterum nobis de ostreis illud certum est, Aristotele auctore, ac experimento comprobante, illa e cænosa colluutione gigni, quare aduersus Rondeletij placitum oportebit eisdem ex limo esse alimentum, si coincidunt vbique in vnum materia generationis, & nutricationis, vt coincidere

3. de gen. an. c. 11.

dere ostendimus antea; non igitur ostreis aqua sola est alimentum. Deinde vero si consimile temperatura, & substantia est vbique alendo corpori nutrimentum; quomodo poterit ostrea naturæ terrestris, atque densissimæ (talem enim quisque illius carnem experiri potest tum dentibus attritu, tum etiam ventriculo coctu difficillimam) aquæ substantia tenui, ac fluxili enutriri? Mytulos plerumque comperias arena, & limo repletos, vt lepide non bene purgatos aliquando mandenti, ac succensenti hero coquus responderit nullam sibi ex eorum esu molestiam perceptam iri, si molas altiores mandendo sustineret: quid ergo ambigas eos cæno, vt ostrea, vesci? De Holothurijs, quod perexigua duo foramina obtineant soli aquæ per via; & proinde nullo alio alimento vtantur; quod ve manu compressis nihil e foraminibus præter aquam exeat, vt affert vir acutus, ita sentimus, nempe foramina holuthuriorum primo quum sint sensui conspicua, & propterea longe magis patentia, quam ora tenuissimarum radicum cuiusque stirpis; profecto si plantæ radicibus hauriunt ex humo ad sui alimentum succum terrenum, & aqua omni solidiorem, crassioremque; multo magis holothuriorum foramina nutrimento solidiusculo pervia erunt. Deinde vero quum holothuriorum substantia sit mollis & dilatabilis, foramina carnea & si nobis arcta, vel etiam cæca videantur, dilatari tamen commode poterunt ad hauriendum oportunum alimentum: Illud nihilominus egregio viro concedimus alterum ex holothuriorum foraminibus ad instar oris attrahere alimētum ad instaurandum humidum substantificum, seu potius ad auocandum natiuum calorem ab humidi substantifici celeri consumptione, simul & aquam tum ex necessitate materiæ, tum præsertim etiam ad refrigerium caloris interni; alterum autem ad instar fistulæ, tubiue, aquæ, ac fuliginosis excrementis, si quæ in holothuriorum corpore gignantur, exitum dare: compressa vero solam aquam emittunt holothuria, quia in eis aqua nutriendo corpori non existens intimas in sedes minime permeat, nec auide, arcteue a natura retinetur; sed vt in vase, aut potius vere fluxura extra corpus comprimentibus exprimitur: sic in animali tum frigiditas ambientis intensa comprimens cerebrum, inde non sanguinem, & alimentum, sed pituitosa excrementa exprimit in nares, & ora: tum etiam fascia, & quoduis aliud arcte comprimens thoracem, aut uentrem imum, exprimit non sanguinem, & chylum, sed solum e pectore aerem antea inspiratum, ac fuliginosos halitus per os, & nares; e ventre autem infero excrementa, fæces, flatus, vrinam: Natura sic in holothurijs arcte retinet sibi alimentum, aquam compressione sinit exire, quia non est holothurijs alimentum.

Lepades, ac, mugiles aqua sola non ali. *Cap.* XXXI.

QVid Lepades (ait vir acutus) *saxis hærentes alimenti præter aquam possunt accipere? non enim aliunde sibi victum parare queunt vagantium more: At forsitan animalia hæc* (inquit) *non esse contendes: Mugiles igitur, sardinas, & aphyas contemplator, quos pisces esse nemo negauerit: at omnium, qui piscatum exercent, testimonio, horum vitæ ratio sola aqua continetur.* At vero hac in re nos quidem lepadem saxis adhærescentem in animalium genere ponimus; sed tamen huic animantium generi dicimus primo aqua solidius alimentum esse, quia herbas adnascentes scopulis depascitur; quod innuere videtur aperte Aristoteles dum scribit adhærentia omnia cibum per ipsum annexum haurire: Deinde vero lepades, quas patellas vertit Gaza vulgato apud Genuenses nomine, Aristotelis obseruatione mouentur quærentes sibi alimentum: Qua in re nescio quo spiritu ductus ab Aristotele discedere voluerit Rondeletius, qui probare nititur eas non moueri ad alimentum quærendum, quia natando aptæ non sint; quasi vero aquatilia cuncta natando moueantur; mouentur autem lepades veluti lambendo, & discurrendo per saxa, quibus hęrent, hinc inde sibi quærentes herbas, & alia nutrimenta oportuna: sic autem moueri patellas credat Rōdeletius Genuensium pueris quotidie a scopulis eisdem semper nouas auellentibus, & moueri sæpe conspicientibus; si credere nolit Aristoteli dicenti patellam etiam saxis absolui, & in pastum ferri solitam: Quod enim scribitur viro perito patellas vesci spuma, & aqua maris, qua alluuntur saxa, neque victum illis alium esse quærendum, id gratis assumitur aduersus Aristotelem, quod erat demonstrandum: & præsertim quia e maris aqua sola, & spuma tam densum excrementum segregari verisimile non est, quo ab imbecillo patellæ calore durissima lepadis testa generari valeat; est enim testa excrementum alimenti testaceorum induratum.

4. hist. c. 4. *8. hist. c. 2.* *1. resp. c. 2.* *Patellarum motus.*

Mugiles carniuoros quidem nō esse damus, at aqua sola vesci cum idiotis piscatoribus non opinamur, sed limo, alga, & arena cum Aristotele, Magnoque Alberto, suadente ratione, cōprobanteque experimento; quippe Genuæ omnium generum mugiles piscantur hamo sub esca solidiori latente; at, quibus aqua sola est alimento, quomodo capiantur hamo, & esca solidiori? Præterea libenter omnes e mari per fluuios se se recipiunt mugiles in stagna, vbi cæno cuncta sunt loca repleta, quod & alicubi fassus est Rondeletius: & sane quibus e limo plerumque ortus est, ijsdem e cæno commodum est alimentum; nec vnquam poterit vel piscator certo monstrare vllam mugilum speciem aqua sola nutriri.

8. Hist. c. 2. *7. De animal. c. 3.*

Sardinas, & aphyas aqua non ali.
Cap. XXXII.

SArdinarum quoque nutrimentum aquam solam esse non satis probatur simplici piscatorum testimonio; quomodo enim hoc certo nosse potuerint piscatores? nos autem quum sardinas aluum multis, ijsdemque crassis, ac sordidis excrementis plenam gerere comperiamus; huiusmodi superfluitates esse solidioris alimenti quam sola sit aqua maris arbitramur.

Idipsum dicimus de Aphyis cum Aristotele, quas vertit Apuas Theodorus, deque Atherinis, quas addit Scaliger vt Apuas ex aqua viuere tanquam ex alimento: namque Apuas monet Aristoteles perspicuis verbis sponte oriri ex limo, & arenosa terra, & ex marina spuma putrescentibus; putrescunt autem hęc admistione pinguium excrementorum, & herbarum: ceterum illud sæpissime decantatum est in Peripato, ac præsertim de his viuentibus, quæ sponte nascuntur, vnde materiam suæ generationis habent, inde victum, & alimoniam sortiri: quum ergo aphyæ non ex aqua sola nascantur, sed ex limo, soloque arenoso, aut maris non simplici spuma, sed quæ putredinem concipere potest, seu potius non e spuma, sed ex putredine facta in superficie maris ob similitudinem spumæ nomine donata; iam satis constet eas aqua sola non ali. Nec piscatorum obseruatio illa tuta est; propter pisciculi exiguitatem nequeas anatome facta reperire quid in visceribus habeāt; immo quū carne cōstēt mollissima ex eo putrore tenuissimas partes sibi hauriunt in alimentū; quod nutrimentum deuoratum si tentes fracto pisciculo conspicere, confusum id cum liquata carne albicante tibi aquam referet, quod tamē aqua non est: sic inter vina, & olea, nonnulla videas quæ sensui aquam referant, quum aqua non sint: immo quid aquę similius spiritu vini, si visum consulas? quid eo ab aqua dissimilius, si gustum? Quod autem piscatoribus imposuit omnia visu, & tactu metientibus, id viris doctis imponere non debuerat, qui vbi sensus fallaces esse possunt, ratione vti debebant: sed si gustu aquam ex aphyis expressam senserint, eam nec salsam, nec amaram, uti marina est aqua, percipient: aphyas enim gustui gratissimas comedimus, & crudas sunt qui comedant dulcedinem referentes. Aphyas græci vocant quasi absque generatione, vel quod sine semine oriantur, vel quod sine semine oriantur, uel quod citissime consistant, uel quod post imbres quasi de aere cadant; a quibus Genuenses eodem nomine lingua nostra dicimus *Nonnè* quod Latio Nōnatas reddi liquido constat. Sed hæc obiter.

6.Hist. c. 15.
Exe. 182. art. 2.
Hist. c. ..

Plantas marinas sola non ali aqua.
Cap. XXXIII.

P*Ræterea vero* (sequenti capite addit Rondeletius) *herbis, arboribus, alijsque maritimis omnibus aqua maris conueniens alimentum sufficiet, piscibus ex se generatis nullum suggeret?* Nos autem illud a viro egregio non recipimus herbis, & arboribus marinis aquā solam in alimētum cedere; quum certo constet stirpes marinas solo defixas esse, radicibusque inde terrenū succum sibi attrahere in alimentum; nec oppositum vsquam nos persuadeat autoritate sua quisquam uel magni vir nominis.

Cap. 13.

Si vinum, sanguis, lac, ceterique liquores nutriant, non ideo aquam alere. Cap. XXXIV.

Q*Vemadmodum* (addit) *sanguis, lac, ceterique liquores partibus solidis animalium formandis, nutriendis, promouendisque materiam præbent, cur aqua piscibus non poterit?* Certe nihilo magis nos mouet hoc argumentum desumptum a similitudine vini, sanguinis, & lactis cum aqua: quando conueniunt hæc omnia in natura liquoris, fluxilia enim sunt pariter; quo nomine aliquando Aristoteles species aquæ liquida omnia esse dicit: ceterum alimenti ratio non consistit in natura fluxili, ac in essentia liquoris; sed in substantia misti perfecti, quod immediate dispositum sit ad formam viuentis subeundam; huiusmodi vero quum sit vinum, sanguis, & lac, non autem aqua; iccirco illis in alimentum viuenti cōcedentibus, hæc alendo corpori esse nequit. Deinde vero in lacte, sanguine, ac vino, etsi fluida sint corpora, partes tamen insunt crassiores, quę solidescere possunt vi caloris, ac mutari in substantiam solidarum partium viuentis: quum tales partes in aqua non reperiantur; quare, si lac, vinum, & sanguis alunt, non ideo alit etiam aqua.

4. Meteo. c. 6.

Anguillas non oriri, nec ali aqua pura, sed ea alijs de causis oblectari Aristoteli. Cap. XXXV.

S*Ed & Aristot.* ait (subnectit vir egregius) *quibus viuaria anguillarum curæ sunt, eos diligenter operam dare, vt quammaxime pura, synceraq; sit aqua affluēs, et effluēs sēper per ripas, vbi viuaria extruūt; nam nisi aqua limpida sit, breui strangulatæ intereunt.* Ego autam de anguillis cō similiter ab Aristotele accepi eas non ex aqua sola procreari, vt rentur viri Clarissimi; sed in fęculentis stagnis, & in lacu perenni ex pluuia terræ admista: Quod autem ait Aristoteles eas imbre & viuere, & ali, hoc ita accipiendum est, quod vt vitam, habuere anguillæ in prima sui constitutione non ex aqua salsā, uel amara, sed ex dulci, cuiusmodi est pluuia; ita illis in alimentum cedere imbrem, hoc est aquam dulcē,

6. hist. c. 16.

ac

ac potabilem, ad aliorum piscium discrimẽ, qui bus origo, & victus tum ex marina, tum ex dulci aqua esse potest: ceterum hic non asserit Aristoteles anguillas viuere, & ali solo imbre, sed limo facto ex terra fęculenta, & aqua dulci eas asserit exoriri, exortasque nutriri.

Quod autem de ijsdem alibi scribit Aristoteles inquiens, Anguillæ paucæ quædam, certisq; locis vescuntur limo, atque edulijs, si quis apponat; sed plurimæ dulci humore viuunt, idq; qui viuarijs anguillarijs dant operam, seruant vt quam maxime pura, sinceraq; sit aqua affluẽs semper, & effluẽs per ripas, ubi uiuaria extruũt; nam nisi aqua sit clara, breui strangulatæ intereunt; branchias enim habent exiguas: hoc inquam recte intelligendum est; non enim statuit his verbis Aristoteles aquam solam cedere in alimentum anguillarum dum ait plurimas ali humore dulci, paucas limo, & proinde illarum viuaria fieri in aqua limpida; sed acute nos docet Aristoteles quot usus præstet aqua vniuerso anguillarũ generi duas in species summas distributo; profecto anguillæ aliæ maiores branchias obtinent, aliæ vero exiguas; priores paucæ sunt, quæ limo vescuntur, quia e cęno familiare sibi alimentum trahentes, residuum aquę crassioris, cuius frigore temperarunt æstum caloris insiti, vna cum fuliginibus transmittunt facile per brãchias patentiores; supra etenim ex Aristotele audiuimus aquatilia branchijs prędita vti aqua ad refrigerium caloris, ut aere vtuntur quæcũque respirant; verum anguillæ plurimæ sortitæ sunt perexiguas adeo branchias, ut crassiori aquæ peruias non habeant; hæ igitur limo crassiori nutriri nequeunt, sed humore dulci, hoc est tenuiori; terræ nanque partes in humore superantes, quæ limum faciunt, humori crassitiẽ vna & turbulentiam, amaritudinemque impertiuntur: quanto igitur humor a terrenis partibus repurgatus fuerit, tanto magis clarus, dulcis, ac tenuis erit; huiusmodi autem dulcis humor non est aqua sola, sed mistum corpus etiam multi generis, vt lac, vinum, & pingue illud, quod cedit in alimentum anguillarum: quum autem anguillæ non solum indigeant alimento ad nutricationem, sed etiam refrigerio ad tẽperandum caloris insiti feruorem; quumq; nutricationi consulant humore dulci, qui mistum corpus est; refrigerationi autem aqua sola, sane quæ angustas habuere branchias ab origine, si aquam crassam, qualis est cænosa, ore traxerint, per branchias illam reddere non poterunt, atque ideo suffocatæ interibunt; quapropter anguillarum viuaria scitissime in aquis claris extruuntur, non quia nutriantur anguillæ aqua pura, sed quia ea refrigerantur: Alioquin si putasset hoc loco Aristoteles anguillas ali aqua syncera, non bene dixisset eas in lutulenta positas interire strangulatas; namque interirent inedia ob defectum pabuli; nec quidquam hue faceret ratio ab Aristotele deducta ex branchiarum exiguitate; no n enim deseruiunt branchiæ alimento, sed aquę ad refrigerium attractæ, atque fuliginum expulsioni, vt antea obseruatum est apud Aristotelem: Quæ omnia mox conspicua satis reddit Aristoteles asserens Anguillas, si exigua in aqua stabulentur, perire, quod idem & ceteris piscibus euenire ait; quippe omnes strangulentur, si semper eadem in aqua exigua versentur, quo modo spirantia animalia intereunt, si claudantur in exiguo aere; cuius ea ratio est, quia exiguus tum aer, tum humor sæpius calori refrigerando admotus ab eo repatiens calefactus est, multasque in se fuligines admisit; quare ineptus euadit ad vlterius refrigerandum calorem viuentis internum, quo non refrigerato necessarium est animal suffocari: Cui nõ pateat ex Aristotele hic aquam anguillis, alijsque piscibus omnibus, non in alimentum cedere, sed in refrigerium interni caloris, vt aer his, quæ respirant? humor itaque ille dulcis, quo plurimæ anguillæ vescuntur Aristoteli, aqua non est, sed succus pinguis a terrenis a sordibus crassioribus defæcatus; potuit autem Aristoteles tanquam a signo demonstrare anguillas plurimas ali humore dulci, paucas admodum limo, quia qui viuarijs anguillarijs dant operam, sedulo curant vt aqua syncera, & limpida sit; quippe succus ille dulcis cum aqua turbida, & cænosa non est, sed semper cum pura; nam terra saporem amarum humori tribuit omni, cuicunque exuperans admiscetur; & speciatim limo inest amaritudo effatu digna; etiamsi vero non sine aqua syncera sit ille dulcis humor; quo plurimæ viuunt anguillæ, atque ideo in aqua limosa eo cibo priuentur; haud tamen fame pereunt, sed strangulatæ suffocantur, quia simul etiam priuantur caloris refrigerio, sine quo minus viuere possunt, quam sine cibo, quod etiam respirantibus accidit; nobis enim tum cibo, tum respiratione, aereve priuatis mors aduenit per suffocationem, non per inediam; quare suffocati morimur, non fame. Sed esto quod e limo trahere possent anguillæ omnes alimẽtum sibi suaue, ac dulce, vt ex terra plantæ; quibus tamen branchiæ sunt exiguæ, non possent illæ aquam residuam reijcere; vnde ab illa retenta suffocato calore strangulatæ interirent necessario, vt monet Aristoteles: non ergo illi aluntur anguillæ aquæ solius haustu. Quod & inde colligas euidenter, quia piscatores anguillas capiunt esca ex lumbricis terrestribus: si enim aqua sola nutriuntur, cur ad lumbricos deuorandos, auidissimo currunt ore? Deinceps autem esto dulcis humor, quo viuere dicuntur anguillæ Aristoteli, aqua pura; hinc tamen haud colligas eum illis aquam puram in alimentum tribuere, sed solummodo in locum, quo commode viuant; dicimus enim pisces mari viuere, significantes illos in salo degere, non ex eo nutriri; sic modo Aristoteles ait paucas anguillas vesci limo, & edulijs, si quis apponat, quæ ne-

ces-

8. Hist. c. 2.

Quot vsus præstet anguillis aqua. Anguillarũ species.

Lib. 2. c. 67. 8. Hist. c. 2.

Cur anguillarũ viuaria in aqua limpida extrui debeant.

Cur in aqua exigua pisces & in exiguo aere spirantia moriantur.

Humor dulcis, quo aluntur anguillæ, quid sit.

Terra saporem amarũ humori tribuit.

Minus viuere possumus sine respiratu, quam sine nutricatu.

Cur anguillæ dicantur viuere aqua pura si ea non aluntur.

cessario in aqua turbida, & fæculenta degunt; plurimas vero dulci humore viuere, synceraque aqua degere, ac proinde non limo, sed alio cibo vesci, cuiusmodi est, quo dulcis, & syncera aquæ sapor, & claritas non immutatur; id generis sunt herbæ virentes in ripis, bestiolæque natantes in aqua pura; quocirca viuere hic Aristoteli non est vesci, & ali, sed habitare, degere, ac vti. Demum vero vita cunctorum viuentium nostratium quum duplici principio constet, calore scilicet, ac humore; quemadmodum humor ad sui conseruationem indiget alimentis, ita calor refrigerio; si ergo alimentis viuere dicimur non nisi quia illorum vsu conseruamus humidum radicale, quod est alterum vitæ principium, cur & ijs viuere non dicemur, quæ refrigerando calorem, alterum, magisque præcipuum vitæ principium conseruant? viuimus ergo & alimentis, & ijs, quæ non alendo corpori, sed sunt refrigerando calori: At vero aliquando contingit vt ex eodem sumant viuentia & alimentum humori, & refrigerium calori, plerumque tamen e diuersis naturis duo hæc sibi hauriunt, quod belle ostendit euenire in anguillis nunc Aristoteles, dum paucas vesci limo statuit, plurimas vero viuere humore dulci, & aqua pura; nam paucæ illæ degentes in aqua turbida, & fæculenta e limo sibi trahunt & alimentum humori, & refrigerium calori; licet e parte solidiore limi, quam retinent, nutrimentum alliciant, e fluxiliori vero, & aquea magis, quam per latiores branchias expellunt, refrigerium sibi hauriant; ac propterea dicuntur hæ non simpliciter viuere, sed speciatim vesci limo: plurimæ vero, quæ branchias obtinent exiguas, per quas egredi non posset aqua cænosa post refrigerium nulli vsui apta, non vesci, sed scite viuere dicuntur humore dulci, & aqua syncera, tenuique; branchias enim piscibus a natura datas esse docet Aristoteles, vt supra notauimus, ad expulsionem cibum sequentis, & refrigerantis aquæ; quod & accipit Rondeletius: Ac sane quæ sibi calorem temperant anguillæ aqua pura, vt aere spirantia, hæ sibi humorem instaurant, non cæno, sed herbis, & pisciculis in aqua limpida vitam agentibus; quod aperte ibi fatetur Aristoteles in fine capitis afferens fluuialibus animantibus omnibus, & præsertim anguillis victum esse tum ex mutua sui generis præda, tum ex herba, & radice, & si quid in cæno comperiant. Nihil ergo fauet opinantibus aquam solam alere Aristoteles admonens anguillas plurimas dulci humore viuere, & in aqua limpida degere.

Viuere tũ alimẽtis, tum refrigerãtibus cur dicantur.

Branchia cur datæ piscibus.

Aquatilia tum branchias habentia, tum fistulam, & speciatim Testacea non ali aqua ex Aristotele. Cap. XXXVI.

SVt insuper (adijcit vir acutus) *omnia testacea, trichides, & alij pisces, quos aqua sola viuere, & constare certo experimento, & sensuum testimonio comprobatissimum est.* Addit etiam Bonamicus *Aristoteli pisces aliquos accipere aquam propter cibum:* ceterum quod ex Aristotele affertur in animalium historijs asseuerante cum aquatilium aliqua, trichidas nimirum, & id generis pleraque accipere aquam propter cibum, tum testa intecta, Græcis ὀστρακόδερμα vocata, quæ non mouentur, ali humore dulci, ac potulento, qui per spissa transmittitur, nostrum animum captiuare nequit in sententiam virorum Clarissimorum; nam de trichidis antea sub sardinarum nomine satis; de alijs clara est Aristotelis sententia ibi admonentis aquatilium aliqua accipere, ac reddere aquam ea caussa, qua spirantia accipiunt, redduntque aerem, non quo alantur, sed quo refrigerentur; & hæc omnia obtinere branchias, per quas aqua effluat; alia vero accipere, ac reddere aquam propter cibum, non quia ipsis aqua cedat in alimentum; sed quia in humore cibum capiendo fieri non potest quin simul ob aquæ tenuitatem, fluidamque naturam, aliquid humoris vna cum cibo ingurgitent, quod admissum, quo emittant, instrumentum habeant necesse est; quare illis natura fistulam dedit, per quam aquam vna cum cibo acceptam, sine cibo redderent, siue sint sanguinea, siue mollia, siue crustacea; vt vniuersum genus aquatilium intus admittat aquã vel ad refrigerium caloris eo modo quo aere vtuntur quæcunque respirant; vel ex necessitate materiæ, quæ ob sui tenuitatem vna cum cibo ingreditur os animantis: non autem vnquam ingestus humor cedit in alimentum; secus enim haustus postea nec fistula, nec branchijs reddi deberet; quippe alimentum in alendo permanere oportet.

Lib. 8. c. 2.

Pisces quomodo accipiant aquam propter cibũ, si ea non alantur.

De testaceis vero immobilibus dicimus Aristoteli ea nutriri non aqua sola, vt proponitur a viris egregijs, sed humore dulci, & potulento, qui per arcta illorum oscula transmittitur marinæ crassitiei non peruia; ex quo humore dulci primum orta fuere; plurima enim sponte nascuntur, hoc est citra seminis interuentum ex putri materia de mente Aristotelis: ceterum hic dulcis humor in mari multus esse ibi fuse probatur Aristoteli, & ratione conuincitur experimento nixa, quo in mari e cetorum, aliorumque animalium maximorum tum viuentium, tum mortuorum corporibus effluit pinguis humor, ac dulcis, qui partim calore comprehensus animetur, & partim mutatus genito animali congeneum sit alimentum: ac profecto pinguis hic humor & mari tenuior est, quo penetrat cæca foramina testaceorum imperuia mari,

3. De gen. an. c. 11.

In mari multus humor dulcis.

Mar's substantia crassior est aqua dulci. mari, cuius materia crassior est ob multam terræ admistionem, & dulcis, ac potui, gustuique suauis; haud tamen aqua est, sed mistum persectum, vt succus ille, quem plantæ de terra sugunt stercoribus permista, perinde namque hic in terra nos latens trahitur a plantis, atque ille in aqua nobis occultus trahi dicitur a crustateis: neque enim humor ille dulcis, ac potulentus aqua est, tum quia vere aqua dulcis non est, sed potius insipida; tum quia non omnis humor dulcis, ac potulentus aqua est; vinum siquidem, lac, sanguis, iulapium, & alia multa sunt extra naturam aquæ in genere dulcis, ac potulenti humoris: Quare dum ponit Aristoteles crustacea nutriri tenui, ac dulci, potulentoque humore, qui est in mari, necessario non cogimur eum de aqua loquentem interpretari. Nec obitat eius rationem de vase cereo e mari dulcem illum humorem segregante ostendere mari dulcem inesse aquam; quippe in eo vase dulcis aqua sola congregabitur, non alius humor pinguis, qui ob crassitudinem tenuiores ceræ poros ingredi nequit, licet aqua salsa sit longe tenuior, quasi medius inter salsam, & dulcem, namque ad probandum illud vniuersale dogma, in mari dulcem humorem reperiri, sat erat Aristoteli de aqua id ostendisse; si enim non repugnat salsedini, & amaritudini maris admistam habere dulcem, potabilemque aquam, quę facile a salo separari queat; neque repugnabit potiori ratione in pelago genus aliud potulenti, ac dulcis humoris contineri ab aquæ natura varij, quod facilius attrahant animalia testacea in sui nutrimentum. Obseruo tamen huic humori pingui, vt crassior inest substantia, quæ cum dulci aqua ingredi non potest arctiora cerei vasis ostiola; ita tenuiorem marina corpulentiam fortiri, quum citra maris admistionem ingrediatur oscula testaceorum; namque mare multis partibus terræ scatet, vnde salsedinem, amaritudinem, & crassitiem contrahit; quibus caret hic tenuis, ac dulcis humor; Qui quum testaceorum ora ingrediatur vna cum aqua dulci tenuiori, quemadmodum ipse admissus remanet ceu alimentum in substantiam viuentis conuertendum; ita tenuior eo aqua ex necessitate materiæ, vel etiam vt vehiculum crassioris alimenti admissa, suo munere functa, quippe alendo inepta, denuo per fistulam, quamuis sensus latentem; siue per fistulæ proportionale instrumentum egreditur in mare denuo: vt vere paullo antea distinxerit Aristoteles vniuersum genus aquatilium in ea, quæ attrahunt aquam ad refrigerium caloris interni, attractamque reddunt per branchias; & ea, quæ illam attrahunt ex necessitate materiæ cum cibo, addimus etiā velut cibi uehiculum, attractamque reijciunt per fistulam: cuius postremi generis putamus nos duo esse discrimina; quia quæ attrahunt aquam ex necessitate materiæ cum cibo, illa ore patulo simul aquam dulcem, & salsam ingerunt, vt quæ ad refrigerium aquam haurire dicuntur, ingestamque reijciunt per fistulam patentiorem sensui; at quæ attrahunt aquam in alimenti vehiculum, tenuem solum, & propterea dulcem aquam angusto, cæcoque bibunt ore, bibitamque reddunt per occultam pariter, insensilemque fistulam.

Vas e mari dulcem humorem segregās.

Aquatilium diuisio.

Rondeletij ratio de nutricatu ex aere, & aqua penditur ad Aristotelis trutinam.
Cap. XXXVII.

SEd vlterius addit Rondeletius, *Aer subtilior est aqua; ille nutrit homines, cur non aqua pisces? ex aere ali homines obseruatum est pluries in ijs, qui longiori abstinentia celebrantur.* Hoc autem argumentum, quod alij sic explicant, Aer subtilior, tenuioreque natura est quam aqua; quum itaque sola inspiratione aeris aliquamdiu viuant animalia, refectis, nutritisque aere solo solidis, firmisque corporibus; proinde aquam aere corpulentiorem multo magis alere, partesque animalium solidas reficere posse; soluitur concedendo aeri tenuiorem substantiam ea, qua prædita est aqua; & negando vlla viuentia sola inspiratione aeris ita vixisse, vt ijs aer solus cederet in alimentum: ad probationes deductas ab abstinentibus nostris, qui respirationem haud intermisere, dicimus non inde fieri, vt qui sine cibo, potuque respirantes viuant, inspirato alantur aere, quod abunde superius explicatum est apud Argenterium. Deinde vero illud obseruare liceat huic argumento, quo vir insignis probare nititur aquam alere, quia aer tenuioris naturæ nutriat; oppositam e diametro rationem formari ab Aristotele demonstrante alicubi aerem ideo non alere, quia corpulentior aere aqua consistentiam alimento necessariam sola non habet; solus aer alit (inquit Rondeletius) ergo magis aqua, quæ aere crassior: Non alit aqua sola (scribit Aristoteles) ergo minus aer, qui minus corpulentus est aqua: cui horum assentiamur? tu ipse iudica.

Lib. 2. c. 6. & seq.

De sen. & sen. c. 5.

Quomodo mutatio fit simplicis in mistum, ac vicissim, & omnino inter opposita; vnde tollitur Olimpiodori ratio probans aquam alere.
Cap. XXXVIII.

IN eandem sententiam proponit Olimpiodorus aquam posse alere, quia simplex in mistum verti potest, ergo & alere; siquidem nutricatio nihil est aliud, quam nutrimenti conuersio in substantiam viuentis, quæ mista est; simplex autem in mistum verti posse ideo probare conatur, tum quia transmutatio est inter opposita; simplex vero, & mistum opposita sunt; tum quia mistum in simplex verti potest; ergo & simplex in mistum ab opposito agente; nam circularis est rerum generatio Aristoteli: hoc sane argumentum, vel viro Clarissimo, eu-

4. Meteo. c. de concoct.

2. de gen. t. 59. 58. 69 & 70.

ius

ius placito suffragari videtur, fallax esse dicitur: oppositio namque non est inter vnum simplex & mistum, neque inter vnum componens incompositum & compositum, sed inter simplicia & mistum, & inter incomposita & compositum; quocirca fit mistum ex simplicibus, non ex vnico simplici, & viceuersa fiunt simplicia ex misto, non simplex vnicum: Similiter fieri ait vir doctus compositum ex incompositis, nō ex incomposito vno: & vicissim verti dicit compositum in plura incomposita, non in vnicum; quare negat Olimpiodoro simplex opponi misto simpliciter: putatque fallaciam esse a simpliciter ad secundum quid: ceterum logica solutio hac in re non tollit omnem scrupulum, nam re vera unicum simplex toti misto est oppositum, & vnicum incompositum toti composito; oppositum inquam eo genere oppositionis, qua verti alterum potest in alterius substantiam, nihilominus atque opponantur misto simplicia cuncta, & composito incomposita omnia: quippe inter hęc duplex oppositio reperiri valet, accidentalis nimirum, & substantialis: si oppositionem accidentalem sumpseris, ea quidem erit inter mistum & simplicia, non inter mistum & simplex; quoniam mistum est vnum, simplicia vero plura, simplex vero vnum est, vti & mistum: ceterum huiusmodi oppositio non est ea, quæ necessitatem habeat in generatione, ac omnino in mutatione substantiæ, qua de agimus: alioquin vnum simplex in aliud simplex verti non posset, nec vnum mistum in aliud mistum; Quare oppositio necessaria transmutationi essentiali substantialis & ipsa esse debet, quēadmodum aperte nos docuit Aristoteles; substantialis autem oppositio est non nisi inter formas, nam materia vna est in omnibus transmutabilibus, ac potissimum in ijs, quorum est trāsmutatio ad inuicem; quod hausimus ab Aristotele; quæcunque igitur inter se transmutari dicuntur, ea formis oppositis id acceptum referunt: verum forma duplex est in quouis corpore physico, vt fuse alibi ex Aristotele demonstrauimus; nimirum essentia tota ab accidentibus abstracta, quam formam totius appellare consueuerunt, & essentiæ pars potior, quæ forma partis nuncupatur; ac proculdubio quum generatio definiatur fieri ab Aristotele quando totum transmutetur, oppositionem requirit in essentia, seu in forma totius, & consequenter in forma partis; nam vbi opponitur tota essentia vnius toti essentiæ alterius, itidem opponi opus est vtriusque essentiæ partes potiores: bene verum est huiusmodi oppositionem esse variæ naturæ; nam essentia essentiæ opponitur vt quod gignitur ei quod corrumpitur; dum enim mutatur ignis in aerem, vere corrumpitur ignis essentia, & vere gignitur essentia aeris: at formæ partis non ita opponuntur; quippe Aristoteli passim forma hæc proprie non fit, neque corrumpitur; sed opponuntur istæ formæ vt priuatio & habitus, quod fuse docemur ab Aristotele in vestibulo Physiologiæ: sed paucis, oppositio hæc vtriusque generis formarum haud ponit in esse contrarietatem, at solum incompossibilitatem, vt ita dixerim, cum subordinatione: modo talis oppositio æque spectatur inter mistum & simplex, atque inter mistum & simplicia; æque enim opponuntur formæ simplicis & misti, ac formæ simplicium omnium disiunctorum & misti, quoad substantialem oppositionem; licet quoad accidentalem non eadem sit ratio; nam forma misti, & simplicis vna est, in quo conueniunt inter se, dissident autem a simplicibus disiunctis, quorum omnium formæ sunt multæ; at hoc non spectat ad transmutationem essentiæ: Si ergo forma misti composita est ex pluribus in vnum coeuntibus per mistionem, forma simplicis, & simplicium disiunctorum compositionem non habet vllam: si forma misti, & simplicium subordinatur, hoc ipsum dicemus de forma misti, & simplicis vnius: si illæ sunt incompatibiles in eodem subiecto, & hæ; at omnino nullam videas oppositionem substantiæ inter formam misti, ac simplicium, quam etiam inter formam misti ac simplicis non obserues: si ergo merito huius oppositionis mistum in simplicia mutari potest, atque simplicia vicissim verti queunt in mistum, cur negemus Olimpiodoro vicissitudinem hāc mutationis inter mistum ac simplex? Sed quid opus est rationibus, vbi experimentum intercedit? certe notante vel Aristotele agens calor in terram solam, eamque simplicem, ex ea gignet exhalationem fumidam, quæ mistum corpus est ex terra & igne, imperfectum quidem, quia duobus tantum constituitur elementis, non omnibus, mistum tamen; agens idem calor in aquam puram, eamque simplicem, ipsam mutabit in vaporem, cuius natura mista est ex aqua & aere; vt latius ostendimus antea: potest ergo vnum simplex in mistum immediate mutari.

Appositio inter simplex. & mistū duplex.

Oppositio generationi necessaria nō est accidentalis.

1. Phy. t. 50. & 56.

1. Phy. t. 10. 92.

1. De gen. t. 1.

Formam corpore physico duplex.

3. De anima t. 2.

Essentia essentiæ quō sit apposita.

5. Phy. t. 3. & 6.

7. Meta. t. 7.

7. Meta. t. 3. & 8.

12. Meta. t. 12.

Forma nō fit, nec corrūpitur.

1. Phy. 50. & seq.

2. Phy. t. 15.

Appositio inter formas quæ.

1. Meteo c. 5.

Simplex in mistū vt vertatur.

Lib. 2. c. 29.

Quinimmo neque illud absolute verum est, neque ad aures Aristotelis ex simplicibus necessario fieri mistum; nam ex pluribus simplicibus actione vnica eiusdem agentis vnicum simplex oriri testatur Aristoteles, confirmante experiētia, dum scribit ex duobus elementis summe contrarijs tertium generari posse in hanc sententiam, quando aquæ corruptum fuerit frigidum, ignis autem siccum, aer erit: relinquitur enim huius quidem calidum, illius autem humidum, quæ est aeris natura; sic ignis idem eadem functione in aerem, & terram agens cur illi dempta humiditate, huic frigiditate, vtrumque in ignem simplicem non vertat? Quin & mistum fere quodlibet combustibile in ignem verti quotidiano experimento comprobatur, ignis enim

Ex pluribus simplicib. quomodo vnū simplex fiat.

2. De gen. t. 27

Non alia longe ratione atque arida ligna
Explicat in flammas, & in ignes omnia versat.

Immo

Immo vero etiam mistum ardens totum in ignem verti solum, vt nihil remaneat vel humidi, vel terrei, experiaris facile in aqua vitæ nuncupata, cui phlegmatis vocati nihil adsit: ea enim mistum est, a prædominio igneum quidem, mistum tamen, cum euidenti aquæ præsentia, flammis admotis id corpus in purum ignem euolat, nullis recrementis. Qui ergo statuit omne mistum in plura simplicia necessario dissolui,

Auius a vera longe ratione recedit.

Non ergo negandum est Olimpiodoro simplex & mistum adeo inuicem opponi, vt inter se transmutari valeant speciatimque simplex in mistum verti possit: secus igitur diruenda ratio, quæ sic vrgere videtur. Concedentes mistum verti posse in simplex, & simplex in mistum, negamus proinde fieri, vt simplex alere valeat, siue in alimentum mutari, ad confirmationem concedentes nutricationem esse nutrimenti conuersionem in viuentis substantiam, quę mista est, primo dicimus viuentia, quę aluntur, vere quidem esse corpora mista, sed nō alia secundum quod mista sunt, verum quatenus viuentia sunt; secus enim omne mistum nutriri deberet; quare ad hoc vt quid piam alere possit, haud satis est illi, si verti valeat in mistum, sed verti debet in mistum viuens, qua viuens est; nam aluntur partes animatæ, caro, neruus, tendo, & aliæ, in quarum naturam quodcunque alit conuerti necesse est: profecto aqua, & simplex elementum verti non potest in carnē, & partem viuentem vllam; ideo nec vere nutrire. Non posse vero simplex in mistum viuens mutari nascitur ex ordine naturæ, quę non trāsit de vno in alterum extremorum sine medio, sed vbique sensim ab imperfectis ad perfectiora, & inde gradatim ad perfectissima: quum ergo inter subcælestia corpora imperfectissima omnium simplicia sunt elementa, perfectissima vero mista viuentia, inter hæc mediæ sint fortis mista inanima; sane simplex vt verti potest in mistum inanime, sic mutari nequit in substantiam misti viuentis: Quæ res inde pateat etiam, quia versio in naturam uiuentem non est nisi eius, quod in se habeat vltimas dispositiones ad animam; quum autem simplex elementum careat eo apparatu, qui necessarius est in materia, quæ animam proxime induere debeat; quod fuse ostensum est in superioribus; propterea simplex verti nequit in viuentis naturam. Deinde vero dicimus plura esse mistorum genera; nam alia in se continent quatuor elementa, alia tria, & alia duo tantum: porro viuentia cuncta sunt mista primi generis, non secundi, nec tertij; si quid ergo verti debet in viuentem naturam, induenda illi est essentia misti quatuor elementa continentis: ceterum simplex in mistum vertitur dupliei tantum, vel ad summum triplici elemento constitutum; & speciatum aqua vi caloris (quo mutatio alimenti fieri debet) in vapores semper abit, quorum natura media est inter aquam, & aerem nullius alterius elementi particeps. Non itaque vertitur simplex in mistum viuens.

Solutio uera rationis Olimpiodori.

2. de an. t. 36.

Cur simplex in mistum viuens mutari nequit.

Ordo naturæ.

Corpora imperfectissima quæ sint. & perfectissima.

Cuius sit mutatio in naturā viuentis.

Li. 2. c. 10. 25. 61. 308. & 313.

Mistorum plura genera.

Deinceps iam demus verti simplex in mistum ex quatuor elementis, haud tamen propterea in albo nutrimentorum collocabitur; nam mista ex quatuor elementis quamplurium sunt specierum; quarum nec singula verti potest in substantiam animati. Esto itaque simplex aptum in misti naturam commutari, constanter negandum est simplex ideo nutrire posse; quia mistum, in quod simplex conuertitur, nec est viuentis substantia, in quam mutari opus est, cui vis inest alendi; nec in talem substantiam conuerti potest; quando mutatio hæc ab alio agente non fit quam a calore; calor autem in aquam agens ex ea vapores creat, quos vlteriori actione in aerem vertit, ac demum in ignem simplicem, nunquam vero in mistum animatum.

Aqua si non alit, quo modo Aristoteli vere dicatur alimento esse, ac proinde illius mutatio morbosa. Cap. XXXIX.

Oppositio quoque adducitur ex Aristotele alicubi perspicuis verbis asserente *aquā corporibus alimento esse, aerē autem nullo se exhibere alimento; ac proinde aquarum mutationem valetudini grauem dici, aeris vero minime*, quæ obiectio si docta Guastauinij commentaria consulas, facile dilues asserendo Quæ præsenti problemate proponuntur, ea vulgi opinionem magis spectare, non veritatem, argumento ducto ex phrasi sermonis; effectuique ex vulgi opinione proposito, rationem ex vulgi opinione petitam pariter adhiberi, dum scribitur aqua corporibus alimento esse, nimirum existimante vulgo, eui alimentum a vehiculo non distinguitur, quicquid eiui nobis est, potuique, siue aquam, siue aliud quid ingeramus aluo, id omne in alimētum verti: Et reuera problematica doctrina exoterica est, vt plerunque pro veris admittat sententias, & rationes vulgatas, atque famosas; quod euique notissimum reddi potest volumina illa reuoluenti. Sed esse vera hæc placita concedentes addimus nos Aristotelem eo loci non tribuisse simpliciter aquæ vim alendi, at eam dixisse ad aeris differentiam, qui se nullo exhibet alimento, corporibus alimento esse: modo ea ratione aer nullo alimento se corporibus exhibere dicitur Aristoteli, quia inspiratus aer nō permanet in corpore illi ad alimoniam deseruiens vllo pacto, sed statim expiratione redditur; aqua vero epota non illico redditur, sed in corpore manet multiplici ratione inseruiens eius nutricationi, & alimento; nempe tum quia in ventriculo per aquam primum vniuntur solidiores cibi comesti in vnam massam, huiusmodi vnione

1. sect. probl. 13.

Aqua ut sit alimento corporibus, neque nutricationi seruiat.

Niuem non esse aquam, & quomodo ex ea vermes oriantur, & nutriantur, leporesque Plinio. Cap. XL.

9. hist. ca. 19.

OBijcitur, & aliud placitum Aristotelis nimirum uermes quosdam in niue, ac ex niue primum nasci, tum natos ali: quando vbique in omnibus eadem est materia generationis, & alimenti; niuem autem nihil esse aliud quam aquam affectam, hoc est concretam a frigore; aquam igitur alere; Aristoteleo adiungitur Plinianum testimonium, nempe lepores

lib. 8. cap. 65.

Plinius memorat esse in alpibus candidos, quibus hybernis mensibus pro cibatu niuem credant esse, ac certe liquescente ea rutilescere annis omnibus; & esse alioqui animal intolerandi frigoris alumnum: quod argumentum solui potest eo quia primum non damus niuem esse aquam affectam, seu a frigore congelatam, qui nouimus ex Aristotele aquam cōgelatam apud nos in terra glaciem esse, supra nos in aere grandinem: ac niuem esse proprie non aquam, sed nubem congelatam: nubis autem natura simplex non est, vt aqua, sed mistum quoquopacto ex aere & aqua, quod plerunque fumidæ quoque nonnihil habet exhalationis: sed & nix mistum quid est fortassis ex aere, & nube congelata; simplicior igitur est aqua niue; quocirca ex eo quod nix alat, haud colligas aquam & alere. Deinde vero vermes non ex niue simpliciter oriri ait Aristoteles, sed ex niue putrescente, seu ob vetustatem putrescat, seu etiam in tempore tepido. Porro vetustate non alio nomine putredinem contrahit niuis substantia, nisi quia exhalationes fumidæ halantes de terra sub niue licet ab initio per plures dies a niue contrarijs qualitatibus pollente extinguantur: nonnihil tamen ab ijs repatiente niue tandem fit vt eas non ita extinguat cum viribus fracta, tum valde cumulatas ad imum niuis prohibentis earum effluxum, & ita longiori tempore multæ, varijque generis exhalationes de terra sensim partes niuis infernas inficiunt, & alterant, ab ijsque vicissim affectæ adeo, & alteratæ, vt ex vtrorumque coagmentatione mistum corpus fiat putredini aptum; quod a calore terræ incluso putrorem concipiens materia euadit tum exortui vermium, tum genitorum apta nutricatui: eius enim misti, ex quo geniti fuere vermes, aliquam portionem post illorum ortum in niue relictam fuisse probabile est, quæ pabulo illis esse valeat. Scite autem admonet Aristoteles huiusmodi vermes hirtos esse pilis, & rubidos; quia in eorum constitutione multum insumptum est exhalationis fumidæ a terra surgentis; quæ quidem exhalatio vt est particeps naturæ igneæ, ac terreæ; ita cum niue mistum efficit rubens; nam ex albo niuis, flauo ignis, & nigro terræ facile rubeus color emergit; quo & ante vermium originem nix infecta

1. Meteo. ca. 11. & 12.

Nix non est aqua frigore cōgelata.

Vide inf. c. 45. 46.

Nix vetustate vt putrescat.

Vermium vetusta ex niue orientium cur corpus hirtum pilo rubeo.

fuisse dicitur Aristoteli, qui monet niuem & ipsam vetustate rubescere: Qua ratione vero eadem exhalatio terrea naturam fuliginis obtinet, eadem pilorum est procreatrix, quorum nonnisi ex fuligine origo est. At vero etiam præter vetustatem nix recens tempore tepido putredinem concipere potest ad vermes tum procreandos; tum quoque nutriendos (quod enim Theodorus vertit in niue Mediæ terræ; Mercurialis autem in Media, quæ Seruan hodie nominatur Armeniæ finitima, vertendum reor cum Bonamico ex niue in tempore tepido) nam niui tempus tepidum non inest nisi a vento australi: atqui niuibus teporem affert flatus austri, affert etiam vberem de terra puluerulentam congeriem, ac de mari, & aere crassiusculas exhalationes; quibus niui impactis mistum conficitur, quod consimiliter putrescens oriundis vermibus materiam, & ortis decens alimentum suggerit: Cæterum non minus docte notat Aristoteles ita exortos vermes ad priorum discrimen grandiores esse, candidosque; scilicet quia ventus extrinsecus multo plus materiæ niuibus impingere valet, quam sint exhalationes e terra niuibus obsessa sponte scaturientes; & quia calor generans ab austro supra niues vegetior maiorem materiæ molem animare, conformareque potest, quam exilis halans a terra calor, & in niuem scandens; ille quidem validior est, quia iugiter souetur ab austro, nec a frigore deorsum magis inhiante ita impetitur: hic autem oppositis nominibus debilior, quia tenui exhalatione fouetur, & continenter male afficitur cum a naturali terræ frigore, tum a niuis algore deorsum tendente. Fiunt autem ex vetusta niue rubentes, & hirti vermes in niuis partibus imis; ex recenti vero candidi, & maiores in superficie niuis: torpere autem omnes tum rubros, tum candidos ait Aristoteles, & difficulter moueri non ab re; quibus enim ex niue a prædominio est constitutio, calor vegetus inesse non potest, qui caussa est agilitatis, & facilitatis ad motum in quocunque animali.

Nix rubra vetustate cur fiat.

Nix quomodo tepore putrescat.

3. var. lect. c. 14. 2. de alim. ca. 12.

Vermes grandiores, & candidi ex niue recenti cur fiant.

Frigus deorsum magis inhiat.

Agilitatis in motu animalium caussa.

Ita ergo vermes non ex pura niue, quæ sit aqua congelata, sed ex niue ob admistionem aliorum corporum in mistum putridum mutata exoriuntur, & nutriuntur; qua de re fusius in opere *de spontina viuentium generatione*. Nihilo secius Pliniano placito respondere licet, inprimis enim Plinius non ex mente propria, nec tanquam verum assertum profert lepores Alpinos hieme niuibus cibari, sed tanquam vnum e multis vulgi erroribus, cui nec ipse audet fidem exhibere. Deinde nec firmis coniecturis vtuntur ad hoc credendum ij, ex quorum sententia id Plinius protulit; nam quod liquescente niue rutilescant lepores, id habere potest duplicem caussam, altera est quod pili animalium oleaginoso vapore niuis liquescentis inunguntur, quo de genere rutilandi meminit idem autor inferius lib. 28. cap. 1: altera est, quod nix non

nisi ab aeris tepore liquescat, a quo simul & quo quopacto vigoratus calor internus animalium melius nutricatui studeat, & pinguedinem copiosam gignens saginet lepores alio quam ex niuibus alimento. Demum quod animal hoc sit intolerandi rigoris alumnum, id non necessario arguit ipsi niues in alimentum cedere, sed potius pororum cutis occlusionem, & caloris interni (siue ob humoris subiecti visciditatem, siue alia ex caussa) resistentiam inimico frigori.

Aquam vino additam quomodo Aristoteles dicat in vinum mutari, & vinum in aquam, qua in mistum perfecti generis, atque adeo in alimentum conuerti nequit.

Cap. XLI.

INstantia postea proponitur ex Aristotele, aquam, si uino addatur, in uinum conuerti, quod est alimentum; ac proinde potu haustam, sanguinique in corpore præexistenti adiunctam in sanguinem commutari, atque ideo nos alere posse; Acutum satis est hoc argumentum: cui enodando studens acutissimus Bonamicus ait aquam in uinum mutari secundum apparentiam, sensu non discernente amplius aquam in uino; sed uere non mutatur, experimento facile discernente aquam a uino, discernuntur enim mista, confusa, & apposita; at mutati nulla est discretio ab eo, in quod mutatum fuerit: quis enim mihi segregabit hominem, aut canem ex cadauere? lignum ex igne? at ex uino facile aquam separes, per filtrationem appellatam, linteo scilicet ex una parte in uini & aquæ misturam iniecto, ex altera extra urceum prominente; aqua enim relicto uino tota per linteum extra urceum labetur; non ergo in uinum uersa, & mutata est aqua, sed uino apposita, permista, seu etiam confusa.

1. de gen. te. 34. & t. 88.

7. de mo. eu ca. 24.

3. de ali. c. 3.

Postea uero loco citato non scribit Aristoteles aquam uino additam in uinum uerti, ut affertur; quod exactius eius loci dogmata intuenti patere poterit; nam quærens primo loco Aristoteles quodnam sit illud quod augetur, utrum cui apponitur aliquid, aut quod apponitur; exemplum affert, sit crus quod augetur, hoc autem fit maius; quod autem augetcibus; quare igitur non ambo aucta sunt? & ratio dubitationis est, quia fit maius tum id, quod apponitur, tum etiam illud, cui apponitur: altera vero ratio dubitationis est, quia sicut uinum, cui aqua in minori copia miscetur, maius fit; parique ratione & aqua, cui similiter uinum miscetur, quum maior euadat; cur etiam in augumento aliquando maius fieri, ac augeri non potest id, quod apponitur, nempe cibus, sicuti augetur id, cui apponitur, nimirum crus? An dicendum est crus ipsum esse

Explicatio t. 34. primi de gen.

1. de gen. t. 34.

quod augetur, non cibum, quoniam cruris substantia manet post auctionem, cibi autem non manet: nam corrumpitur cibus in augumento acquirens formam, & naturam partis, cui apponitur, abiecta pristina; quod autem augetur, idem numero manere ante, & post augumentum, supra demonstratum est Aristoteli: sic (subdit) etiam in exemplo uini, & aquæ dicendum est; illud augeri, quod in mistione dominatur; illud autem in mistione dominari, cuius post mistionem uiget operatio, & facultas in uniuersa mistura: quo in loco notandum est ab Aristotele aliam rationem assignari in eo quod augetur sub exemplo cruris & cibi, & in exemplo aquæ ac vini; non enim dixit in aqua & vino illud augeri, quod manet post augumentum, sicut in crure; nam quando cibus apponitur cruri, & illud auget, necessario transmutatur in substantiam cruris, ideoque corrumpitur; vnde solum crus manet, non cibus; quando autem vinum augetur ex admistione aquæ, non dicitur in hoc exemplo illud augeri, quod manet, quia vtrumque manet; non enim aqua vino admista corrumpitur, ac transit in vini substantiam, quia corpus simplex non potest immediate in mistum perfectum commutari: sed inquit Aristoteles in mistione vini & aquæ illud augeri, quod dominatur; non potest autem vnum quid ei dominari, quod non est: quando itaque vinum augetur ex admistione aquæ, aqua ipsa non corrumpitur, ac transit in naturam vini, sed manet sub ratione aquæ in mistura; secus enim si aqua transmutaretur in vinum, plane acquireret formam vini, & consequentia formam, quæ sunt vini sapor, color, & vires; quocirca vinum ex admistione aquæ non fieret dilutum, & aquosum: sed ideo fit aquosum, atque dilutum, quia in mistura permanet aqua sub idea aquæ; hac tamen ratione, quoniam aqua, quæ vino admiscetur, si vino sit paucior, ac infirmior, ab eo adeo alteratur, vt pristinas vires, vini viribus oppositas, integras non habeat amplius; nec ijs polleat ad agendum; quare vniuersa mistura edit operationes vini: E contra vero quando aquæ sic admiscetur vinum, vt hoc sit ea parcius, ac infirmius, tunc aqua vinum alterat, eiusque vires adeo infringit, castigatque uiribus oppositis, ut uniuersa mistura non efficiat nisi aquæ operationes: Ex his ergo ad aures Aristotelis conijcere liceat oppositum propositi, nimirum aquam uino additam de mente Aristotelis in uinum haud conuerti; nam ipse idem ait aquam cum uino adeo misceri, ut uniuersa mistura semper efficiat opus eius, quod alteri dominatur: quum autem dominari nequeat uinum nisi aquæ præsenti, & mistio Aristoteli definiatur esse miscibilium, non corruptorum, sed alteratorum unio: concludere liceat in Peripato aquam uino etiam pluri adie-

Text. 33.

Aqua in vinum haud vertit.

1. de gen. t. 90.

adiectam non corrumpi in uinum, ſed uino admiſceri, refractis uiribus quidem, ſed incolumi ſubſtantia: Quid ſi dixero etiam non mutata ſubſtantia? hoc enim perſpicue innuit Ariſtoteles dum vini & aquæ miſturam appellauit, non miſtionem; his enim monuit ex aqua & vino haud proprie conſtitui vere vnum per ſe, quod miſtum ſit; ſed fieri vnum per aggregationem liquidorum, ſicut aceruus vnum quid eſſe dicitur per accumulationem ſiccorum: differt autem liquidorum aggregatio in miſtura tum a cumulo ſiccorum in aceruo, tum a miſtione miſcibilium in miſto; a cumulo quidem, quia vt ſubtiliter obſeruat Scaliger in liquidis nihil intercedit, in ſiccis aer intercedit; qua vel in re ſubtilitatem Scaligeri deſideramus propoſiti cauſſam afferentem; vt ipſe culpam hic non effugiat, qua ſæpius alios notauit; decuit enim ſubtilem philoſophum diſcriminis rationem aperire, ſilentio intactam relinquere non decuit; eam vero nos eſſe putamus, quia ſicca proprios terminos diſtinctos habent, quibus coercentur apud Ariſtotelem, inter quos, ne detur vacuum, repit aer, aut aqua eiuſdem Ariſtotelis decreto, prout ſiccorum contactus eſt in aere, aut in aqua: ſed liquida eidem Ariſtoteli proprijs terminis diſtingui neſcia illos adeo confundunt, vt nihil interſit ſpacij, quo repat aer, aut vacuum metuas: Differt autem aggregatio hæc in miſtura ab vnione miſcibilium in miſto, quod in miſtura non fit vnio ſecundum minima; nec refractio ſubſtantiæ, ſeu formæ, ſed accidentium; nec mutatio in tertium, quod ſit vnum per ſe vnica forma ſpecifica, vnicaque materia conſtitutum, ſed ſuppoſito multiplici, confuſis adeo partibus inuicem, vt facile ſeparari valeant, cuiuſmodi eſt miſtura e ſaliua & mercurio, ex oleo & aqua ſubactis, ex aqua & vino: ſed in vera miſtione ſecus omnia contingunt; quippe fit vnio ſecundum minima, refractio ſubſtantiæ, & vnum per ſe miſtum.

Miſtura quid am[?] à miſtione differat, & a cumulo.

Exer. 101. ar. 3.

Cur inter liquida nihil, inter ſicca inter cedat aer. 2. de gen. t. 9.

Quod autem alibi docet Ariſtoteles inquiēs multa paucis, & magna paruis compoſita non facere miſtionem, ſed augumētationem dominantis, mutato altero in dominans, & ideo guttam vini in decem millibus congijs aquæ non miſceri, ſed ſoluta forma, mutari in vniuerſam: multis modis ſoluitur; in primis enim hic non ait Ariſtoteles aquam in uinum uerti, ſed uinum uiciſſim in aquam mutari: deinde notant uiri Clariſſimi, & ipſe Bonamicus Ariſtotelem hic loqui de uerſione ſecundum apparentiam, & quoad ſenſum, ſiue ad mentem uulgi, quum nobis inſtituta ſit contemplatio de uera mutatione; Deinceps autem non ait Ariſtoteles uini guttam mutari immediate in aquam, ſed prius ſolui eius formam, & mutari in uniuerſam aquam: at uero ſolutio formæ uini, quæ nihil eſt aliud quam temperamentum ex quatuor elementorum qualitatibus in unam formam coeuntibus coagmentatum, non alia ratione fit quam disiunctis elementis abinuicem, quæ eſt miſti corruptio: elementa uero in miſti corruptio nedum ſeparantur abinuicem, ſingula ad ſui ſphæram tendunt, uotique compotia fiunt, niſi ab aliquo impediantur: ſic ergo in corruptione uini aer cum igne ſurſum ex aqua euolant, terra deorſum deſcendit, aqua unitur præexiſtenti, &, quamuis ſenſu non animaduertente, illius acceſſu augetur dominans; ſin autem terrea uini portio diutius in aqua moretur, in aquæ naturam uertitur, itidem igneæ, aereæque accidet; quare non uinum ut miſtum in aquam uertitur, ſed elementa ex uino corrupto ſeparata ſeorſum in aquæ dominantis naturam vertuntur ſigillatim: Amplius autem demus diſputationi eadem proportione dictum ab Ariſtotele aquæ guttam in decem millibus vini congijs non miſceri, ſed mutari in dominans (quod nec dictum eſt, nec dici potuit ob rationes allatas antea) non ideo fiet vt aqua ſola viuentibus cedere poſſit in alimentum; nam ratio deſtruens miſtionem, & afferens conuerſionem eſt multiplicata proportio, quæ eſt vnius guttæ ad decem millia congiorum; ſane ſi aqua in viuentis ſubſtantiam hoc pacto verti debeat, iam milleſima guttæ pars ſanguinem præexiſtentem in corpore augebit; gutta vero integra, multoque magis aquæ ciatus toti ſanguini admiſcebitur, non in illum conuertetur; nam quem obtinet abſtinens vix congium ſanguinis: at quis dicet aquæ guttulam ſatis eſſe alimento abſtinentibus? quid ciatos bibant ieiunantes? non ergo ex Ariſtotele ciatus aquæ in congium vini mutatur, multo minus in ſanguinem, & in alimentum noſtrorum abſtinentium; ſed ſi cum ſanguine confundatur, illum ichoroſum nimis aqua reddiderit, nutricationi, & vitæ operibus alijs prorſus ineptum, longo vſu; ſic in dolium vini quotidie proiecto aquæ poculo paucis hebdomadis vinum mire labefactatum, eneruatumque bibes, vinoſamque potius aquam, vinumue aquoſum, quam uinum.

2. de gen. t. 78.

Ariſtotelis difficillimi loci explicatio.

Neque hac in re ingenioſum commentum viri ſapientiſſimi recipio, nimirum pauciorem aquam multo uino additam in vinum mutari, quia vniatur aqua præexiſtentibus aquæ partibus in uino, quod miſtum eſt ex quatuor elementis, cuius forma poſtea moderetur, ac regat aquam ſibi denuo additam, ut præexiſtentem in miſto; nam aqua unitur partibus in uino actu exiſtentibus, & magnitudinem habentibus, ac ſenſibilibus, quum & aquæ gutta eaſdem habeat conditiones; at quælibet pars uini quantulacunque miſta eſt, & elementa non ſunt in eo ita ſeiuncta, & actu, ut uni ceteris intactis extrinſecus aduenïens aqua poſſit ad-

misceri. Addo etiam si a vini forma moderari, ac regi poterit aqua iniecta, ea non labefactatas iri vini vires; quod experimento non respondet: si enim perseueraueris vino aquam instillare, hebetescet vini robur manifeste, sed hęc obiter. Aqua igitur in alimentum verti nequit, quo sustineatur vita nostrorum abstinentium ex hoc Aristotelis loco.

Lentem palustrem non oriri, neque nutriri ex aqua sola. Cap. XLII.

OBiectio insuper affertur de stirpibus alijs in aqua ortum habentibus, ac praesertim de lente palustri, quibus aqua sola pabulo esse dicitur, namque sine radice in aquis extra humum primo nascuntur, deinde viuunt, nutriuntur vsque ad interitum: quae quidem oppositio propterea soluitur, quia plantae omnes tum quae in fontibus agunt, vt sisymbrium, & syum, tum quae in mollioribus riuis, vt nymphęa, potamogeton, sagittalis; tum quae in mari, vt alga, lactuca marina, corallum, & omnes id generis aliae radices habent euidentissimas, quibus e terra subiacente aquis conueniens sibi alimentum hauriant, hauriant inquam terreum succum, limosamque molem, quae misti perfecti naturam obtineat; nec vsquam ostendet uir oculatissimus illas aquam solam, non limum haurire mistum. Lenticula quidem palustris etiam Clarissimis de natura stirpium scriptoribus Caesalpino, Dalechampio, Marthiolo, radices habere uisa est ex terra illi alimoniam sugentes; obseruarunt enim eam, si aquarum inundationibus a pigris aquis influentes transferatur, littoribus inhaerere, ac mirum in modum propagari; quia subnatis quibusdam capillamentis, quae radicum uice esse uidentur, se se terrae alligat, unde sibi postea trahit iugiter succum, quo alatur, ut perpetuo uerum non sit lenticulam palustrem radices nō habere ullas, quibus e terra sibi alimentum attrahat. Ceterum esto ea planta in aquis orta, & uiuens absque radicibus; haud tamen ideo colligas eam aqua sola nutriri, non succo misto ex omnibus elementis, quando tale stirpium genus, non in aqua pura, sed caenosa, & palustri degit orta, & enutrita in dies e colluuie multorum pinguium excrementorum, quae in huiusmodi stagnantibus, ac putridis aquis supernatare conspiciuntur. Idem sane iudicium dato de Mnasio illo, quod alicubi obseruat Theophrastus in paludibus, & stagnis oriri, terramque minime attingere: Quam doctrinam complexus est sapientissimus praeceptor Costaeus inquiens ut enim aquae, quae non mouentur, facile corrumpuntur; ita externo aeris calore ab illarum intimis, atque imis partibus aliquid humoris terrena sorde infecti in superficiem attrahente, adde etiam insidente in ipsam puluere, quem commouit aer, & sentique e terra attollunt; fit viridis color, crascescente primum aqua, tum vero etiam densata in limum, ita vt in ea aliquando herbae nascantur. Quae omnia multo antea nos docuerat Aristoteles perspicuis verbis afferens, Quae vero per superficiem aquae nascuntur plantae, non aliunde quam e crassitie aquae fiunt; nam dum calor aquam attigerit, quae cursum non habet, quo moueatur, prouenit super ea quiddam nubi simile, parumque aeris continet, ac putrescit humor ille, attrahitque ipsum calor, qui per superficiem aquae est expansus, hinc planta fit, radicem vero non habet; nam in duris terrae partibus fixae sunt radices; neque folia habet; nam a temperie multum abest; & neque partes ipsius inter se cohaerent; haec planta ad similitudinem foliorum nascitur: quemadmodum vero illi non ex aqua pura est origo, sed ex putri excrementorum colluuie, ita ex eodem misto exundante ipsi eidem stirpi est alimentum.

Lenticula palustris radices.

4. hist. ca. 9.

Stirpes in aqua terram non attingentes.

1. de pest. in morb. c. 11.

Plantae in aquis quo modo gignantur. 11. de plan. c. 1.

Quomodo putredo sit propria misti passio, & aquae conueniat. Cap. XLIII.

VLterius rationi consonum videtur hoc placitum, quod dicitur aqua esse mistum corpus, & alere posse; quod enim putrescit mistum est, non simplex; nam putredo est misti propria corruptio, nulloque modo simplici conueniens; quum autem aqua putrescat Aristoteli 5. de gen. an. ca. 4. & 25. sect. probl. 20. eidem illam mistum quid esse necesse est: sane quod ita probatur aquam esse mistum corpus, atque ideo posse nutrire, quia putrescere valet, quum putredo sit passio misti propria qua mistum est, ac tunc dicatur mistũ putrescere, quando resoluitur in quatuor elementa euocato calore proprio extra mistum ab externo calore ambientis; quippe ita se habent elementa in misto, vt inuicem colligata perdurent beneficio caloris, & ignis, qui ad cetera se habet elementa vt forma continens materiam, & vinculum nectens omnia in unam formam temperamenti; hinc plane fit vt hoc solo euaporato, seiunctoque ab alijs, cetera elementa dissocientur ab inuicem, quae dissociatio putredo est, mistioni opposita; vocatur autem putredo, quia veluti plerunque ex mistione perfecta elementorum, potissimumque humidi cum sicco per caloris ministerium nascitur bonus odor; ita dissolutione humidi a sicco gignitur faetor, ac odor putridus: Sic ergo putredo est corruptio misti propria; quum autem aqua putrescat, necessario mista erit; ac proinde alendo corpori: hoc inquam argumentum multiplici disquisitione indiget; Primumque scire oportet multa reperiri aquarum genera; sed ad praesens institutum duo consideranda sunt; nam est aqua limpida, & fluens; est & aqua feculenta, & stagnans: harũ prior nobis vsui est ad potum, & ad coquenda cibaria, nec putrescere potest; posterior autem putrore nonnunquam afficitur, sed eam non eligimus in

Putredo vt fiat.

2. de ge. c. 5.

dissolutio misti cur vocetur putredo. Odor vnde oriatur.

De sen. & sen. c. 5.

Multa aquarum genera.

Aqua in putrisque

in potum, nec in elixationem alimentorum, immo tanquam valetudini maxime noxiam deuitamus omni studio: Quare si putredo indicium est mistionis, aquam mistam non esse ideo vt alere debeat abstinentes nostros confiteri opus est, tum quia ipsis potui erat aqua impurus, clara, & fluida, quam vulgo potamus; tum quia putrescentem bibentes mistum quidem corpus hausissent, sed inde nullum alimentum, at morbos potius, ac mortem sibi acquisiuissent. Deinde vero & aqua immota putrore inquinatur, non ipsa secundum se putrescens, quia mista sit, vt creditur, sed quod antea quoque tetigimus, & clare innuit Auicennas, quia quiescenti aquę inuolant pulueres, & ramenta sordida; quibus aer totus ad instar atomorum Democriteorum scatet; quin & ab alueo, in quo quiescit aqua, nónunquam impertiuntur illi consimilia sordida ramenta, quæ suo, & aquæ lentore conglutinata in mistum corpus transeunt, sæpe lutum referens; in hoc externus calor putredinem molitur, non in aquam: quoniam vero aduentus horum sordidorum corporum, ob exilitatem, sensus nostros latuit, conspicua semper fuit aqua; videntes aquam putredine affici, vulgo dicimus aquam putrescere, quum tamen reuera non putrescat aqua, sed sordium colluuies in aqua existens, vndecunque illæ in aquam irrepserint: Quare concedentes putredinem esse propriam misti affectionem, infitiamur aquam vere putrescere. Deinceps autem obseruamus duo esse mistorum genera summa, nimirum perfectum mistum, in quo sunt omnia elementa, & imperfectum, in quo non omnia; vtriusque vero generis mistum putrescere posse: Ac sane quemadmodum mista perfecta putrescunt euocato foras calore proprio ab externa caliditate ambientis, ita & imperfecta; sed cum hoc discrimine, quia calor misti perfecti ab igne potissimum est, imperfecti ab aere; imperfecti inquam illius, in quo non est ignis, sed aer; quod enim est ignis in misto perfecto velut forma continens, ac vinculum cetera elementa simul colligata retinens; hoc ipsum est aer in misto imperfecto; namque Aristoteli semper elementum superius, ac nobilius cum in vniuerso, tum in singulo misto se habet ad quælibet inferiora, & ignobiliora velut forma continens ad materiam contentam; sic ergo mista ex tribus tantum elementis inferis, aere, aqua, & terra, putrescunt a calore ambientis euocato foras calore proprio, seu aere, quo continebantur aqua, & terra in vnum iuncta; quemadmodum putrescunt mista ex quatuor elementis ab ambientis caliditate foras euocato igne: Itaque si demus aquam putrescere, non propterea fiet vt eam dicamus esse mistum perfectum alendo aptum; quum putrescere valeat mista imperfecta, quibus nobilius desit elementum, quæ nobis alimento esse nequeunt: & reuera in aquis non esse ignem, nec rationem misti perfecti, fuse superius ostendimus.

L.4.f.1.t. 4.c.1.

Aqua vere non putrescere.

Mistorū duo genera summa.

Calor mistis omnibus ab exquo q. forte.

2. De gen. t.50. et li. de mund. c.7.

Mistorum perfectorum et imperfectorum putredo varia.

Ca.14. & seq.

Quid si dicamus & mista e duobus tantum elementis, aqua, & terra, posse putrescere a calore ambientis? sane oculis cernere est lutum ex terra, & aqua putrescere, quod frequentissime accidit in æstate post pluuias; ex limo enim tetrum halare odorem sentimus certissimum putredinis indicium: & quamuis in limo præter terram, & aquam reperiri queant elementa reliqua constituentia mistum perfectum, vnde nascantur insecta viuentia, & plantæ plurimæ; tamen id etiam contendimus ex limo sola ex aqua & terra, putridos halare odores vi caloris ambientis citra insectorum aut plãtarum exortum: Ceterum eiusmodi putredo a calore externo fiet, non quidem euocante calorem luti proprium foras; nam luto ex aqua, terraque sola coagmentato nulla penitus inest interna caliditas, quum solis elementis frigidis constituatur; sed fiet putredo hæc ab externo calore separante heterogenea, nimirum aquam a terra, & humidum a sicco; quando non minus proprium est caloris externi ad se ob similitudinem naturæ de misto perfecto internum calorem euocare, quam absolute apud Aristotelem heterogenea segregare: ac eo magis, quo fortasse in misti perfectioris putredine calor externus internum euaporare facit non tam ob naturæ similitudinem sibi domesticam, atque congeneum ad se alliciendo; quam heterogenea elementa in misto vnita segregando. Ex eo igitur, quod aqua putrescat, cogi non possumus confiteri, nisi aquam putridam esse limosam, siue mistum imperfectissimum e duplici tantum elemento: id autem si demus, iam inde quis non colliget aquam epotam alere posse animal, ac præsertim abstinentes nostros; quum certum sit alimẽtum esse oportere mistum perfectum, & in perfectorum genere perfectissimum, quod immediate verti valeat in substantiam viuentis.

Mista e duob. elemẽtis putrescere posse.

Vide inf. c 45.

Putredo a calore externo haud euocante proprium quo.

Externus calor quomodo internum euocet.

2. De gen. t.8.

Aquam quomodo calor concoquat Hippocrati, si ea coctione non vertitur in alimentum.

Cap. XLIV.

Additur his & argumentum desumptum ex coctione, nempe quodcunque a calore nostro coquitur, id ea coctione in alimentum verti; quippe coctio solam respicit nutricationem; aquam vero, quam bibimus, ab insito calore coqui autore Hippocrate; atque ideo aquam solam nutrimentum præbere posse animanti: Ad hoc autem argumentum non vnice respondeas: Primo infitiaberis quicquid a calore coquitur in alimentum verti; certum est enim pus in vomica digeri, & a calore natiuo concoqui, consimiliter etiam in aluo fæces, & in vesica vrinam: quare vbi hæc omnia debitam a calore alterationem passa fuerint, recte a me dicis cocta vocantur alui excrementa, vrinæ item coctæ, ac pus coctum dicitur; haud tamen aliquod ex his alimentum corpori præbere dixeris:

De aer aq. et loc.

Quicquid a calore coquitur non verti in alimentum.

modo habeat nix candidissima ignis expers? Quod autem solutis niuibus lutum fiat, id in niuis materiam non erat referendum subtili viro, sed tum in sordes, ac pulueres a ventis niuibus impactas; tum maxime in locum in quem liquētes niues recipiuntur: profecto in terra liquatæ niues lutum efficient, earum humore cum subiacente terra permisto: sin autem Soli exponas niuem recentissimam in vase vitreo mundo abibit nix in aquam, euolatis partibus aereis, nec luti vestigium percipere licebit: Quare satius erat respondere problemati niues afferre agris fecunditatem, quia putrent admistione exhalationum, & partium terræ subiacentis; nam si quæ inest niuibus terræ portio, ea illis non est connaturalis, sed aduentitia, desuper ventis delatus puluis, subtus imbibitus a terrę subiacentis superficie: sed fortassis etiam intrinsecus cadentibus niuibus per aera impactus; nouimus enim aerem in radijs solaribus vbique respersum esse terreis quasi atomis leuissima vel aura sublatis de terræ superficie quam plaustra, homines, & alia solida corpora semper terunt in euolantem pollinem: hæc autem terræ portio illa minima est, quæ distillanti a niuibus segregatur: segregatio enim non arguit mistionem essentialem terræ in origine niuis, sed terræ in niuibus præsentiam, seu inexistentiam vndecunque, & quomodocunque: terra vero niuibus etsi non sit connaturalis, essentialisque, sed accidentalis, & adscititia, nihilominus poterit distillatione separari a niue, & lutum efficere agris fecunditatem afferens. Ceterum quando in hac exercitatione sumus, viro egregio non damus niui multum inesse aeris, vt spumæ; longe namque abest nix a spumę natura, quia nix vnũ perse est vnica forma constans, & vnica materia, quod est nubes congelata; spuma vero ex aqua & aere sub proprijs formis distinctis permanentibus est aggregatum quidpiam per accidens, nimirum includitur aer in ampullis aquæ, tanquam in carcere, in quo nec aer aquam, nec aqua aerem alterat, sed solum aer attollit aquam in ampullas, & aqua sui lentore coercet impetum suæ grauitatis ad inferiorem locum: Vnde fit vt spuma compressione diluatur, ac dissoluatur diffracto carcere aeri; qui etiam vincente demum grauitate lentorem ab ea pellitur vi aer ex ampulla, & foras exit ab aqua: nix autem a solo calore, vel humore dissoluitur, licet longe varia ratione; quia nix ab humore soluitur sui tenuitate penetrante niuis intima, suique mollitie niuis frigiditatem blandiente, ac sui forma, & virtute niuem in aquam conuertente; facilius enim est transitus in congenea; sed calor secus niuem dissoluit, quum enim calor id solum soluat, quod frigore concreuit; in ortu autem niuis frigus densauerit nubem in niuem, calor immediate niuem in nubem soluit: sed quia nubis materia est uapor densatus, in quo aqua prædominatur aeri, calor cuius officium est dissimilia separare, attollens aerem in fumi speciem de niuibus euidenter ascēdentem, sinit aquam effluere: Quum ergo nix compressione non dissoluatur, vt spuma, satis iam pateat, quæ sensibus apparet spumosa, menti spumosam non esse niuis consistentiam, sed vere mistum corpus ex aere & aqua cum aquæ prædominio.

Niui spumosam naturam nō habere.

Spuma natura.

Nix calore, ac humore vt dissoluatur.

Qua ratione nix fecunditatem afferat agris, si terra particeps non est. Cap. XLIII.

IDem vir Clarissimus niui ex eo terram concedendam esse probare videtur, quia nix agris miram conciliet fecunditatem; fecunditas enim est agris ab alimenti stirpium vbertate, nutrimentum vero & absolute mistum est perfecti generis terrenis etiam partibus constitutum, & speciatim plantis conuenit a prædominio terreum; quare nix fertilitatem terræ promouens terrenis partibus abundare debet, vltra aereas, & aqueas; quibus a sole calor additus fimum conficit omnium lætaminum multo excellentissimum: sed neque his a proposita sententia recedere cogimur, concedentes enim primum agris a niue miram inesse fecunditatem, & hanc ab alimenti vbertate, alimentumque mistum esse perfecti generis, & plantarum proprium esse a prædominio terreum, haud tamen concedimus propterea niuem esse mistum perfecti generis, aut a prædominio terreum; non perfecti generis, quia uel viro egregio nix igne caret, illique a sole calor adiungi dicitur; non a prædominio terreum, tum quia qua ratione nix lætamen euadit suscepta caliditate a sole; cur & a terra subiacente partes terreas accipere nequeat, seu potius illis admisceri in fimũ plantis idoneum? tum quia vel eximio uiro in niue aqua, & aer longe prædominantur terrenis partibus: Deinde vero & illud compertissimum est putrida omnia potissimas esse caussas fecunditatis terræ; quum ergo nix putrescere possit ad constitutionem stirpium, & animalium; profecto nix qua ratione putredinem cōcipere potest ad vermium procreationem, eadem planeagris fecunditatem afferre ualet, putrescere autem nix potest, quamuis natura sua terræ particeps non sit, vt dudum ostendimus. Deinceps autem neque illud uerum est alimenti ubertatem esse solam, & immediatam caussam fecunditatis agrorum; nam potissima caussa fecunditatis calor est, qui plantarum exortũ promouet, & ortas adolescere facit: quo nomine accedente sole ad nos generationes fieri monet Aristoteles, eoque recedentes corruptiones: nix ergo frigiditate sua terræ calorem concentrat ad stirpum radices, ipsumque foras exire prohibet, qui propterea viribus auctus & alimentum plus, elaboratiusque plantis subministrat, & plantas nouas maiori copia generat: fecunditas autem nil est aliud quam uber nouarum stirpium prouentus, & veterum bona nutricatio,

Sup. c. 41.

Cap. 41.

Calor immediata caussa fecunditatis

2 de gen. t. 55. & sequent.

Fecunditas plantarum in quo consistat.

tricatio, ad quam sequitur fructuum ubertas; sed & alijs nominibus nix agros fecundos efficit: non solum enim quia frigiditate sua terræ calorem concentratione uegetiorem efficit, quo & amplior, & elaboratior succus in alimentum frugibus subministratur; quum largiori manu enutritæ stirpes, & digestum magis succum e terra sugentes, mirifica polleant fecunditate, uerum etiam quia nix frigiditate sua enecat herbas malas bonis frugibus alimentum eripiẽtes: quin & diu prohibens præcocem frugum exortum, altas, & firmas magis radices figere facit ad plures caules, & uberiorem messem: Itẽ enecat bestiolas, quæ uiuæ frugibus obnoxiæ, mortuæ frugibus sunt lætamini, & alimento: Præterea nix permittit nihil de terra exhalare uaporis pinguis, & alimenti stirpium, quibus bene pastis fecunditas enascitur: hæc omnia nix frigiditate sua præstans fecunditatem promouet; sic enim & citra niuis præsentiam frigiditas hiemis intensior fertilitati summopere confert concentrando, & roborando terræ calorem, qui multum alimentum plantis concoquat; necando herbas inutiles, quæ frugibus nutrimentum surriperent; interimendo animalia, quæ uiua fruges perdunt, mortua uero augent; & demum prohibendo ne foras e terra effluat uapor alimentaris: At uero nix quum sua frigiditate bellissime omnia hæc efficiat, sua etiam corpulentia mirifice fertilitatem promouet, nam & putrescens, & citra putredinem terræ pulueri, ramentisque commista lutum efficit pinguedine sua lætas faciens segetes; & citra ullius admistionem sola nix pinguedinem obtinet fertilitatis procreatricem; aerea est enim, & uaporibus pinguioribus refertissima, qui conspicue sursum scandere uisuntur, dum nix Sole liquatur. Quod autem uir egregius negat niues afferre fecunditatem ob calorem ad interiores terræ partes repercussum, id non solum Cardano negat, sed Theophrasto aperte afferenti frigus ambientis concentrare calorem terræ ad plantarum radices, eumque uegetiorem reddere: Nec ratio allata nos mouet, scilicet ubi non adsunt niues, calor extimus additus interno calori maiorem facit ipsum; non enim euocat, sed fouet, inita propter similitudinem societate: alioquin eandem consequerentur arua utilitatem ab aere frigido obsidente, atque intus æque calorem cohibente: certe calor extimus additus interno calori maiorem facit ipsum statim, quia ex duorum unione consurgens calor maior est; sed auctus ille calor mox sursum inhiat, & nullo prohibente forinsecus auolat de terra, quo nomine terræ calor a calore ambientis debilitari admonet Theophrastus, confirmat experientia; cur enim aquæ hauriuntur puteis longe calidiores hieme algentissimo aere, quam uerno tepore, & æstiuo ambientis ardore? sed quis agricola cum Theophrasto non nouit ab aere frigido arua maximam hieme non

2. de caus. c. 8.

consequi fertilitatem? haud certe parem atque a niue, quia nix tum frigiditate, tum etiam sua substantia fertilitatem agris conciliat, vt nuper vidimus.

Vt putredo absolute sit corruptio proprij caloris. Cap. XLVII.

Aperte autem nobis asserentibus mistum e duobus tantum elementis natura frigidis, vt puta lutum ex aqua, & terra pure conflatum, posse putrescere, Aristoteles aduersari videtur putredinem definiens esse corruptionem caliditatis naturalis in humido a calore ambientis; quia mistum hoc ex mera terra, & aqua constitutum nullum in se habet naturalem calorem; siquidem ex duobus tantum elementis coagmentatur natura frigidis; quomodo ergo externus ambientis calor caliditatem luti corrumpere poterit naturalem, quæ in luto non est vlla? quomodo lutum putrefieri poterit ex aqua, terraque sola consistens, si putrefactio est corruptio naturalis caliditatis ab externo ambientis calore? vrgens oppositio, cui tamen occurrere licet; nam putrefactio absolute est propria passio misti vt mistum est; quum autem mista non sint omnia simpliciter eiusdem naturæ, nec ad vnum commune genus redigantur; sed ad vnam essentiam communem secundum proportionem, & analogiam, quippe alia sunt mista perfecta ex quatuor elementis in vnam substantiam coeuntibus consurgentia, inter quæ calor, siue ignis ad alia elementa relatus Aristoteli formæ rationem sustinet, ea secum simul coniuncta continens; alia vero sunt mista imperfecta ex tribus, vel duobus tantum elementis coagmẽtata, inter quæ vbique nobilius elementum, & nobilior qualitas vicem formæ gerit, vt calor, & ignis in mistis perfectis; quum ergo absolute corruptio sit destructio formæ, seu eius separatio a materia; proculdubio corruptio misti propria, quæ dicitur putredo, nihil aliud esse poterit simpliciter, quam corruptio, & separatio eius elementi, & qualitatis, cui data est inter alias ratio formæ; in mistis autem perfectis ea qualitas est calor, & omnino essentia ignis; in imperfectis vero ignẽ in se non habentibus, neque calorem, aqua, & frigiditas; aqua enim ad terram se habet ad instar formæ, frigiditasque similiter ad humiditatem, & siccitatem; nam actuosa qualitas passiuas continet: Quum itaque sic se habeat aqua ad terram, & frigiditas ad humiditatem, ac siccitatem in eo misto imperfecto, quod lutũ vocamus, quẽadmodum se habet ignis ad alia elemẽta in misto perfecto, & calor ad alias qualitates in eius temperamento; profecto si mista perfecta putrescunt corrupto eorum naturali calore a caliditate ambientis; imperfecta mista, quibus nullus huiusmodi calor naturalis inest, quæque putrescere conspiciuntur, non a-

Supra cap. 43.

4. Meteo. c. 2.

Putrefactio est passio misti propria vt mistum est.

2. de gen. te. 50. 4. cal. t. 35.

Actiua qualitas est vt passiuarum forma.

Putrefactio analogũ genus est ad corruptionẽ misti perfecti. & imperfecti.

lia ratione putrescere possunt, quam corrupta frigiditate ab externo calore, & separata aqua a terra: Ad obiectionem ex Aristotele dicimus putrefactionem absolute analogum genus esse ad corruptionem mistorum perfectorum, & imperfectorum; quum autem in analogis plerunque sufficiat nouisse naturam præcipui analogat.; satis fuisse Aristotel: allato loco definiuisse putrefactionem misti perfecti, dum scribit eam esse corruptionem natiui caloris in vnoquoque humido proprie a calore ambientis,

In analogis sat est nosse præcipuũ analogatũ

quis non agnoscit? hinc etenim facillime constat omnibus quomodo sit definienda putrefactio misti eius imperfecti, cui loco caliditatis frigiditas inest alias qualitates in temperamento vt forma continens materiam; nam erit definienda esse corruptio naturalis frigiditatis caloris vicem gerentis in humido proprie a calore ambientis: Vtrobique enim & in misto perfecto, & in eo, quod imperfectum dicimus, putredo est ab eodem calore ambientis, sed in variam materiam diuersimode operante in eundem finem, qui est resoluere mistum in ea elementa, ex quibus constituitur, qui finis est terminus ad quem tendit motus putredinis absolute misti & perfecti, & imperfecti: ratio vero,

Quõ calor ambiẽtis resoluat mista in elemẽta.

qua calor ambientis agens in mistum simpliciter illud resoluit in elementa pristina, duplex est; altera communis, & eadem in cuiusque misti putrefactione, & est dissoluendo vinculum, quo elementa in misto, & qualitates in tẽperamento in vnum coniungebantur; altera vero specialis est, & varia; nam in misto perfecto vinculum hoc est calor, & ignis, qui a calore ambientis consimili corrumpitur euocatus de misto, perinde ac lucerna dicitur in multa flamma fornacis extingui ab Aristotele, quia multus ignis pyræ ardentis lucernæ flammulam ad se rapit: in misto autem imperfecto, & speciatim in luto uinculum hoc est frigiditas, quæ a calore ambientis contrario destruitur.

De long. & bre. ui. c.2. 1. Probl. 57.58. 2. Cal. se. 52.

Cur mista imperfecta viuentibus in alimentum cedere non valeant; & speciatim cur aqua mista cum alimentis non alat.

Cap. XLVIII.

Lib. 2. c. 100.

NEc minus reclamat doctissimus uir alius nostro placito, quo superius constituimus mista imperfecta, quorum e paucioribus elementis coagmentatio est, haud cedere in alimentum animatis; asserit viuentia mistis nutriri, nec multum referre sit ne exquisita mistio, an iuxtapositio; sat esse uiuenti ut omnia simul iuncta ingerantur elementa: neque dubitãdum an frigidum, humidumque alat; nam aqua in farina subacta, unde maza conficitur, sine dubio alimento est: & quamuis aqua sola alimentum non sit, tamen commista alijs cum rebus, nempe cum alimentis, nihil uetat quominus nutriat; in hunc modum aqua dum subigitur panis, illi permiscetur, & cum pane postea corpus alit; nec minus alimento est, si alijs esculentis sit permista. Hæc ille uir doctus: Quibus tamen a priori placito non dimoueor, quo sanxi mista imperfecta nulla ratione alere, siue sint ideo imperfecta, quia ipsis aliquod ex elementis desit; siue quia nullo deficiente, non exactam eorum mistionem, & confusionem contineãt; de qua imperfectione agere videtur vir egregius: Et sane quum scribit ad alimentum non multum referre sit ne in eo exquisita mistio, an iuxtapositio, negandi nobis occasionem præbuit id, quod statim confirmare conatur eo quia satis existat ipsi viuenti vt omnia elementa simul iuncta ingerantur, quod assertum non minus indiget confirmatione: ratio vero, quamobrem primum dogma inficiamur, duplex est potissime, altera, quia nutrimentum ideo mistum esse opus est, vt similem naturam habeat nutriendo corpori, in cuius substantiam commutandum est; quum autem quod alitur, vbique sit mistum exquisite, non autem per iuxtapositionem; proculdubio non exquisite mista, & iuxtapositione quomodocunque confarcinata illi similia non erunt; quare nec alimento esse poterunt: Altera est, quia iuxtapositio æquiuoce mistio est, non enim quæ iuxtaponuntur, amittendo pristinas formas coeunt in nouam naturam communem, sed solum citra nouæ substantiæ originem secundum accidentia permutantur; quum mistio proprie dicta sit vnio miscibilium alteratorum, diuisorumque ad minima, & substantialiter in vnam nouam naturam transmutatorum ex Aristotele; Quum igitur æquiuoca nihil præter nomen commune habeant, & alimenta vniuoce mista dicantur cum alendo corpore; sane alitur quodcunque viuens vbique mistis perfectis, non autem iuxtapositis. Secundum vero placitum in primi confirmationem allatum respuit experientia, qua docemur satis non esse viuenti, vt omnia simul iuncta ingerantur elementa; nam fame quiuis nostrum intereat, si solam huiusmodi massam ingerat, nimirum ex aqua, terræ, carbonumque pulueribus coagmentatam, confarreatamque, licet in ea simul iuncta sint elementa omnia. Sed tamen absolute nec mista perfecta omnia nutriunt; quippe ad alimentum, præter mistionem perfectam, aliæ conditiones necessariæ sunt, de quibus fuse actum est antea; vt nullo pacto iuxtaposita omnia elementa ingesta nutriant. Quod autem deinceps affertur de aqua cum alijs rebus, alimentis videlicet permista, maius obtinet momentum; cui tamen occurras natura rei penitius introspecta; certe aqua sola nutrire non potest; mista vero cum alijs rebus, quæ sint in alimentorum genere, est vt nutrire valeat, est etiam vt alere nequeat; bifariam etenim misceri potest aqua cum alimentis, nempe vel perfecta mistione, vel imperfecta, quam vocat vir eruditus iuxtapositionem;

quæ

Mistorũ imperfe-

Nutrimẽtur cur mistũ esse oporteat.

Mistio æquiuoca qua.

1. De gen. c. vlt.

Aequiuoca nil habent commune præter nomẽ.

Li. 2. c. 10 15. 61. 108. 113. Li. 4. cap. 38.

Vtrum aqua mista cũ alimentis nutriat.

Aqua cũ alimentis, bifariam misceri potest.

quæ vt explicentur, scire licet perfectam mistionem fieri, quotiescunque miscibilia pristinam naturam omnia vertunt in unam communem substantiam, in qua non sit reperire vnum ex miscibilibus ab alio distinctum; miscibilia vero sunt non solum elementa inter se, verum etiam & mista variorum generum, vt lac vinum farina, sal; & mista cum simplicibus, vt aqua, & farina in pane; nam vbi actione ignis, qui physicum est agens, aqua & farina induerint naturam panis, tunc sane alimentum est panis totus non aqua cum farina; siquidem in pane haud reperias aquam a farina distinctam, perinde atque in farina non inuenias aquam separatam ab alijs elementis; nam ex aqua & farina panis efficitur mistione perfecta, non secus ac ex quatuor elementis ipsamet farina; quare dum pane alimur, misto perfecto nutrimur. At vero potest eadem aqua minus exquisite misceri, & potius iuxtaponi alimentis, vt dum panis elixatur in aqua sub forma ferculi, quod euenit alijs quoque alimentorum speciebus, siue ista elixatio, & permistio fiat a coquo vi externi caloris in lebete, siue ab animali vi natiui caloris in stomacho; siquidem in ventriculo elixantur solidiores cibi in aqua potu ingesta, & ea elixatione peruadit aqua substantiam ciborum adeo quidem vt illi permisceatur absolute, non ita tamen vt per fecta efficiatur mistio, sed potius iuxtapositio, nam deseruit cibo aqua tanquam vehiculum ad permeandas arctiores venas, per quas alimentis e stomacho transitus est ad partes omnes enutriendas; quo munere quum functa fuerit aqua, velut excrementum extra corpus pellitur euidentissime in vrinas, quemadmodum fuse antea demonstrauimus: Quod enim gratis assumit vir egregius aquam cum alijs nutrimentis haustam corpus alere, si propterea illam alere dicat, quia vehendis alimentis deseruiat absque eo quod ipsa vna cum alimento vertatur in substantiam viuentis, nobis non officit, qui vltro id confitemur; at si existimet aquam ita permistam alimentis nutrire, quia vertatur in naturam eius, quod alitur; id sine probatione recipere non possumus, arbitrantes eam esse alimenti præparatricem, atque vehiculum, non alimentum.

Perfecta mistio vt fiat. *Quæ sint miscibilia.* *Ignis est agens physicum.* *lib. 2. cap. 69. 71.*

Vt alimentum simpliciter humidum esse oporteat: Cap. XLVIIII.

lib. 2. cap. 71. & 100

Sed in eodem capite alterum dogma promulgauimus difficultate non carens, dum constituimus alimentum quodcunque humidum simpliciter esse oportere; siquidem quum famem esse appetitum alimenti notius sit quam dignum vt in eo demonstrando laboremus; scimus tamen eam definiri ab Aristotele appetitum calidi, & sicci; vnde constet apertissime alimentum absolute non debere humidum constitui. Verum paucis, primum nomine sicci, & humidi possumus vt, & pressius ad significandas primas qualitates passiuas; & communiter ad significandas eas qualitates secundas, quæ proprio vocabulo aliter appellantur solidum, & fluxile: Deinde vero quomodocunque sumantur hæ qualitates, siue pressa, siue communiori significatione, siccum, & humidum quoduis aut actu, aut potentia tale est, ita vt quod est actu humidum, illud sit potentia siccum, & vicissim ex Aristotelis decreto: His ita prælibatis, dicimus omne alimentum actu humidum, hoc est fluidum esse oportere; quum autem fames definitur esse appetitus sicci, hoc intelligendum est de sicco in potentia, nam fames est appetitus eius alimenti, quod verti debet in substantiam solidarum partium; quod autem uerti debet in solidum, id vt potentia solidum est, sic actu debet esse fluxile. Nisi etiam dicamus omne alimentum absolute humidum esse oportere; sed quia id, cuius appetitus est sitis, longe humidius est eo, quod esurientes appetimus; nam potulentis vtimur veluti humido tum in quo primum elixari debeant esculenta in stomacho, tum quo deferri ceu vehiculo debeant elixata edulia per angustissimos ductus a stomacho ad omnia membra corporis nutrienda; sane comparatione facta cibi, cuius desiderium fames appellatur, cum potu, cuius appetentia sitis est, recte dicere potuit Aristoteles famem esse appetitum sicci ad sitis discrimen, quæ est appetitus humidi: haud tamen ideo nobis officit absolute asseuerantibus alimentum esse humidum; non enim propterea tollimus quin inter humida, quæ minus talia sunt, ad humidiora comparata valeant sicca vocari. Deinceps vero dicimus alimentum posse considerari & ante coctionem, immo dum non adhuc ingestum est, & post coctionem, dum in corpore continetur iam a calore natiuo elaboratum, vt monuit Aristoteles alicubi, sane alimentum, cuius fames appetitus esse definitur, si consideretur cum Aristotele anteaquam ingeratur, dum extra corpus est sub forma cibi, substantiam consistentem obtinet, ac solidam, quam vulgo etiam siccam nuncupamus; at si alimentum hoc ipsum contempleris iam in stomacho, & hepate, ac venis natiui caloris actione subactum, & elaboratum, id tibi erit chylus, & sanguis fluxilis, atque humidus, seu etiam humor: ceterum nos antea statuentes alimentum omne simpliciter humidum esse oportere, ipsum considerauimus elaboratum, & digestum in corpore viuentis a calore natiuo; quocirca nobis nequicquam officit Aristoteles definiens famem esse appetitum sicci; quoniam fames est appetitus alimenti externi: siquidem appetimus non nisi ea, quibus carentes indigemus Aristotelis testimonio; sed cibis ingestis neque caremus, neque digestis indigemus; at solum appetimus externa edulia, quum intrinsecus alimento & cocto repleti naturali fame non molestemur.

2. de an. t. 28. *Sicci, & humidi significata.* *De sen. & sen. c. 2.* *Fames vt sit appetitus sicci.* *Alimentum omne vt oporteat esse humidum.* *Vsus potulentorum.* *2. de an. t. 43.* *2. de an. t. 28.* *1. phy. t. 81.*

Cur

Cur siti occurrat magis vinum quam aqua. Cap. L.

Li. 2. c. 90. & 127.

In eo etiam, quod asserimus vino sitim penitus euerti, & longe magis quam aquæ potu huic desiderio satisfieri, contradicentem legimus Virum Clarissimum, qui pluribus contendit aquam solam, aut saltem valde magis quam vinum statui debere sitis obiectum; primo quoniam vinum haud ita sit frigidum, & humidum, vti est aqua; quum sitis definiatur esse desiderium frigidi, & humidi: Deinde quia si ex æstuante, aut aresçente corpore sitis est fuganda, nullus nec salubrior, nec optabilior potus quam egelidæ: Deinceps quia experimento comprobatur quotidie sitientibus vini potu sitim augeri: Demum quia vinum haud per se, aut primario instituto conferat ad sitim, vt aqua, sed per accidens, nimirum calore suo aquæ distributionem in vniuersum corpus promouendo, quum illa ob frigiditatem inepta motui stagnaret in hypochondrijs: Sed hæc nostram sententiam non euertunt; ad primum etenim concedentes vinum haud esse ita frigidum, & humidum, vti est aqua; negamus proinde fieri vt minus occurrat siti, quæ desiderium est frigidi, & humidi, ratio negationis est, quoniam vinū actu, ac sensu est frigidum, & humidum, vt aqua; sed aqua præterea temperamento, & habitu est frigida, & humida longe magis quam vinum; quum enim duplex in aqua sit frigiditas, & humiditas, intensa (vt abunde supra demonstrauimus) essentialis nimirum, quam sensus nō pertingit, & actualis, quæ accidens est; vinum actualem frigiditatem, ac humiditatem, perinde atque aqua, in se obtinet, habituali vero caret; nam temperamentum habet multo calore, atque insigni refertum siccitate: Quum ergo sitis sit affectio sensus, & sensus tactus Aristoteli; plane ab ea qualitate potionis sedabitur molestia sitis, quæ sensilis est, ac proinde ab actuali frigiditate, ac humiditate; quæ quum haud minus vigeant in vino, quam in aqua, propterea fit vt non minus vini, quam aquæ potu sitis extinguatur. Ad secundum negamus itidem fugandę siti ex æstuante, & aresçente corpore nullum aut salubriorem, aut optabiliorem potum esse quam egelidæ; ratioque negationis est, quia quum duplex sit humiditatis genus in corpore animalis, excrementitia, & alimentaris, seu hæc iam cesserit in alimentum partium, seu sit cessura proxime; profecto sitis, quæ consumpta humiditate adest, non oritur ex defectu excrementitiæ humiditatis, at ex alimentariæ, ac substantificæ penuria: quum igitur aqua in alimentum cedere nequeat, vt vinum; proculdubio sitienti salubrior est vini potus, & optabilior quam aquæ, quoniam vinum & frigiditate caloris æstum tēperare, & humiditate alimētaria pōt ariditati consulere; quū aqua solius caloris vim hebetare frigiditate valeat, humiditate vero alimentarium, & substantificū humorē instaurare nequeat. Ad tertium occurras animaduertens sitim aliam esse morbosam, naturalem aliam, morbosa est potissime ob purum caloris excessum; naturalis vna cum excessu caloris coniunctam habet humidi penuriam, & potius in siccitate, quam in calore consistit; porro si de morbosa siti loquamur, eam per se quidem & vinum, & aqua sedant, per accidens augent, vel potius, præsenti siti extincta, nouam accersunt; sic febrientibus, hydropicis, & nimio æstu laborantibus mellioribus vinum, & aqua primo sitim leuant per se, deinde vinum cōuersum in spiritus, aqua itidem putredine concepta, vel quomodocunque aliter supercalefacta nouam sitim procreāt, vt hac ratione haud magis vinum quam aqua sitim exasperet: sin autem de naturali siti agamus, iam eam aperte vinum sedet, non augeat, & sedet magis quam aqua: quippe quod humore suo resarciens humiditatem alimentarem a calore consumptam siccitati consulat, quod aquæ negatum est, cuius humiditas alimentare humidum instaurare nequit; si quis autem in naturali siti calor vrgeat, is leuis est, atque ab actuali vini frigore statum compescitur haud minus quam ab aquæ frigiditate. Ad postremum negamus vinum siti conferre per accidens: sed hoc potius de aqua est asserendum: cuius ea ratio est, quia sitiens hausta sine vino aqua ideo sitim non extinguit penitus, demus quia stagnet in hypochondrijs, sed quamobrem stagnet? non quia crassior sit quam quæ possit arctissimas ingredi meiçrei venas: quum vinum longe crassius esse aqua inde confirmetur, quod fictile, doliumque nouum aquæ magis quam vino peruium est; immo ex hedeaceo calice aquam per poros diffluere asserunt, per quos vinum haud egreditur: multo minus quia frigiditate inepta sit motui, proinde aqua stagnat in hypochondrijs; namque alimenti motus ad partes alendas non est ab alimenti forma, vt ab agente, quod supponere videtur vir eximius; at est ab ipsamet natura partis alendæ, quæ molestiam sentiens ex penuria debiti humoris, vndecunque sibi subsidium cōparare, trahereque studet; quare proximis de venis sugit, per has e remotis, & per venas ex hepate, continuato suctu ad vsque stomachum, eo tamen delectu, vt ad se non alliciat nisi quod suæ indigentiæ satisfacere valeat; hoc autem attractum necessario pergit quo vrget naturæ necessitas, nisi crassitudo substantiæ arctas vias permeare nequeat: Itaque in naturali siti exinanitis partibus vniuersis humiditate proficua, & idcirco trahentibus per venas continuato suctu a ventriculo, vbi refertus hic, repletusque fuerit aqua, si ea sola potis est siti consulere, necessariamque partibus aridis humiditatem salutarem inspergere, cur non attrahitur de ventriculo auide? ac si attrahitur, quum sit substantiæ tenuissimæ, vt cibo crassiori deseruiat ad instar vehiculi per arctas vias, cur attracta non sequitur, & venas ingressa non fertur ad irroranda membra siti aresacta? certe non tendit per venas aqua sola, quia non trahitur; non trahitur autem, quia non est apta siti penitus, ac primario consulere: si vero cum aqua vinum

Marginal notes (left): *Vini, & aquæ comparatio in frigido, et humido, Cap. 21.* — *2. De an. c. 28. Sitis est affectio tactus.* — *Duplex humiditas in animali.* — *Sitienti salubrior, & optabilior vini potus, quā aqua.*

Marginal notes (right): *Sitis duplicis genus est.* — *Sitis naturalis, & morbosa differentia, et sedatio.* — *Vinum, et aqua per sitim augēt morbosam.* — *Vinū magis quam aqua sedat naturalē sitim.* — *Siti confert per accidens aqua potius quam vinum.* — *Cur aqua sola epota stagnet in hypochondrijs. Vinū crassius esse aqua.* — *Alimenti motus ad partes alendas vnde sit.*

num miscueris, hausta mistura sitim cōtinuo sedat, quia vinum quum vtile sit ad restaurandam humiditatem amissam, auide attrahitur, attractum ad partes attrahentes fertur; & quidem cum vino aqua etiam ducitur tum per se ad refrigerandum caloris æstum, qui cum siti vrget; tum etiam per accidens nimirum & cui lentore pertinacius adhærescit, quam a quo facile diuelli queat; & veluti vehiculum crassioris substantiæ vini; etsi vinum per se non solum venas arctas peruadere, sed etiam frigiditate sua & actuali, & habituali quoquopacto (multas enim obtinet partes aqueas, & frigidas; quod ex destillatione patet) caloris æstum valeat hebetare; sed nihilominus vinum aqua dilutum his officijs aptius satisfacere potest quā meracum: quare si vinum purum cum limphato compares, melius diluto sitis extinguatur, quam mero; sin autem vinum cum aqua conferas, longe magis a vino tum puro, tum diluto sedetur sitis, quam ab aqua sola; quod & Aristoteles edocet, ratioque suadet; quippe sitis & calore, & siccitate angit ob penuriam humiditatis naturalis, & caloris æstum; quibus vtrisque angustijs vinum occurrit, quum aqua vires quidem caloris æstuantis infringere valeat frigiditate sua; sed humiditatem substantificam, & alimentarem amissam resarcire nequeat; quum alere non possit,

Vino mul ta insunt partes fri gida.

Cur vinū dilutū magis sitim sedet quā purum.

27. probl. 4.

Vt sitis sit desiderium alimenti. Cap. LI.

NEgocium facessit viro doctissimo & illud quod antea vel ex Aristotele proposuimus, sitim esse desiderium refrigerij, & alimenti; etenim *alimentum* (inquit) *illud est solum, quod verti debet in substantiam solidarum partium, quæ solæ nutriuntur in corpore viuentis; partium vero solidarum substantia consumpta cibis solidioribus, quorum desiderium fames est, resarciri potest, potulentis autem, quorum cupiditatem sitim appellamus, instaurari non potest, tum quia nutrimentum simile oportet esse nutriendo corpori, sed fluxilis potulentorum substantia solidis partibus dissimilis est, tum quia frustra tentatur humido instaurari quod solo cibo resarciri potest.* His tamen haudquaquam obstantibus ab Aristotele discedendum non est, e cuius mente dudum asseruimus sitim esse desiderium alimenti vna & refrigerii; nanque ad obiectionem concedentes alimētum omne verti debere in substantiam solidarum partium, quippe quæ solæ nutriuntur in corpore ad spirituum, & humorum differentiam, quibus quoquopacto nomen partis attribui consueuit; negamus in partium solidarum substantiam verti posse tantummodo cibos solidiores, quorum appetentia fames nuncupatur, non item liquida potulenta, quorum cupiditas appellatur nomine sitis; & ratio negationis duplex est, altera, quia partium solidarum substantia non est absolute dura, sed magna ex parte mediæ cuiusdam consistentiæ inter durum, & molle per participationem humidi, & sicci apta proportione simul commistorum; vbi ergo alimentum conuerti debeat in partem solidam, vt seruetur eius naturalis consistentia vitæ, atque viuentis operationibus necessaria, non minus opus est esse quod vertatur in partem mollem, atque inueniri oporteat quod mutetur in partē duriorem; at duriorē substātiam solidarum partiū esculenta reficiunt, molliorē vero potulenta. Altera est ratio, quia inter partes solidas, licet omnes collatione facta cum spiritibus, & humoribus solidæ vocentur, absolute tamen aliquæ sunt mollis, cedentisque substantiæ, vt carnes, quarum magna manus est in animali: atque vt reficiendis ossibus, neruis, cartilaginibus, & huiusmodi partibus durioribus aptior est potione cibus; ita carnibus instaurandis, & adipi aptiora longe sunt esculentis potulenta; quod & experimentum comprobat, quo passim animaduertere licet bibacissimos homines exiguo cibo vtentes præpingues euadere, ac ventricosos. Ad primam negati dogmatis confirmationem concedentes alimentum, præsertim elaboratum, vt monet Aristoteles, consimile alendis partibus esse debere; negamus potulentorum substantiam partibus solidis similem absolute non esse; similitudo nanque necessario intercedens inter alimentum, & alendum corpus non cōsistit in accidentibus, vt supponit obiectio; secus enim sanguis e cibis genitus æque fluxilem substantiam obtinet ac vinū, quod bibitur, vt propterea dissimilis, & ipse sit alendis partibus; sed similitudo alimenti cum alendo est totius substantiæ, nempe vt vtrumque sit mistum perfectum proximam, essentialemque obtinens habitudinem ad animā eius, quod alitur; ceterum haud solum cibi solidiores, sed lac, vinum, cicera, zithum, ceruisia, & alia multa potionum genera sunt mista perfecta, perinde atque solidæ partes animati, essentialemque ad animam obtinent habitudinem; quare iam potus habet similitudinem cum alendis partibus solidis. Ad secundam confirmationem infitiamur suppositum in oppositione, scilicet solo ciborum solidorum vsu posse partes solidas omnes abunde nutriri; nam inter eas molliusculam substantiam habentes, & solidiorum portio mollior non nisi potulentis consimilibus ali posse videtur, quomodocunqe huiusmodi potulenta ingerantur; quoniam solidiores cibi calore non emolliuntur, a quo fluxilis potulentorum materia cogi, & solidescere potest nullo negocio. Deinde vero absolute possint partes omnes solidæ citra potionem cibo nutriri, quum tamen longe melius, & salubrius alantur cibis adiecto potu; profecto summam decuit parentis rerum naturæ prouidentiam, quæ de possibilibus vbique facere cōsueuit quod melius est, quod laboriose, ac ægre solis esculentis perficere poterat, prompte, ac bene simul iunctis esculentis, & potulentis admoliri: superuacaneum siquidē non est, quod melioris finis gratia sufficiēti additur; frustraque solū id est, quod nullius usus gratia quis inutiliter aggreditur.

Lib. 2. ca. 90. & 127.

28. probl. 5. & 6.

Sola partes solida aluntur.

Potulēta nutriunt partes solidas.

Partes solida cur vocentur.

Potus alit carnes, & adipē potissime, cetera mēbra cibus.

Bibaces ventricosi, & pingues cur fiant.

2. de an. t. 45.

Similitudo alimenti cū alendo qua in re consistat.

Cibis non posse citra potum solidas partes omnes abunde ali.

Calor solidos cibos non emollit, fluxiles potus cogit.

De insō. an. t. 10.

Non omni sufficienti additum superuacaneū est

Vt

Vt fames, quatenus est sensus indigentiæ, quem animalem dicimus, sit affectio solius oris ventriculi, non etiam aliarum partium. Cap. LII.

Nihil noui sufficienti additum superuacaneum est.

SVecensere quoque nobis videtur vir egregius, qui de fame agentes olim distributa in sensum suctus, & indigentiæ, quam famem animalem nuncupant: & in suctum, indigentiamque sine sensu, quam naturalem appellant; animalem famem soli ventriculo conuenire diximus, alijs vero partibus non nisi naturalem; quæ sententia licet Galeno, Auicennæ, totique Medicorum choro cōprobata sit; viro tamen erudito impugnatur asserenti famem animalem, quæ est cum sensu indigentiæ, ac suctus, nedum ventriculo, sed conuenire quoque alijs partibus vniuersis, quæcunque pollent sensu tactus, & hoc multiplici ratione; primum quia ex Aristotele vbi sensus est, ibi dolor, & voluptas consequitur, & appetitus animalis, notitiæ comes; at præter ventriculum, quam plurimæ animalium partes pollent sensu tactus, ijs ergo inest dolor, & voluptas, & appetitus animalis cum cognitione. Deinde ventriculus percipit suctionem, quia tactu potitur; mox vt molestiam arceat, animali cupiditate appetit; sed reliquum corpus tactu potitur, & a proximis particulis exinanitis exsugitur; ergo suctionem percipiet, eademque animali appetentia æque ac ventriculus alimentum desiderabit; vtrobique enim tum tristitia, tum lætitia ob sensum iniucundi, iucundiue hauritur: quamobrem nō apparet cur vtrobique animalis appetitus non sit collocandus, in ventriculo scilicet, atque in corpore reliquo. Deinceps apud Aristotelem vbi sensus alimenti est, ibi fames est; sed in quauis parte animalis tactu prædita sensus est alimenti: quippe tactus sensus est alimenti; fames igitur cum sensu, atque ideo fames animalis appellata non solius ventriculi, sed partium omnium sentientium est affectio. Amplius ventriculo nihil inest, quod in ceteris partibus sentientibus non insit, animalis appetentiæ caussa, non nerui, non facultas sentiens, non exinanitio, siue indigentia, non suctio; ergo fames animalis cunctis inest partibus sentientibus, non soli stomacho. Vlterius si appetitus alimenti, qui in ore ventriculi dicitur animalis, non pertinet ad vnum, eundemque sensum tactus, qui per omnem animantis regionem vagatur, sed alius, & diuersus esset aliarum partium sensus, profecto recipiendus esset sextus in ore ventriculi sensus; quod assertum omnes tum Medici, tum Philosophi renuunt: quare animalis appetitus omnibus partibus tactu pollentibus communis erit. Vltimo sentiri famem non in ventriculo tantum, sed in reliquo etiam sentiente corpore, inde percipitur, quod nemo vnus est, qui tristem in seipso sensum, & inæqualitatem per totum corpus non experiatur, dum inediam, & famem violenter sustinet; esuriens etenim, fitiensque passim distorquetur, inæquali motione agitatur, oscitatur, pandiculatur, stare loco nescit, dum miser cibum, potumque inhiat; quo circa si vētriculus tantum huic cupiditati subijceretur, illum solum angi, non autem vniuersum sentiens corpus experiremur: Hæc vir peritissimus.

Lib. 2. c. 327. & 352.

Ventriculo fames animalis cum omnibus ceteris membris naturalis sola.

2. de an. t. 20. et 27.

2. de an. t. 28.

Quæ licet acuta sint, adeo tamen non vrgent, vt nos de proposita sententia dimoueant, & rei natura intime perspecta dissolui nequeāt. Ad primum itaque argumentum concedentes quamplurimas partes alias, præter ventriculum, pollere sensu tactus, interpretamur placitum Aristotelis, vbicunque sensus est, ibi dolorem, & voluptatem consequi, & appetitum animalem, non cuiuscunque rei, sed speciatim illius obiecti sensilis, quod sensum iucunde, aut moleste afficere possit: quare in alijs partibus a stomacho, in quibus ponitur sensus tactus, inerit necessario dolor, & voluptas, & desiderium a calore, frigore, asperitate, atque huiuscemodi alijs tangibilibus, a quibus illarum partium sensus blandiri, vel cruciari potest; at non est necessarium eisdem partibus inesse dolorem, & appetitum ab indigentia nutrimenti, & a suctione, quia non oportet, immo vero fieri non potest vt aliæ partes a stomacho indigentiā alimenti, suctionemque sentiant, ob rationes mox afferendas; quamobrem non laborant aliæ partes corporis nostri sentientes a ventriculo fame, ac siti animali nuncupata, quæ est cum sensu suctus, & indigentiæ nutrimenti: solus autem stomachus sensu suo, quo pollet exquisitissimo, tum alias omnes qualitates tractiles, tum præsertim suctionem sentiens, & indigentiam quoque alimenti, fame, ac siti animali nuncupata maximopere torqueri consueuit; ceterum in eo ventriculus a ceteris partibus animalis tactu pollentibus dissidere uidetur, quod stomachus indigentiam nutrimenti, & suctionem in fame, ac siti sentit; aliarum uero partium omnium, quęcunque sunt in humano corpore, nulla percipere, sentireque potest triplicem potissimum ob caussam; una est, quia sensus tactus, ut belle nos docuit Aristoteles, quum sit præditus organo constituto velut in quadam mediocritate sensibilium, non potest percipere nisi exuperantias, & eo magis si agamus de priuationibus: porro uētriculus, qui non solum sibi, sed etiam uniuerso corpori alimentum appetit, & a quo cæteræ partes omnes exinanitæ trahunt, necessario debet in penuria nutrimenti sentire tum maximam indigentiam sibi, & uniuerso corpori; tum etiam communem omnium partium suctum, quæ ab illo uno alimentum postulant: modo aliæ partes, quæ sensu tactus præditæ sunt, solum sibi ipsis alimentum requirunt singulæ, nec ab ipsis ulla trahit alia pars; quum omnes a uenis sugant, & per uenas sensus expertes (carent enim neruis) a uentriculo sensus acerrimi trahere dicantur omnibus tum Medicis, tum quoque Philosophis: neque item sentiunt aliæ partes propriam indigentiam, quia

Vbi sensus, ibi dolor, aut voluptas, & appetitus.

Cur indigentia, & suctus a solo ventriculo percipiatur. Loc. cit.

Ventriculus sibi, et alijs partibus alimentum appetit.

Venæ carent, insensiles.

ea non est exuperans, quum solo sibi debito alimento priventur. Altera caussa est, quia molestia famis, & sitis quum omnino, vel maxima ex parte consistat in sensu suctionis, aut saltem magis in eo, quam in sensu indigentiæ; profecto stomachus, cui sensus inest exquisitissimus, ideo solus famis, ac sitis molestiæ obnoxius est inter partes corporis omnes, quoniam abstinentes fame, aut siti excruciati citius dolore stomachi moriuntur ob sensum suctus uniuersarum partium ab eo, & ob indigentiam alimenti proprij, aliarumque partium, quam ulla pars alia fame, sitiue crucietur, uel etiam ex propria indigentia molestiam ullam percipere incipiat; siquidem non adeo exquisito sensu pollent partes aliæ ut stomachus; nec ab ijs ulla pars trahit in ieiunio; & indigentiam solum sibi debiti alimenti sustinent, quæ priuatio quædam est fere insensilis, quum haudquaquam exuperet: Quę quum uir alter eximius non distingueret, difficilem habuit solutionem quæstionis, cur pleno uentriculo appetitus urgeat, si molestia est sensus indigentiæ; nos dicimus molestiam in fame, ac siti potissimum esse in sensu suctus, non quidem in sensu partis sugentis, sed suctæ; potius inquam in sensu suctus, quam indigentiæ; quia indigentia quum priuatio quædam sit, nō ita cruciat, & afficit sensum, quemadmodum efficit suctus, qui motus est, & positiuum quid: non consistit autem molestia famis, ac sitis in sensu partis sugentis, sed suctæ; quia sugens pars sugendo delectatur, aut saltem non patitur molestiam, etiamsi nihil sugendo trahat; quod apertissimum est in pueris lactentibus, vel nuper ablactatis, quos vbere nutricio carentes nō raro videas pollicem sibi digitum tota die maxima cum delectatione sugere nihil inde trahētes; pluresque noui eo suctu pollicis adeo delectatos vt a parentibus nulla ratione prohiberi potuerint quin ipsum in adultiorem ætatem protraxerint: sed sucta pars trahitur, distenditurque præter modum, vnde cruciatus, etiamsi nihil suæ substantiæ amiserit, ac plena turgeat alimento: sed redeamus ad pensum: Quamuis ergo aliæ partes a ventriculo polleant sensu tactus, & obnoxiæ sint dolori, ac voluptati, appetereque possint; illi tamen appetitui nō subijciuntur, qui proprie fames, ac sitis animalis appellatur, vt os ventriculi exquisitissimo sensu præditus, vnde omnes partes attrahunt velut ex communi quodam promptuario. Tertia caussa est, quia reuera molestia in fame, ac siti constituta est in suctionis sensu, non in sensu indigentiæ; namque sublato sensu indigentiæ a stomacho cibis ingestis, vrgere tamen adhuc famem notat Aristoteles, quia etiam ventriculo repleto post longam inediam statim nō desinunt stomacho cūcta mēbra sugere, quousq; a vētriculo sibi nutrimentū attraxerint; quū igitur in stomacho pleno fit suctio ab alijs mēbris omnibus, non sic vlla indigentia; certo iam cōstet appetitum in fame, ac siti esse cum sensu suctionis, sine sensu indigentiæ: Quum itaque a solo ventriculo partes omnes sugant, nullaque ab alia, quæ tactu polleat (nam venæ, ac iecoris interna substantia non sentit, quum neruis careat) manifestum est soli ventriculo famem, ac sitim, quæ sunt appetitus animales, contingere posse; alijs vero partibus naturalem appetitum inesse ad tollendam indigentiam, quæ sensum non lacessit, quia non exuperat.

Cur aliæ partes a stomacho nō sentiant propriam indigentiā alimenti.

Molestia famis, & sitis quæ maxime consistat.

11. sect. probl. 2. cur pleno ventriculo appetitus urgeat, si molestia est sensus indigentiæ.

Molestia famis, & sitis est potius in sensu suctus, quā indigentiæ.

Molestia non est in sensu partis sugentis sed suctæ.

Molestia famis, & sitis nō in sensu indigentiæ, sed suctionis sita est. 12. Probl. 2.

Ad secundum vero argumentum concedentes corpus reliquum tactu potiri, negamus primo ventriculum percipere suctionem, quia simpliciter tactu potiatur; siquidem ex Aristotele didicimus ad sentiendum non sufficere sensū, sed necessario requiri obiectum externum sensibile, quod in tactu, qui non sentit nisi exuperantias, debet esse vehemens; nam eius non ita vehementis perceptio non est nisi in sensu exquisitiori: quare statuimus ventriculum percipere suctionem, quia & exquisitissimo sensu pollet inter omnia membra, & sugitur auide, ac vehementer ab omnibus partibus: ventriculus itaque quum sensus sit acerrimi, & in eo suctio fiat, ob multitudinem partium sugentium, exuperans, ideo sentiens molestiam e suctione, fame, ac siti animal cruciatur; ceterum partes aliæ quum neque tactu adeo exquisito polleāt, neque tales sint, a quibus fiat vlla suctio, aut adeo vehemens, ideo famis, aut sitis molestiam tactu non sentiunt. Deinde negamus partes alias tactu præditas omnes præter ventriculum a proximis exinanitis particulis sugi; non enim sugit pars vlla nisi vnde alimentum trahere consueuit; sed partes omnes e venis alimētum sibi attrahunt, & per venas a iecore, ac demum continuato ductu ab ore ventriculi; nec vna pars solida ex propinqua sibi alimentum poscit; at vero quum omnes a venis capillaribus sugant; & per has a maioribus continuata suctione ab hepate, ac ore stomachi; quum venarum substantia non sentiat; &, licet obscure sentiret, nunquam venæ penitus exinaniantur viuente animali; quum iecur etiam sola tunica exteriori obscure sentiat, intrinsecus non sentiat neruorum expers qua parte sugitur, nec vnquam adeo sugatur viuente animali, vt eius substantiam texentes venæ penitus exinaniantur; propterea fit vt aliæ partes leuem suctionem, & indigentiam obscuro suo sensu non percipiant, sed os ventriculi acerrimo sensu, vnde vniuersæ partes sugunt, quique penitus exinaniri potest saluo animali, optime communem suctionem, propriamque indigentiam exuperantes percipiat, in quibus fames, & sitis, appetitusque animalis appellatus constituitur. Ad tertiam oppositionem concedentes in quacunque parte sentiente sensum esse alimenti, absolute non damus vbi sensus est alimenti, ibi famem esse animalem, qua de loquimur; verequidem nusquam dixit Aristoteles vbi sensus alimenti est, ibi famem reperiri, sed vicissim, quibus appetitus, & fames inest, ijsdem sensum quoque inesse alimenti, qui tactus est; cuius ea ratio est, quia quæ partes adeo exqui-

2. De an. t. 60.

Ad sentiendum non sufficere sensum.

2. De an. t. 118.

Vnde sugant partes.

Venæ sensus expertes.

Iecur obscure sentit exterius.

Vbi sensus alimenti, an ibi fames. 2. De an. t. 27. & 28.

sito

ficto sensu pollent, vt indigentiam, & suctũ percipiant, cæ nullo negocio alimenti præsentis positiuas qualitates sentient; at quæ possunt partes alimẽti præsentis qualitates sentire, non ideo poterunt alimenti egestatem, & suctum percipere; quippe ad hæc dignoscenda longe acutiori sensu opus est, quam ad alimenti præsentis qualitates percipiendas. Deinde vero esto fames vbicunque sensus est alimenti, dicimus id verum esse de fame naturali, nõ autem de animali; siquidem omnia membra ideo sensum alimenti habere dicuntur, quæ tactu pollent, quia ex alimento percipiunt iucunditatẽ, dum eo fruuntur præsente: licet naturali appetitu citra cognitionem illud prius attraxerint exinanita; ceterum cognitio, quæ constituit in esse famem, & appetitum animalem, non est sensus alimenti præsentis; quum appetitus vbique sit obiecti absentis apud Aristotelem; sed est sensus suctionis, &, si placet etiam, indigentiæ; quum autem huiusmodi sensu solũ polleat ventriculus aliæ vero partes careant, ob rationes nuper allatas, quamuis omnes cum ventriculo habeant sensum alimenti præsentis, quia tamen molestiam ex absentia debiti, & ex suctu non percipiunt, ideo fame, ac siti animali non cruciantur, cui coniunctus est sensus molestiæ ob suctionem, vt ventriculus. Ad quartam instantiam negare liceat in ventriculo nihil esse animalis appetentiæ caussa, quod non sit in alijs partibus sentientibus; namque in ventriculo est sensus tactus acerrimus in ea parte, a qua fugunt alia membra; inest exuperans indigẽtia nutrimenti vniuerso corpori necessarij; inest insignis tractio, & suctio eunctarum partium; quæ omnia simul iuncta sunt caussa immediata famis, ac sitis animalis appellatæ; modo hęc omnia in alio membro nullo reperias, nam in hepate, a quo trahunt antequam a ventriculo partes aliæ, obscurissimum sensum inuenias, & hunc in tunica extrinsecus eius substantiam inuestiente, ad quam non pertingit suctio; siquidem fugunt mẽbra ex eius substantia interiori, quę sensus est expers: venæ quoque, vnde proxime fugunt partes omnes alimentum, tactu non pollent, quum neruis careant, perinde atque caro hepatis: ossa vero, cartilagines, & ligamenta huiusmodi non sunt, a quibus vlla pars alimentum trahat, nec vllo sensu prædita sunt, quum neruis destituantur, qui sunt intra carnem latẽtia organa tactus Aristoteli: carnes autem, seu musculi, & nerui, neruosæque partes omnes a stomacho licet sensum tactus habeat, & pleræque illarum exquisitum, quia tamẽ ab eis nulla pars fugit, cunctis a venoso genere fugentibus, perque venas ab hepate, ac per iecur a stomacho, ideo sensum suctionis non habent, in quo consistit appetitus animalis; & quamuis habeãt indigentiam alimenti proprij, quia tamen ea non est exuperans, vt dudum ostendimus, proinde nec habent sensum indigentiæ: solus itaque vẽtriculus, cui acer inest sensus, quique maxime indiget, ac exuperanter, quum sibi, & alijs indigeat partibus omnibus: & a quo cetera cuncta membra fugunt, solus inquam ventr. cuius molestum habere potest sensum indigentię, ac suctionis; & propterea solus habere potest famem, & sitim, quæ dicitur appetitus animalis. Ad quintam obiectionem concedentes appetitum alimenti, qui animalis dicitur in ore ventriculi, pertinere ad eiusdem generis sensum tactus, quo cum vẽtriculo communicant ceteræ partes; negamus tamen aliarum partium appetitum esse animalem, & cum cognitione, quia cognitio hęc efficiens appetitum animalem est cognitio suctionis, & indigentię: quas sensu suo aliæ partes non percipiunt, percipit autem ventriculus, quia partes aliæ vel nulla ratione fugiuntur, leuẽque indigentiam alimenti habent: quippe quæ sibi solis indigent: vel nullũ, aut lenfum hebetiorem obtinent: contra ventriculus acerrimo est sensu, maximamque suctionem, & indigentiã patitur: quum ab omnibus fugatur, & sibi, atque omnibus indigeat: sic tu vola manus, & summis digitis eas qualitates percipies ob aciem sensus istarum partium, quas passiones tergore, ac suris non senties, quibus sensus inest obtusior: quanto magis si hebetiori sensui minus excedentia sensibilia obijcias, quam vegeto? Non ergo quæ stomacho sentiuntur, illa protinus ab alia quauis parte sensitrice percipi debent; nec, si ventriculus maximam suctionẽ, & summam indigentiam sentit, illico partes aliæ, præsertim hebetiori sensu præditæ, debebunt leuem, & exilem indigentiam sentire. Ad sextum argumentum concedentes in magna fame, ac siti non solum ventriculum pati, verum etiam vniuersum corpus affici, negamus proinde fieri vt fames, ac sitis, qua est appetitus animalis cum tristi sensu indigentiæ, suctionisque, sit affectio & ventriculi, & aliarum partium sẽtientium; nã in fame, ac siti cruciante perse primo stomachum accidit esurientes, ac sitientes distorqueri, oscitare, pandiculari, & inæquali motione agi ob vnam ventriculi molestiã: tum etiam stomacho trahente in consensum partes alias: hoc enim experiaris quoque in alia quauis parte: nam dolentes capite, vel dẽte, ceteris partibus beneualentibus, videre est inæqualiter agi, toto corpore concorqueri, contremiscere, aliasque multas agitationes in ceteris membris perpeti ob solum consensum, quẽ natura posuit inter partes corporis: de quo præclara est Hippocratis sententia, confluxus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia. Ita ergo soli vẽtriculo sitis, & fames cum sensu, siue appetitus animalis inest: alijs vero partibus omnibus fames, ac sitis absque sensu molestię, atque omnino appetitus naturalis, qui plantis etiã inesse dicitur.

Cur alia membra sensu alimenti pollere dicuntur, quæ tactu pollent,

6. Phy. 19, 81.

Caussa immediata famis, ac sitis animalis.

Ex decreto Aristotelis sunt nerui organa tactus.

2. De an. t. 116.

Partium cõsensus.

Li. de alimento.

Vt dolor famem, ac sitim præcedat veluti caussa, non subsequatur quasi effectus. Cap. LIII.

Li. 2. cap. 127.

Eodem in loco eundem virum aduersantẽ habemus, qui sanximus dolorẽ, tristemque illam sensationem, quam percipimus esurientes, & sitientes in ore vẽtriculi, esse caussam cõstitutiuem famis, & sitis, quate nus vtraque

ducitur appetitus animalis; quũ ex aduerso statuat vir egregius dolorem subsequi præcedentem famem, sitimque, veluti proprium vtriusque symptoma in hanc sententiam. Quumque (ait) controuersia sit an famis, & sitis essentia in dolore sita sit, propositionem pono negantem; etenim horum duorum forma dolor non est; nam dolor, & molestia symptoma est famem, sitimque sequens; præit quidem natura fames, & sitis, consequitur dolor, & angor: A quibus tamen difficultatibus liceat etiam nos liberari; primo enim concedimus dolorem nõ esse formam famis, ac sitis; quippe dolor formaliter passio est sensus cognoscentis; fames autem, ac sitis est affectio facultatis appetentis apud Aristotelem; sed negamus proinde fieri vt molesta sensatio non sit caussa famis, & sitis; est enim vtriusque caussa efficiens, si non formalis; nam molestia præsens excitat facultatem ad appetendum id, quo molestia tollatur; appetitus autem est forma famis, ac sitis. Deinde vero concedentes dolorem absolute symptoma esse, negamus ipsum esse symptoma famem, ac sitim consequens; quia famem, ac sitim necessario præcedit suctio, & indigentia vrgens, cuius vtriusque, suctionis nempe, ac indigentiæ urgẽtis symptoma est dolor, cuius effectus est fames, ac sitis; nam suctio distendens, distrahensque quod sugitur, morbum parit in solutione continui; at vero indigentia est defectus humoris, & proinde intemperies; sed intemperiei, solutionique continui dolor est symptoma immediatum; quo quum suscitetur appetitus ad cupiendum præsidium, vnde tollatur suctio, & indigentia; dolor ideo famis, & sitis caussa esse statuitur: Neque enim raro contingit adeo subordinata esse symptomata, vt symptoma vnius morbi sit caussa symptomatis, aut morbi alterius; quare symptoma suctionis, & indigentiæ, quod appellamus dolorem, est caussa efficiens famis, atque sitis. Deinceps negamus præire natura famem, ac sitim, quam consequatur dolor, & angor; siquidem fames, ac sitis, quæ appetitus sunt, non ante adsunt animali, quam facultas ad appetendum impellatur a molesto suctionis vel etiam indigentiæ sensu; qui angor ita famem, ac sitim natura præcedit, vt etiam indiuisibiliter concomitetur; est enim dolor caussa famem, & sitim efficiens simul & conseruans; qua efficiens est, præit; qua vero conseruans, concomitatur suos effectus. Demum animaduertimus duplicem esse posse dolorem in fame, ac siti, vnus est in ore stomachi, alter in alijs partibus; dolor in ore stomachi semper famem, sitimque natura præcedit velut caussa efficiens, & concomitatur veluti conseruans; dolor autem aliarum partium fame, ac siti posterior est; sed non ea ratione posterior, vt ab ijs affectibus veluti effectus, & symptoma exoriatur; quippe fames, ac sitis partem appetentem sequuntur, nec sentientem lędunt vllo pacto; sed in alijs membris angor enascitur consentientibus dolenti stomacho; nimirum

Dolor cur non sit forma famis ac sitis.

2. de an. t. 28.

Molesta sensatio caussa efficiens famis, ac sitis.

Symptomata sub ordinata.

Dolor est caussa efficiens & conseruans famẽ, ac sitim.

Dolor nullus est fames, ac sitis effectus, ac symptoma.

tristis illa in ore ventriculi sensatio suctionis, ac si placet etiam indigentiæ, vbi vrgeat, primum quidem suscitat facultatem appetentem ad munus suum, & ita famem, sitimque procreat; deinde vero inualescente molestia stomachi, trahuntur in consensum aliæ partes, quibus quoquopacto communicatur vẽtriculi passio. vt satis appareat aliarum partium angorẽ post famem, ac sitim fieri; non tamen ex fame, ac siti veluti ex caussa, sed ex eadem caussa, vnde prius fames, ac sitis ortum habuerant, exoriri: Sic ergo fames, ac sitis a dolore, & cum dolore sunt, vt quæ dolorem non pariant, nec penitus sequacem obtineant, sed ducem, & socium; sique sequacem, non filium, sed fratrem natu minorem.

Cur pinguedo, & adeps alere non possit.
Cap. LIV.

Dum antea disputabamus adipis, & pinguedinis colliquamenta ieiunantibus nõ cedere in alimentum, aperte Celso, & Galeno Medicorum procenibus refragari visi fuimus; Celso quidem scribenti omnia pinguia quam macra plus alimenti habere; Galeno autem ex obseruatione doctissimi Laurentij constituenti adipem per inedias in alimentum conuerti posse; Verum enimuero Medicinæ Principum sententia intime perspecta, liquido constare poterit a nobis eos non dissentire in proposito: Celsus etenim loco citato non loquitur de adipe ac pinguedine simplici, de quibus nũc nobis instituta est disputatio, at de carne pingui; ceterum vt nos haud infitiamur Celso eadem omnia pinguia quam macra plus alimenti habere; sic nobis haud negat Celsus puram pinguedinem alimento non esse; id enim sortiuntur a pinguedine pinguia, vt plus alimenti habeant quam macra, non quia pinguedo ipsamet in alimentum cedat, sed pluribus alijs de caussis; vna est, quia pinguedo est indicium alimenti, non alimentum; quæ namque macra sunt, ea sunt a prædominio sicca, paucoque scatent humido alimentari; quæ vero pinguia, vt a calore mediocri non torrefacta, sic multa humiditate cum alimentari, tum etiam pinguia affluunt. Altera caussa est, quia ex ijs edulijs vberius alimentum elicitur, quæ melius a calore natiuo subiguntur, & atteruntur; quum igitur macra, ob substantiæ suæ duritiem, ac densitatem, reluctentur maxime actioni caloris, nec facile ab eo elaborentur; contra pinguia quum mollia sint, facile a calore patiantur, & ex ipsis nullo negocio quicquid intus latet alimẽtosi segregetur ab inutili excremento; propterea fit vt etiam non cedente in alimentum pinguedine, pinguia tamen plusquam macra nutriant. Tertia caussa est, quia calor innatus concoquẽs vtitur pinguedine ceu instrumento ad extrahendum succum alimentarem ex ingestis edulijs: vt enim chymici, seu iatrochymici ad extrahendam quintam essentiam, seu extractum nun-

Lib. 2. c. 152.

Li. 2. c. 18.

Cur pinguia, quã macra plus alant, si pinguedo non alit.

Pinguedo est indiciũ alimenti, non alimentum.

Macra difficilius coquuntur.

Iatrochy micorum mos in educenda quinta essentia ex aridis.

nuncupatum e rebus aridioribus, vt puta ex rhabarbaro, & alijs id generis, ea prius macerant in humore aliquo, potissimum in aqua vitæ, cito solidiorem substantiam per occultos poros permeante; quem humorem postea sublimatione vi caloris de macerato extrahentes, simul cum eo educunt rei quintam essentiam nuncupatam; sic prorsum pinguedo vi caloris fusa facile solet extrahi, & secum illius glutini quasi alligatus educitur de intimis eduliorum partibus alimentarius humor; quo nomine pinguia plus nutriunt quam macra, etsi pinguedo non alat. Deinde vero Cornelius eo loci non comparat simpliciter pinguia cum macris, vt obijcitur, sed in eodem genere, vt gallinam pinguem cum macra; scite autem illam hac magis nutrituram pronũciat, non quia pinguedo nutrire valeat; sed quia eadem caussa, ob quam macra pinguedine caret, simul cum pingui consumpsit etiam humidum alimentare; quod apertissime constat in salitis; nam si carnis frustum recens sine pinguedine sumas pondo sesquilibræ, & sale condias, post multum temporis a sale cõsumptam reperies adeo multam substantiam alimentosam, vt longe minus tunc alimenti præbeat, quam recens exhibuisset; sal autem nihilominus pinguedinem consumpsisset, si pinguedinem habuisset; vt verum sit propterea eadem pinguia magis alere quam macra, non quia pinguedo sit alendo corpori, sed quia simul ab vna, & eadem caussa, quæcunque sit illa siue inedia, siue nimia exercitatio, siue alia quælibet, pinguedo, & humiditas, substantiaque alimentitia consumitur; Quæ sententia fuisse Celsi videtur eo in loco, nam perspicuis verbis de salitis etiam meminit inquiens, *Deinde eadem omnia pinguia quam macra, recentia quam salsa, noua quã vetusta plus alimenti habent, tum res eadem magis alit iurulenta quam assa*: Non ergo Celsum habemus aduersarium. Multo minus Galenum, cuius locum nullum inuenio, in quo ipse asserat adipem per inedias in alimentum verti; quum tamen vicissim plurima loca viderim, vbi pinguedini vsum nullum alium adscribit, quam fouere, ac roborare calorem in coctione alimentorum: Nisi forte obijciatur locus, vbi ad verbum ista leguntur, *Nec vero pinguedo quoque vlla in re neruos desiderat, quæ instar olei pinguis partibus animantis membranosis, ac neruosis est affusa: porro ipsius origo, atque vtilitas hæc est, generatur ex sanguinis parte pinguiore per tenues venas effusa; affusa autem siccis corporibus, ac tenuibus, vt ea ipsa corpora pingui natiuo humectet, quæ celeriter in diuturnis inedijs, ac vehementioribus exercitationibus, & caloribus immodicis exsiccantur, atque indurescunt*: Hæc Galenus: in quibus ego quidem non assequor ipsum profiteri pinguedinem per inedias in alimentum cedere, sed aperte video eundem asseuerare vtilitatem pinguedinis eam esse vt humectet, & emolliat partes, quibus affusa est, dum contigerit eas celeriter exsiccari, atque indurari, siue in diuturnis inedijs, siue in vehementioribus exercitationibus, siue in caloribus immodicis; tria hæc enim partes desiccant, desiccando indurant; desiccant quidem inediæ, quia in ijs calor non auocatus ad humidum alimentare totus primigenium celeriter absumit; exercitationes autem vehementes, caloresque immodici dissoluunt humiditates secundas partibus inspersas, easque depascuntur; & post ipsas etiam radicalis humidi substantiam exterminant: caeterum huiusmodi partium propositæ de caussis exsiccatarum, & induratarum humectatio, & emollitio fit a pinguedine sola sui præsentia, sine eo quod ipsa in earum substantiam vertatur; quod est dicere, absque eo quod alat; sed solum veluti linimentum, siue vt medicamẽtum id pinguedo efficit, non vt alimentum: Immo neque possit nisi oppositum ei, quod asserit vir egregius, ex hoc loco Galeni deduci; si enim vsus pinguedinis est in longis inedijs, vehementibus exercitationibus, & æstibus exsiccatas, & induratas partes, quibus affusa est, humectare, ac emollire; iam tunc pinguedo alteret partes, obtineatque virtutem agendi; at vero alimentum nutriendo mere patitur, non agit, non mutat vllo modo naturam partis, quæ alitur; sed vicissim ipsum in partis nutriendæ naturam commutatur: Quare pinguedo in longis inedijs ex Galeno haud cedat in alimentum partium, sed in medicamentum; alioqui non membranas, quibus affusa est, quæ terreæ sunt a prædominio; sed carnes, aliasque partes molliores aleret sibi consimiles; quum alantur omnia similibus.

De anat. viuor.

De vtil. resp.

16. De vsu p. c. 2.

Galeno an pinguedo nutriat.

Pinguedinis origo, & vsus apud Galenum.

Pinguedo consulit partibus inedia exsiccatis vt medicamentũ, non vt alimentũ.

Alimentum nutriendo patitur.

2. De an. c. 45.

Vt medulla non sit alimentum, sed excrementum ossium. Cap. LV.

SEd & in eo deliquisse nos putat vir eruditus, quod negauimus ossa nutriri adipe; quum tamen Hippocrati, & Galeno alantur medulla, quæ Aristoteli genus quoddam est seui, atque pinguedinis. Quæ oppositio non vno modo tollitur; in primis adnotamus Aristotelem non asseuerare medullam esse pinguedinẽ, aut seuum, vt obijcitur; sed coctionis opera inquit medullam euadere seuo, & pinguedini consimilem. Deinde potius eum Aristotele opinamur medullam esse ossium excremẽtum, quam cum viro eruditissimo alimentum; ratio nõ vna occurrit, qua subscribamus Aristoteli; prior est, quia nutrimentum simile debet esse nutriendo; quum longe absit ab ossium temperamento, & consistentia medullæ temperies, atque substantia; ossa enim & Galeno apertissime non vno in loco, & Aristoteli quoque terrea sunt a prædominio, & propterea non sentiunt; medulla vero aerea, & ignea: sed altera ratio est, quia non omnia ossa medullam continent, vt notat cum Aristotele Galenus; sed veluti absque nutrimento nequit vlla pars enutriri; sic enutritæ partes haud semper seruant excrementa sensibus conspicua; pleræque enim

Li 2, cap. 152.

Li. de alimento

3. de fac. nat. c. vl.

2. De par. ani. c. 6.

Medulla ossiũ non est pinguedo.

Ossa sunt a prædominio terrea.

Ossa cur non sentiant.

1. De elo c. 5.

9. de simpl fac. c. 2

3. De an. c. 66.

Nõ omnia ossa medullam habere.

ex-

(Marg.: Partes quæ habeant excrementa insensibilia. Medulla ut sit ossium excrementum. Hippocrati ut medulla dicatur alimentum ossium.)

excrementa emittunt insensibilia, vt ad quas fertur alimentum defæcatius: Erit igitur medulla non vere alimentum ossium, sed alimenti ossium excrementum digestum, ea ratione qua lac mammarum, & semen testium excrementum dicitur. Ad Hippocratis autoritatem dicimus nomine medullæ, quam dicit esse alimentum ossis, eum intelligere non medullam proprie dictam, quæ substantia est adipi, seuo que similis; sed succum alimentarem, quo substantia ossium spongiosa referta est; hic enim succus vere alimentum est ossibus, cuius succi tenuius excrementum segregatur vi caloris, & coquitur in medullam, traditurque ad cauitatem, veluti ad conceptaculum consimiliter Galenus inquiens, qualis est sanguis carnibus, talem ossibus esse medullam, medullæ nomine forte succum alimentarem ossium significat, quem canes maiori nescio an labore, an voluptate ex ossibus eliciunt; cujus succi oleosa pars alendis ossibus inepta vi coctionis in medullam cedit proprie dictam, quæ intra caua ossa reconditur, a solidis ossibus exit inutilis.

Ieiunia per accidens, & apparenter calefacere; vere, ac per se calorem non acuere, licet per se sitim procreent. Cap. LVI.

(Marg.: lib. 2. ca. 155. 157. de vit. & mor. ca. 3.)

IN eo autem ab Aristotele præterea dissentire videmur viro solertissimo, quod supra negauimus inedijs calorem augeri, & acui; namque Aristoteles alicubi citatis verbis ait *Ieiunia calefacere, & sitim facere*: ceterum penitius introspicienti mentem Aristotelis eo in loco, nil nobis inde obijci posse videbitur de proposito, nam vt alimentum ore ingestum corpulentia sua recludit viam tenuiori aeri, qui frigiditate calorem internum ventris contemperat, sic ex aduerso inedia non patefaciens aditum externo aeri ad intima viscera, dicitur calefacere, quia calori nullum refrigerium affert, quod est calefacere, negatiue, seu priuatiue, ac minus proprie, id tamen sat est eo loci ad propositum Aristoteli demonstranti alimentum ingrediens introducto aere calorem refrigerare, quia ieiunia calfaciant, vt infra etiam fusius explicabitur. Deinde vero ieiunijs calor absumit pituitam, si quæ in corpore inest, eamque vlteriori coctione in alimentum vertit primum, sed post pituitam calor cibo priuatus, in quem agat, omnes sui vires conuertit ad humidum radicale depascendum: quare in primo illo statu ieiuniorum, quo calor pituitam concoquit, videtur calor augeri, sed reuera non augetur; videtur sane augeri, quia cuius vires a pituita hebetabantur, & opprimebantur, pituitæ frigiditate per coctionē sublata calor exertis viribus videtur adauctus, sed reuera non auctus est, quia illi neque materia calida, neque gradus caloris vllus de nouo additus est: sic vulgo Medici dicunt purgans

(Marg.: Inedia no calefaciat.)

medicamentum, quo euacuatur humor, qui copia vires opprimebat, auxisse vires; quum tamen vires inde non creuerint vllo pacto, sed oppressis dempta fuerit humorum sarcina: In secundo autem ieiuniorum statu, quando calor pituita concocta vtitur ceu alimento, tunc vere quidem calor augetur, at non inedia, seu ieiunio, sed alimento; estque tunc æquiuoce ieiunium, nempe nomine, ac sensui, non re; In tertio demum ieiuniorum statu calor conuersa pituita in alimentum, & alimento in partium substantiam, demum totus ad humidum radicale consumendum conuertitur, inde non auocatus a pituita, nec a cibo vlla ex parte; humidi autem substantifici consumptione siccitas inducitur, quæ immediata est caussa sitis naturalis; hæc enim sitis, quæ a ieiunijs ortum ducit, ex siccitate est, citra æstum caloris; nam ieiunia vel non positiue calfaciunt, vt in primo statu; vel si positiue calfaciunt ieiunia æquiuoce dum pituita cocta in alimentum uersa per nutricationem augent substantiam calidam, non adeo vim caloris acuunt, ut hic euadat colliquatiuus, aut desiccatiuus; Nobis igitur supra decernentibus fame calorem non acui, sed hebetari, non refragatur Aristoteles hic statuens ieiunia calefacere, ac sitim facere; nam uel apparenter, non autem reuera calefaciunt, uel æquiuoce ieiunia sunt quæ calefaciunt; eaque non magis calefaciunt quam commessationes; immo longe minus, quia nutrimentum ex pituita non nisi frigidum progignitur, & sitim faciūt consumendo humidum citra caloris æstum.

(Marg.: æquiuoce ieiunium.)

Vt alimentis non refrigeretur per se vlla ratione calor natiuus. Cap. LVII.

(Marg.: lib. 2. de 167. li. 3. c. 19.)

SIllud etiam plerisque a uero abesse uisum est, quod olim constituimus alimentorum seu calorem natiuum non refrigerari, opponitur autem nobis ratio, & Aristoteles; ratio quidem, quia uulgatum satis est calorem humiditate remitti, ac hebetari, siccitate uero acui &, intendi; quum ergo satis constet per inedias corpus desiccari, & per alimentorum præsentiam humectari; quippe alimentum omne species est humoris; plane confiteri opus est calorem internum alimentorum usu refrigerari: Immo quum omne alimentum sanguinis naturam sortiatur, & proinde humidam, cum ea latitudine, ut pro uarietate ciborum sanguinem modo magis, modo minus humidum generemus, profecto qua ratione sanguis humidissimus feruorem febrilem temperare potest; unde Hippocrates uictum humidum febricitantibus omnibus conferre statuit; eadem plane ratione sanguis absolute omnis humiditate sua naturali minorē natiui caloris æstum refrigerare debebit: Cui dogmati aperte uel Aristoteles adstipulari uidetur ubi scribit in hanc sententiam, *Quoniam autem omne viuens*

(Marg.: 1. aphor. 16.)

(Marg.: de iu. & sen. c. 4.)

habet

hab et animam; ipsum vero non existit sine naturali caliditate, sicut diximus; plantis quidem per alimentum, & continens sufficiens fit auxilium ad naturalis calidi conseruationem: etenim alimentum facit refrigerationem ingrediens, sicut ex hominibus, qui primum cibum sumpserunt: ieiunia autem calefaciunt, & sitim faciunt: immotus enim existens aer semper calefit, alimento autem ingrediente refrigeratur motus, donec vtique assumpserit concoctionem. Hæc Aristoteles. Ceterum his non obstantibus, & hic asserimus calorem fixum ab influente distinctum alimento refrigerari nec debere, nec posse; non debere, quia in sano animali mitis est, ad influentis discrimen, qui spirituum igneorum copia nixus adeo æstuat, vt digitum in cordis ventriculo sinistro influentis caloris fonte detinere non possis quin vraris, Galeni testimonio; quum tamen cordis substantia nuper inactato animali impune diu tangi valeat: Immo vero & quum æstuat maxime calor fixus, vt in hectica febre, mitis nihilominus adeo est, vt vix sensu percipiatur; quamobrem ex se nullo indiget refrigerio: si quo autem egere illum contendas, certe sufficiet illi refrigerium ex aere intrinsecus attracto, nec vllo ex alimentis opus babebit. Non posse autem calorem alimento refrigerari ex eo paret, quoniam alimenta omnia, & præsertim cibaria, calidam naturam obtinent, quippe obiectum famis existunt, quam definit Aristoteles esse appetitum calidi; quum nemini dubium sit calorem omnem calidorum quorumcunque adiectione intendi, non refrigerari: etsi vero ponamus alimenta omnia simpliciter calida esse, haud tamen infitiamur alia alijs calidiora esse, & quæ minus calida sunt, calidiorum comparatione appellari frigida: sed ad obiectionem primam concedentes corpora ob inediam desiccari, & alimentorum vsu humectari, rectiori sensu intelligendum putamus vulgare dogma, calorem siccitate acui, humiditate refrigerari; non enim hoc de omni calore, deque omni humore, ac siccitate verum est; namque in primis duo quum sint elementa calida, ignis, & aer; profecto calorem igneum siccitas acuit, bumiditas hebetat, quia per naturale coniugium igneo calori siccitas nubit; sed calor aereus, qui naturale commercium cum humiditate sortitur, humore potius quam siccitate intenditur; quapropter pari Solis radio aer post pluuiam, vel imminente pluuia humidis vaporibus refertus calidior percipitur, quam post longas serenitates a ventis desiccatus: Quum ergo calor naturalis viuentium natura iunctus sit cum radicali humore, ac proinde aerei caloris potius, quam ignei sortem adeptus fuerit: propterea is ex eorum calorum numero eximendus est, qui bumiditate remittuntur: Atque hoc non solum de fixo calore nuncupato accipiendum est, verum etiam de influente; nam vterque humori adiunctus est a natura, ille primigenio, hic alimentari: & quum vterque ad subiecti sibi bumoris incrementum intendatur, & decrementum hebetescat, icciirco pueris, quibus magis inest bumoris primigenij, & minus alimentaris: nam quo sunt ortui proximiores, eo minor humoris primigenij portio ipsis consumpta est; quo autem minora vasa, & exiliora corpora obtinent, eo minorem alimenti copiam in se continent; propterea inquam pueris fixus calor vegetior, & maior inest; influens autem mitior, & minor quam iuuenibus: falsum est ergo absolute calorem natiuum animalium siccitate acui, & bumiditate retundi. Alioquin etiam senes, vtpote iunenibus natura sicciores, calorem fixum ijsdem baberent acriorem, acutioremque; quod neminem dicturum arbitror, qui Medicinæ, ac Physiologiæ sit initiatus: Neque putes in senibus calorem ab bumiditate excrementitia, qua plurimum scatent, hebetari; namque humiditas ea in senibus redundans quum frigiditatem adiunctam habeat, nec partibus flacciditatem conciliet, duris, densisque senum corporibus persistētibus; sane calor senum bebetatur tum ad humoris subiecti consumptionem, tum quoque a frigiditate pituitæ, non autem ab excrementi huius bumiditate; illa enim partes flaccescerent necessario, qua partium calor hebetaretur: quod mox explicabitur. Deinde vero quæ calorem bumiditas bebetare, ac siccitas acuere potest, non omnis est indifferenter, ac speciatim non externa, & absens quoquopacto a caloris subiecto, sed quæ subiecto ipsi commiscetur, atque adiungitur; nam ea ratione calorem humiditas hebetat, & siccitas acuit, quia calori subditam materiam illa relaxat, emollitque: contra hæc densat, induratque: quippe calor, ceteris paribus, valentior, & actuosior est in materia dura, & densa, quam in molli, & rara: Modo alimentaris humiditas non commiscetur subiecto fixi caloris ita vt ipsum emolliat, & rarefaciat: siquidem subiectum boc substantia est solidarum partium, cui adiuncta humiditas alimentaria tantum abest vt in subiectas partes agendo illarum substantiam relaxet, ac emolliat; quod potius alimentum ipsum siccescat, & duritiem, soliditatemque partium induat, in earumque substantiam transmutetur: quia ergo alimentum solidis partibus applicitum sub propria forma non permanet, sed in earum naturam conuertitur, illas ideo non emolliens, aut rarefaciens calorem earundem hebetare non potest, quem tamē hebetant excrementitiæ humiditates, quæ quum haud sint alendo corpori, si dispergantur in vniuersum habitum, vt in hydrope fit, atque in fame, ac malo habitu contingit, flaccidam partium substantiam, mollemque, ac raram efficientes caloris insiti robur eneruant. Ad secundam vero rationem cōcedentes omne alimentum sanguinis naturam sortiri, & humidam; cum ea latitudine, vt pro varietate ciborum sanguinem modo magis, modo minus humidum, virtute præsertim, contrahamus, non admittimus qua ratione sanguis humidissimus febrilem calorē temperat, eadem sanguine simpliciter calorem natu-

Calorem fixum alimento nō refrigerari.

Calor fixus cur mitior influente.

Cur hectica febris calor mitis.

Alimenta omnia calida vt sint absolute.
2. de an. t. 32.

Calor vt siccitate acuatur, humiditate refrigeretur.

Calor, qui humore potius quam siccitate intēditur.

Cur aer imminente, vel proxime transacta pluuia magis calidus.

Calor natiuus cur humore non remittatur, sed intendatur.

An pueris calor sit vegetior quam iuuenibus.

Calor natiuus siccitate nō intenditur.

Calor senū haud hebetatur humore excrementitio.

Humor qua rōne calorē hebetat, & siccitas acuat.

ralis in viuentibus, atque in animalibus præsertim fundatur spiritu; at vero spirituosi caloris ea natura est, vt, nisi leuiter agitetur, ac moueatur, quasique flabello ventiletur, facile æstuet, æstuque illo subiectum sibi consumens humorem, ad eius exterminium & ipse tabescat; alimentum igitur ingrediens in corpus viuentis mouet necessario leuiter in eo spiritum, & calorem, qui eo motu aliquantisper refrigeratur: Quæ omnia consentiens Hippocrati aperte innuit Aristoteles inquiens alimentum facere refrigerationem, non perse, sed ingrediens, quasi in ingressu aditum parans aeri tenuiori quo postea calor refrigeratur, & sane non aliunde statim a cibo perfrigeramur, & horrore concutimur, vt monet Aristoteles, quam aere vna cum alimento ingrediente, atque ventriculi os vellicante: Quin idem aer & eodem ingressu mouens internum spiritum, qui si persistat immotus, æstuat; vt hac ratione quoque in hominibus longum ieiunium passis alimento demum assumpto contingat calorem refrigerari per accidens; perse vero non nisi ab aere vna cum cibo in ventrem attracto, & internum spiritum mouente: Quare sicuti animalibus alimentum non est necessarium ad refrigerium caloris absolute, atque perse; quippe refrigeratur eorum omnium calor a continente, seu ambiente, quod est aer, & aqua, vt paullo post subdit Aristoteles, non autem ab alimento; pari ratione de plantis hoc ipsum constituere oportet, id quod aperte ibidem statuit Aristoteles inquiens, si æstate fortes accidunt æstus, & non possit quod trahitur ex terra humidum refrigerare (quia scilicet aer vna cum alimento ingrediens, & extrinsecus ambiens tanta caliditate polleat, vt refrigerando calori sit ineptus) corrumpitur marcescens calidum, & dicuntur sphacelismum pati, & sideratæ fieri arbores his temporibus; quapropter & genera quædam lapidum radicibus subdunt, & aquam in vasis, vt radices infrigidentur plantarum; quæ sane haudquaquam oporteret radicibus subdere, si plantarum calor alimento per radices ex humo attracto refrigerari posset: Hæc satis aperte roborat frequēs experimentum, quo passim cum Aristotele comperias homines plurimos a cibo rigere, ac horrore concuti, cuius passionis non aliunde origo est, quam vel ex aere vna cum cibo in vētriculum affatim lapso, cuius frigiditate rigens ventriculi os, & spina dorsi ventriculo proxima secum trahunt in consensum reliquas omnes corporis particulas, quibus communicant: vel ex recursu caloris influentis a corporis habitu ad membra coctioni dicata, quo destitutus calor fixus illarum partium remittitur, remissus autem partium molem sustinere non potens firmiter, tremorem horrori, ac rigori similem inducit; sic enim tum senes, tum veneri, aut baccho nimium indulgentes ob penuriam caloris influentis nequeunte fixo firmiter sustinere membra, tremere consueuere: ita ergo per accidens vbique alimento calor fixus refrigeratur, siue id faciant alimenta deferendo aerem ad caloris sedem, siue ab eius cōsortio reuocando calorem influentem; hoc enim fixus roboratur, qui aere temperatur maxime. Quod autem de ieiunijs affert Aristoteles, dum ait ea calefacere, ac sitim facere, non ideo ab opposito conuincit alimentum per se refrigerare; nam ieiunia per accidens, & apparenter calefaciunt, non perse, ac vere: nimirum quia in ieiunijs calor consumit humiditates pituitosas, quibus eius acies videbatur obtundi: ijs vero consumptis non ideo calor exardescit, licet vegetior videatur: nam reuera imbecillior est, quia simul cum excrementitia non nihil etiam substantificæ humiditatis consumit, & post excrementitiam auide salutarem depascitur, vnde caloris languor, vna & sitis a siccitate: sed hæc fuse superius.

Cur a cibo statim perfrigerati horrore concutiamur

De iuu. et sen. c. 3.

Cur a cibo rigeāt, horreātq; plurimi.

Cur senes salaces, et bibaces tremant.

Galeno item alimentum non refrigerare calorem natiuum, nisi per accidens, sed per se illum augere. Cap. LIX.

HVc ea faciunt, quæ profitetur aliquando Galenus inquiens, *Tanquam enim ignis idoneum alimentum ignem ipsum auget, ita quicquid corporum natura calidorum proprium, & naturale est nutrimentum, id ca semper non solum roborabit, sed etiam insitum eorum calorem augebit: atque id quidem omnis nutrimenti communis effectus est. Iam vero ab ignis exemplo non digressi admoneamus rursum de lignis humidis, quæ ipsa quoque ignis nutrimentum sunt, ceterum non statim, aut continuo, coque sæpenumero igni iniecta nō solum flammam quasi sopiunt, sed etiam, si imbecilla est, & parua, corrumpendæ quoque eius periculum afferunt: sic profecto & in animalibus cibi, qui vti prorsus assimilentur, & corpus nutriant, spacio egent, hi frigus vniuersi potius quam calorem afferre in præsenti videntur: ceterum calfaciunt hi quoque tandem non secus ac reliqui cibi, si semel vt corpus nutriant sint consecuti: omne enim nutrimentum, quatenus nutrimentum est, animalis calorem auget.* Ita Galenus, vt vel ex eo constet alimentum suapte natura, & perse calefacere, refrigerare vero non nisi per accidens, & parum ab initio antequam nutriat, seu potius dum corpus ingreditur secum aerem afferens perse refrigerantem: quod aperte insinuat posterius, dum ex Aristotele admonet ipse idem Galenus cito perire acquisititium effectum eorum, quæ agunt ex accidenti, qui frigus ex ingesto alimento statim fieri, ac terminari dixerat. Quod si lactucam obijcias, & portulacam, aliaque temperamenti frigidioris edulia, quæ a propria facultate refrigerāt etiam citra interuentum aeris, scite respondet eo loci Galenus hæc non esse pure alimenta, sed mediæ cuiusdam naturæ inter alimenta, & medicamenta, & prout sunt medicamentariæ, alimentariæque naturæ participia, sane vt medicamenta sunt per se primum refrigerantia corpus nostrum; vt autem alimenti vicem subeunt, iam a

3. De temp. c. 2.

3. De temp. c. 4.

Cito perit effectus agentium per accidens.

calore

calore nostro subacta & ipsa calorem internum augent perinde ac alia quæuis alimenta; siue apertius pars lactucæ alimentaria corpus nutrit, & calorem intimum auget; portio vero medicamentosa corpus alterat, & caloris aciem retundit: Quinetiam quum alimẽti, medicamentiq; natura sit adeo diuersa, vt neutra sit alteri subordinata; namq; alimenti est a calore pati, & comminutari in corporis nostri naturam; medicamenti vero vicissim est calorẽ, & corpus nostrum afficere, atq; mutare: profecto vbi in vnum subiectum coniungantur, accidentaria erit illa connexio, nec secus alimento accidet medicamentum esse, medicamentoque alimentum, atque artificiosis accidat ex Aristotelis obseruatione esse lapidea, vel terrea, vel mista: Quare in hoc etiam genere dicas audacter alimenta per se calfacere semper, ac non nisi per accidens refrigerare; licet proposita nobis fuerit ab initio quæstio de puro alimento, non autem de natura inter alimentum, & medicamentum media. Quod ergo scite aperit Galenus exemplo lignorum, alimenta primum assumpta breui tempore per accidens refrigerare videntur antequam digerantur, sed postea, dum alunt, per se calorem adaugent interiorẽ. Ceterum ne decipiamur in exemplo Galeni, licet ligna, & alimenta in eo conueniant, ut utraque statim calorem minuant, dissident nihilominus in modo, seu ratione agendi, nam calor natiuus animalium aere perfrigeratur, contra ignis aere, ceu pabulo augetur, & intenditur; namque Aristoteli elementa transmutãtur adinuicem, atque igni præsertim cetera, & inter cetera vnum aerem tanquam symbolum, & suæ naturæ familiarem magis in sui substantiã conuertit assidue; hinc autem norunt chymistę ignem eundem sola exclusione aeris clauso furno remitti, & recluso fornice aeris ingressu intendi: ligna ergo sui multitudine quoquopacto impedientia transitum, & accessum multo aeri ad ignem suppositum, illum debito alimento priuando impediunt ne augeatur, coguntque marcescere; ac speciatim si viridia fuerint, quibus de agit Galenus, multa qua scatent humiditate aquea ignis vim minuunt quousque, illa in vapores vna cum fumo dissoluta, ignis in omnem ligni substantiam dominetur. Sed alimenta secum intra corpus aerem ducunt, quo præsente calor animalium refrigeratur; et si vero cum alimentis ingeratur etiam multum humiditatis aqueæ, quam alimenti vehiculum nouimus; eius tamen ratione haud communicant alimenta cum lignis viridibus in refrigerando calore, tum quia secum hoc alimenti vehiculum non potest calorem fixum solidarum partium remittere, de cuius refrigerio nunc agitur potissime; nam aqueus hic humor extra venas non egreditur, sed in venoso genere, vbi ad ostiola capillarium alimentum duxerit, suo functus munere per eandem viam in venas grãdes regurgitans, inde per emulgentes in renes trahitur, vnde per vreteres canales ad vesicam vrinariam labitur; si quid autem eius ichoris extra capillares venas effunditur, id adeo est exile, vt fixum solidarum partium calorem afficere nequeat; immo potius ad instar aquæ a fabris candenti ferro inspersæ calorem exacuit: At si contendas eo ichore temperari quomodocunque calorem internum, quando humor hic pars alimenti non est, sed vehiculum ab alimento diuersum; plane alimentum haud perse poterit calorem temperare, sed per accidens: quocirca solo aquæ potu, quæ corpori alendo non est, calor insitus refrigerari poterit; & proinde neque hac ratione desumpta ex necessitate refrigerij caloris insiti necessarius erit alimẽtorum vsus; quum ipsa perse non refrigerent, sed per accidens, nempe vel introducendo aerem, vel secum ferendo vehiculum aqueæ naturæ, quibus vtrisque calor intimus per se refrigerari potest; nam absque alimentis ieiunatores nostri ad multos annos, & aere inspirato per arteriam asperam, attractoque per leues omnes alias, & aqua epota sibi calorem fixum iugiter temperare valent, quem nullo pacto alimẽta perse refrigerare possunt. Addo etiam frigus hoc ab alimẽto ingesto per accidens inductum non temperare calorem, eiusue robus imminuere, sed esse veluti speciem quandam horroris, & rigoris, nimirum motum quo calor a frigore irritatus contrarium statim expellit a se vincens.

Alimẽti, et medicamenti natura. — *Medicamenti, & alimenti coitus accidentalis.* — *2. Phy. 10. 2.* — *Galeni locus explicatur.* — *2. De gen. t. 6. 26. & seq.* — *2. De an. t. 40.* — *22. Probl. 12.* — *Ignis idẽ ab aere et nutritur & remittatur.* — *Ligna sui multitudine vt igni augmentum negent.* — *Calor fixus sanguinis non refrigeratur. Ichor sanguinis nõ [illegible] venas.*

Vt alimentis augeatur caloris innati gradus, seu qualitas; non sola materia calida, exercitatio cum doctissimo Fernelio. Cap. LX.

SEd & in eo, quod constituimus alimentorum vsu caloris natiui æstum non temperari, at potius augeri existimantes alimentis caloris vigorem intendi, qualitatemque ipsam nouum gradum actiuitatis acquirere, doctissimum Fernelium reclamantem habemus dum inquit, *Sed & id quod veterum omnium litteris & memoria celebratur, omne alimentum tum calidum, tum frigidum, quum in sanguinem abierit, calfacere, ita quidem audiri velim, quia alit, sanguinis, & innati calidi substantiam, non autem qualitatem, calorisque gradum augere: Quisquis enim e lactuca æque calidum, atque ex vino, aut ex alio sanguinem gigni censuerit, omnes efficientium caussarum vires, & naturas euertet: Ergo lactuca frigidum, vinum calidum sanguinem suaque naturæ consentaneos profert humores.* Ceterum re intime perspecta parum nobis officit vir eximius, nam calori natiuo duplex substantia tribui potest, quarum altera sit eius forma, & essentia; altera vero sit illius materia; si de forma loquamur, quum calor insitus hic sit vel temperamẽtum, vel temperamenti ratio, & idea, seu portio potior, vt abunde superiori libro explicauimus; sane vt calor naturalis est forma substantialis misti, sic eius substantia nequit augeri, quin simul augeatur actiuitas, seu qualitas, & gradus; actiuitas enim vel idem re est cum forma,

1. De abd. causs. 16. — *Calori natiuo duplex substantia tribui potest.* — *Cap. 44. & seq.*

ma,& substantia caloris, vel ab ea immediate, individueque adeo prouenit, vt altera intendi nequeat sine alterius incremento. At si sermo sit de caloris insiti materia, duplex itidem ipsi

Calori natiuo duplex materia potest assignari.

materia potest assignari, nimirum vel materia ex qua veluti compositus cōstituatur, vel materia in qua veluti forma resideat: Porro si de materia constitutionis agamus, in tēperamento calor natiuus constituitur ex calore simplici veluti forma, & ceteris primis qualitatibus veluti

Caloris natiui constitutio.

materia, nam calor alias qualitates continet, ac moderatur (quod est proprium formæ erga materiam) ita vt si a quopiam tale dominium calori surripiatur, illico mistū putrescat, & dissoluatur; sed & Aristoteles aliqñ aperte calorem ad

2. de gen. t.50.

alias qualitates formæ rationē subire insinuauit: Qua quidē in re si alimentis augeri possunt aliæ qualitates in tēperamento, quę sunt materialia principia calidi natiui; cur ijsdē caloris ipsamet qualitas intēdi nequeat, satis demonstrare non poterit vir egregius; eadem est.n.habitudo alimentorum ad singulas tēperamenti qualitates. Sin aūt sermo sit de materia, in qua calor veluti forma inesse dicitur; quū duplici polleamus nos calore natiuo, influēti scilicet, ac implātato, quem fixum nuncupant, duplex itidem genus materiei obtinuimus, influentem & fixam;

Materia fixa, & influēs quo in viuēte.

hæc plane materia fixa nulla fuerit alia, quam humor substantificus, & radicalis appellatus, seu mauis substantia ipsa solidarum partium viuentis vt misti; illa vero materia caloris influens sanguis est, ac præsertim sanguinis portio tenuior, & halituosa spiritus nomine donata; qua de materia videtur agere Medicus illustris: sed nos vt libenter assentimur decernenti alimentorum vsu augeri sanguinem, spiritus, & solidarum partium quamlibet, ac proinde substantiam, seu materiam calidi natiui: sic negare non possumus alimentis caloris vim, seu qualitatem, & gradum etiam intendi tribus po-

Calor natiuus est qualitas materialis.

tissimum rationibus; prima est, quia calor hic est qualitas materialis, & omnino forma in magnitudine; quum ergo ex Aristotelis decreto forma omnis in magnitudine ad subiecti cor-

8. Phy. t. 78.79.80.

poris incrementum viribus augeatur, & fiat potentior; ac vicissim ad eiusdem imminutionem fatiscat; proculdubio alimenta dum augent ca-

Forma materiales vires acquirit ad subiecti augumentum.

lori subditam materiam, simul caloris vim, & gradum non intendere nequeunt. Altera est, quia calor natiuus in viuente naturæ non est igneæ siccitati adiunctus, sed aereæ humori applicitus; at superius compertum est calorem aereum humiditate intendi, viresque maiores

Lib. 2 c.c. 147.

acquirere; nam aere vaporibus aqueis referto,

Li.3.c.19.

vel ante, vel post pluuiam ijsdem radijs solari-

Li.4.c.55.

bus calor longe acrior excitatur in ambiente, quam summa vigente siccitate aeris: alimentis

Calor aereus, & natiuus humore intenditur.

ergo augeri nequit humor interior, aut influēs, aut radicalis, quin simul intendatur vis, & robus caloris naturalis vtriusque, influentis nimirum, & fixi. Tertia est, quia mistum omne perfectum tale est, vt in eius temperamento calor ceteris qualitatibus absolute dominari debeat, licet maius, & minus dominium hoc esse valeat; quippe calor ceteras qualitates veluti forma subiectam materiam continere tenetur; quum autem alimentum eatenus alat, quatenus mistum est perfecti generis; vt fuse ostendimus antea; quumque nutricatio formaliter sit *15.61.108 113.* conuersio alimenti in substantiam viuentis; profecto si huiusmodi conuersio alimenti fieri debet vt misti; quum misti potissima ratio con- *Li.4.c.38* sistat in temperamento, plane opus est alimentum in actu alendi tum ratione suæ materiæ conuerti in materiam corporis viuentis; tum ratione sui temperamenti in viuentis temperamentum commutari: Quare quemadmodum ex Aristotele quantitas materiæ alimenti nu- *2. De a. t.47.* tricationis ope addita quantitati materiæ viuentis corporis augmentum efficit; sic nouus gradus caloris in temperamento alimentorum ceteras qualitates exuperantis additus calori natiuo eius vim, & robur auget necessario. Ad primam obiectionem vltro concedimus alimētorum esse varia genera, & proinde non æque calidum ab omnibus sanguinem gigni; sed vbi asserimus a vino, & allio sanguinem calidiorē procreari, a lactuca vero minus calidum, non tamen asseuerare cogimur ab vllo alimento frigidum sanguinem produci; quum enim suapte natura sanguis calidus sit a prædominio, licet caloris gradum in maxima obtineat amplitudine, semper tamen sanguis, vndecunque progenitus calidus erit a prædominio, nec in eius temperamento frigiditas calori æquari, multoque minus eum superare poterit, sed vbique in sanguine caloris vires erunt supra vim frigiditatis:

Sanguis est a prædominio calidus.

Quum autem sanguis, & omnino alimentum sub ratione alimenti calidum obtineat natura sua temperamentum a prædominio, profecto nequit non augere vim caloris interni, etiamsi ad minimum prædominij gradum peruenerit; etenim mista vbique operantur secundum prædominans Aristotele autore.

Mista operari secundum prædominās.

Ad aliam oppositionem concedimus lactucam, & cetera, quæ ingeruntur, procreare humores naturæ suæ consentaneos, sed cum Galeno, vt patuit in superiori capite, obseruamus *1.Cal.c.7.* alimentorum esse duo summa genera; nam quædam sunt mere alimenta, quędam vero simul & medicamenta, & alimenta; inter quæ hoc interest discriminis, quod alimenta omni ex parte vinci, ac subigi possunt a calore nostro; sed medicamenta alimentosa, seu alimenta medicamentosa qua ex parte alimenta sunt, itidem a calore nostro subiguntur, & superfluitatibus extrusis commutantur in sanguinem, & in partium solidarum substantiam, quorum vtrumque, sanguis nimirum, & pars solida viuentis, calorem habet in sui temperamento naturali ceteris qualitatibus dominantem; qua vero ex parte medicamenta sunt, vicissim calorem ipsum mutant, vel acuendo vltra symmetriæ, ac alimenti normam; vel minuendo eius vigorem, prout sunt medicamenta vel calida, vel frigida: sic ergo lactuca, & alia omnia, quæ-

ea non est exuperans, quum solo sibi debito alimento priventur. Altera caussa est, quia molestia famis, & sitis quum omnino, vel maxima ex parte consistat in sensu suctionis, aut saltem magis in eo, quam in sensu indigentiæ; profecto stomachus, cui sensus inest exquisitissimus, ideo solus famis, ac sitis molestiæ obnoxius est inter partes corporis omnes, quoniam abstinentes fame, aut siti excruciati citius dolore stomachi moriuntur ob sensum suctus uniuersarum partium ab eo, & ob indigentiam alimenti proprij, aliarumque partium, quam ulla pars alia fame, sitiue crucietur, uel etiam ex propria indigentia molestiam ullam percipere incipiat; siquidem non adeo exquisito sensu pollent partes aliæ ut stomachus; nec ab ijs ulla pars trahit in ieiunio; & indigentiam solum sibi debiti alimenti sustinent, quæ priuatio quædam est fere insensilis, quum haudquaquam exuperet: Quę quum uir alter eximius non distingueret, difficilem habuit solutionem quæstionis, cur pleno uentriculo appetitus urgeat, si molestia est sensus indigentiæ; nos dicimus molestiam in fame, ac siti potissimum esse in sensu suctus, non quidem in sensu partis sugentis, sed suctæ; potius inquam in sensu suctus, quam indigentiæ; quia indigentia quum priuatio quædam sit, nō ita cruciat, & afficit sensum, quemadmodum efficit suctus, qui motus est, & positiuum quid: non consistit autem molestia famis, ac sitis in sensu partis sugentis, sed suctæ; quia sugens pars sugendo delectatur, aut saltem non patitur molestiam, etiamsi nihil sugendo trahat; quod apertissimum est in puerulis lactentibus, vel nuper ablactatis, quos vbere nutricio carentes nō raro videas pollicem sibi digitum tota die maxima cum delectatione sugere nihil inde trahētes; pluresque noui eo suctu pollicis adeo delectatos vt a parentibus nulla ratione prohiberi potuerint quin ipsum in adultiorem ætatem protraxerint: sed sucta pars trahitur, distenditurque præter modum, vnde cruciatus, etiamsi nihil suæ substantiæ amiserit, ac plena turgeat alimento: sed redeamus ad pensum: Quamuis ergo aliæ partes a ventriculo polleant sensu tactus, & obnoxiæ sint dolori, ac voluptati, appetereque possint; illi tamen appetitui nō subijciuntur, qui proprie fames, ac sitis animalis appellatur, vt os ventriculi exquisitissimo sensu præditus, vnde omnes partes attrahunt velut ex communi quodam promptuario. Tertia caussa est, quia reuera molestia in fame, ac siti constituta est in suctionis sensu, non in sensu indigentiæ; namque sublato sensu indigentiæ a stomacho cibis ingestis, vrgere tamen adhuc famem notat Aristoteles, quia etiam ventriculo repleto post longam inediam statim nō desinunt e stomacho cūcta mēbra sugere, quousq; a vētriculo sibi nutrimentū attraxerint; quū igitur in stomacho pleno sit suctio ab alijs mēbris omnibus, non sic vlla indigentia; certo iam cōstet appetitum in fame, ac siti esse cum sensu suctionis, sine sensu indigentiæ: Quum itaque a solo ventriculo partes omnes sugant, nullaque ab alia, quæ tactu polleat (nam venæ, ac iecoris interna substantia non sentit, quum neruis careat) manifestum est soli ventriculo famem, ac sitim, quæ sunt appetitus animales, contingere posse; alijs vero partibus naturalem appetitum inesse ad tollendam indigentiam, quæ sensum non lacessit, quia non exuperat.

Cur aliæ partes a stomacho nō sentiat propriam indigentiā alimenti.

Molestia famis, & sitis, qua re maxime consistat.

11. sect. probl. 2.

Cur pleno vētriculo appetitus urgeat, si molestia est sensus indigentia.

Molestia famis, & sitis est potius in sensu suctus, quā indigentiæ.

Molestia non est in sensu partis sugentis sed suctæ.

Molestia famis, & sitis nō in sensu indigentiæ, sed suctionis sita est.

12. Probl. 2.

Ad secundum vero argumentum concedentes corpus reliquum tactu potiri, negamus primo ventriculum percipere suctionem, quia simpliciter tactu potiatur; siquidem ex Aristotele didicimus ad sentiendum non sufficere sensū, sed necessario requiri obiectum externum sensibile, quod in tactu, qui non sentit nisi exuperantias, debet esse vehemens; nam eius non ita vehementis perceptio non est nisi in sensu exquisitiori: quare statuimus ventriculum percipere suctionem, quia & exquisitissimo sensu pollet inter omnia membra, & sugitur auide, ac vehementer ab omnibus partibus: ventriculus itaque quum sensus sit acerrimi, & in eo suctio fiat, ob multitudinem partium sugentium, exuperans, ideo sentiens molestiam e suctione, fame, ac siti animali cruciatur; ceterum partes aliæ quum neque tactu adeo exquisito polleāt, neque tales sint, a quibus fiat vlla suctio, aut adeo vehemens, ideo famis, aut sitis molestiam tactu non sentiunt. Deinde negamus partes alias tactu præditas omnes præter ventriculum a proximis exinanitis particulis sugi; non enim sugit pars vlla nisi vnde alimentum trahere consueuit; sed partes omnes e venis alimētum sibi attrahunt, & per venas a iecore, ac demum continuato ductu ab ore ventriculi; nec vna pars solida ex propinqua sibi alimentum poscit; at vero quum omnes a venis capillaribus sugant; & per has a maioribus continuata suctione ab hepate, ac ore stomachi; quum venarum substantia non sentiat; &, licet obscure sentiret, nunquam venæ penitus exinaniantur viuente animali; quum iecur etiam sola tunica exteriori obscure sentiat, intrinsecus non sentiat neruorum expers qua parte sugitur, nec vnquam adeo sugatur viuente animali, vt eius substantiam texentes venæ penitus exinaniantur; propterea fit vt aliæ partes leuem suctionem, & indigentiam obscuro suo sensu non percipiant, sed os ventriculi acerrimo sensu, vnde vniuersæ partes sugunt, quique penitus exinaniri potest saluo animali, optime communem suctionem, propriamque indigentiam exuperantes percipiat, in quibus fames, & sitis, appetitusque animalis appellatus constituitur. Ad tertiam oppositionem concedentes in quacunque parte sentiente sensum esse alimenti, absolute non damus vbi sensus est alimenti, ibi famem esse animalem, qua de loquimur; vere quidem nusquam dixit Aristoteles vbi sensus alimenti est, ibi famem reperiri, sed vicissim, quibus appetitus, & fames inest, ijsdem sensum quoque inesse alimenti, qui tactus est; cuius ea ratio est, quia quæ partes adeo exqui-

2. De an. t.60.

Ad sentiendum non sufficere sensum.

2. De an. t.118.

Vnde sugant partes.

Venæ sensus expertes.

Iecur obscure sentire externe.

Vbi sensus alimenti, an ibi fames.

2. De an. t. 27. & 28.

sito sensu pollent, vt indigentiam, & suctũ percipiant, eæ nullo negocio alimenti præsentis positi tuas qualitates sentient; at quæ possunt partes alimẽti pręsentis qualitates sentire, non ideo poterunt alimenti egestatem, & suctum percipere; quippe ad hæc dignoscenda longe acutiori sensu opus est, quam ad alimenti præsentis qualitates percipiendas. Deinde vero esto fames vbicunque sensus est alimenti, dicimus id verum esse de fame naturali, nõ autem de animali; siquidem omnia membra ideo sensum alimenti habere dicuntur, quæ tactu pollent, quia ex alimento percipiunt iucunditatẽ, dum eo fruuntur præsente: licet naturali appetitu citra cognitionem illud prius attraxerint exinanita; ceterum cognitio, quæ constituit in esse famem, & appetitum animalem, non est sensus alimenti præsentis; quum appetitus vbique sit obiecti absentis apud Aristotelem; sed est sensus suctionis, &, si placet etiam, indigentiæ; quum autem huiusmodi sensu solũ polleat ventriculus aliæ vero partes careant, ob rationes nuper allatas, quamuis omnes cum ventriculo habeant sensum alimenti præsentis, quia tamen molestiam ex absentia debiti, & ex suctu non percipiunt, ideo fame, ac siti animali non cruciantur, cui coniunctus est sensus molestiæ ob suctionem, vt ventriculus. Ad quartam instantiam negare liceat in ventriculo nihil esse animalis appetentiæ caussa, quod non sit in alijs partibus sentientibus; namque in ventriculo est sensus tactus acerrimus in ea parte, a qua sugunt alia membra; inest exuperans indigẽtia nutrimenti vniuerso corpori necessarij; inest insignis tractio, & suctio eunctarum partium; quæ omnia simul iuncta sunt caussa immediata famis, ac sitis animalis appellatæ; modo hęc omnia in alio membro nullo reperias, nam in hepate, a quo trahunt antequam a ventriculo partes aliæ, obscurissimum sensum inuenias, & hunc in tunica extrinsecus eius substantiam inuestiente, ad quam non pertingit suctio; siquidem sugunt mẽbra ex eius substantia interiori, quę sensus est expers: venæ quoque, vnde proxime sugunt partes omnes alimentum, tactu non pollent, quum neruis careant, perinde atque caro hepatis: ossa vero, cartilagines, & ligamenta huiusmodi non sunt, a quibus vlla pars alimentum trahat, nec vllo sensu prædita sunt, quum neruis destituantur, qui sunt intra carnem latẽtia organa tactus Aristoteli: carnes autem, seu musculi, & nerui, neruosæque partes omnes a stomacho licet sensum tactus habeãt, & pleræque illarum exquisitum, quia tamẽ ab eis nulla pars fugit, cunctis a venoso genere sugentibus, perque venas ab hepate, ac per iecur a stomacho, ideo sensum suctionis non habent, in quo consistit appetitus animalis; & quamuis habeãt indigentiam alimenti proprij, quia tamen ea non est exuperans, vt dudum ostendimus, proinde nec habent sensum indigentiæ: solus itaque vẽtriculus, cui acer inest sensus, quique maxime indiget, ac exuperanter, quum sibi, & alijs indigeat partibus omnibus: & a quo cetera cuncta membra sugunt, solus inquam ventriculus molestum habere potest sensum indigentię, ac suctionis; & propterea solus habere potest famem, & sitim, quæ dicitur appetitus animalis.

Cur alia membra sensu alimenti pollere dicuntur, quæ tactu pollent.

8. Phys. 41.

Caussa immediata famis, ac sitis animalis.

Ex decreto Aristotelis sunt nerui organa tactus. 2. De an. t. 116.

Ad quintam obiectionem concedentes appetitum alimenti, qui animalis dicitur in ore ventriculi, pertinere ad eiusdem generis sensum tactus, quo cum vẽtriculo communicant ceteræ partes: negamus tamen aliarum partium appetitum esse animalem, & cum cognitione, quia cognitio hęc efficiens appetitum animalem est cognitio suctionis, & indigentię: quas sensu suo aliæ partes non percipiunt, percipit autem ventriculus, quia partes aliæ vel nulla ratione suguntur, leuẽque indigentiam alimenti habent: quippe quæ sibi solis indigent: vel nullũ, aut lensum hebetiorem obtinent: contra ventriculus acerrimo est sensu, maximamque suctionem, & indigentiã patitur: quum ab omnibus sugatur, & sibi, atque omnibus indigeat: sic tu vola manus, & summis digitis eas qualitates percipies ob aciem sensus istarum partium, quas passiones tergore, ac suris non senties, quibus sensus inest obtusior: quanto magis si hebetiori sensui minus excedentia sensibilia obijcias, quam vegeto? Non ergo quæ stomacho sentiuntur, illa protinus ab alia quauis parte sensitrice percipi debent; nec, si ventriculus maximam suctionẽ, & summam indigentiam sentit, illico partes aliæ, præsertim hebetiori sensu præditæ, debebunt leuem, & exilem indigentiam sentire. Ad sextum argumentum concedentes in magna fame, ac siti non solum ventriculum pati, verum etiam vniuersum corpus affici, negamus proinde fieri vt fames, ac sitis, qua est appetitus animalis cum tristi sensu indigentiæ, suctionisque, sit affectio & ventriculi, & aliarum partium sẽtientium; nã in fame, ac siti cruciante per se primo stomachum accidit esurientes, ac sitientes distorqueri, oscitare, pandiculari, & inæquali motione agi ob vnam ventriculi molestiã: tum etiam stomacho trahente in consensum alias partes alias: hoc enim experiaris quoque in alia quauis parte: nam dolentes capite, vel dẽte, ceteris partibus benevalentibus, videre est inæqualiter agi, toto corpore concorqueri, contremiscere, aliasque multas agitationes in ceteris membris perpeti ob solum consensum, quẽ natura posuit inter partes corporis: de quo præclara est Hippocratis sententia, confluxus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia. Ita ergo soli vẽtriculo sitis, & fames cum sensu, siue appetitus animalis inest: alijs vero partibus omnibus fames, ac sitis absque sensu molestię, atque omnino appetitus naturalis, qui plantis etiã inesse dicitur.

Partium consensus.

Li. de alimento.

Vt dolor famem, ac sitim præcedat veluti caussa, non subsequatur quasi effectus. Cap. LIII.

Eodem in loco eundem virum aduersantẽ habemus, qui sanximus dolorẽ, tristemque illam sensationem, quam percipimus esurientes, & sitientes in ore vẽtriculi, esse caussam cõstitutricem famis, & sitis, quare nus vtraque

Li. 2. cap. 127.

ducitur appetitus animalis; quū ex aduerso statuat vir egregius dolorem subsequi præcedentem famem, sitimque, veluti proprium vtriusque symptoma in hanc sententiam, Quumque (ait) controuersia sit an famis, & sitis essentia in dolore sita sit, propositionem pono negantem; etenim horum duorum forma dolor non est; nam dolor, & molestia symptoma est famem, sitimque sequens; præit quidem natura fames, & sitis, consequitur dolor, & angor: A quibus tamen difficultatibus liceat etiam nos liberari; primo enim concedimus dolorem nō esse formam famis, ac sitis; quippe dolor formaliter passio est sensus cognoscentis; fames autem, ac sitis est affectio facultatis appetentis apud Aristotelem; sed negamus proinde fieri vt molesta sensatio non sit caussa famis, & sitis; est enim vtriusque caussa efficiens, si non formalis, nam molestia præsens excitat facultatem ad appetendum id, quo molestia tollatur; appetitus autem est forma famis, ac sitis. Deinde vero concedentes dolorem absolute symptoma esse, negamus ipsum esse symptoma famem, ac sitim consequens; quia famem, ac sitim necessario præcedit suctio, & indigentia vrgens, cuius utriusque, suctionis nempe, ac indigentiæ urgētis symptoma est dolor, cuius effectus est fames, ac sitis; nam suctio distendens, distrahensque quod sugitur, morbum parit in solutione continui; at vero indigentia est defectus humoris, & proinde intemperies; sed intemperiei, solutionisque continui dolor est symptoma immediatum; quo quum suscitetur appetitus ad cupiendum præsidium, vnde tollatur suctio, & indigentia; dolor ideo famis, & sitis caussa esse statuitur: Neque enim raro contingit adeo subordinata esse symptomata, vt symptoma vnius morbi sit caussa symptomatis, aut morbi alterius; quare symptoma suctionis, & indigentiæ, quod appellamus dolorem, est caussa efficiens famis, atque sitis. Deinceps negamus præire natura famem, ac sitim, quam consequatur dolor, & angor; siquidem fames, ac sitis, quæ appetitus sunt, non ante adsunt animali, quam facultas ad appetendum impellatur a molesto suctionis vel etiam indigentiæ sensu; qui angor ita famem, ac sitim natura præcedit, vt etiam indiuisibiliter concomitetur; est enim dolor caussa famem, & sitim efficiens simul & conseruans; qua efficiens est, præit; qua vero conseruans, concomitatur suos effectus. Demum animaduertimus duplicem esse posse dolorem in fame, ac siti, vnus est in ore stomachi, alter in alijs partibus; dolor in ore stomachi semper famem, sitimque natura præcedit velut caussa efficiens, & concomitatur veluti conseruans; dolor autem aliarum partium fame, ac siti posterior est; sed non ea ratione posterior, vt ab ijs affectibus veluti effectus, & symptoma exoriatur; quippe fames, ac sitis partem appetentem sequuntur, nec sentientem lędunt vllo pacto; sed in alijs membris angor enascitur consentientibus dolenti stomacho; nimirum tristis illa in ore ventriculi sensatio suctionis, ac si placet etiam indigentiæ, vbi vrgeat, primum quidem suscitat facultatem appetentem ad munus suum, & ita famem, sitimque procreat; deinde vero inualescente molestia stomachi, trahuntur in consensum alię partes, quibus quoquopacto communicatur vētriculi passio, vt satis appareat aliarum partium angorē post famem, ac sitim fieri; non tamen ex fame, ac siti veluti ex caussa, sed ex eadem caussa, vnde prius fames, ac sitis ortum habuerant, exoriri. Sic ergo fames, ac sitis a dolore, & cum dolore sunt, vt quæ dolorem non pariant, nec penitus sequacem obtineant, sed ducem, & socium; sique sequacem, non filium, sed fratrem natu minorem.

Dolor cur non sit forma famis ac sitis.

2. de an. t. 28.

Molesta sensatio caussa efficiens famis, ac sitis.

Symptomata subordinata.

Dolor est caussa efficiens, & conseruans famē, ac sitim.

Dolor nullus est famis, ac sitis effectus, ac symptoma.

Cur pinguedo, & adeps alere non possit. *Cap. LIV.*

DVm antea disputabamus adipis, & pinguedinis colliquamenta ieiunantibus nō cedere in alimentum, aperte Celso, & Galeno Medicorum proceribus refragari visi fuimus; Celso quidem scribenti omnia pinguia quam macra plus alimenti habere; Galeno autem ex obseruatione doctissimi Laurentij constituenti adipem per inedias in alimentum conuerti posse; Verum enimuero Medicinæ Principum sententia intime perspecta, liquido constare poterit a nobis eos non dissentire in proposito: Celsus etenim loco citato non loquitur de adipe ac pinguedine simplici, de quibus nūc nobis instituta est disputatio, at de carne pingui; ceterum vt nos haud infitiamur Celso eadem omnia pinguia quam macra plus alimenti habere; sic nobis haud negat Celsus puram pinguedinem alimento non esse; id enim sortiuntur a pinguedine pinguia, vt plus alimenti habeant quam macra, non quia pinguedo ipsamet in alimentum cedat, sed pluribus alijs de caussis; vna est, quia pinguedo est indicium alimenti, non alimentum; quæ namque macra sunt, ea sunt a prædominio sicca, paucoque scatent humido alimentari; quæ vero pinguia, vt a calore mediocri non torrefacta, sic multa humiditate cum alimentari, tum etiam pingui affluunt. Altera caussa est, quia ex ijs edulijs vberius alimentum elicitur; quæ melius a calore natiuo subiguntur, & atteruntur; quum igitur macra, ob substantiæ suæ duritiem, ac densitatem, reluctentur maxime actioni caloris, nec facile ab eo elaborentur; contra pinguia quum mollia sint, facile a calore patiantur, & ex ipsis nullo negocio quicquid intus latet alimētosi segregetur ab inutili excremento; propterea fit vt etiam non cedente in alimentum pinguedine, pinguia tamen plusquam macra nutriant. Tertia caussa est, quia calor innatus concoquēs vtitur pinguedine ceu instrumento ad extrahendum succum alimentarem ex ingestis edulijs; vt enim chymici, seu iatrochymici ad extrahendam quintam essentiam, seu extractum nun-

Lib. 2. c. 152.

Li. 2. c. 18.

Cur pinguia, quā macra plus alant, si pinguedo non alit.

Pinguedo est indiciū alimenti, non alimentum.

Macra difficilium coquūtur

Iatrochy micorum mos inducenda quinta essentia ex aridis.

nuncupatum e rebus aridioribus, vt puta ex habarbaro, & alijs id generis, ea prius macerant in humore aliquo, potissimum in aqua vitæ, cito solidiorem substantiam per occultos poros permeante; quem humorem postea sublimatione vi caloris de macerato extrahentes, simul cum eo educunt rei quintam essentiam nuncupatam: sic prorsum pinguedo vi caloris fusa facile solet extrahi, & secum illius glutini quasi alligatus educitur de intimis eduliorum partibus alimentarius humor; quo nomine pinguia plus nutriunt quam macra, etsi pinguedo non alat. Deinde vero Cornelius eo loci non comparat simpliciter pinguia cum macris, vt obijcitur, sed in eodem genere, vt gallinam pinguem cum macra; scite autem illam hac magis nutrituram pronũciat, non quia pinguedo nutrire valeat; sed quia eadem caussa, ob quam macra pinguedine caret, simul cum pingui consumpsit etiam humidum alimentare; quod apertissime constat in salitis; nam si carnis frustum recens sine pinguedine sumas pondo sesquilibræ, & sale condias, post multum temporis a sale cõsumptam reperies adeo multam substantiam alimentosam, vt longe minus tunc alimenti præbeat, quam recens exhibuisset; sal autem nihilominus pinguedinem consumpsisset, si pinguedinem habuisset; vt verum sit propterea eadem pinguia magis alere quam macra, non quia pinguedo sit alendo corpori, sed quia simul ab vna, & eadem caussa, quæcunque sit illa siue inedia, siue nimia exercitatio, siue alia quælibet, pinguedo, & humiditas, substantiaque alimentitia consumitur; Quæ sententia fuisse Celsi videtur eo in loco, nam perspicuis verbis de salitis etiam meminit inquiens, *Deinde eadem omnia pinguia quam macra, recentia quam salsa, noua quã vetusta plus alimenti habent, tum res eadem magis alit iurulenta quam assa*: Non ergo Celsum habemus aduersarium. Multo minus Galenum, cuius locum nullum inuenio, in quo ipse asserat adipem per inedias in alimentum verti; quum tamen vicissim plurima loca viderim, vbi pinguedini vsum nullum alium adscribit, quam fouere, ac roborare calorem in coctione alimentorum: Nisi forte obijciatur locus, vbi ad verbum ista leguntur, *Nec vero pinguedo quoque vlla in re neruos desiderat, quæ instar olei pinguis partibus animantis membranosis, ac neruosis est affusa: porro ipsius origo, atque vtilitas hæc est, generatur ex sanguinis parte pinguiore per tenues venas effusa; affusa autem siccis corporibus, ac tenuibus, vt ea ipsa corpora pingui natiuo humectet, quæ celeriter in diuturnis inedijs, ac vehementioribus exercitanionibus, & caloribus immodicis exsiccantur, atque indurescunt*: Hæc Galenus: in quibus ego quidem non assequor ipsum profiteri pinguedinem per inedias in alimentum cedere, sed aperte video eundem asseuerare vtilitatem pinguedinis eam esse vt humectet, & emolliat partes, quibus affusa est, dum contigerit eas celeriter exsiccari, atque indurari, siue in diuturnis inedijs, siue in vehementioribus exercitationibus, siue in caloribus immodicis; tria hæc enim partes desiccant, desiccando indurant; desiccant quidem inediæ, quia in ijs calor non auocatus ad humidum alimentare totus primigenium celeriter absumit; exercitationes autem vehementes, caloresque immodici dissoluunt humiditates secundas partibus inspersas, easque depascuntur; & post ipsas etiam radicalis humidi substantiam exterminant: ceterum huiusmodi partium propositu de caussis exsiccatarum, & induratarum humectatio, & emollitio fit a pinguedine sola sui præsentia, sine eo quod ipsa in earum substantiam vertatur; quod est dicere, absque eo quod alat; sed solum veluti linimentum, siue vt medicamẽtum id pinguedo efficit, non vt alimentum: Immo neque possit nisi oppositum ei, quod asserit vir egregius, ex hoc loco Galeni deduci; si enim vsus pinguedinis est in longis inedijs, vehementibus exercitationibus, & æstibus exsiccatas, & induratas partes, quibus affusa est, humectare, ac emollire; iam tunc pinguedo alteret partes, obtineatque virtutem agendi; at vero alimentum nutriendo mere patitur, non agit, non mutat vllo modo naturam partis, quæ alitur; sed vicissim ipsum in partis nutriendæ naturam commutatur: Quare pinguedo in longis inedijs ex Galeno haud cedat in alimentum partium, sed in medicamentum; alioqui non membranas, quibus affusa est, quæ terreæ sunt a prædominio; sed carnes, aliasque partes molliores aleret sibi consimiles; quum alantur omnia similibus.

Galeno an pinguedo nutriat.

De anat. viuor.

De vtil. resp.

16. De vsu p. c. 2.

Pinguedinis origo, & vsus apud Galenum.

Pinguedo consulit partibus inedia exsiccatis vt medicamentũ, non vt alimentũ.

Alimentum nutriendo pati.

2. De an. c. 45.

Vt medulla non sit alimentum, sed excrementum ossium. Cap. LV.

SEd & in eo deliquisse nos putat vir eruditus, quod negauimus ossa nutriri adipe; quum tamen Hippocrati, & Galeno alantur medulla, quæ Aristoteli genus quoddam est seui, atque pinguedinis. Quæ oppositio non vno modo tollitur; in primis adnotamus Aristotelem non asseuerare medullam esse pinguedinẽ, aut seuum, vt obijcitur; sed coctionis opera inquit medullam euadere seuo, & pinguedini consimilem. Deinde potius cum Aristotele opinamur medullam esse ossium excremẽtum, quam cum viro eruditissimo alimentum; ratio nõ vna occurrit, qua subscribamus Aristoteli; prior est, quia nutrimentum simile debet esse nutriendo; quum longe absit ab ossium temperamento, & consistentia medullæ temperies, atque substantia; ossa enim & Galeno apertissime non vno in loco, & Aristoteli quoque terrea sunt a prædominio, & propterea non sentiunt; medulla vero aerea, & ignea: sed altera ratio est, quia non omnia ossa medullam continent, vt notat cum Aristotele Galenus; sed veluti absque nutrimento nequit vlla pars enutriri; sic enutritæ partes haud semper seruant excrementa sensibus conspicua; pleræque enim

Li. 2, cap. 152.

L. de alimento

3. de fac. nat. c. vl.

2. De par. an. i. c. 6.

Medulla ossiũ non est pinguedo.

Ossa sunt a prædominio terrea.

Ossa cur non sentiant.

1. De ele. c. 5.

9. de simpl. fac. c. 2.

3. De an. c. 66.

Nõ omnia ossa medullam habere.

excrementa emittunt inſenſibilia, vt ad quas fertur alimentum defæcatius: Erit igitur medulla non vere alimentum oſſium, ſed alimenti oſſium excrementum digeſtum, ea ratione qua lac mammarum, & ſemen teſtium excrementum dicitur. Ad Hippocratis autoritatem dicimus nomine medullæ, quam dicit eſſe alimentum oſſis, eum intelligere non medullam proprie dictam, quæ ſubſtantia eſt adipi, ſeuoque ſimilis; ſed ſuccum alimentarem, quo ſubſtantia oſſium ſpongioſa referta eſt; hic enim ſuccus vere alimentum eſt oſſibus, cuius ſucci tenuius excrementum ſegregatur vi caloris, & coquitur in medullam, traditurque ad cauitatem, veluti ad conceptaculum conſimiliter Galenus inquiens, qualis eſt ſanguis carnibus, talem oſſibus eſſe medullam, medullæ nomine forte ſuccum alimentarem oſſium ſignificat, quem canes maiori neſcio an labore, an voluptate ex oſſibus eliciunt; cujus ſucci oleoſa pars alendis oſſibus inepta vi coctionis in medullam cedit proprie dictam, quæ intra caua oſſa reconditur, a ſolidis oſſibus exit inutilis.

Partes quæ habeant excrementa inſenſibilia. Medulla ut ſit oſſium excrementum. Hippocrati ut medulla dicatur alimentum oſſium.

Ieiunia per accidens, & apparenter calefacere; vere, ac per ſe calorem non acuere, licet per ſe ſitim procreent. Cap. LVI.

IN eo autem ab Ariſtotele præterea diſſentire videmur viro ſolertiſſimo, quod ſupra negauimus inedijs calorem augeri, & acui; namque Ariſtoteles alicubi citatis verbis ait *Ieiunia calefacere, & ſitim facere*: ceterum penitius introſpicienti mentem Ariſtotelis eo in loco, nil nobis inde obijci poſſe videbitur de propoſito, nam vt alimentum ore ingeſtum corpulentia ſua recludit viam tenuiori aeri, qui frigiditate calorem internum ventris contemperat, ſic ex aduerſo inedia non patefaciens aditum externo aeri ad intima viſcera, dicitur calefacere, quia calori nullum refrigerium affert, quod eſt calefacere, negatiue, ſeu priuatiue, ac minus proprie, id tamen ſat eſt eo loci ad propoſitum Ariſtoteli demonſtranti alimentum ingrediens introducto aere calorem refrigerare, quia ieiunia calfaciunt, vt infra etiam fuſius explicabitur. Deinde vero ieiunijs calor abſumit pituitam, ſi quæ in corpore ineſt, eamque vlteriori coctione in alimentum vertit primum, ſed poſt pituitam calor cibo priuatus, in quem agat, omnes ſui vires conuertit ad humidum radicale depaſcendum: quare in primo illo ſtatu ieiuniorum, quo calor pituitam concoquit, videtur calor augeri, ſed reuera non augetur; videtur ſane augeri, quia cuius vires a pituita hebetabantur, & opprimebantur, pituitæ frigiditate per coctionē ſublata calor exertis viribus videtur adauctus, ſed reuera non auctus eſt, quia illi neque materia calida, neque gradus caloris vllus de nouo additus eſt: ſic vulgo Medici dicunt purgans medicamentum, quo euacuatur humor, qui copia vires opprimebat, auxiſſe vires; quum tamen vires inde non creuerint vllo pacto, ſed oppreſſis dempta fuerit humorum ſarcina: In ſecundo autem ieiuniorum ſtatu, quando calor pituita concocta vtitur ceu alimento, tunc vere quidem calor augetur, at non inedia, ſeu ieiunio, ſed alimento; eſtque tunc æquiuoce ieiunium, nempe nomine, ac ſenſui, non re; In tertio demum ieiuniorum ſtatu calor conuerſa pituita in alimentum, & alimento in partium ſubſtantiam, demum totus ad humidum radicale conſumendum conuertitur, inde non auocatus a pituita, nec a cibo vlla ex parte; humidi autem ſubſtantifici conſumptione ſiccitas inducitur, quæ immediata eſt cauſa ſitus naturalis; hæc enim ſitis, quæ a ieiunijs ortum ducit, ex ſiccitate eſt, citra æſtum caloris; nam ieiunia vel non poſitiue calfaciunt, vt in primo ſtatu; vel ſi poſitiue calfaciunt ieiunia æquiuoce dum pituita cocta in alimentum verſa per nutricationem augent ſubſtantiam calidam, non adeo vim caloris acuunt, ut hic euadat colliquatiuus, aut deſiccatiuus; Nobis igitur ſupra decernentibus fame calorem non acui, ſed hebetari, non refragatur Ariſtoteles hic ſtatuens ieiunia calefacere, ac ſitim facere; nam uel apparenter, non autem reuera calefaciunt, uel æquiuoce ieiunia ſunt quæ calefaciunt; eaque non magis calefaciunt quam commeſſationes; immo longe minus, quia nutrimentum ex pituita non niſi frigidum progignitur, & ſitim faciũt conſumendo humidum citra caloris æſtum.

lib. 2. ca. 155. 157. de vit. & mor. ca. 3.

Inedia non calefaciat.

æquiuoce ieiunium.

Vt alimentis non refrigeretur per ſe vlla ratione calor natiuus. Cap. LVII.

SIllud etiam pleriſque a uero abeſſe uiſum eſt, quod olim conſtituimus alimentorum ſeu calorem natiuum non refrigerari, opponitur autem nobis ratio, & Ariſtoteles; ratio quidem, quia uulgatum ſatis eſt calorem humiditate remitti, ac hebetari, ſiccitate uero acui & intendi; quum ergo ſatis conſtet per inedias corpus deſiccari, & per alimentorum præſentiam humectari; quippe alimentum omne ſpecies eſt humoris; plane confiteri opus eſt calorem internum alimentorum uſu refrigerari: Immo quum omne alimentum ſanguinis naturam ſortiatur, & proinde humidam, cum ea latitudine, ut pro uarietate ciborum ſanguinem modo magis, modo minus humidum generemus, profecto qua ratione ſanguis humidiſſimus feruorem febrilem temperare poteſt; unde Hippocrates uictum humidum febricitantibus omnibus conferre ſtatuit; eadem plane ratione ſanguis abſolute omnis humiditate ſua naturali minorē natiui caloris æſtum refrigerare debebit: Cui dogmati aperte uel Ariſtoteles adſtipulari uidetur ubi ſcribit in hanc ſententiam, *Quoniam autem omne viuens*

lib. 2. ca. 167. lib. 3. c. 19.

1. aphor. 16.

de iu. & ſen. c. 3.

habet

hab et animam, ipsum vero non existis sine naturali caliditate, sicut diximus; plantis quidem per alimentum, & continens sufficiens fit auxilium ad naturalis calidi conseruationem: etenim alimentum facit refrigerationem ingrediens, sicut ex hominibus, qui primum cibum sumpserunt: ieiunia autem calefaciunt, & sitim faciunt: immotus enim existens aer semper calefit, alimento autem ingrediente refrigeratur motus, donec vtique assumpserit concoctionem. Hæc Aristoteles.

Calorem fixum alimento nõ refrigerari.

Calor fixus cur mitior influente.

Ceterum his non obstantibus, & hic asserimus calorem fixum ab influente distinctum alimento refrigerari nec debere, nec posse; non debere, quia in sano animali mitis est, ad influentis discrimen, qui spirituum igneorum copia nixus adeo æstuat, vt digitum in cordis ventriculo sinistro influentis caloris fonte detinere non possis quin vraris, Galeni testimonio; quum tamen cordis substantia nuper mactato animali impune diu tangi valeat: Immo vero & quum æstuat maxime calor fixus, vt in hectica febre, mitis nihilominus adeo est, vt vix sensu percipiatur; quamobrem ex se nullo indiget refrigerio: si quo autem egere illum contendas, certe sufficiet illi refrigerium ex aere intrinsecus attracto, nec vllo ex alimentis opus habebit.

Cur hectica febre calor mitis.

Alimenta omnia calida vt sint absolute.

3. de an. t. 38.

Non posse autem calorem alimento refrigerari ex eo patet, quoniam alimenta omnia, & præsertim cibaria, calidam naturam obtinent, quippe obiectum famis existunt, quam definit Aristoteles esse appetitum calidi; quum nemini dubium sit calorem omnem calidorum quorumcunque adiectione intendi, non refrigerari: etsi vero ponamus alimenta omnia simpliciter calida esse, haud tamen infitiamur alia alijs calidiora esse, & quæ minus calida sunt, calidiorum comparatione appellari frigida: sed ad obiectionem primam concedentes corpora ob inediam desiccari, & alimentorum vsu humectari, rectiori sensu intelligendum putamus vulgare dogma, calorem siccitate acui, humiditate refrigerari; non enim hoc de omni calore, deque omni humore, ac siccitate verum est; namque in primis duo quum sint elementa calida, ignis, & aer; profecto calorem igneum siccitas acuit, humiditas hebetat, quia per naturale coniugium igneo calori siccitas nubit; sed calor aereus, qui naturale commercium cum humiditate sortitur, humore potius quam siccitate intenditur; quapropter pari Solis radio aer post pluuiam, vel imminente pluuia humidis vaporibus refertus calidior percipitur, quam post longas serenitates a ventis desiccatus: Quum ergo calor naturalis viuentium natura iunctus sit cum radicali humore, ac proinde aerei caloris potius, quam ignei sortem adeptus fuerit: propterea is ex eorum calorum numero eximendus est, qui humiditate remittuntur: Atque hoc non solum de fixo calore nuncupato accipiendum est, verum etiam de influente; nam vterque humori adiunctus est a natura, ille primigenio, hic alimentari; & quum vterque ad subiecti sibi humoris incrementum intendatur, & decrementum hebetescat, iccirco pueris, quibus magis inest humoris primigenij, & minus alimentaris: nam quo sunt ortui proximiores, eo minor humoris primigenij portio ipsis consumpta est; quo autem minora vasa, & exiliora corpora obtinent, eo minorem alimenti copiam in se continent; propterea inquam pueris fixus calor vegetior, & maior inest; influens autem mitior, & minor quam iuuenibus: falsum est ergo absolute calorem natiuum animalium siccitate acui, & humiditate retundi.

Calor vt siccitate acuatur, humiditate refrigeretur.

Calor, qui humore potius quam siccitate intẽditur.

Cur aer imminente, vel proxime transacta pluuia magis calidus.

Calor natiuus cur humore non remittatur, sed intendatur.

An pueris calor sit vegetior quam iuuenibus.

Alioquin etiam senes, vtpote iunenibus natura sicciores, calorem fixum ijsdem haberent acriorem, acutioremque; quod neminem dicturum arbitror, qui Medicinæ, ac Physiologiæ sit initiatus: Neque putes in senibus calorem ab humiditate excrementitia, qua plurimum scatent, hebetari; namque humiditas ea in senibus redundans quum frigiditatem adiunctam habeat, nec partibus flacciditatem conciliet, duris, densisque senum corporibus persistẽtibus; sane calor senum hebetatur tum ad humoris subiecti consumptionem, tum quoque a frigiditate pituitæ, non autem ab excrementi huius humiditate; illa enim partes flaccescerent necessario, qua partium calor hebetaretur: quod mox explicabitur.

Calor natiuus siccitate nõ intenditur.

Calor senũ haud hebetatur humore excrementitio.

Deinde vero quæ calorem humiditas hebetare, ac siccitas acuere potest, non omnis est indifferenter, ac speciatim non externa, & absens quoquopacto a caloris subiecto, sed quæ subiecto ipsi commiscetur, atque adiungitur; nam ea ratione calorem humiditas hebetat, & siccitas acuit, quia calori subditam materiam illa relaxat, emollitque: contra hæc densat, induratque: quippe calor, ceteris paribus, valentior, & actuosior est in materia dura, & densa, quam in molli, & rara: Modo alimentaris humiditas non commiscetur subiecto fixi caloris ita vt ipsum emolliat, & rarefaciat: siquidem subiectum hoc substantia est solidarum partium, cui adiuncta humiditas alimentaria tantum abest vt in subiectas partes agendo illarum substantiam relaxet, ac emolliat; quod potius alimentum ipsum siccescat, & duritiem, soliditatemque partium induat, in earumque substantiam transmutetur: quia ergo alimentum solidis partibus applicitum sub propria forma non permanet, sed in earum naturam conuertitur, illas ideo non emolliens, aut rarefaciens calorem earundem hebetare non potest, quem tamẽ hebetant excrementitiæ humiditates, quæ quum haud sint alendo corpori, si dispergantur in vniuersum habitum, vt in hydrope fit, atque in fame, ac malo habitu contingit, flaccidam partium substantiam, mollemque, ac raram efficientes caloris insiti robur eneruant.

Humor qua ratiõe calorẽ hebetat, & siccitas acuat.

Ad secundam vero rationem cõcedentes omne alimentum sanguinis naturam sortiri, & humidam; cum ea latitudine, vt pro varietate ciborum sanguinem modo magis, modo minus humidum, virtute præsertim, contrahamus, non admittimus qua ratione sanguis humidissimus febrilem calorẽ temperat, eadem sanguine simpliciter calorem natu-

ralis in viuentibus, atque in animalibus præsertim fundatur spiritu; at vero spirituosi caloris ea natura est, vt, nisi leuiter agitetur, ac moueatur, quasique flabello ventiletur, facile æstuet, æstuque illo subiectum sibi consumens humorem, ad eius exterminium & ipse tabescat; alimentum igitur ingrediens in corpus viuentis mouet necessario leuiter in eo spiritum, & calorem, qui eo motu aliquantisper refrigeratur: Quæ omnia consentiens Hippocrati aperte innuit Aristoteles inquiens alimentum facere refrigerationem, non per se, sed ingrediens, quasi in ingressu aditum parans aeri tenuiori quo postea calor refrigeratur, & sane non aliunde statim a cibo perfrigeramur, & horrore concutimur, vt monet Aristoteles, quam aere vna cum alimento ingrediente, atque ventriculi os vellicante: Qui idem aer & eodem ingressu mouens internum spiritum, qui si persistat immotus, æstuat; vt hac ratione quoque in hominibus longum ieiunium passis alimento demum assumpto contingat calorem refrigerari per accidens; per se vero non nisi ab aere vna cum cibo in ventrem attracto, & internum spiritum mouente: Quare sicuti animalibus alimentum non est necessarium ad refrigerium caloris absolute, atque per se; quippe refrigeratur eorum omnium calor a continente, seu ambiente, quod est aer, & aqua, vt paullo post subdit Aristoteles, non autem ab alimento; pari ratione de plantis hoc ipsum constituere oportet, id quod aperte ibidem statuit Aristoteles inquiens, si æstate fortes accidunt æstus, & non possit quod trahitur ex terra humidum refrigerare (quia scilicet aer vna cum alimento ingrediens, & extrinsecus ambiens tanta caliditate polleat, vt refrigerando caloris sit ineptus) corrumpitur marcescens calidum, & dicuntur sphacellismum pati, & sideratæ fieri arbores his temporibus; qua propter & genera quædam lapidum radicibus subdunt, & aquam in vasis, vt radices infrigidentur plantarum: quæ sane haudquaquam oporteret radicibus subdere, si plantarum calor alimento per radices ex humo attracto refrigerari posset: Hæc satis aperte roborat frequẽs experimentum, quo passim cum Aristotele comperias homines plurimos a cibo rigere, ac horrore concuti, cuius passionis non aliunde origo est, quam vel ex aere vna cum cibo in vẽtriculum affatim lapso, cuius frigiditate rigens ventriculi os, & spina dorsi ventriculo proxima secum trahunt in consensum reliquas omnes corporis particulas, quibus communicant: vel ex recursu caloris influentis a corporis habitu ad membra coctioni dicata, quo destitutus calor fixus illarum partium remittitur, remissus autem partium molem sustinere non potens firmiter, tremorem horrori, ac rigori similem inducit; sic enim tum senes, tum veneri, aut baccho nimium indulgentes ob penuriam caloris influentis nequeunte fixo firmiter sustinere membra, tremere consueuere: ita ergo per accidens vbique alimento calor fixus refrigeratur, siue id faciant alimenta deferendo aerem ad caloris sedem, siue ab eius cõsortio reuocando calorem influentem; hoc enim fixus roboratur, qui aere temperatur maxime. Quod autem de ieiuniis affert Aristoteles, dum ait ea calefacere, ac sitim facere, non ideo ab opposito conuincit alimentum per se refrigerare; nam ieiunia per accidens, & apparenter calefaciunt, non per se, ac vere: nimirum quia in ieiuniis calor consumit humiditates pituitosas, quibus eius acies videbatur obtundi: iis vero consumptis non ideo calor exardescit, licet vegetior videatur: nam reuera imbecillior est, quia simul cum excrementitia non nihil etiam substantificæ humiditatis consumit, & post excrementitiam auide salutarem depascitur, vnde caloris languor, vna & sitis a siccitate: sed hæc fuse superius.

Cur a cibo statim perfrigerati horrore concutiamur.

De iuu. et sen. c. 3.

Cur a cibo rigeãt, horreãtq; plurimi.

Cur senes salaces, et bibaces tremant.

Galeno item alimentum non refrigerare calorem natiuum, nisi per accidens, sed per se illum augere. Cap. LIX.

Huc ea faciunt, quæ profitetur aliquando Galenus inquiens, *Tanquam enim ignis idoneum alimentum ignem ipsum auget, ita quicquid corporum natura calidorum proprium, & naturale est nutrimentum, id ea semper non solum roborabit, sed etiam insitum eorum calorem augebit: atque id quidem omnis nutrimenti communis effectus est. Iam vero ab ignis exemplo non digressi admoneamus rursum de lignis humidis, quæ ipsa quoque ignis nutrimentum sunt, ceterum non statim, aut continuo, eoque sæpenumero igni iniecta nõ solum flammam quasi sopiunt, sed etiam si imbecilla est, & parua, corrumpendæ quoque eius periculum afferunt: sic profecto & in animalibus cibi, qui vii prorsus assimilentur, & corpus nutriant, spacio egent, hi frigus vniuersi potius quam calorem afferre in præsenti videntur: ceterum calfaciunt hi quoque tandem non secus ac reliqui cibi, si semel vt corpus nutriant sint consecuti: omne enim nutrimentum, quatenus nutrimentum est, animalis calorem auget.* Ita Galenus, vt vel ex eo constet alimentum suapte natura, & per se calefacere, refrigerare vero non nisi per accidens, & parum ab initio antequam nutriat, seu potius dum corpus ingreditur secum aerem afferens per se refrigerantem: quod aperte insinuat posterius, dum ex Aristotele admonet ipse idem Galenus cito perire acquisititium effectum eorum, quæ agunt ex accidenti, qui frigus ex ingesto alimento statim fieri, ac terminari dixerat. Quod si lactucam obiicias, & portulacam, aliaque temperamenti frigidioris edulia, quæ a propria facultate refrigerãt etiam citra interuentum aeris, scite respondet eo loci Galenus hæc non esse pure alimenta, sed mediæ cuiusdam naturæ inter alimenta, & medicamenta, & prout sunt medicamentariæ, alimentariæque naturæ participia, sane vt medicamenta sunt per se primum refrigerantia corpus nostrum; vt autem alimenti vicem subeunt, iam a calore

3. De temp. c. 2.

3. De temp. c. 4.

Cito perit effectus agentium per accidens.

ma, & substantia caloris, vel ab ea immediate, indiuidueque adeo prouenit, vt altera intendi nequeat sine alterius incremento. At si sermo sit de caloris insiti materia, duplex itidem ipsi

Calori natiuo duplex materia potest assignari.

materia potest assignari, nimirum vel materia ex qua veluti compositus cõstituatur, vel materia in qua veluti forma resideat: Porro si de materia constitutionis agamus, in tẽperamento calor natiuus constituitur ex calore simplici veluti forma, & ceteris primis qualitatibus veluti

Caloris natiui constitutio.

materia, nam calor alias qualitates continet, ac moderatur (quod est proprium formæ erga materiam) ita vt si a quopiam tale dominium calori surripiatur, illico mistũ putrescat, & dissoluatur; sed & Aristoteles aliqñ aperte calorem ad alias qualitates formæ rationẽ subire insinuauit:

2. de gen. t.50.

Qua quidẽ in re si alimentis augeri possunt aliæ qualitates in tẽperamento, quę sunt materialia principia calidi natiui; cur ijsdẽ caloris ipsamet qualitas intẽdi nequeat, satis demonstrare non poterit vir egregius; eadem est.n. habitudo alimentorum ad singulas tẽperamenti qualitates. Sin aũt sermo sit de materia, in qua calor veluti forma inesse dicitur; quũ duplici polleamus nos calore natiuo, influẽti scilicet, ac implãtato, quem fixum nuncupant, duplex itidem genus materiei obtinuimus, influentem & fixam;

Materia fixa, & influẽs quæ in viuẽte.

hæc plane materia fixa nulla fuerit alia, quam humor substantificus, & radicalis appellatus, seu mauis substantia ipsa solidarum partium viuentis vt misti; illa vero materia caloris influens sanguis est, ac præsertim sanguinis portio tenuior, & halituosa spiritus nomine donata; qua de materia videtur agere Medicus illustris: sed nos vt libenter assentimur decernenti alimentorum vsu augeri sanguinem, spiritus, & solidarum partium quamlibet, ac proinde substantiam, seu materiam calidi natiui; sic negare non possumus alimentis caloris vim, seu qualitatem, & gradum etiam intendi tribus potissimum rationibus;

Calor natiuus est qualitas materialis.

8. Phy. t. 78.79.80.

prima est, quia calor hic est qualitas materialis, & omnino forma in magnitudine; quum ergo ex Aristotelis decreto forma omnis in magnitudine ad subiecti corporis incrementum viribus augeatur, & fiat potentior; ac vicissim ad eiusdem imminutionem fatiscat; proculdubio alimenta dum augent calori subditam materiam, simul caloris vim, & gradum non intendere nequeunt.

Forma materialis vires acquirit ad subiecti augmentum.

Lib. 2 ca. 367.

Li. 3. c. 19.

Li. 4. c. 55.

Altera est, quia calor natiuus in viuente naturæ non est igneæ siccitati adiunctus, sed aereæ humori applicitus; at superius compertum est calorem aereum humiditate intendi, viresque maiores acquirere; nam aere vaporibus aqueis referto, vel ante, vel post pluuiam ijsdem radijs solaribus calor longe acrior excitatur in ambiente, quam summa vigente siccitate aeris: alimentis ergo augeri nequit humor interior, aut influẽs, aut radicalis, quin simul intendatur vis, & robus caloris naturalis vtriusque, influentis nimirum, & fixi.

Calor aereus, & natiuus humore intenduntur.

Tertia est, quia mistum omne perfectum tale est, vt in eius temperamento calor ceteris qualitatibus absolute dominari debeat, licet maius, & minus dominium hoc esse valeat; quippe calor ceteras qualitates veluti forma subiectam materiam continere tenetur; quum autem alimentum eatenus alat, quatenus mistum est perfecti generis; vt fuse ostendimus antea; quumque nutricatio formaliter sit conuersio alimenti in substantiam viuentis; profecto si huiusmodi conuersio alimenti fieri debet vt misti; quum misti potissima ratio consistat in temperamento, plane opus est alimentum in actu alendi tum ratione suæ materiæ conuerti in materiam corporis viuentis; tum ratione sui temperamenti in viuentis temperamentum commutari:

15. 61. 102 113.

Li. 4. c. 38

Quare quemadmodum ex Aristotele quantitas materiæ alimenti nutricationis ope addita quantitati materiæ viuentis corporis augmentum efficit; sic nouus gradus caloris in temperamento alimentorum ceteras qualitates exuperantis additus calori natiuo eius vim, & robur auget necessario.

2. De t. 47.

Ad primam obiectionem vltro concedimus alimẽtorum esse varia genera, & proinde non æque calidum ab omnibus sanguinem gigni; sed vbi asserimus a vino, & allio sanguinem calidiorẽ procreari, a lactuca vero minus calidum, non tamen asseuerare cogimur ab vllo alimento frigidum sanguinem produci; quum enim suapte natura sanguis calidus sit a prædominio, licet caloris gradum in maxima obtineat amplitudine, semper tamen sanguis, vndecunque progenitus calidus erit a prædominio, nec in eius temperamento frigiditas calori æquari, multoque minus eum superare poterit, sed vbique in sanguine caloris vires erunt supra vim frigiditatis:

Sanguis est a prædominio calidus.

Quum autem sanguis, & omnino alimentum sub ratione alimenti calidum obtineat natura sua temperamentum a prædominio, profecto nequit non augere vim caloris interni, etiamsi ad minimum prædominij gradum peruenerit; etenim mista vbique operantur secundum prædominans Aristotele autore.

Mista operari secundum prædominãs.

Ad aliam oppositionem concedimus lactucam, & cetera, quæ ingeruntur, procreare humores naturæ suæ consentaneos, sed cum Galeno, vt patuit in superiori capite, obseruamus alimentorum esse duo summa genera; nam quædam sunt mere alimenta, quędam vero simul & medicamenta, & alimenta; inter quæ hoc interest discriminis, quod alimenta omni ex parte vinci, ac subigi possunt a calore nostro; sed medicamenta alimentosa, seu alimenta medicamentosa qua ex parte alimenta sunt, itidem a calore nostro subiguntur, & superfluitatibus extrusis commutantur in sanguinem, & in partium solidarum substantiam, quorum vtrumque, sanguis nimirum, & pars solida viuentis, calorem habet in sui temperamento naturali ceteris qualitatibus dominantem; qua vero ex parte medicamenta sunt, vicissim calorem ipsum mutant, vel acuendo vltra symmetriæ, ac alimenti normam, vel minuendo eius vigorem, prout sunt medicamenta vel calida, vel frigida: sic ergo lactuca, & alia omnia, quæ-

1. Cal. t. 7.

cunque per os aſſumuntur, alimenta medicamentoſa potiſſimum frigidiora duplicem ſuccum in humano corpore generant, vtrumque ſuæ illorum naturæ conſentaneum; alter ſuccus eſt alimentaris, hic ſanguis eſt abſolute a prædominio calidus; alter eſt ſuccus medicamentoſus alendo ineptus, qui poteſt calorem obtundere, ac refrigerare; namque his non ineſt vna, ſimplexque alimenti natura, ſed gemina, quum ſimul & medicamenta ſint, & alimenta. Præterea dicas in alimento quolibet duas ineſſe partes, alteram excrementitiam, alteram vero alimentarem; inter quas ea eſt differentia, quod excrementitia non alit, nec auget mole ſua ſubſtantiam corporis, humoriſue ſubſtantifici; at ſi diu retineatur in corpore, quidni qualitate ſua caloris aciem acuat, ſi calida ſit a prædominio; retundat, ſi frigida? obſtructis enim cutis meatibus, atque ita occluſo exitu calidioribus fuliginibus, nouimus hominum calorem ſuapte natura mitem accendi in febrilem, vt hæc ſit aptiſſima Diariæ cauſſa: ſed alimentaris eſculentorum, potulentorumque ſuccus in ſanguinem vertitur neceſſario, qui ex ſe a prædominio calidus non eſſe non poteſt, ac proinde vt mole ſua nutriendo auget corporis materiam, ſic ſua qualitate conſimilem ſibi calorem internum roborat, & intendit: Atque vt facta comparatione inter pure alimenta, alia alijs magis, & minus calida eſſe confitemur, & quæ minus calida ſunt, vulgo frigida nũcupari poſſe concedimus; ita vnumquodque alimentum ſecundum ſe conſideratum in ſui temperamento calorem ceteris qualitatibus dominantem habere contendimus, & propterea ipſius conuerſione in viuentis naturam mole ſua corpus augere, qualitatis exceſſu quantulocunque calorem naturalem intendere aliquando quidem magis, aliquando autem minus pro exceſſus varietate in gradu. Itaque alimentorum vſu non ſolum calori natiuo ſubdita ſubſtantia, & materies augetur, quod eſt calorem augeri extenſiue apud Scholaſticos, ſed etiam virtus acuitur, & qualitas, ſiue gradus intenditur, quod eiſdem eſt calorem augeri intenſiue.

Alimẽta medicamentoſa duplicem ſuccum generant.

In omni alimento duæ partes inſunt, & quæ.

Vt alimentis non poſſit caloris virtus intendi, abſque eo quod ſubiecta calori materia augeatur. Cap. LXI.

VRget etiã in eo nos vir acutiſſimus, quod nuper poſuimus alimento ſimul tum corporis ſubſtantiam adaugeri; tum quoque caloris aciem exacui; nam inquit alimenta calidiora calorem internum augere, ſubſtantiam vero corporis conſumere, quia vt calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat, arborem vero perimit; ita calidius alimentum, maximeque vinum ſuſcitato calore ſpiritus, facultateſque erigit; mortem vero maturat; dum enim corporis calorem auget, ſubſtantiam minuit, dumque innati calidi ſpiritum, & calorem halitu fouet, eius ſubſtantiam, quæ humidum eſt primigenium, diſſipat, exorbetque; omnem vitam alacriorem, ac vegetiorem, ſed tamen breuiorem facit. Certe in his haud minus ſibimetipſi, quam nobis aduerſatur vir inſignis, qui paullo ſupra omne alimentum ſolam ſubſtantiam caloris augere, non item vim, & qualitatem intendere contendebat. Sed ſpeciatim hac in re nos non opprimit; aliud eſt etenim alimentum propria natura, & virtute ſua operari, ab eo quod eſt contingere poſſe vt ſit cauſſa per accidens alicuius effectus; profecto alimenti natura generatim ea eſt vt per ſe conſeruare ſtudeat corpora viuentia tum eorum calorem inſitum calore ſuo, tum quoque humorem primigenium, & omnino ipſorum ſubſtantiam mole ſua fouendo, & inſtaurando; quod & Ariſtoteles aperte docuit; & ratio demonſtrat ſuperius explicata, nimirum quia omne penitus alimentum vnica functione vegetantis animę conuertitur in ſubſtantiam viuentis quatenus eſt corpus miſtum perfecti generis, qua conuerſione ſimul, & mutatur ſubſtantia nutrimentorum in ſubſtantiam eius quod alitur, & eorundem quantitas, & qualitas adijcitur eiuſdem quantitati, & qualitati; ac proinde alimentum per ſe dum ſui ſubſtantia nutrit, ſimul & quantitate auget molem corporis, & humoris ſubſtantifici, & ſui calore fouet caloris inſiti vigorem; & hæc omnia præſtando viuentis eſſentiam tuetur, & conſeruat natura ſua: Bene verum eſt quod calidiora nutrimenta, ſi magis qualitate vim caloris augeant, quam mole ſubſtantiam corporis, vbi pure alimenta ſint, non etiam medicamentoſam naturam obtineant, occaſionem præbere conſumptioni humoris per accidens; quem etenim per ſe mole ſua tentant augere, aucta vi caloris, a quo valentiori magis, ac citius humidum conſumitur, per accidens conſumit; vt reuera non ſint alimenta calida, quæ proprie, ac per ſe humorem conſumant, corpori tabem inducant, mortemque accelerent; ſed calor internus ab alimentorum calidiorum vſu efferatus, & acrior effectus; quum per ſe, ac immediate nequeant alimenta quantumuis calida, dum vertuntur in ſubſtantiam viuentis, eius humorem ſubſtantificum, & corpus mole ſua non augere. Ad obiectionem priorem dicas longe aliud prouenire arboribus e calce ad radices conſperſa, ac viuentibus ex vſu alimenti calidioris; nam calce non vtuntur plantæ vt alimento; non enim calx in ſubſtantiam plantarum ad inſtar alimenti commutatur; ſed ijs vt medicamentum calorem fouere poteſt, & acuere, quibus imminuit ſubſtantiã, nobis item paralyticis, vel quomodocunque aliter calore languido, multis linimentis, & medicamentis tum extrinſecus, tum intrinſecus inditis apprime calefacientibus Medicina caloris vim ſuſcitat ſæpenumero cum ſubſtantiæ conſumptione, ſemper ſine corporis incremento, & hoc non niſi quia medicamenti ſubſtantia in ſubſtantiam corporis non mutatur, vt alime-

Calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat.

Fernelij repugnantia.

2. De an. t. 47.

Alimẽtũ ſui ſubſtãtia nutrit quantitate auget, qualitate calorem fouet.

Alimẽtũ vt ſubſtãtiã viuentis conſeruet.

Alimẽtũ vt conſumat corporis nutriti ſubſtãtiã.

Calx non alit plantas.

mentum: quare in eo alimentum cum medicamento conueniens, vt vtrunque aciem caloris interni acuere possit, necessario tamen dissidet, quia medicamentum simul humorem substantificum augere nequit, quem necessario auget alimentum eo quia eius substantia in corporis viuentis naturam commutatur. Ad secundam oppositionem dicimus ex vsu calidiorum alimentorum vitam breuiorem effici, & corpora consumi, non quia nutrimentum vllum persę absumere valeat humidum substantificum, aut dum nutrit simul calorem intendat, & corporis substantiam minuat: quod asserit vir doctissimus: sed quia (præter allatam superius rationem ex Aristotele) calidissima nutrimenta, quę parua mole multam vim calefaciendi sortiuntur, quum longe magis calorem internum augeant calore suo, quam corporis, & humoris substantiam mole propria; euenit vt postea calor intimus longe præualens viribus humoris ipsum celeriter absumat euolaturus ad æthera, & vitam mortalem hanc terminaturus: Quare alimentum ex se simul auget vim caloris, & copiam humoris; per accidens autem causa est vt humor citius consumatur a calore viribus adaucto; sic ergo absolute, ac perse alimentum omne simul, dum alit, & conuertitur in substantiam viuentis, vt mole sua corpus, & humorem viuentis internum adauget; ita simul calore suo consimilem viuentis calorem insitum intendit. Addimus in alimento partem excrementitiam, quæ non est alendo corpori, quia non conuertitur in nostri substantiam, si calida fuerit, intendere posse gradum caloris, vna & consumere corporis, humorisque substantiam, vt ouper io medicamentis obseruauimus; at alimenti partem alimentarem non posse dum alendo calorem auget, simul & humorem non adaugere: verum nobis cum Clarissimo viro disputatio est de alimenti natura, non autem de ipsius excrementosa portione, quam vere alimentum non dixeris. Proprie igitur omne alimentum, cuiuscunque naturæ fuerit, dum alendo vertitur in substantiam viuentis, ad medicamenti, & excrementi discrimen, simul & calorem innatum acuit, & humorem substantificum auget, vitamque suo modo conseruat.

Cur ex vsu calidioris alimenti corpus absumatur, & vita breuior efficiatur.

Vt anima nutriens actum habeat immediatum, & proprium, in quo edendo non vtatur organo corporeo. Cap. LXII.

Lib. 2. n. 176.

Vlterius autem dum olim constituimus omnem animam, & speciatim vegetalem præter vulgatas illas, quæ sunt operationes coniuncti, & fiunt ministerio instrumenti corporei, habere quendam actum immediate ab eius essentia in corpus prodeuntem citra vllum organi materialis interuentum, ansam dedimus erudito viro nobis obijciendi Aristotelem, & placitum quoddam in opere *De Vita*: Non enim bene hoc in loco istam animæ operationem propriam admittere videmur, quam in opere De vita ex professo demoliri studiuimus a Magno Alberto propositam. Deinde vero ex Aristotele habemus non semel eu, iusque animæ fuerit aliqua operatio propria ita vt in ea obeunda non communicet cũ subiecto corpore, omnem illam animam a corpore fore separabilem, & immortalem; quum ergo vegetalem, sentientemque animam nemo nõ agnoscat a corpore inseparabilem, atq; mortalem in Peripato; profecto illis ex Aristotele, ac rei natura concedere non debemus operationem vllam propriam corpori non communem. Deinceps autem idem Aristoteles in opere de anima, vbi dedita opera sibi proponit agendum de quibuscunque animæ operationibus, siue proprijs, siue communibus etiam subiecto corpori, nusquam tamen de huiusmodi functione verba fecit; nefas enim quum sit asserere id latuisse Aristotelem, quod nobis innotuit; & eundem aut consulto celauisse, aut obliuione prætermisisse quod nouerat; & quum nullibi de hac operatione vegetantis, & alterius cuiusque animæ Aristoteles meminerit; satis iam constet eam purum esse figmentum. Sed & in proposito accusamur immerito, nam in opere *de vita* negauimus Alberto dari operationem animæ propriam, quę ab anima sic promanaret in corpus, vt esset quid re ipsa distinctum ab animæ substantia, & proprie id quod vitam appellamus; at vero superius animæ concessimus operationem quandam, seu potius actum quendam vniuersalem, qui vicecersa re distingueretur a vita, licet ipsi nodo indissolubili adiungeretur, & re idem esset cum animæ substantia, nimirum animæ essentia participata, quam participationem animæ quodcunque finit, idipsum protinus mortem inferat, ut hoc sensu verum sit vulgatum axioma, Quietem animæ nutrientis a sua operatione, scilicet a sua participatione, esse mortem. Deinde vero disputationi aditum patefacientes dicere possumus nos libro de vita non negasse animam vegetalem, & quamuis aliam, quæ subiectum sibi corpus actuet, perficiatque, in eo actuando, perficiendoque vere operari absque eo quod in tali functione obeunda vtatur corpore cooperante velut instrumento, quod in hoc opere professi sumus; sed solum negasse Alberto hanc operationem esse vitam, & non esse actum secundum. Ad aliam oppositionem concedentes vegetalem, ac sentientem animam esse morti obnoxiam, & a corpore inseparabilem, admonemus animæ operationes proprias corpori non communes esse duum generum; aliæ ita sunt propriæ, ut anima in ijs obeundis nullo pacto indigeat præsentia corporis, neque ut cooperantis agendo, neque ut patientis recipiendo ab anima; atque huiusmodi operationes considerat locis allegatis Aristoteles, dum eas solis animus immortalibus, & separabilibus attribuit; aliæ uero sunt ita propriæ, vt in illis edendis non quidem cooperetur ani-

Lib. 1. n. 13.

1. de an. t. 13.

2. de gen. an. c. 3.

1 de an. t. 3.

Quies animæ nutrientis a sua operatione vt sit mors.

Animæ operatio propria duplicis est generis

mæ corpus uelut instrumentum, attamen sine corpore obiri nequeant; quippe corpus illud esse debet, quod eam operationem in se patiendo suscipiat; & huius generis functiones commu nes sunt mortalibus, & immortalibus animis; sunt enim omnes animæ actus primi, & omnino perfectiones participatæ corporis physici ex Aristotele. [2. de an. t. 6.]

Ad aliam dubitationem concedentes Aristotelem sibi proponere contemplationem de quibuscunque animæ operationibus, & actibus tum proprijs, tum quoque communibus, dicimus de hoc actu proprio, quam operationem animæ uniuersalem appellamus, & proprie participationem, & præsentiam animæ, fatis egisse Aristotelem in opere de anima pluribus in locis sub nomine actus primi, ut propterea dicendus non sit nostrum commentum, sed Aristoteleum inuentum. [2. de an. t. 2. & seq. vsque ad 11. & t. 16.]

Calorem natiuum in nobis, quin etiam ignis flammam apud nos non indigere necessario humoris, quo veluti pabulo nutriatur. Cap. LXIII.

[Ex. 2. c. 81. & 177.] Insuper & aliud uellicatur dogma uiro subtili, quod paullo post attulimus asserentes calorem non ali humore, & ubi multus exardet ignis, exiguam candelam suam non posse asseruare flammulam, quia hæc ipsa minor tũ sponte ad maiorem congenerem sibi accurrit, tum etiam non inuita, nec resistens a maiore trahitur; non autem quia, ut uulgo dicitur, maior minoris pabulum celeriter absumat, unde priuata fomite minor, cui alimentum necessarium erat, statim satiscat, deficiatque; uellicatur autem hoc placitum duplici argumento, alterum est desumptum ex acutissimo Bonami coasserente *Pabulum, qui est humor, calori, quoad est calor, est prorsus necessarium: est enim veluti forma, quæ materiæ sustentanda est; eaque propter alieno corpore fundatur; sic humore consistit, licet nomen pabuli, siue alimenti Philosophi, Medicique adstrinxerint materiæ caloris, qui est in viuentibus.* [3. de alim. c. 43.] Alterum autem erat natura de promptum, quia uidemus flammam quamlibet a combustibili seiunctam ab aere interimi, quæ coniuncta combustibili ab eodem aere non extinguebatur; hoc autem aliunde fieri non potest, nisi ab ipso combustibili flamma iugiter conseruari dicatur; quum autem quæcunque mutata in alienam substantiam conseruare dicuntur id, in quod transmutantur, ad illud se habeant ad instar alimenti, & pabuli; hoc enim Aristoteli definitur illud esse, quod conseruat substãtiam uiuentis, in quam conuertitur; plane quicunque calor humore subiecto necessario indiget, quo nutriatur. [2. de an. t. 47.] Verum ob hæc nobis discedendum non est a propositis; quod enim primo affertur, multa continet difficilia, & ante omnia caloris nomine quum nuda qualitas non solũ intelligi ualeat, sed etiam substantia ignea calore consistens: si calor ut nuda qualitas accipiatur, ea quidem forma est, quæ necessario indiget materia, qua sustineatur; sed huiusmodi materia non est illi ad instar pabuli, non est alienũ corpus, non est absolute humor; non est ad instar pabuli, & alimenti, quoniam alimentum conuertitur necessario in naturam, quæ ali dicitur; quum igitur nulla substantia transmutari valeat in accidens ullum, nec ulla materia in suam formam; plane iam constet humoris corpus non posse in calorem conuerti, ac proinde caloris pabulum, & alimentum non esse humorem. [caloris hodie nomine quid significari valeat.] [Materia subiecta calori non est eius pabulum.] Non est alienum corpus, quia vbique formam omnem tum substantialem, tum accidentalem in proprij subiecti corpore consistere, nec inde ad alienum corpus transmigrare posse, uetus est in Peripato axioma, & a deo uerum ut non indigeat communi probatione, quod scilicet inseparabilis sit quæcunque materialis, & elementaris forma a proprio subiecto: [Non est alienũ corpus.] Non est absolute humor, quia calor, qui est forma ignis, non humore, sed sicco ueluti materia sustinetur natura sua, solus calor aereus in humore consistit: Qui autem calor ex igneo & aereo consistit in temperamento misti perfecti, uti est calor uiuentibus insitus hic ea ex parte, qua igneus est, sicco inest subiecto, qua uero aereus, humida indiget materia. [Materia caloris nõ est absolute humor.] Sin autem calor ut corpus calore constans assumatur, hic absolute forma non est, quæ necessario indigeat materiei, qua innitatur; hic alieno corpore non fundatur; hic humore non alitur: sine calor, qui corpus est calidum, non est absolute forma, sed compositum est per se subsistens, nec materia indiget, qua innitatur; nam constat ex se propria materia, propriaque forma; licet autem ignis, & aer ad alia elementa relatus, & in misto quolibet, & in uniuerso habeat rationem formæ, ut monuit Aristoteles; id tamen non est quia elementa supera esse nequeant sine inferis, vt forma sine materia; nam subtracta de mundo terra, & aqua, eodem Aristotele autore, aer quidem ad inferiorem locum descendet, non tamen ideo vel aer, vel ignis tanquam forma destituta materiei consortio peribit; sed elementa supera iccirco se habent ad infera vt forma ad materiam, quia hæc ab illis continentur, conseruantur, ac perficiuntur; illaque his sunt nobiliora, & perfectiora: [Calor qui non indigeat materia.] [2. de gen. t. 50.] [Ignis vt habeat rationem formæ, & aer.] [4. cel. t. 39.] Calor hic, quem diximus esse calidam substantiam, alieno corpore non fundatur, & præsertim non humore; quia calori tum substantia completa inest, qua per se subsistere valet; tum impetus est naturalis ad supera; quem humor violentia trahere, tractumque detinere conatur deorsũ; vt propterea non secus ignis humore, atque alieno corpore huc apud nos fundari dicatur, ac si quis dixerit facinorosos in carcere compedibus inniti, quibus impediuntur, prohibentur que fuga, & vi detinentur sub potestate iudicis. [Calor qui alieno corpore non fundatur.] Calor hic idem humore non alitur, quia flamma non permanet, sed iugiter succedit, vetusque interit, dum noua gignitur; quod enim alitur, idem numero permanet; quare flam- [Calor humore non alitur.]

flammæ humor vere non est vt pabulum conseruans veterem ignem, sed vt materia nouum constituens; quod apertissime nos docet Aristoteles vbi deridendos esse inquit omnes quicunque ignem humido ali existimauerunt adeo, vt tamdiu superstit ignis, quandiu habuerit alimētum: flamma enim propter continuum humidum & siccum, quę permutantur, fit, & non alitur; non enim eadem existens permanet vllo tempore, vt ita dicam; non igitur succensus alitur ignis. Mirifice quidem paucis verbis explicat Aristoteles hanc ignis successiuam generationem ex humido, quam sic interpretabere, vbi purus est ignis, vt sursum, ibi nullus existēs, humor in loco naturæ suæ consentaneo diu permanet ignis; at hic apud nos non nisi vi humori alligatus ignis continetur; qui diu nō permanet, sed a contrario ambiente multiplici recens nata flamma extinguitur, non tamen ante quam ob magnam ignis actiuitatem humidum sibi obsistens consumpserit, & in siccum permutauerit, cuius forma partim est frigus, & natura terrea, vt cineris, & carbonis; partim est calor, & natura ignea, vt eius, quod in ignem conuersum est: vetus ergo ignis in flamma humido non alitur permanens, sed occumbens nouum sibi similem ex humidi continua exsiccatione progenerat: Quod autem in flamma euenit euidenter, idipsum in mistis alijs fere quibusque latenter euenire putandum est proportione data. Deinceps vero & illud cohærere mihi non videtur eundem humorem eidem ea lori esse tum materiam, qua ceu forma sustineatur, tum etiam pabulum, quo nutriatur; alimentum enim quum a propria nutriendi natura cō uertatur in alti substantiam, sane quod alitur sese ad alimentum habet vt mouens ad mobile, ac omnino vt generans, & efficiens, ad materiam ex qua quid progignere debeat: ceterum idem simul esse formam, & effectricem caussam erga idem subiectū numero longe a ratione abest; forma enim a generante est, & caussa interna, quum generans sit extra naturam geniti. Ad secundam obiectionem concedentes flammam quamlibet a combustibili seiunctam cito extingui ab ambiente; animaduertimus eandem flammam combustibili adiunctā bifariam posse considerari, nempe in specie; atque in numero; seu mauis secundum totum, & secundum partes; si spectes flammam in specie, ac secundum totum, ea quidem combustibili addicta non extinguitur ab ambiente, sed conseruatur iugiter ab humore; attamen hanc non dices humore ali, tum quia humor non conuertitur in totam illius flammæ speciem, sed in illius speciei determinatas particulas, nimirum in flammæ partes exorientes; tum quia humor commutatur in flammæ partem exorientem, non autem in antea genitam; sed nutricatio est conuersio alimenti in substantiam præexistentem; nutritur enim quod iam est, gignitur autem quod nondum est; tum quia nutrimentum perse respicit conseruationem indiuidui, non autem speciei; hæc enim sola generatione conseruatur; quæ omnia patent ex Aristotele vnicuique. Sin autem accipias flammę portionem quamlibet indiuiduam, audacter superius negat Aristoteles eam combustibili addictam diu permanere, & humore succedente ali, & conseruari eandem numero; cito enim quælibet interit, licet interiens nouam ex humido con uerso in siccum celeriter adeo procreet, vt sensus genitam a generante discernere nequeat, ob generationis celeritatem, & ob genitæ cum generante naturæ similitudinem. Haud aliter sane dicas in perenni fonte continua versione aeris, & vaporum in aquam, latiecem fontis assidue gigni ex vaporibus, & vapores ex aere, non autem aquam nutriri vaporibus, nec vapores aere ali: Quod autem affertur, omne conseruans, quod suo munere fungitur conuersum in conseruati naturam, subire vices alimenti, scite intelligēdum est; nam transmutari potest tum in idemmet numero, tum in idem specie, si quidpiam conseruare dicatur illud ipsum numero, in cuius substantiam commutatum fuerit, hoc certe alimenti munus obit; sin conseruet aliquid eo quia mutetur in rem eiusdē speciei, iam hoc non sit alimentum, sed generationis materia, eo enim differunt hæc, quoniam alimentum conseruat illud idem numero, quod alitur, & in cuius naturam commutatur; materia vero generationis versa in naturam geniti speciem conseruare dicitur eius, quod gignitur, non illud ipsum, sed constituere; hoc enim genitum aliunde conseruatur, ac si viuens fuerit, potissimum alimentis: Quum igitur humor versus in flammam eandem numero non conseruet præexistentem, sed nouam constituat cō seruando speciem, iam non fit humor pabulum vetusti calidi, sed noui materia genitalis, & constituens.

Marginalia: 2. Meteor. c. 2. — Aristoteli flāma humore non alitur. — Quod alitur ut se habeat ad alimentū. — Forma & facies nō accidūt alimento respectu eius. — Nutricatio est conuersio alimenti in substātiā existētem. — 2. De an. c. 47. — Nutrimentum respicit conseruationem indiuidui, nō speciei. — 2. Meteo. c. 2. — Discrimē inter alimentū, et materiā generationis.

Cur calor humorem in misto, & in viuente præsertim depascatur, & interitum procuret, exercitatio cum subtilissimo Scaligero. Cap. LXIV.

CAlorem humore non indigere veluti pabulo nobis consentit Doctor egregius ex acutissimo Scaligero; quum tamen viderit a calore iugiter humorem absumi, de caussa huius consumptionis nobis non assentitur; nos etenim supra sæpius professi fuimus calorem ideo in viuente, mistoque omni humorem continenter absumere, quoniam ab eo prohibetur ascendere sursum, quo propensus est, lentoreque suo humor violēte calorem huc retinet in mistis; quum naturæ lege omnia semper totis viribus ea destruere nitantur, a quibus quoquopacto impediuntur ne ad suum finē accurrant, suamque perfectionem consequantur; est autem elemento cuique finis, & perfectio quies, & permansio in loco naturali: Obstat autem Vir insignis tum nostram propositi caussam euertere studens, tum nouam e Scaligero pro-

Marginalia: Exer. 9. in f. — Li. 2.

ferens. *Elementorum (ait) & omnino corporum simplicium finis est mistorum constitutio, potissimumque viuentium; quum autem cuncta natura impulsu sponte ad suum finem collimant, non vi detineantur in eo, sed naturaliter conquiescant, iam & calor, seu ignis in mistis viuentibusque nostratibus sponte quiescit, ac permanet, non vi ab humore districtus; quare vt euolet, non opus illi est humorem absumere, sed pugna inter eos est, ac lis de dominatu in misto, vt monet Scaliger, horum enim vtrumque (humorem dico, & calorem) sibi quaerit quod appetit, appetit vero non solum esse, verum etiam superesse; quod quoniam in re finita fundamentum habet, necesse est ad eundem limitem illa quoque duo pugnantia terminari, adeo vt valentius alterum destruat, ad cuius exterminium misti corruptio, & viuentis sequitur interitus.* Pulchra equidem sunt haec, non tamen adeo veritati consona, vt nos a proposito deturbent; Quod enim pertinet ad primum argumentum petitum ex fine, concedentes cuncta naturae impulsu sponte ad suum finem collimare, in eoque vi non detineri, sed naturaliter conquiescere, dicimus finem primarium elementorum, corporumque simplicium esse constitutionem Vniuersi, magnique huius animalis, quem Mundum appellamus; cuius constitutionem quum elementa compleant suis quaeque locis distincta, proinde aliena in sede non nisi violentia continentur; animalia vero, & plantae apud nos, vt non sunt partes mundi praecipuę, atque necessariae simpliciter, sed potius ad ornatum; ita finis non sunt elementorum. Id quod vel inde pateat, quia sublatis e mundo viuentibus subcaelestibus, adhuc superesse oporteret elementa ad mundi totius integritatem; at vero vbique sublato fine, frustra ponuntur quae ad finem instituta fuerant: finis ergo elementorum proprius, ac praecipuus quum sit vniuersi constitutio; constituant vero elementa Mundum ea dispositione inuicem locata, vt centrum terra possideat, terrae affluat aqua, globum ex terra, & aqua coagmentatum ambiat aer, aerem supremus contineat ignis immediate subcoelo rotatus; plane vt sponte sua quaeque his locis quiescunt, ita speciatim ignis non nisi violenter deorsum in mistis nostratibus retinetur semper naturaliter inhians ad supera. Deinde vero esto finis elementorum constitutio viuentium nostratium quoque; quando non repugnat idem ratione varia duos fines respicere; sic enim caelestes illae mentes caelos gyro voluunt assidue tum vt Deo summo similes quoquopacto fiant gubernando mundum; tum vt haec inferiora moderentur; attamen certa ratio est in eo fine, qua opus est elementa in misto violentia contineri, ratio vero duplex, vna est, quia vt constitutio mundi est finis primarius, ortus autem mistorum subcaelestium secundarius: ita maior est propensio, eaque per se corporibus simplicibus ad constitutionem Vniuersi, & proinde ad suas sphaeras; minor, eaque forte per accidens ad constitutionem mi

Finis elementorum quis.

Animalia, et plantae mundo sunt ad ornatum, non simpliciter necessaria.

Mista nō sunt finis simplicium.

Idē posse duos fines varia ratione respicere.

sti subcaelestis, & proinde ad sedes alienas; in quibus propterea ratione finis praecipui vi continentur; vnde omni conatu student aufugere ad sua loca. Altera vero est, quia mista nostratia sunt per se corruptioni obnoxia; quum autem misti corruptio per se non sit nisi naturalis dissolutio elementorum, & spontaneus discessus singulorum a misto ad sua loca; quumque nihil sponte alicūde discedere nequeat, nisi vbi violenter detinebatur: iam pateat in mistis nostratibus, quae tanquam per se corruptibilia constituuntur ab elementis, simplicia corpora, sed ignem praesertim violentia detineri; detineantur autem quum se se mutuo sibi inuicem complicata in mistione, propterea mutuo se se destruere student. Quod autem attinet ad placitum subtilissimi Scaligeri, non possumus accipere inter elementa in misto litem, ac pugnam esse de dominatu; nam secus vbi alterum vi dominium sibi acquisiuisset, iam parta victoria cessare deberet a pugna, siquidem vbique habito fine cessat motus ad illum, vel Aristotelis testimonio: at contra calor praedominans humorem non finit, sed acrius insectatur, & consumit usque ad vltimum exterminium, & humor si pugnando calori praedominium surripuerit praedominans haud cessata pugna, sed intendit certamen ad caloris internecionem; si ergo de solo dominatu contentio illis erat cur nulla ipsis modestia, nullusque modus contentionis inest? cur ita crudeliter in vltimum alterutrius exterminium victoriam exercent? cur acquisito dominio supereminens victo nō pepercit? illud enim de dominatu certantium vbique in more positum est

Parcere subiectis, & debellare superbos,

tantūmodo, ea nanque bella, quibus imperij gloria proposita est, minus acerbe gerēda sunt. Fatemur & nos calorem, humoremque in misto sibi quaerere quod appetit vterque; concedimus vtrumque appetere esse, negamus appetere superesse, & dominium alterius, nam caloris, & humoris appetitus est citra cognitionem mere naturalis; natura vero iustis legibus omnia moderatur, omnibusque insequit cupiditatem sui esse, propriaeque perfectionis, citra dānum alterius; omniaque libera esse voluit, nihilque alteri naturaliter seruire: Non ergo potest calor appetere dominium humoris, nec ui cissim humor desiderare ualet praeesse calori. Amplius si alteri ex his dominādi ius ullum est a natura, sane calor, ut pote nobilioris conditionis, perfectiorisque naturae, humori praeesse deberet tanquam formae potius quam materiae, atque actiuo potius quam passiuo dominiū competit; se habet autem calor ad humorem vt forma ad materiam, & vt actiuum ad passiuum, ceteris paribus: humor igitur a natura non potest appetere praeesse calori; pugnat nihilominus humor, & non raro pugnando adeo praeualet ut calorem uincat: itaque pugna inter calorem, & humorem non est de dominatu. Praeterea in his, quae natura sunt libera, cupiditas dominan di

Misti corruptio per se quid sit.

1. Caeli t. 76.

Elementa rū pugna in misto non est de dominatu.

1. De gen. t. 55.

Habito fine cessat motus ad illum.

Virgil. 6. eneid.

Calor, & humor in misto non appetunt peresse, at esse solum.

Natura iustis legibus omnia moderatur.

Natura omnia libera esse voluit.

Humor a natura non potest appetere praeesse calori.

di est cum cognitione, & cum prauitate; nam iniustum est alienam libertatem tollere; nec iniustitiæ crimine damnari potest citra cognitionem operans: quum ergo calor, & humor cognoscendi virtute careant, utroque iniustitiæ obnoxij non sint; satis iam constet dum pugnant, eos non ideo contendere, quia uterque utrique superesse appetat, & pugna eorum sit de dominatu. Sed & hoc acutissimi Scaligeri placitum aperte refragatur priori sententiæ viri doctissimi asseuerantis finem elementorum esse misti, ac viuentis constitutionem; quum etenim in mistis perfectis, ac viuentibus oporteat calorem prædominari, & humori præesse; si humor in misto cum calore de dominatu pugnet, non ne misti dissolutionem procuret, suoque fini reluctetur, in quem sponte collimare debet? quomodo hæc sit naturalis cupiditas prædominij in humore, quæ humoris finem funditus euertit? Non ergo pugna est inter humorem, & calorem in mistis de dominatu: sed reuera inter eos contentio naturalis est, quia vterque vtrique implicitus, se se mutuo impediunt ne ad naturalem sui locum perueniant: quum omnibus a natura insita sit non solum cupiditas perueniendi ad proprium locum, sed etiam vis remouendi quæcunque sibi sunt impedimento ad optatum finem consequendum.

Iniuste nõ agit ignorãter operans.

In misto perfecto, ac viuente calor humori dominatur.

Cuique naturalis cupiditas est ad proprium locum, & vis remouendi obstacula.

Vt in Ecstasi cesset anima nutriens ab alendi munere. Cap. LXV.

AGētes de natura ecstasis in superioribus multa proposuimus, quæ viris doctissimis non recipiantur; inter cetera vero ex rei natura ostendimus in ecstasi exquisita feriari penitus a suis operationibus animas inferiores, vegetalem scilicet, ac sentientem, at operari necessario rationalem: Priori placito in primis obstant insignes viri ex D. Thoma scribente non requiri ad raptum ut vires animæ vegetatricis ab opere cessent, propterea quod agunt per modum naturæ, non autem ex intentione animæ, vt facultates sensitiuę, quarum proinde occupatio minuit intentionem animæ circa intellectiuam cognitionem. ceterum aliter rei natura nobis sentiendum persuadet; siquidem vt concedimus non requiri ad raptum vt vires animæ vegetatricis ab opere cessent, quia ipsarum ocium non est caussa raptus; necessarium tamē est eas in raptu cessare, quia earum quies est effectus necessario ecstasim consequens: vt ostendimus antea. Agunt quidem vires vegetantis animę in plantis per modum naturę simpliciter; at in animalibus tum brutis, tum ratione vtentibus agunt per modum naturæ subordinatæ ad animam, & inter agendum gubernatæ à superiori forma, ad quam subordinantur; quare quemadmodum in cęlis ex Aristotele motus inferior obiri non potest cessante superiori, non quia inferior sit purus effectus superioris, nam vterque fit a distincta intelligentia, sed quia intelligentiæ illæ sunt ad inuicem ita subordinatæ, vt a motu superioris inferior adiuuetur ad proprium motum efficiendum, quem ex se tali auxilio destituta ciere non potest: pari ratione in animalibus anima vegeta nutricationem, & alias proprias operationes obire non potest, nisi speciatim gubernetur a superiori anima; in ecstasi ergo suprema pars animæ tota occupata circa obiectum externum, siue amabile, siue intelligibile, nihil adiumenti præbēs inferioribus animis, hæ omnes huiusmodi auxilio destitutæ coguntur functiones suas intermittere; non autem solum remittere, vt asserit vir clarissimus; nam cęli motus inferior cessat omnino ex Aristotele, non remittitur solum, sublato superiori: Quin & D. Thomæ, cui sola rationalis anima simplex in homine residet operationum omnium tum sensualium, tum vegetalium effectrix, quomodo in raptu mens absorpta in Deum vacare poterit alimento, quantumuis in hoc opere mens agat per modum naturæ, citra intentionem? Sed & hoc non ita simpliciter asseuerauerim, vires animæ vegetalis non agere ex intentione animæ; si enim animę intentio proprie significat attentionem, seu animaduersionem agendi, quæ propria est functio sensus communis apud Aristotelem; certe nec vegetalis, nec plerunque sentiens anima, immo nec aliquando intelligens agit cum attentione animæ; nam & sæpe in somno sentimus, ac mouemur sine animaduersione vlla; & vigilantes non raro id patimur vt sentientes, mouentes, intelligentesque, potissimum vero in ecstasi, nihil horum animaduertamus; quū igitur hæc sit passio communis cunctis animæ partibus, eius merito vegetans non erit in ecstasi actuosa, ceteris ociosis necessario; sin autem intentio non sit D. Tho. attentio, & animaduersio proposita, sed auxilium quoddam commune ab anima superiori subministratum inferioribus vel citra cognitionem sola naturæ vi, quemadmodum etiam citra cognitionem anima per modum naturæ dicitur actuare, ac perficere corpus sibi subiectum; iam nec sentiens, nec vegeta sine hac superioris animæ intentione quidquam agere posse fuse demonstratum est in superioribus, & alibi: si demum intentio hæc sit intensio notitiæ, ita vt operari sine intentione animæ sit agere citra euidentem, atque vehementem eius cognitionem; iam fateor vegetalem animam semper, & sentiētem quoque aliquando suas vires exercere sine hac intentione animæ; sed proinde non effici arbitror vt in raptu possit vegeta suo munere fungi; quum in eo edendo indigeat auxilio superioris animę, quo in ecstasi omnino priuatur. Quod autem postremo affertur, occupationem facultatum sensitiuarum minuere intentionem animæ circa intellectiuam cognitionem ad occupationis facultatum vegetalium discrimen, experimento minime respondet; in semetipso etenim liceat cuilibet experiri statim a multa cœna, dum occupantur maxime vires uegetatrices in coquendo cibo, maximopere minui specula-

Lib. 4. ca. 190. 200.

2. 2. quæst. 175 ar. 5.

Cur ad raptum non requiratur vt vegetalis anima otietur.

Cur necessario cessent in raptu uegetales operationes. Anima uegetanaria ratione agit in plãtis, & in animal.

8. phys. te. t. 33. & sequentib.

Vires vegetales an ex intentione animæ agãt. 2. de an. t. 136.

Intentio animę quę sit functio sensus cōmunis.

Anima corpus perficis per modum naturæ citra cognitionem. Lib. de vita.

Occupatio vegetalis animę impedit ęmeditationē

culationis intentionem, & quandoque item ex toto aboleri; quis bene pastus, beneque potus intellectioni nauiter det operam? quis non acrius, ac melius philosophetur sobrius, quam ebrius? ieiunus, quam crapula repletus? si ergo facultates sensitiuæ ideo noscuntur esse tales vt fiant ex intentione animæ, quia illarum occupatio minuat intentionem animæ circa intellectiuam cognitionem; quum nihilominus vires vegetales occupatæ circa nutrimenta minuant, & impediant contemplandi munus; iam vegetatrices facultates agent ex intentione animæ, qua intentione sublata in ecstasi, æque a suis officijs feriari oportebit vegetalē, ac sentientem animam.

Vt ecstasis non sit priuatio munerum animæ intelligentis, exercitatio cum viro doctissimo, ex Scaligero. Cap. LXVI.

Li. 2. cap. 190. & 200.

ALteri vero dogmati, quo constituimus in ecstasi rationalem animam, ceteris omnibus ociantibus, suo munere fungi, reluctatur vir acutissimus de mente Scaligeri

Exer. 318

alicubi hæc afferentis, stupor autem, si validius incumbat, & diuturnius insideat, ecstasis dicitur a Græcis, a nostratibus excessus: est autem priuatio officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis: immoti manent, ac potius rigent; transfixi non sentiunt: absistit igitur anima suis a functionibus, perculsis spiritibus, ac receptis in intimos cordis sinus, adeo vt apertis oculis nil videant, nil audiant. Ceterum gaudeo me non habere Scaligerū in proposito vere obsistentem, secus ac putet obiector; ipse nanque illa in exercitatione fuse ostēdit ecstasis vocem æquiuoce de multis variæ naturæ passionibus prædicari, & explicitam nuper esse morbum de genere stuporis diuersum genere ab excessu, quo de agimus; nam

Cap. 1.

subdit de hoc ipso Diuino raptu Scaliger, Alius affectus est eorum, quos in primo eudemiorum νυμφολήπτους: cujus rei caussam pie admodum, & conuenienter sacrosanctis libris nostris ad Deum refert vere Diuinus ille vir, ἐπιπνοίᾳ, inquit τοῦ δαιμονίου ἐνθουσιάζουσιν: icirco θεολήπτους quoque vocat eos ibidem. Quę nisi Scaliger attulisset, ex rei natura quoque illum de Abulensis ecstasi non egisse suspicaremur, dum eam stuporis speciem in priuatione omnium cuiusque animæ functionum posuit: primo enim ecstasis diuina stuporis species non est, aut morbus, licet passionem inferat hominibus stupori consimilem; nam D. Paullus, D. Franciscus, Abbatissa Clara, & alij plurimi sanctitate celebres nulla vi morbi, sola contemplationis, vel desiderij rerum Diuinarum intensione ferebantur in Ecstasim orationis feruore; vnde sine vllo medicamento ad pristinum statum redibant. Deinde vero, si assentiendum Scaligero est, in stuporis vehementioris specie neque meditari, neque desiderare posse stupidos; ecstatici tamen nostri, vel

Ecstasis Diuina non est species stuporis, ac morbi.

in Ecstasi tunc maxime intelligebant, ardebātque Diuina; quod & D. Paulus de seipso fatetur ad Corinthios, scio (inquit) hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio; Deus scit; quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui; audiuit autem mente, non auribus, & de multis alijs asseuerasse Blosium vidimus antea. Quæcunque tamen sit Ecstasis hæc a stupore parta, vt in ea certum est homines non obire munia vegetantis animæ, ita notum est eam non habere locum in nostris ieiunantibus, quorum nullus (exceptis Lucomoriæ populis, & Pamphilio, Timonisque auia) tanto stupore obriguit; sed plurimi vegeti sensuum officijs, ac mētis fungebantur; & eo magis, quo stupor non ante vegetales operationes tollere potest, quin prius sensuales extinxerit; nam eas omnes prohibet sublato, & extincto fere calore functionum omnium administro; cuius maior copia necessaria est ad obeundas operationes sentientes, quam ad vegetales; Aristoteli enim animalia plantis calidiora sunt, quia sortita sunt animam nobiliorem, cuius functionibus edendis maiori calore opus est. Attamen ab acutissimo Scaligero in eo dissentire cogor tū quod Ecstasim passos ob vehementem stuporem censeat feriari a vitæ muneribus omnibus, ita vt absistat anima quæuis, vegeta, sentiens, intelligens, ab omni officio suo; & proinde ab intelligendi, & amandi munere: tum quoque quia hos nō alia ratione intelligendi, ac volendi officio priuari censet, quam perculsis spiritibus, ac receptis in intimos cordis sinus; quasi ad amādum voluntas, & ad intelligendum mens vtātur ministerio spirituum, & omnino instrumento corporeo: quod nos fuse alibi ex Aristotele confutauimus; & quasi spiritus si ad intelligendum menti, & ad amandum voluntati deseruiant, alibi quam in corde his operibus inseruire valeant: certe Peripatetico ad intelligendum, & amandum nulli sunt necessarij spiritus; sique necessarij sunt, in parte omnium principe, ac proinde in Corde, talibus officijs, potissimumque amori seruiunt. Sed reuera stupidi coguntur actiones intermittere, vegetales quidem, & sensuales, ob caloris tum insiti, tum quoque influentis maximam labefactationem, quacunque de caussa fiat, vel ex perculsione spirituum, vel ex eorundem receptione in intimos cordis sinus, vel quomodocūque aliter; at rationales, voluntatis nempe, ac mentis functiones quis nouit edere non posse stupidos? quid prohibet ne stupidi obeant? est enim stupor quasi somnus quidam altissimus, & omnino passio corporea; quum autem nec voluntas, nec intellectus ad proprias operationes obeundas vtatur ministerio corporis: sane stupidi mens contemplari poterit haud minus quam dormientis animus. Deinde vero si concedamus in stupore summo actiones mentis, ac voluntatis edi non posse, id certe non prouenit ex perculsis, aut abditis spiritibus intra cordis sinus, sed quia vi morbi

Epist. 2. c. 12.

Apol. c. 2.

Stupor sensuales prius operationes tollit, quam vegetales.

Caloris maior copia sensualibus, quam vegetalibus officijs necessaria est.

De resp. c. 13.

2. De gl. an. c. 3.

Ad intelligēdum, & amandum nulli spiritus necessarij.

Cur stupidi cogantur vitæ operationes intermittere.

Stupidos posse mentis, ac voluntatis munia edere.

Stupor est passio corporea.

Vid. 3. de ort. an. hu. c. 5.

Cur in stupore vehementi abolentur actiones animæ, & mētis.

morbi vehementis maxima fit in homine mutatio, qua tribus de caussis impediri possunt functiones vitæ omnes: prima est, quia vniuersa natura hominis tunc ei, quod magis vrget incumbens tota occupatur in lucta cum morbo, totaque a vehementia morbi occupatur adeo vt nequeat nec vegetalibus, nec sensualibus, nec intellectualibus vacare functionibus; sic vicissim tota occupata, & maxime incumbens meditationi in Ecstasi alias operationes intermittit; sic amantes perdite contabescunt:

Amor cur subeam insomnias.

Altera est, quia in vehementi morbo tanta mutatio fit, vt ea sæpe torpeant, labefactenturque adeo simulachra omnia tum in phantasia, tum in mente seruata, vt nequeant vim cognitricem, appetitricemque suscitare ad opus: ex se namque anima ociatur in actu primo quasi dormiens, nec ad negocium pergit, seu ad actum secundum, nisi ab obiecti aliquo simulachro ad opus impellatur; id autem simulachrum labefactatum leuiores impulsus edit, quam qui satis sint ad animam alibi occupatam excitandam, & velut in maximo strepitu nec audire leues sonos, nec meditari possumus, quia nec mens, nec sensus animaduertit leues illas motiones debilioris simulachri: ita vi maximi morbi adeo hebetantur idola, vt nequeant nisi leuissimos impulsus edere, quibus anima non excitatur ad opus.

Anima cur ad opus ipsi excitetur ab obiectis spectro.

Cur in maximo strepitu nec leues sonos audire possimus, nec meditari.

Tertia caussa est, quia ob mutationem vehementem a morbo factam aliquando delentur a phantasia, & ab animo cunctæ rerum antea cognitarum imagines; nequit enim voluntas amare non cognitum a mente; mens vero cognoscere non potest cuius non habeat simulachrum præsens, a quo tum suscitetur de actu primo ad secundum, quasi de somno ad vigiliam, & de ocio ad negocium; tum representetur obiectū dignoscendum; quod igitur olim grauiter ęgro tanti philosopho, quod in peste Atheniensi plurimis, quod semper decrepitis, id ipsum stupore vehementi perculsis accidit, vt grandi mutatione facta in corpore vi morbi deleantur ex phantasia, & ex animo habitus omnes pristini, cunctaque rerum antea cognitarum simulachra, fiantque denuo rudes, velut infantes; quare nihil habentes in animo, nihilque stupidis, rigentibusque sensibus vniuersis animo haurire valentes (namque non nisi per sensus ab obiecto imagini transitus est in animum) propterea priuantur vehementi stupore oppressis officijs mentis, ac voluntatis, non perculsis, aut reconditis intra cor spiritibus, vt censuit Scaliger: si vero tanta non sit perturbatio, mutatioque vi stuporis, vt ea possint rerum notiones animo insculptæ aut obliterari, aut hebetari: nec adeo sit circa morbum occupata natura, quin consuetis vitæ muneribus vacare valeat; sane citra vllum spirituum vsum poterunt stupidi voluntatis, ac mentis officio fungi, neque alijs, neque ipsis animaduertentibus, quod & dormientibus euenit.

Mutatio vehemens a magno morbo proueniēs delet imagines ab animo.

Stolliū cur menti necessariū ad intelligendum.

Vehementi stupore, alijsque plurimis de caussis deleri ab animo posse omnes notiones, & habitus. Cap. LXVII.

Quod autem species, & habitus omnes animo insculpti ob vehementem stuporem obliterentur, vt nuper diximus, pleraque persuadent; in primis enim habitus omnes animi, scientiæ nimirum, ac virtutes, difficile quidem ab animo remoueri possunt, remoueri tamen possunt, si fiat in homine magna mutatio, ac præsertim talis, qualis per morbum fieri consueuit, quod & grauissimi prodidere scriptores, & frequentia experimenta comprobauere; namque vt omittam, quæ de proposito retulit exempla Valerius; Plinius de memoria loquens *nec aliud est (inquit) aque fragile in homine; morborum, & casus iniurias, atque etiam metus sentiens, alias particulatim, alias vniuersa, ictus lapide oblitus est litteras tantum; ex prealto tecto lapsus matris, & affinium propinquorum capit obliuionem, alius egrotus seruorum etiam, sui vero nominis oblitus Merula Coruinus orator.* Galenus ex Thucidide refert multos, qui a magna illa Athenis peste conualuerunt, catenus omnium, quæ præcessissent, oblitos, vt nō solum propinquos, verum etiam seipsos ignorarent. Qua de re pulchre Lucretius cecinit inquiens

Lib. 1. ca. de mira.

Lib. 7. ca. 24.

De symp. diff. c. 3.

Atque etiam quosdam cape re oblinia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere vt ipsi.

Lib. 6.

Lib. 2.

Ante quos Thucidides *nonnullos autem (ait) qui e morbo conualuissent, & e lecto surrexissent, statim omnium peraque rerum obliuio capiebat, nec non et seipsos, & familiares, ac necessarios suos ignorabāt.* Sed ex professo hac de re fusius agimus in libro *De anima rationali ad mentem Aristotelis*, quē Deo bene fauente quam primum inuulgabimus: ex quo loco vnicuique pluribus argumentis apertissime constabit, necessario confitendum esse vehementiorem mutationem confertim factam in maximo stupore, alijsque morbis grauissimis, deturbare posse de phantasia, & mente imagines, & notiones omnes pristinas; sine quibus, nulla reclusa porta nouis, in summo stupore cogantur homines etiam ab intelligēdi munere ociari. Neq; obstat dictum Aristotelis in oppositum, nempe sciētiā esse quid omnium, quæcunque sunt in nobis, firmissimum, & nulli obnoxium violentiæ, tum quia nos hic absolute loquimur de scientia, statuentes eam posse dilui ex animo, licet Aristoteli concedamus minus quam ceteros habitus aduentitios violentiæ obnoxiam esse, quibuscum eam confert loco citato Aristoteles, tum quia in obiectione agit Aristoteles de mutatione scientiæ in ignorantiam prauæ dispositionis, quæ permutatio fortasse fieri non potest; quippe sciens aliquid nunquam oppositū persuaderi valebit; quum ei nihil certius sit, quam ex oppositis principijs colligi falsum, vt alibi monet idem Aristoteles: nos vero loquimur de mutatione scientiæ in ignorantiam purę negationis, quam fieri posse celeberrimi autores

2 mag. moral. c. 7.

Scientia vt sit omniū, quæ sunt in nobis, firmissimum, & nulli obnoxium violentia.

1. poster. c. 5.

admo-

admonent, experimenta confirmant, nempe doctum virum ex morbo grauissimo sic omnẽ scientiæ habitum amisisse, vt sanitatem adeptus remãserit in pura ignorantia veluti puer, & qui nunquam litteris operam impenderit. Sed & Aristoteles alicubi apertissime fatetur habitus ex animo deleri aut obliuione, aut quadam passione, idest vehementi, aut tempore, etiamsi res non corrumpatur, quæ omnia fusius alibi a nobis disquiruntur commodiori loco.

7 meta. 2.

Vt alimenti vsus non sit ad restaurationem deperditi, sed ad auocandum calorem a cita consumptione humoris: exercitatio cum Magno Alberto. Cap. LXVIII.

VErum & in his, quæ proposuimus apud Benedictum, & Montuum statuentes alimenta viuentibus data non fuisse a natura in eum finem absolute, vt restauretur illorũ vsu id, quod assidue consumitur e corpore animatorum; sed esse necessaria solum ad auocandum calorem a celeri consumptione humidi, contradicentem habere videmur Magnum Albertum, qui alicubi scribit non esse verum nutrimentum fieri ad caloris impedimentum, ne consumat substantiam, quia secundum hoc nutrimentum non oportet membris vniri, sed tantum superfundi, vel infundi; & ad hoc magis esset idonea humiditas aquea quam nutrimentalis; & hoc falsum esse constat ex dictis: Adhuc secundum hoc nutrimentum non nutriret ex hoc, quod potentia est caro, vel os, vel aliquod membrum nutriti, sed potius ex hoc, quod alteraret, & remitteret intensionem caloris, qui est in ipso; quæ omnia sunt absurda. Hęc Albertus. Ceterum neque ista nobis mentem adeo perturbant, vt ob ea cogamur a pristina sententia discedere; alimentum etenim bifariam spectari potest, nimirum antequam alat, seu antequam vertatur in substantiam viuentis, & postquam conuersum iam fuerit in viuentis naturam; sane superius non posuimus nos alimentum, antequam nutriendo vertatur in corpus alendum, impedire calorem ne cito consumat humidum sibi subiectum; sed statuimus nutrimentum iam transmutatum in naturam viuentis impedire ne cito primogenius humor absumatur; priorem quidem positionem demolitur Albertus allatis rationibus: at posteriorem, quæ nostra est opinio, non euertit propositis argumentis, vt cuiuis liquet: quod & aperte constat ex ijs, quæ subdit inquiens, si quis autem obiiciat quod oculis videmus consumi vehementer corpora per famem, quando subtrahitur cibus: & impediri consumptionẽ, quando abundanter cibus sumitur; & sic nutrimentum videtur in hoc nutrire, quod impedit caloris naturalis violentiam: Dicemus quod cibus, quando vnitur membro abundanter, fortificat membrum, ne cito consumatur eius materialis substantia: & ideo nutriendo, & restaurãdo impedit, & non ita quod superfundatur tãtum, vel infundatur. Deinde vero alimenti potest impedire citam consumptionem humoris natiui a calore intimo vel quia caloris vires retundat, æstumque temperet: vel quia vim caloris illibatam, & integram remouet ab humore primigenio ad aliud subiectum; si aliqui opinentur alimentorum vi impediri citam humidi consumptionem, quia nutrimentis caloris vigor temperetur, ac remittatur, certe aduersum hos recte admonet Albertus ad hoc efficiẽdum non oportere alimentum vniri membris, sed sat esse ijs inspergi; nam & aer in respiratione attractus cordis calorem temperat absque eo quod vniatur corpori nostro; melius que acies caloris humore aqueo retundi posset quã alimentari, quia remissio fit ob admistionẽ contrarij; calori aũt contrarius magis est humor aqueus, quam alimentaris: At vero nos, qui constituimus alimenta retardare consumptionem humidi substantifici, non hebetando caloris robur, sed illius vires integras magna ex parte auocando a consumptione humidi pristini ad semetipsa vbi iam in substantiam viuentis conuersa fuerint, facile possumus euitare vim rationum Alberti. Ad primam itaque formaliter dicentes alimenti vsum præcipuum esse ad impediendum citam humidi radicalis consumptionem a calore, negamus proinde fieri vt nõ oporteat alimentum membris vniri; & ratio negationis est, quia modus, quo alimentum impedit celerem consumptionem humidi primigenij, est auocando vires caloris ab humido ad se; verum ad se caloris actionem trahere nequit alimentum nisi seipsum calori subijciat; quippe calor non agit nisi in humorem illum, a quo impeditur ascendere; non impeditur autẽ nisi ab eo, cuius lentore irretitur; is autem necessario est humor, qui calori veluti materia formæ subijcitur, at subijci sic humor calori nõ potest, nisi vertatur in substantiam partis illius, cuius calor est temperamentum, & forma; non ergo ad impediendam humidi substantifici consumptionem a calore auocatis caloris viribus ab humido sufficit alimentum, quod eas vires ad se auocat, membris inspergi; vt obijcit Albertus. Ad secundam constituentes pariter alimenta impedire celerem consumptionem humidi primigenij a calore innato, negamus huic operi magis idoneam esse humiditatem aqueã, quam alimentariam, & ratio negationis gemina est, vna, quia nutrimentum fungitur suo munere semper conseruando naturam viuentis; quare non labefactando calorem, qui est vitæ principium; humiditas vero aquea quia retardat insiti humoris exterminium retundendo aciem caloris, ipsumque debilitando, magis destruere videtur naturam viuentis, quam conseruare; quippe vitæ essentia potius est in calore, quam in humore, vt alibi fusius ostendimus: Altera vero ratio est, quia humiditas aquea non alit, seu non cõuertitur in substantiam misti, sed alterat, ceu medicamentum quoddam; at alimenta suo munere funguntur impediendi celerem humidi substantifici consumptionem nutriendo; quamobrem ad hoc opus aptior non

Lib. 2. ca. 105. Lib. 3. ca. 56.

1. de nutr. 4.

Alimenti duplex ratio.

Alimentũ quando auocet calorem ab humidi consumptione.

Alimentũ ut impedire possit citam caloris cõsumptionem.

Humiditas aquea ut retardet insiti humoris exterminium.

2. de vita c. 11. Vita potius in calore quã in humore.

est

est aquea humiditas alimentari, vt opponebatur. Ad tertiam consimiliter asserentes alimenta viuentibus dari a natura vt prohibeatur citum exterminium humoris insiti a calore, negamus alimentum non ideo alere, quia sit potentia caro,vel os, vel aliqua pars animati, sed quia remitiat æstum caloris, & alteret; ratioque negationis est tum quia impediri potest ne calor cito absumat humorem, etiam non refractis viribus caloris,sed ijs integris alio euocatis; quod non animaduertit obijciens ab alimento fieri:& sane qui cibus in stomacho auertere potest Hippocrati, Galeno, Medicisque omnibus calorem naturalem a pugna cum morbo initio accessionum: plane is ipse in substantiam partium mutatus ad se conuertere valebit calorem ab exterminio insiti humoris: tum quia longe alia est ratio nutricationis, & impedimenti ne calor cito humorem absumat: nutricatio etenim est pura conuersio alimenti in naturam viuentis;at impedire ne calor cito depascatur humidum primigenium est finis, cuius gratia instituta est nutricatio,& omnino effectus ante actam nutricationem consequens; quare ad hoc vt alimentum impediat consumptionem humoris insiti a calore;non opus est vt nutriat,& sit potentia caro,vel os,vel pars animati: sed necesse est vt iam nutriuerit,& sit actu iam caro, & os,& omnino substantia viuentis,in quam vt in subiectum sibi obstans ad ascendendum calor operetur. Ita ergo satis apparet finem alimenti præcipuum esse impedire celerem humidi substantificei consumptionem ab interno calore.

1. Aphor. 11.

Cur semen maris in vtero feminæ concipientis non alatur. Cap. LXIX.

ITa enodatis,quæcunque occurrebant difficilia in secundo libro, age nunc dubitationes adeamus,quæ propositis dogmatibus in tertio negocium facessere videntur & sane in primis illud improbatur,quod constituere non dubitauimus inter viuentia nostratia semen animalium non ali; siquidem Medici omnes in eo conspirasse videntur,vt intra vterum feminæ a conceptu existiment semen masculi nutriri semine, seu excremento femineo; quod Galeni placitum corroborant viri doctissimi ex Hippocrate alicubi scribente calidum omne frigido moderato nutriri: Addunt alij semen in vtero generare; generationem vero inter operationes vitæ vegetalis vt nobilitate, ac perfectione supremum,sic tempore postremum locũ obtinere; quare prius etiam, quam generet, semen nutriri. Verum paucis: Ad primam obiectionem virile semen,seu masculeum intra vterum feminæ potest in duplici statu considerari, nimirum ante actum conceptionis, dum adhuc est sub forma, & natura seminis, & post conceptionem; dum seminis substantia in partes fetus, seu embrij conuersa est; in primo statu corpus genituræ proprie semen appellatur, & est; in secundo autem licet sensui semen appareat primis illis diebus a conceptu; quia nondum sensibilem consistentiam acquisiuit, nondum menstruo sanguine affuso euidentem membrorum naturam induere potuit, & iccirco a medicis, qui artifices sensati omnia fere sensibus metiũtur, seminis nomine appelletur; proprie tamen semen haud sit, nec vere appelletur, præsertim a Physiologis, quibus nuda veritas insectatur e natura rei, quam sensus in proposito non attingunt: Nos ergo excludentes semen ab eorum numero, quæ nutriuntur, seminis voce quod proprie semen est ante conceptũ significauimus at; Galenus loco citato de illo semine loquitur, quod iam in membranarum, ac vasorum substantiam, atque ideo in partes fetus caloris actione conuersum fuerit, sitque non re, sed nomine semen; quod & nos vltro fatemur femineo semine, sanguineue nutriri: haud enim eget alimento semen nisi quum iam inchoatus est fetus, seminisque corpus in embrij substantiam quoquopacto commutatum fuerit, licet sensui non multum distare videatur a natura priori, vt nuper adnotauimus.

Lib. 3. c. 3.

14. De vs. p. c. 11. de nat. puer.

Masculi semen in vtero duplicem statum habere.

Ad secundam ex Hippocrate respondet clarissimus Laurentius ea ratione, qua etiam tollatur modo enodata oppositio ex Galeno, nimirum dum ali muliebri semine virile semen affirmat Galenus, non de perfecta nutritione intelligit, quæ fit assimilatione; sed nutriri vult foueri, conseruari; quia enim calidius est semen maris, crassiusque femineo, tenuiori, frigidiorique diluendum, ac temperandum erat, ne tenues vanesceret in auras: sic aere spiritus nutriri dicuntur, hoc est, conseruari, foueri, refici: sic *omne calidum* Hippocrati *frigido moderato nutritur*: sic Celsus *vulnera medicamentis* blandita, & fota *nutrita* dicere consueuit, vt frequentissimũ sit Medicis nutricationis voce abuti ad omne genus auxilij: Dum ergo nos ponimus animalium semina non ali, de illa nutricatione agentes, qua vertitur alimentum in substãtiam eius, quod alitur, proculdubio contradicentes non habemus Medicinæ Principes dum statuunt semen masculeum in vtero ali femineo semine, quando non intelligunt de vera nutricatione, qua de nos agimus. Ad tertiam concedentes generationem sobolis inter functiones vitæ vegetalis esse perfectione supremam, origine, seu tempore postremam: negamus semen in vtero generare: nam reuera masculum animal generat a se excutiendo semen in vterum: quod semen est animal imperfectum, perficitur autem in vtero, quia organizatur, & ex semine, sanguineque femineo sibi adiuncto molem acquirit in dies, nec reuera semen vt agens externum in vtero producit aliud a seipso, quod alibi demonstrauimus abunde, ex quo loco non est vt argumenta repetam. Deinde vero si concedendum sit semen in vtero generare (quod disputationi damus) dogma id caute admodum accipi debet: duplex enim quum sit agens in generatione, alterum principale, quod est pater, seu

Calidum frigido ut nutriatur Hippocrati.

Li. 7. c. 14. 19.

Lib. 7. c. 8. 10.

Nutricationis voce abusi medicos ad omne auxiliũ.

Generatio est perfectione suprema, origine postrema.

Semen in vtero non generare proprie.

Deor. an. hum.

Agens in generatione duplex

animal

animal generans; alterum instrumentale, cuius ministerio pater vtitur ad generandum, quod est semen; vt damus in principali generante actiones omnes vitæ vegetalis reperiri eo naturæ ordine, quo primum nutricatio fiat, ex hac augumentatio consurgat, vltimo loco generatio prolis se se prodat; ita in agente instrumentali, cuiusmodi est semen, non est opus generationi præcedere auctionem, & altionem; ratio discriminis ea est, quia principale agens non potest generationi sobolis operam dare nisi semẽ prolificum gignat; hoc autem procreare nequit nisi testes, & alia organa seminis prouentui dicata sortiatur iustæ magnitudinis, quæ augumẽto acquiritur, quod absque nutricatu non est; quare opus est animal nutriri vt augeatur, augeri vt iustam organorum molem ad semen prolificum generandum sibi comparet; sed quum semen prolificum genitum est, idipsum nullis quum indigeat organis ad constituendum conceptum, generationisque actui deseruiendum, sed sola virtute sibi ab eo impressa, vndè fluxit, quæ anima est, agat quicquid agere debet; propterea fit vt in semine generationi præire nõ debeat auctio, nec nutricatio.

Vt semen non sit pars animati, in quo est.
Cap. LXX.

Lib.3.c.3.

DVbitare licet vlterius num verum sit placitum, quo decreuimus deinde semen nõ esse vere partem animati, in quo dicitur inesse; namque alibi professi fuimus patrem tunc vere generare, quando semen effundit, anima eius multiplicata ad subiecti partitionem; modo anima patris diuiso subiecto non multiplicatur, nisi partitio subiecti fiat secũdum partes; si ergo in seminis effusione parentis anima multiplicatur remanens in semine, plane opus est semen fuisse partem corporis paterni, quæ foret animata. Tollitur difficultas, quia partium animalis duo sunt genera; sunt aliæ partes integrantes, aliæ perficientes corpus animalis; inter quas illud commune est, quod æque sint animatæ, ac viuentes adeo vt si contingat eas a residuo corpore seiungi, animam non dimittant, & separatæ quoque mordicus animam retineant quousque calorem; quum autem in eo conueniant, vt in ipsarum separatione totius anima per accidens multiplicetur, & hoc solum quoad partem animæ vegetalem, ac sentientem, non item quoad intellectricem, quæ suprema pars est animæ humanæ fætui non a parentibus mediante semine, sed extrinsecus ab immortali Deo adueniens: quemadmodum ex Aristotele olim ostendimus: in eo tamen dissident, quod beneficio eius animæ, qua pollent, partes integrantes corpori potissimum addictæ nutriantur; partes vero perficientes huiusmodi sint, quæ possint non ali; quando itaque semen a partium numero abdicauimus illi rationem partis integrantis, cui necessaria esset nutricatio, interdiximus: at vero nunquam semen animalis partem perfectiuam esse negauimus, qui cum Aristotele sentimus animal tũc perfectum esse, quando semen habens generare potest; quando vero sine semine viuit, non ideo mutilatum putamus; ac proinde voluimus alias semen non esse partem animalis: Quum ergo semen in corpore masculi pars integralis non existat, nec vlla pars sit in vtero feminæ; sane haud immerito semen non esse partem, quæ in animali nutriatur, constituimus, qui animatum esse, atque animari posuimus in eius separatione a corpore reliquo, parentis anima multiplicata per accidens ad subiecti partitionem.

2. de ort. an. hu. ca. 7.
3. de vita, c.15.
Duo generũ partiũ animalis.
2. di deort. an. hum. c. 7.
Animal quãdo perfectũ sit
2. de an. c. 34.

Vt oua subuentanea sint animata.
Cap. LXXI.

3. de ort. an. hum. c, 11.

SEd & in eo deliquisse videmur, qui alibi concedentes oua subuentanea dum excluduntur non retinere animam, qua prius in in aluo matris perfruebantur, quia ex se tantum caloris non obtinent, quanto esset opus ad eam corpori associandam; in hoc opere tamen dicere non dubitauerimus eadem oua infecunda exclusa ab aluo materna viuere. Si recte quę vtrobique diximus interpretari volueris, nulla tibi erit in placitis nostris repugnantia; alibi etenim statuentes oua subuentanea, dum excluduntur a matre, non retinere animam, quo prius viuebant in vtero materno, id solum de anima sentiente dictum volumus; namque ouiparum viuens animal est, cui vegeta, & sentiens animæ insunt in vnam irrationalem vniuerso corpori coextensam coniunctæ; quo factum est vt oua omnia in aluo matris anima gaudeant materna, quæ ex vegetali, & sensitrice conflatur; vbi vero ex vtero materno excluduntur oua subuentanea, quia ex se tantum caloris non habent, quantum satis esset ad retinendam sensitricem animam; tantum vero continent, quanto est opus ad vegetalem; siquidem Aristoteli quæ inter viuentia nobiliorem animam adipiscuntur, plus caloris sortita esse oportet; propterea dum oua subuentanea eduntur, dimittentia partem sensitiuam animæ maternę, vegetalemque retinentia, recte nobis dicuntur & non retinere absolute animam, qua prius viuebant, quia sensitricem non retinẽt; & exclusa viuere, quia uegetalem non dimiserunt, cuius beneficio viuunt: prolifica uero non sunt, quia proles oui est animal, quod a puro uegetante, cuiusmodi est ouum subuentaneum, generari nequit. Præterea quod non omne animal præditum sensitrice anima generare ualet; quum ad sobolis procreationem indigeat sentiens anima ministerio seminis genitalis, quo carent oua subuentanea. Viuunt ergo subuentanea oua exclusa, non secus atque fecunda; sed hæc sentiente anima viuunt, quam habent a masculeo semine, quo respersa fuere; illa vegetali solummodo, quam a matre suscepere.

Lib.3.c.6.
De respir. c.13.
Proles oui est animal

Vt venæ meseræi de ventriculo, & intestinis sugant alimentum non expectato fine coctionis: Cap. LXXII.

DIfficultatem & illud multis peperisse videtur, quod ex Aristotelis doctrina dudum constituimus meseraei venas de secore chylum sugere non totum simul post finē coctionis vniuersæ, verum in actu ipso coctionis quæ primum pars ingestorum cocta est, eam primum a venis in hepar trahi; quoniam quum nullam vim cognoscendi coctum a crudo habeant illæ venæ, sane citra vllum delectum nō expectato fine coctionis cum cocto crudum etiam attrahere deberent; quod in sano, & optime constituto uiuente non contingit: ut propterea credendum sit nihil in uenas mesæreiat trahi, nisi absoluta coctione ingestorum omniū. sed neq; his opprimitur Peripati dogma: in primis enim siue demus uenas attrahere, siue dicamus attrahere partes, ac membra solida per uenas: illud obseruamus partibus, ac venis licet non insit uis cognoscendi coctum a crudo, inesse tamen uim attrahēdi cum delectu coctum relicto crudo: an ne oportet ferrum cognoscere magnete, paleam ab electro, quæ duo ab ijs cū delectu trahuntur, ceteris ferro, & paleæ commistis non attractis? Hoc etiam in plantis compertissimum habeas: nam aliæ in alijs locis nascuntur, ita ut quædam certis in regionibus ideo non superuiuant, quia humus non scateat certo, ac peculiari succo, ex quo nutriri ualeant: non aliunde

Li.3.c.8.

Partibus inest vis attrahendi cum delectu sine cognitione.

"solis est thurea virga Sabæis.

Quum ergo plantæ, quibus nulla uis inest cognoscendi, non omnem succum promiscue de terra sibi in alimentum hauriant, sed cum delectu trahant naturæ suæ familiare, quouis alio relicto: sane quia uenæ non obtinent uim cognoscendi coctum a crudo, ipsis propterea neganda non est facultas attrahendi cum delectu coctum omisso crudo. Amplius partes corporis nostri solidæ per uenas e uentre sugunt, & attrahere student citra cognitionem, solo instinctu naturæ, non quodlibet, quod in uentre sit, sed humidum, seu alimentum sibi simile, ac familiare, quo alantur, ea ratione qua maior flamma eandē flammulam ad se rapere, candelamque restinguere dicitur Aristoteli: quum igitur alimentum crudum dissimile sit nutriendo corpori, cui coctum idem simile est, ut monet Aristoteles, & ratio persuadet: quippe alimentum dissimile est alendo corpori ob excrementa, quæ non sunt apta uerti in naturam uiuentis: quum autem excrementis scateat alimentum crudum, careat coctum: quando excrementa per coctionem ab alimento segregantur: propterea fit ut alimentum crudum contrarium sit, dissimileque nutriendo corpori, coctum uero eidem simile est: Quum igitur attractio alimenti fiat ratione similitudinis, seu quum de ventre per uenas membra non attrahant, nisi quod sibi domesticum est, ac familiare: certe quoque non expectato fine coctionis citra cognitionem cocti a crudo, cum delectu tamen attrahent uenæ mesæraei de uentre cibum coctū intacto crudo. Vlterius etiam esto (disputationis gratia) uenas attrahere posse sine delectu, necessario tamen coctum de uentre sugent relicto crudo, tum quia retinens facultas muneri suo uacat uniuerso coctionis tempore, nec dimittit nisi coctum, retinet autem concoquendum: tum etiam quia mesæraica uasa quū sint angustissima, per ea transitus non est crudo alimento, cui coctionis opere detracta nondum fuerint excrementa crassa; peruia tamen sunt alimento coctione a sordibus crassioribus defæcato.

Partes ut ventre alimētum sugant.

1. Probl. 57.58.

Alimētū crudū dissimile est alendo corpori.

2. De an. t.45.

Retinens facultas munus suū exercet in cruda.

Vt folia, flores, fructus, & semina plantarum partes vere non sint, sed excrementa potius. Cap. LXXIII.

IN eodem capite paullo post asserendo semina, fructus, flores, atque frondes esse plantarum excrementa coctionis ministerio ab alimentis segregata, non leuem ansam contradicendi dedimus ingeniosis, quibus oppositum videtur suadere admirandus Præceptor perspicuis verbis connumerans inter plantarum partes instrumentales folia, & fructus; & cum Aristotele ratio conspirare videtur, quia excrementorum non est communis forma cum animato, sed anima solum est actus corporis viuentis, & partium suarum, non autem excrementorum; quum ergo eadem anima viuant plantæ, plantarumque folia, flores, & fructus; hæc omnia iccirco inter plantarum partes connumeranda, non inter excrementa: Deinde vero actiones viuentis solis partibus attribuuntur, non excrementis; quum itaque folia, flores, fructusque nutriantur, & semina germinent; quis ea negei esse plantarum partes? quis iure asserat excrementa? Verum & hæc solui possunt. Ad primum obiectum ante omnia dicere possumus quæ ab Aristotele ibi afferuntur, tāquam rudia eidem Aristoteli paullo infra respui, & propterea nobis non officere: quibus viceuersa multum fauent ea, que alibi Aristoteles, & post Aristotelē Theophrastus asseuerat semina plantarum, & animalium esse excrementa, folia vero, flores, & fructus non esse plantarum partes, quod obseruat etiam Doctissimus Costæus. Deinde vero dicimus partium alias esse integrantes, ac proprie partes, vt quibus quomodocunque ablatis totum reddatur mutilum; alias autem perficientes, minusque proprie partes, ac verius opera quam partes; quibus ablatis totum minus quidem perfectum redditur, non tamen mutilum; hę possunt esse excrementa eius generis, quæ vtilia nuncupantur, quoniam eorum fit aliquis vsus in viuente; quare nobis afferentibus folia, flores, fructus, & semina non esse partes plantarum proprie, ac integrales, sed excrementa vtilia, non obstat Aristoteles

Li.3.c.8

2. De an t.6.

Tex.11.

1. De gen an.c.18.

1. De stir nat.c.6.

Partium duo genera.

Partium integrali, & perficienti discrimen.

Excrementa vtilia quæ.

in quiens hæc eadem esse instrumenta, & plantarum partes; nam ipse intelligit de partibus secundi generis. Ad secundum concedentes eadem anima viuere plantas, plantarumque flores, frondes, fructus, & semina; negamus excrementorum potissime vtilium non esse communem animam cum toto viuente; nam certo scimus molam in vtero feminæ, & oua viuere, nutriri, & augeri beneficio eiusdem animæ, qua viuit, alitur, augeturq; femina molam, & ouũ in vtero gerens; quum liquido constet molam, & ouum non esse partem feminę, in cuius vtero degit, sed excrementum: Ad probationem concedimus animam esse actum corporis totius, & suarum partium solummodo; sed obseruamus conuenire animam non solum partibus proprie dictis, & integralibus: Verum etiam partibus perfectiuis, ac minus proprie dictis; cuiusmodi sunt semina, oua, flores, folia, & fructus in plantis, quæ omnia dicuntur etiam plantarum excrementa vtilia. Ad tertium consimiliter damus actiones vitæ conuenire solis partibus; sed notamus partes, quibus actiones vitæ conueniunt, esse tum integrales, tum perficientes, quæ item excrementa vtilia dicũtur: nemo etenim afferat semen animalis esse partem integralem, omnibus afferentibus actionem generãdi sobolem seminis esse propriam; quod excrementum vtile esse ostendit Aristoteles. Sed & excrementis etiam alendo ineptis inesse vitæ actionem, aut saltem vsum aliquem norunt Medici, quibus tum alimenti distributio in vniuersum corpus fit beneficio ichorosi excrementi, cui exituro demum per vrinas nomen inditum fuit vehiculi alimentorum; tum portio melancholiæ de splene in stomachum repens appetentiam excitat: tum bilis de fellea vesica fluens ad intestina sollicitat expultricem facultatem ad egerendas fæces: Immo vero flores, & frondes esse excrementa coctionis: quæ fit in plantis, apertissime obseruare liceat ex Aristotele alicubi scribente, flos e subtili materia tantum est, quum concoctio incipit, & ideo fructum in plantis præcedit, vt ostendimus; indidem caussam quoque docuimus, ob quam plantæ folia prius producant quam fructus. Illud enim cuique apertum est partium verarum originem nõ esse ex materia semicocta: neque omnino ex puro excremento; sed ex alimento plene cocto esse partium præexistentium nutricationem, & augumentum; ex eo autem, quod initio coctionis ab alimento segregatur, non partes veras, sed excrementa vtilia constitui: quum prima partium constitutio in plantis fit e corpulentia seminis, vt fuse alibi disputauimus. Vere itaque folia, flores, fructus, & semina partes pantarum non sunt, sed excrementa vtilia, siue prouentus, & opera, Græcis ἀποτελέσματα nuncupata

Excrementa vtilia commune animã habere cũ toto viuẽte.

Anima cõpetit partibus & perfectiuis.

Semen haud esse partẽ integralem.

1. De gen. an. c. 18.

Excrementorũ vsus.

Vide li. 3. c. 69.

2. De plã. c. 2.

Cur flos in plantis fructum præcedat.

Partium ortus, alimentũ, & augumentum vnde fit.

De or. plan. hom.

Vt ex eo, quod oua, & semina citra nutricatum viuant, colligere possimus perfecta quoque animalia vitam posse traducere absque alimentorum vsu. Cap. LXXIV.

ACcusat medicus nostræ tempestatis eos amentiæ, ac impudentiæ, qui comparare audeant in alimonię necessitate hominem tot membris munitum, tot facultatibus ornatum, tam affabre a natura compactum cũ ouis, & seminibus impolitæ satis, & indistinctæ substantiæ, arbitrantes si oua, & semina diu viuere queunt absque eo quod alantur, idipsum hominibus euenire posse: cui doleo virum eruditissimum assentiri asserentem sumere argumentum a brutorum, plantarumque ieiunio ad hominum abstinentiam, ridiculum videri; quia simili argumento probari posset hominẽ volare, ac diu sub aquis viuere, quod multis brutorum conuenit. Quum ego vnus ex eorum numero sim, qui hac notantur culpa, nam & alibi, & superius ex eo quod oua, semina, bruta, & plantæ diu viuere valent sine alendi functione, colligere me posse putaui nec hominibus consimiliter ad vitam absolute necessariam esse nutricationem; sed posse incolumes ab ea feriari diutius; mea interest obiectioni allatæ satisfacere. Qua quidem in re dum considero ex Aristotelis etiam obseruatione nutriendi functionem prodire tum plantis minimo artificio cõstructis, tum quoque brutis, & hominibus artificiosissima structura fabrefactis ab vna vegetante anima; nutriendi vero necessitatem esse apud eundem Aristotelem ad vnum augumentum, a quo perinde vacare possunt homines, bruta, plantæ, oua, & semina; non audeo sane dicere imprudentis, & amentis esse in necessitate nutricationis comparare hominem, etsi tam affabre is a natura fuerit compactus, tot membris munitus, tot demum facultatibus exornatus, cum ouis, & seminibus, quorum impolita, & indistincta sunt corpora; timerem enim ita dicere, ac opinari eius esse, qui parum Philosophiæ, minusque habeat Dialecticæ; ex harum namque disciplinarum principijs habetur, homines, animalia bruta, stirpes, oua, & semina, in eo quod vegetabilia sunt, esse vnius generis vniuoci, eodemque modo vegetalem animam participare saquam formam essentialem, qua simpliciter constituũtur in esse viuentis, quod monet Aristoteles, atque pari ratione sese habere ad nutriendi functionem, ac necessitatem; quum nutricatio sit functio vegetantis animæ, necessariaque sit viuenti ad augumentum: Quare si vegetabilium vni non repugnat in eo quod vegetale est, absque nutricatu viuere; nec alteri cuius propositorum vegetantium repugnaturum: si profecto animal, & inter animalia homo nobilioris naturæ est quam sint oua, & semina; talis ipse est, nõ qua vegetans est; namque in vtero sub forma embrij vegetans est, dum sine vllo instrumentorum ornatu, ante aduentum rationalis animæ

De vita. Lo. 3. c. 11.

1. Mor. mor. c. 5.

2. De an. t. 34.

Vnde, insit nutricatio plantis, & animalibus.

Nutriẽdi necessitas ad quid.

3. De an. t. 59.

Vegetabilia omnia vt sit vnius generis vniuoci.

2. De an. t. 16.

Homo quà vegetans est nobilior ouo, et semine.

mæ vegetans est homo futurus: sed quatenus est homo completus, ac omnino propter participationem animæ nobilioris, rationalis appellatæ, quæ ex se alimento non indiget, nec vtitur; quum ad vegetalem animæ partem alimentum etiam in homine pertinere, non ad sentientem, non ad rationalem apertissime statuat Aristoteles, dum inquit, Animæ portio, qua alimur, altrix appellata quum sit, solius animati proprium est ali. Quod si animatorum caussa est anima, atque animæ talium partium n illa alendi fuerit caussa, quales sunt rationalis, vel irascibilis, vel concupiscibilis sed alia quædam præter has, & ei nullum magis peculiare possimus nomen quam alentis accommodare. Homini vero, brutisque organorum multitudinē, & structuræ ornatum, facultatumque pluralitatem ōn incutere necessitatem alimonię illud aperte docet, quod ante organizationem alitur embrium, quin & ouum antequam excludatur, & semen plantę adhærens; aluntur autem hæc tunc necessario ad incrementum: hoc etiam priuilegio caret naturæ maior nobilitas, vt nutricatum necessario postulet; quid enim non aluntur cælestia viuentia, quæ terrenis longe sunt nobiliora? immo quamobrem non alitur mundus ipse totus, ad cuius similitudinem homo paruus mundus appellatur? obtinet enim mundus longe maius artificium in suis partibus, partes longe nobiliores, ac multoplures facultates quam habeat homo. Sed acutissimi viri ratio a volatu, & vrinatu brutorum desumpta corruit, si rei naturam spectes; in ijs enim hominem cum bruto, ac planta operationibus conuenire par est, cum quibus conuenit in caussis tum præcipuis, tum instrumentalibus talium operationum: sane homo non volat, quia caret alis, quibus a natura si prę ditus esset, nihilominus quam aquila volaret: sub aquis non degit, quia calorem non habet qui sine respiratione diu seruari possit: nisi etiā dicamus hoc non esse absolute verum, nam vt hirundines Germaniæ hyemem sub aquis degunt, ita & homini sine respiratione diu sub aquis viuere licere, vt licet etiam in aere: at non omni; sed cui non opus est cordis refrigerio: At in nutricationis natura conuenit prorsus homo cum brutis & plantis, & in anima vegetali, & in calore natiuo, humidoque radicali; vt ijs nutricationem intermittere valentibus, besse possit homo ab eodem munere ociari. Non ergo amentis, aut imprudentis est, aut ridiculum sed Physiologi, sed Dialecticam tenētis, sed scitum ex eo quod oua, & semina possunt diu sine alendi functione viuere, colligere hoc ipsum de homine, quamuis hic affabre sit a natura compactus, multis & membris munitus & facultatibus instructus ad ouorum, ac seminum differentiam.

Homo cur sit nutrien-dus, se-minis, & oui. (margin)

3. De an. c. 34. *3. Magn. mor. c. 3.* (margin)

Vt facultas alens possit a nutriendi functione ociari. *Cap. LXXV.*

Amplius, atque illustrius profecto illud est, quod a doctissimo Fernelio affertur aduersus ea, quæ supra posuimus dicentes facultatem alentem posse a nutriendi munere feriari diutius viuente superstite, atque incolumi: Animans (inquit) omne quod vitam degit, necesse est quodammodo nutriri, siue firma id, siue ægra sit valetudine; nunquam enim ocio perfruitur illa vis altrix, vt quam plane naturalem esse constat. Quæ vt a subtilissimo viro acutissime proponuntur, ita maximum haberet momentum in proposito; adeo tamen efficacia non sunt, vt antea communitam sententiam euertant; siquidem concessa consequentia, negatur quod in antecedente ponitur, nimirum nūquam ocio perfrui vim altricem; ad confirmationem ex eo petitam, quod vis alens sit mere naturalis, concesso antecedente, negatur consequentia; vere quidem facultas altrix, & omnino anima vegetans est mere naturalis, hoc est, vt vult vir egregius agens citra cognitionē ad instar naturæ, quæ in gradu infimo rudis, & ignara bene vbique operatur more cæcorum, qui sola consuetudine recte per vicos, & anfractus viarum incedunt non aberrantes, licet reuera non agat natura per consuetudinem, vt insinuat alicubi Aristoteles; hoc autem inest vegetanti animæ ad sentientis, & rationalis discrimen, quæ cum cognitione operantur: Quare concedimus viro solertissimo, & vniuersæ Medicorum scholæ vim alendi esse facultatem naturalem, at negamus proinde fieri vt perpetuo, seu irrequiete, ac incessanter operetur, nec vnquam fruatur ocio; hoc enim proprium est facultatis mere naturalis infra sortem animæ sentientis, vt citra cognitionem operetur, non vt semper, & incessanter agat: quod si ponit vir eruditus aduersus ea, quæ tum ratio tum etiam comprobat experimentum. ratio quidem, quia quum agentia quoque sic mere naturalia vbique agant propter finem: sane quando finē assequuta fuerint, ea protinus ociari necesse est: quid magis naturale est quam igni sursum ascendere, terræ deorsum descendere? quum autem non semper sine ocio ignis ascendat, terra descendat: sed sistatur ignis supra regionem aeris, terra vero quiescat in centro; profecto vis altrix ex eo quod est agens mere naturale, non est dicenda perpetuo nutricationi vacare; sed assequuta finem, cuius gratia nutrit, dicenda est posse ab hoc munere ociari; & certe finis nutricationis sit augumentum, quod tenet Aristoteles, vel (demus etiam disputationi) restauratio deperditi: porro vt liquido constat augumentum animatorum certis definiri limitibus, quos transgredi non liceat; sic dudum ostē dimus fieri posse vt non absumatur ea substantia corporis animati, quæ indigere dicitur instauratione per alimentum. Alia quoque ratio est, quia mere naturale agēs, etsi vt propositum

De an fa cul. c. 3. *Li. 3. c. 17* (margin)

Natura vt rudis bene operatur. *Natura non agit per cōsuetud.nem.* *2. ethb. c. 7* *Vis alēdi est mere naturalis* *Facultatis mere naturalis quod proprium sit.* *Agentia natura-lia sēper agere propter finē.* *3. De an. t. 59.* *Augmentum animatorum certis terminis coercetur.* *2. De an t. 40. 41.* (margin)

finem assequatur, ex se irrequiete operari posset; quia tamen plerunque in suo munere obeundo potest impediri, siue quia desit illi aliquid eorum, sine quibus officio suo fungi non valet, siue aliam quamuis ob caussam prohibeatur ne peragat quod aggressum fuerat; propterea fit vt agens mere naturale, si non sponte, saltem violentia cogatur actionem suam intermittere; sic ignis ascendens, terraq; descendẽs in medio itinere sæpius ab impedimento coguntur motum suum naturalem interrumpere. Vnde etiam pa-

Agens naturale vt non agat necessario

tet quibus experimentis comprobetur verum non esse agentia naturalia necessario sic agere, vt nequeant simpliciter a sua functione ociari, siue sponte, siue coacta; proindeque non constare nec animans omne quoad vitam degit, necessario nutriri, siue firma id, siue ægra sit valetudine: nec ocio nunquam perfrui uim alentem ex eo, quod illa sit facultas mere naturalis.

Li. 3. c. 7.

Huc ea pertinent, quæ supra notauimus ex Plinio, Theophrasto, & Aristotele de lignis, quæ longissimo tẽporis interuallo a terra eruta non aliunde tum ullum alimenti genus sibi haurientia, & fere sicca uetustate nimia, demum regerminasse comperta sunt; ac proinde sine ullo alimento, ac nutricatu diuturnam uitam egisse; quibus obseruationibus nonnulla etiam nunc addere licet exempla nobilissima; primumque

Li. 17. ca. 25. Oliua mirum.

sit oliua illa, quam in totum ambustam reuixisse testatur Plinius; hinc etenim manifestum fit oleæ lignum quauis æui senectute siccatum extra terram repullulare potuisse, ac sine altione vlla diutissime viuere potuisse. Ceterum haud minus est, quod a Pausania scribitur in Corinthiacis (referente, consentienteq; Dalechãpio in annotationibus Plinianis) nimirum Clauam Herculis ex oleastro actis radicibus regerminasse: profecto quum plurimis annis ea vsus fuerit Hercules, & maxima temporis intercesserit intercapedo ab Herculis obitu ad Pausaniæ sæculum; oleastri illius truncum longissima serie annorum extra humum, ac citra vllam nutricationem vixisse necesse est; germinare siquidem nequit quod actu nõ viuit Aristoteli. Huic

Claua Herculis ex oleastro. Oleastri mirum.

2. de an. t. 38.

simile illud est, quod de Romuli hasta legitur, quæ in monte Palatino terræ impacta iactis radicibus frondes pullulauit præter expectationem; Quam historiam Plutarchus in vita Romuli plene describit inquiens, *Romulus habitabat ad pulchri littoris, quos vocant gradus circa descensum ex Palatio in circum maximum: quo loco referunt sacram cornum fuisse, & fabulam attexũt, exercentem se Romulum torsisse ex Auentino lanceam, cuius erat corneum hastile: alte defixam cuspidem conuellere quum multi niterentur, neminem valuisse: lasciuientem autem, quæ lignum erat amplexa, humum ramos & stipitem corni eximia germinasse proceritate: eam posteri vt rem sanctissimam magna religione venerantes muro cinxerunt. Quæ si cui visa esset minus frondescere vel virescere, sed marcescere, & exarescere, id clamore ille illico significabat obuiis quibusque; qui sicut ad restinguẽdum incendium aquam conclamabant, simul concursus fiebat, vndique vasa plena eo aqua portantium. Caio autem Cæsare gradus instaurante, quum opifices tellurem adhærentem arbori circumfoderent imprudentes, plane corruperunt radices, ac contabuit arbor.* Hæc Plutarchus. Qua de re itidẽ pulchre P. Naso

Romuli hasta mirum.

15. metamor.

Vtque Palatinus hærentem collibus olim
Cum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Quæ radice noua, non ferro stabat adacto,
Et iam non telum, sed lenti viminis arbor
Non expectatas dabat admirantibus vmbras.

ea enim ex corno mascula fuisse perhibetur, cuius lignum sine medulla, duritie validissimum, firmissimum, atque adeo viuacissimum, & ad germen fundendum maxime pronum, vt oleastri, & oleæ materia Dioscoride, Theophrasto, ac Plinio autoribus. Neque prætereundum est in proposito Florum, ac Liuium summos historicos adducere Sulpitium viceconsulem e Macedonia litteras Romam misisse, in quibus erat Lauri ramum exortam in puppi nauis; potuit enim puppis e ligno Lauri germinare, vt olim cardines oleæ. Quæ omnia, etsi vulgo ad portenta, & miracula referantur, habent nihilo minus caussam naturalem quam diximus; quẽadmodum etiam obseruat Theophrastus, cuius sententiam proposuimus antea. Hæc igitur apertissimam cuique fidem faciunt ligna extra solum fere arida multum ad temporis interuallum viuere sine alimento; atque adeo animam nutritiuam, facultatem que alentem posse diu a nutriendi functione ociari.

Lib. 1. ca. 135. Li. 5. hist. c. 6. Li. 16. ca. 25. 26 & 40. in 3. 5. De cau. plan. c. 4.

Cur materia corporis nostri per alimentum semper non debeat innouari, vt censet Albertus. Cap. LXXVI.

Magnus Albertus postea nonnulla protulit, quæ negocium facessant superiori placito, quo scripsimus viuentia posse nutriendi operationem intermittere, habita quoque ratione corporis nutriendi; scribit enim suo stilo vir grauissimus, *sicut in respirantibus diu tentus aer non efficitur vtilis ad operationẽ respirationis: ita etiam in animatis materia diu tenta duratur, & efficitur inhabilis ad vitæ organicæ operationes, propter quod restaurari, & innouari oportet; testantur autem hoc animalia duræ testæ, quę per abiectionem testæ renouantur secundum materiam, forma, & specie remanente eadem; signant etiam hoc aues per mutationem plumarum exteriorum, quod abiectio, & deperditio, & restauratio interioris materiæ est signum deperditionis, & renouationis: propter quod etiam id quod restaurant, debilius, & ignobilius efficitur propter extraneitatẽ, eo quod ab extrinseco assumitur; ideo per multum tempus durescunt corpora, & rigescunt, & infrigidatur in eis calidum, & non est in eis nisi extraneũ, & aqueum humidum non nutriens, sed phlegma viscosum, sicut est in corporibus senum. propter quod ruganțur pelles eorum propter frigus contrahens, & inspissans, & siccum inducens, & arescere faciens.*

1. de mem. c. 4.

Li. 3. cap. 18.

Hæc

Hæc ille. Quæ vt ingeniosa sunt, ita nos ad intimam rei naturę contemplationem conuocant;

Aer si diu retineatur cur ineptus respirationi.

Et quidem aer inspiratione attractus, si diu intra corpus retineatur, ineptus, & inutilis efficitur officio respirationis duplici de caussa; vna est, quia ideo aptus respirationi aer esse dicitur, quia temperare valeat interni caloris æstum, id quod efficit frigiditate; etsi enim aer absolute sit calidus, adeo tamen exili calore pollet, vt

Aer ac frigidus sit natura sua.

ad præcordia comparatus frigidi rationem habeat: quemadmodum autem ex ambiente nuper ingressus aer ad viscera frigiditatem illam præcordijs affert, qua ipsorum calor intensus remittatur; ita longa mora, & diuturna statione aeris intra corpus amissa frigiditate pristina (facillime namque alteratur ob substantiæ raritatem, & natiuarum qualitatum infirmitatē) nouam caliditatem, eamque intensam induit,

Aer cur facillime alteretur.

qua calori augendo est potius quam minuendo: Altera est, quia repletur aer stationarius in præcordijs post inspirationem multa calidiorum fuliginum manu, quibus supercalefactus aer ineptus est temperando calori. Sed nostri corporis materia, & substantia solidarum partium nihil tale patitur, vt vetustate simpliciter, nisi

Substãtia corporis vetustate nõ sit inepta vitæ officijs, nec ideo renouari debet.

renouetur, efficiatur inepta vitæ operationibus, vt accipit vir eximius: Quod enim affertur corporis substantiam in dies magis exsiccari, & indurari, vltro quidem fatemur; sed & illud obseruamus adeo sensim hæc fieri, vt non nisi longissimo temporis interuallo ad eam siccitatē, ac duritiem perducantur membra, quibus inepta reddantur ad vitæ munia; immo vero potius interire viuentia, quam ob siccitatem, ac duritiē substantiæ vitæ officijs vacare nequeant; siquidem amplam satis obtinet latitudinem mollities, & humiditas, quæ sufficiant partibus viuentium ad obeundas vitæ operationes, vt necessario non sit innouanda materia corporis ob hãc rationem alimentorum vsu. Deinde vero ab-

Partium duritiem non impedire absolute munia vitæ.

solute falsum est exsiccationem, ac duritiem partium impedire munia vitæ; non ne in plantis materia impense dura, & sicca est citra impedimentum functionum vitæ? nonne ossa durissima, & siccissima in animalibus aluntur, & augentur, quæ inter opera vitæ maiorē ceteris ne-

Opera vitæ magis necessaria quæ sint.

cessitatē habent? Quare ad argumentũ negatur proportio, & analogia inspirati aeris ad substãtiam solidarum partiũ; ille namq; diuturna mora, si nõ renouetur, supercalefactus, & fuliginibus repletus refrigerando calori efficitur ineptus; hæc aũt vetustate adeo non desiccatur, ac induratur, vt nisi alimētis iugiter innouetur, ad vitæ operationes inepta reddatur; tũ aer cito a calore viscerũ, & a fuliginibus supra modũ inca-

Aer cur facile supra modũ incalescat.

lescit tũ quia substãtia eius tenuis facile alteratur; tũ quia natura eius ad calorem propensa; tũ quia calor internus, a quo afficitur, vehemēs est circa pręcordia: membra vero non nisi post longissimam temporis intercapedinem, ac omnino post mortem animalis eam siccitatē, ac duritiem contrahunt ab interno calore consumēte humidum, qua inepta sint vitæ muneribus; nam & cadauera senties nec duriora, nec sicciora multis viuentibus; ratio est propositi discriminis opposita; nimirum tum quia substantia partium est solida, & densa, quæ actioni caloris resistit longe diutius quam aer; tum quia natura partis viuentis propensa est ad humidum, & siccitatem respuit; quum vita calido, & humido nitatur; tum quia calor agens in substantiam solidarum partium eam non habet vehemētiam, quam habet agens in aerem inspiratum. Ad pri-

Cur testacea renouentur cortex.

mam confirmationem a signo ducto ex animalibus testaceis, quæ per abiectionem corticis renouantur, dicimus his renouari quidem corticem, quippe qui vetustate tum nimium siccescens inuius est excrementosis halitibus, qui assidue per insensilem transpirationem effluunt e corpore animalis, alioqui non exeuntes morbosam dispositionem, ac perniciem viuenti allaturi; ceterum cortex materia illa non est, quæ

Testa non est pars, nec alitur in animãte.

pars sit essentialis animantis, & alimentis reficiatur; at illi origo ex excrementis est nutriendo ineptis, quæ sensim iuxta positione coeunt, & conglomerantur in testam: longe autem alia

Testę ortus.

ratio est de materia viuente, quæ non quidem alimentis renouatur, quia vetus inepta esset ad munia vitæ; sed solum (si hoc dandum sit disputationi) alimentis instauratur, nimirum quum assidue a calore, alijsque de causis absumatur, quod dissipatum est, alimonia resarcitur; atque

Viuentis materia nũquam renouatur, forma semper eadem.

ita iugiter fluente materia viuentis, eadem forma semper incolumis toto vitæ curriculo permanet: cuius discriminis illud est signum euidētissimum, quod animalia vnica vice totam exuunt testam, & pellem, vt serpentes; non autem totam, vel etiam sensibilem vnquam par-

1. De gen. c. 34. & sequens.

tem substantiæ interioris ob vetustatem ineptæ vitæ functionibus abijciunt renouandam. Ad alteram confirmationem petitam ex auibus, quæ plumas excutiunt, negamus abiectionem plumarum esse indicium renouationis materiæ interioris; & ratio negationis eadem est, quæ nuper allata est de abiectione testę, ac pellis; plumę namque sunt e materia excrementosa, quę diuturnitate temporis actione caloris tum externi, tum quoque interni, alijsque multis de caussis extrinsecus occursãtibus adeo ex-

Cur plumæ auib. decidant.

siccatur, vt quæ ad earum radices tandem confluit humiditas vel exsiccata nequeat illas cum lentore suo agglutinare, vel tãta nõ sit vt eas nimium graues firmare valeat; qua etiam ratione ceruis & cornua cadunt, vbi ad certam magnitudinem per iuxtapositionem nouæ materiei excreuerint, quæ antea minus grauia firma

Cur ceruis cornua cadant.

continebantur glutine ad radices: at materia corporis viuentis, quæ animata est, & & alimento fruitur, hoc non patitur, vt vetustate concidat, atque abijciatur, quia sit vitæ officijs inepta; sed si nimis cito caloris vi absumatur, natura satagit, non quidem renouare vetustam ineptam, sed alimēto resarcire collapsam, alioquin vitæ functionibus aptam. Immo & illud communi iam opinione receptum videtur, tandiu vitam perdurare, quandiu certa portio

Quando ita vt tunc vltimo senio intereant. primigenij humoris in partibus solidis cōtinea tur, ita vt tunc vltimo senio intereant animalia naturaliter, quando vniuersa massa humoris il lius consumpta fuerit, quæ a primis exordijs in vtero matris fetui contigerit, & corpus iam to tam substantiam ex alimentis habuerit; tantū abest vt recipiendum sit oportere, ac vtile esse materiam pristinam alimentis renouare: opor tet quidem in consumptæ locum nouam substi tuere, non autem opus est, neque vtile veterem abijcere, nouamque recipere. Sed hæc restaura tio vt habet locum in ijs, quorum humor sub stantificus cito consumitur, ita simpliciter in omni viuente locum non habet; quum plura esse possint animata, quibus humor ille adeo non absumatur, vt refectionis indigeat, multo que minus renouationis, quæ non nisi excremē titijs partibus congruit, vti sunt plumę, cornua, testæ, atque id generis alia. Sed & procul a vulgo ex nostris principijs aptius fortasse dicemus vbi nimis cito absumitur substantia partium, tunc alimentis naturam satagere, nec renouare vetustam, nec restaurare collapsam, sed auocare caloris vim a residua, quæ semper apta est vitæ muneribus.

In his, qui diu a nutriend' munere ociantur, frustra non esse ventriculum, iecur, & alia mem bra nutricatui dicata.

Cap. LXXVII.

CEterum & contra idem placitum, quo decreuimus corpori nihil officere diutur nam nutricationis intermissionem, acri ter ex Plutarcho instat vir eruditus; ille nam que ad calcem Symposij aduersum nos hæc protulisse videtur, *Itaque proscripta, sublataque nutriendi functione frustra corpus animo fuerit cir cundatum; plurima siquidem eius, & præcipuę par tes ita sunt facta, vt instrumenta sint nutritionis; lingua videlicet, dentes, stomachus, iecur; quorum nihil vel frustra, vel ad alios comparatum est vsus. Igitur alimento qui non opus habet, ne corpore qui dem is indiget; quod nihil est aliud quam ipsum seip so opus non habere; nemo enim nostrum sine corpo re est.* Argumentum sane arduum, sed tamen haud tale, quod rei naturam intime intuenti solui non possit. In primis enim hoc in loco ni hil nobis imponit Plutarchi autoritas, qui mox sub persona Solonis aduersus obiectam nobis instantiam disputat. Deinde vero negamus ab solute sublata nutricatione frustra nobis datū iri corpus; id enim supponit corpus nobis a na tura concessum non nisi ut aleremur, quod quā a vero longe absit non est cur alia ratione pate fiat, quam in medium productis ouis, atque se minibus tum animalium, tum etiam plantarū; quibus a natura & concessum est corpus, & interdictum munus alendi se se. Deinceps nihi lo firmius est quod in negati dogmatis confir mationem affertur, nempe multas corporis par tes, easque præcipuas esse organa nutritionis, linguam scilicet, dentes, ventriculum, hepar; quorum nihil uel frustra, uel ad alios usus sit comparatum; etenim primo inficias imus ha rum partium nullum alium esse vsum præter quam nutricationis celebratio; siquidem nobis dentes ad sermonis articulationem mire deser uiunt, lingua ad sermonē absolute, ut uel huic vsui deseruientes frustra non sint, etiamsi nun quam nutricatui deseruiant. Quod autem perti net ad stomachum, & iecur, quamuis nulli alte ri usui quam nutricatui a natura animalibus cō cedantur, haud tamen oportet ali, quibus a na tura tribuuntur; siquidem pari ratione oporte ret mulos, & mulas generare sobolem, quum illis testiculos, his autem vterum, instrumenta uni procreationi destinata natura concesserit; idipsum est oculorum de oculis subcute talpa rum generi donatis, ut ait Aristoteles: Quum itaque oculi solius uisus gratia dati sint animali bus a natura, vt testes, ac vterus propter sobolis procreationem; quemadmodum possunt talpę a videndi munere ociari, & muli, mulæque ab officio procreandi; sic profecto possunt ho mines absque nutriendi functione viuere, licet plura in se habeant nutricationis organa. Vlte rius autem negare liceat hæc instrumenta ho mini ad solū nutricatum data esse a natura; da ta sunt enim ad corporis integritatem, & con formationem congruentem humanæ speciei; quod illis satis est ne frustra esse dicantur, etsi nullo alio munere fungantur: sic sane vterus, testesque mulino generi, oculique talpis fru stra non sunt, quia ad corporis integritatem, figuramque, & constitutionem propriæ spe ciei a natura constructi fuere in ijs animalibus, si non ad aliquam functionem obeundam, vt in ceteris animalibus, quæ in talium partium participatione cum ipsis communicant. Postre mo frustra ad summum essent hominibus hæ partes nutricatui destinatæ a natura, si nun quam toto vitæ curriculo huiusmodi mune re fungerentur; non autem si determinatam temporis, ac vitæ partem ab officio tali feria rentur; haud enim frustra testes insunt pueris, & vterus ad annum duodecimum, veteribus vl tra septuagesimum, vel octogesimum, quo tem pore multos annos sine vlla sobolis procreatio ne degunt; & id quia certo alio tempore ta lium organorum opera obeunt: sic certe absti nentes nostri non tota sui vita, sed longo suæ vitæ spacio ab alendi functione vacare pos sunt absque eo quod illis a natura frustra con cessæ fuerint partes nutricatui destinatæ: Im mo vero quum & multi homines cælibem vi tam viuentes nunquam soboli operam nauent, etsi habeant vteros, ac testes, aliaque instrumen ta generationi dicata; cur habentes ventriculū, iecur, & alia nutricationis organa, non pote runt pariter a nutriendi munere feriari, absque eo quod frustra illis ea organa inesse dicantur? Addere liceat (quod nuperrime tetigimus) sin gulos homines aliquando in vita debere nutri cationis officio fungi, nempe a prima sui con stitutione pusilli sunt fetus omnes, indigent que

3. De an. t. vlt.

1. hist. c. 9. & 2. de an. t. 131.

In frustra insint vte rus, testes que mu lis, & ocu li talpis.

3. de an. t. 59.

que alimento, quo iustam corporis magnitudinem consequantur ad reliqua vitæ munia obeũda necessariam; quare in hunc finem illis a natura data instrumenta nutriendi frustra non sunt, si aliquando ijs vtuntur ad suum finem consequendum. Non ergo quia homines habeant linguam, dentes, ventriculum, iecur, intestina, & alia instrumenta nutricationis, propterea non possunt ab alendi functione diutius ociari, quod ex Plutarcho nobis obijcit vir acutissimus.

Vt ratione caloris animal functionem alendi diu intermittere valeat.
Cap. LXXVIII.

Lib. 1. c. 39 Lacessit quoque nos vir celeberrimus, qui posuerimus hominem posse diutius a nutriendi munere vacare citra vitę discrimē, habita etiam ratione interni, primigenij que caloris; obijcit autem & rationem, & Aristotelem, qui non vno in loco videatur apertissime nobis refragari. *Vita (inquit) se habet ad instar flammæ, at flamma, nisi continenter reficiatur, extinguitur: propterea dicendum nutricationem ad duo posse referri, vel ad insiti caloris tanquam flammæ regenerationem: ac ita est necesse viuentia semper nutriri: vel ad solidarum partium restaurationem, quam ueque etiam in sanis putandum est esse continuam a principio vitæ vsque in finem: Hæc autem solutio elicitur ex Aristotele alicubi scribente alimentum non sumentia animalia, & plantas perire: consumit enim vt maior flamma minorem, sic naturale calidum materiam: & alibi decernente calidum naturale continenter fieri, & propterea continenter egere alimento, quo reficiatur, alioquin extingueretur: Vnde conspicue patet Aristotelem continuam nutricationem retulisse ad calidum vitale: insuper & apparet ratio necessitatis continuæ nutricationis.* Hec vir insignis. Quæ tamen nos de proposita sententia non deijciunt. Ad primam siquidem rationem concedentes vitam se habere ad instar flammæ, seu potius ad instar lucis, quæ flamma nitatur; quippe vita calor non est, licet calore nitatur, vt fuse alias ostendimus; negamus absolute flammam extingui; nisi continenter reficiatur, vt qui videamus aliter eueniret tum in ijs ignibus, qui vniuersam combustibilem materiam comprehendentes diutius perdurantem flammam gerunt; tum etiam in lucernis illis admirabilibus, quæ in sepulchris vetustissimis post multas annorum decades reperte fuere ardentes, de quibus peculiarem tractationem Deo summo bene fauente inuulgabimus: Quum itaque flamma diu seruari valeat in ardente materia citra refectionem ex accessione iugi nouę materiei, quia ignis aut non absumat, aut minimum absumat humidi sibi subiecti; sane vita sine alimento diu seruari potest incolumis, quia nitatur eo calore, cui vel minime, vel minimum consumenti humidum substantificum nihil sit opus alimentorum, vt latius explicatum est in superioribus. Ad secundum egregij viri placitum concedentes ad solidarum partium restaurationem non oportere viuentia continue nutriri a principio vitæ vsque in finem; infitiamur iugem, ac perennem esse oportere tota vita nutricationem ad insiti caloris tanquam flammę generationem; primum enim calor insitus non regeneratur, sed influens; alioquin regenerari possent partes spermaticæ, nerui, ossa, venæ, cartilagines, & ablatæ amputatæ; quod experimento reluctari nullus Medicus ignorat. Deinde vero alimentorum vsus, ac finis est, non ad regenerandum calorem insitum, sed ad auocandam eius vim a celeri consumptione humidi substantifici; vel etiam si mauis cum vulgo (vt hoc disputationi demus) ad regenerandum humidum nouum in locum eius quod consumptum fuit a calore, caussisque alijs substantiam nostram depascentibus. Deinceps calor insitus, qui flammæ rationem habet in viuente corpore, nihil est aliud quam essentia, vel temperamentum, vel apex temperamenti solidarum partium; quare necesse est, dum restaurantur solidæ partes alimēto, eodem simul refici, ac regenerari calorem insitum: si ergo, vt bene sentit vir egregius, ad solidarum partium instaurationem haud opus est nutricationem esse continuam, etiam in sano animali; profecto id ipsum dicere oportet de nutricatu; quatenus etiam refertur ad insiti caloris tanquam flammæ regenerationem. Ad primum placitum Aristotelis asserentis, alimentum non sumentia animalia, & plantas perire, quia naturale calidum consumat materiam, sicut maior flamma minorem; respondemus Aristotelem non determinare tempus, intra quod tum viuentia nutrimentum non sumentia pereant, tum calor naturalis consumat subiectam sibi materiam: quare vt absolute verum est animalia, & plantas, si alimentum non assumant, denique interituras, quia demum natiuus calor materiam humidam vitæ necessariam consumet; ita plane verum non est mortem imminere plantis, & animalibus quibusque ineuitabilē si non cito, & frequenter cibum assumant, si nō continenter alantur; namque nil prohibet adeo commensuratum esse posse ad multum tempus calorem humori, vt hic ab eo vel nihil absumatur, vel non adeo vt continuæ restaurationis indigeat; quæ fuse superius. Ad aliud Aristotelis dogma dicimus eo loci Aristotelem ad amussim non scribere calidum naturale continenter fieri, & propterea continenter indigere alimento, ex quo reficiatur, alioquin extingueretur, vt ait vir egregius; sed Aristotelis verba esse huiusmodi, Accidit autem ambas propter idem fieri corruptiones (scilicet marcorem, & extinctionem ignis) deficiente enim alimento; non potente calido accipere alimentum, corruptio fit ignis; contrarium enim cessare faciens concoctionem, prohibet nutriri. Quandoque autem marcescere accidit, quum amplior congregatur calor, propterea quod non respirat, neque infrigidatur; cito enim & sic consumit ali-

Marginalia: De longi. & breu. vit. c. 3. — De iuu. ac sen. ad finem. — Vitam se habere ad inst. ar flammæ, ac lucis. — 1. De vita c. 10. 11. — Flammā non extingui, nisi continenter non reficiatur. — Lib. 3. — Calor insitus non regeneratur, sed influens. — Calor insitus quid sit. — Lib. 3. — De iuu. & sen. c. 4.

ali-

admonent, experimenta confirmant, nempe doctum virum ex morbo grauissimo sic omnē scientiæ habitum amisisse, vt sanitatem adeptus remāserit in pura ignorantia veluti puer, & qui nunquam litteris operam impenderit. Sed & Aristoteles alicubi apertissime fatetur habitus ex animo deleri aut obliuione, aut qua dam passione, idest vehementi, aut tempore, etiamsi res non corrumpatur, quæ omnia fusius alibi a nobis disquiruntur commodiori loco.

3. metaph.

Vt alimenti vsus non sit ad restaurationem deperditi, sed ad auocandum calorem a cita consumptione humoris: exercitatio cum Magno Alberto. Cap. LXVIII.

VErum & in his, quæ proposuimus apud Benedictum, & Montuum statuentes alimenta viuentibus data non fuisse a natura in eum finem absolute, vt restauretur illorū vsu id, quod assidue consumitur e corpore animatorum; sed esse necessaria solum ad auocandum calorem a celeri consumptione humidi, contradicentem habere videmur Magnum Albertum, qui alicubi scribit non esse verum nutrimentum fieri ad caloris impedimentum, ne consumat substantiam, quia secundum hoc nutrimentum non oportet membris vniri, sed tantum superfundi, vel infundi; & ad hoc magis esset idonea humiditas aquea quam nutrimentalis; & hoc falsum esse constat ex dictis: Adhuc secundum hoc nutrimentum non nutriret ex hoc, quod potentia est caro, vel os, vel aliquod membrum nutriti, sed potius ex hoc, quod alteraret, & remitteret intensionem caloris, qui est in ipso; quæ omnia sunt absurda. Hęc Albertus. Ceterum neque ista nobis mentem adeo perturbant, vt ob ea cogamur a pristina sententia discedere; alimentum etenim bifariam spectari potest, nimirum antequam alat, sen antequam vertatur in substantiam viuentis, & postquam conuersum iam fuerit in viuentis naturam; sane superius non posuimus nos alimentum, antequam nutriendo vertatur in corpus alendum, impedire calorem ne cito consumat humidum sibi subiectum; sed statuimus nutrimentum iam transmutatum in naturam viuentis impedire ne cito primogenius humor absumatur; priorem quidem positionem demolitur Albertus allatis rationibus: at posteriorem, quæ nostra est opinio, non euertit propositis argumentis, vt cuiuis liquet: quod & aperte constat ex ijs, quæ subdit inquiens, si quis autem obiiciat quod oculis videmus consumi vehementer corpora per famem, quando subtrahitur cibus: & impediri consumptionē, quando abundanter cibus sumitur; & sic nutrimentum videtur in hoc nutrire, quod impedit caloris naturalis violentiam: Dicemus quod cibus, quando vnitur membro abundanter, fortificat membrum, ne cito consumatur eius materialis substantia: & ideo nutriendo, & restaurādo impedit, & non ita quod superfundatur tātum, vel infundatur. Deinde vero alimentū potest impedire citam consumptionem humoris natiui a calore intimo vel quia caloris vires retundat, æstumque temperet: vel quia vim caloris illibatam, & integram remouet ab humore primigenio ad aliud subiectum; si aliqui opinentur alimentorum viu impediri citam humidi consumptionem, quia nutrimentis caloris vigor temperetur, ac remittatur, certe aduersum hos recte admonet Albertus ad hoc efficiēdum non oportere alimentum vniri membris, sed sat esse ijs inspergi; nam & aerin respiratione attractus cordis calorem temperat absque eo quod vniatur corpori nostro, multoque acies caloris humore aqueo retundi posset quā alimentari, quia remissio fit ob admistionē contrarij; calori aūt contrarius magis est humor aqueus, quam alimentaris: At vero nos, qui constituimus alimenta retardare consumptionem humidi substantifici, non hebetando caloris robur, sed illius uires integras magna ex parte auocando a consumptione humidi pristini ad semetipsa vbi iam in substantiam viuentis conuersa fuerint, facile possumus euitare vim rationum Alberti. Ad primam itaque formaliter dicentes alimenti vsum præcipuum esse ad impediendum citam humidi radicalis consumptionem a calore, negamus proinde fieri vt nō oporteat alimentum membris vniri; & ratio negationis est, quia modus, quo alimentum impedit celerem consumptionem humidi primigenij, est auocando vires caloris ab humido ad se; verum ad se caloris actionem trahere nequit alimentum nisi seipsum calori subijciat; quippe calor non agit nisi in humorem illum, a quo impeditur ascendere; non impeditur autē nisi ab eo, cuius lentore irretitur; is autem necessario est humor, qui calori veluti materia formæ subijcitur; at subijci sic humor calori nō potest, nisi vertatur in substantiam partis illius, cuius calor est temperamentum, & forma; non ergo ad impediendam humidi substantifici consumptionem a calore auocatis caloris viribus ab humido sufficit alimentum, quod eas vires ad se auocat, membris inspergi; vt obijcit Albertus. Ad secundam constituentes pariter alimenta impedire celerem consumptionem humidi primigenij a calore innato, negamus huic operi magis idoneam esse humiditatem aqueā, quam alimentariam, & ratio negationis gemina est, vna, quia nutrimentum fungitur suo munere semper conseruando naturam viuentis; quare non labefactando calorem, qui est vitæ principium; humiditas vero aquea quia retardat insiti humoris exterminium retundendo aciem caloris, ipsumque debilitando, magis destruere videtur naturam viuentis, quam conseruare; quippe vitæ essentia potius est in calore, quam in humore, vt alibi fusius ostendimus: Altera vero ratio est, quia humiditas aquea non alit, seu non cōuertitur in substantiam misti, sed alterat, ceu medicamentum quoddam; at alimenta suo munere funguntur impediendi celerem humidi substantifici consumptionem nutriendo; quamobrem ad hoc opus aptior non

est

Lib. 2. ca. 203. Lib. 3. ca. 56. — *1. de nutr. 4.* — *Alimenti duplex ratio.* — *Alimentū quando antequā calorē ab humido consumptio-nē.* — *Alimentū vt impedit ne possit calorem consumptionem.* — *Humiditas aquea vt retardet insiti humoris exterminium.* — *2. de vita c. 11.* — *Vita potius in calore quā in humore.*

est aquea humiditas alimentari, vt opponebatur. Ad tertiam consimiliter asserentes alimenta viuentibus dari a natura vt prohibeatur citum exterminium humoris insiti a calore, negamus alimentum non ideo alere, quia sit potentia caro, vel os, vel aliqua pars animati, sed quia remittat æstum caloris, & alteret; ratioque negationis est tum quia impediri potest ne calor cito absumat humorem, etiam non refractis viribus caloris, sed ijs integris alio euocatis; quod non animaduertit obijciens ab alimento fieri: & sane qui cibus in stomacho auertere potest Hippocrati, Galeno, Medicisque omnibus calorem naturalem a pugna cum morbo initio accessionum: plane is ipse in substantiam partium mutatus ad se conuertere valebit calorem ab exterminio insiti humoris: tum quia longe alia est ratio nutricationis, & impedimenti ne calor cito humorem absumat: nutricatio etenim est pura conuersio alimenti in naturam viuentis; at impedire ne calor cito depascatur humidum primigenium est finis, cuius gratia instituta est nutricatio, & omnino effectus ante actam nutricationem consequens; quare ad hoc vt alimentum impediat consumptionem humoris insiti a calore, non opus est vt nutriat, & sit potentia caro, vel os, vel pars animati: sed necesse est vt iam nutrierit, & sit actu iam caro, & os, & omnino substantia viuentis, in quam vt in subiectum sibi obstans ad ascendendum calor operetur. Ita ergo satis apparet finem alimenti præcipuum esse impedire celerem humidi substantifici consumptionem ab interno calore.

5. Aphor. 11.

Cur semen maris in vtero feminæ concipientis non alatur. Cap. LXIX.

ITa enodatis, quæcunque occurrebant difficilia in secundo libro, age nunc dubitationes adeamus, quæ propositis dogmatibus in tertio negocium facessere videntur: & sane in primis illud improbatur, quod constituere non dubitauimus inter viuentia nostratia semen animalium non ali; siquidem Medici omnes in eo conspirasse videntur, vt intra vterum feminæ a conceptu existiment semen masculi nutriri semine, seu excremento femineo; quod Galeni placitum corroborant viri doctissimi ex Hippocrate alicubi scribente calidum omne frigido moderato nutriri: Addunt alij semen in vtero generare; generationem vero inter operationes vitæ vegetalis vt nobilitate, ac perfectione supremum, sic tempore postremum loci obtinere; quare prius etiam, quam generet, semen nutriri. Verum paucis: Ad primam obiectionem virile semen, seu masculeum intra vterum feminæ potest in duplici statu considerari, nimirum ante actum conceptionis, dum adhuc est sub forma, & natura seminis, & post conceptionem; dum seminis substantia in partes fetus, seu embrij conuersa est; in primo statu corpus genituræ proprie semen appellatur, & est; in secundo autem licet sensui semen appareat primis illis diebus a conceptu; quia nondum sensibilem consistentiam acquisiuit, nondum menstruo sanguine affuso euidentem membrorum naturam induere potuit, & iccirco a medicis, qui artifices sensati omnia fere sensibus metiuntur, seminis nomine appelletur; proprie tamen semen haud sit, nec vere appelletur, præsertim a Physiologis, quibus nuda veritas insectatur e natura rei, quam sensus in proposito non attingunt: Nos ergo excludentes semen ab eorum numero, quæ nutriuntur, seminis voce quod proprie semen est ante conceptum significauimus at; Galenus loco citato de illo semine loquitur, quod iam in membranarum, ac vasorum substantiam, atque ideo in partes fetus caloris actione conuersum fuerit, sitque non re, sed nomine semen; quod & nos vltro fatemur femineo semine, sanguineue nutriri: haud enim eget alimento semen nisi quum iam inchoatus est fetus, seminisque corpus in embrij substantiam quoquopacto commutatum fuerit, licet sensui non multum distare videatur a natura priori, vt nuper adnotauimus.

Lib. 3. c. 3.

14. De vs. p. c. 11. de nat. puer.

Masculi semen in vtero duplicem statum habere.

Ad secundam ex Hippocrate respondet clarissimus Laurentius ea ratione, qua etiam tollatur modo enodata oppositio ex Galeno, nimirum dum ali muliebri semine virile semen affirmat Galenus, non de perfecta nutritione intelligit, quæ fit assimilatione; sed nutriri vult foueri, conseruari; quia enim calidius est semen maris, crassiusque femineo, tenuiori, frigidiorique diluendum, ac temperandum erat, ne tenues vanesceret in auras: sic aere spiritus nutriri dicuntur, hoc est, conseruari, foueri, refici: sic omne calidum Hippocrati frigido moderato nutritur: sic Celsus vulnera medicamentis blandita, & fota nutrita dicere consueuit, vt frequentissimũ sit Medicis nutricationis voce abuti ad omne genus auxilij: Dum ergo nos ponimus animalium semina non ali, de illa nutricatione agentes, qua vertitur alimentum in substãtiam eius, quod alitur, proculdubio contradicentes non habemus Medicinæ Principes dum statuunt semen masculeum in vtero ali femineo semine, quando non intelligunt de vera nutricatione, qua de nos agimus. Ad tertiam concedentes generationem sobolis inter functiones vitæ vegetalis esse perfectione supremam, origine, seu tempore postremam: negamus semen in vtero generare: nam reuera masculum animal generat a se excutiendo semen in vterum: quod semen est animal imperfectum, perficitur autem in vtero, quia organizatur, & ex femine, sanguineque femineo sibi adiuncto molem acquirit in dies, nec reuera semen vt agens externum in vtero producit aliud a seipso, quod alibi demonstrauimus abunde, ex quo loco non est vt argumenta repetam. Deinde vero si concedendum sit semen in vtero generare (quod disputationi damus) dogma id caute admodum accipi debet: duplex enim quum sit agens in generatione, alterum principale, quod est pater, seu animal

Calidum frigido ut nutriatur Hippocrati.

Li. 7. c. 14. 19.

Lib. 7. c. 8. 10.

Nutricationis voce abuti medicos ad omne auxiliũ.

Generatio est perfectione suprema, et tempore postrema.

Semen in vtero non generare proprie. Deor. an hum.

Agens in generatione duplex.

Vt venæ meseraei de ventriculo, & intestinis sugant alimentum non expectato fine coctionis: Cap. LXXII.

DIfficultatem & illud multis peperisse videtur, quod ex Aristotelis doctrina dudum constituimus mesenterij venas de se- (Li.3.c.8.) core chylum sugere non totum simul post finē coctionis vniuersæ, verum in actu ipso coctionis quæ primum pars ingestorum cocta est, eam primum a venis in hepar trahi; quoniam quum nullam vim cognoscendi coctum a crudo habeant illæ venæ, sane citra vllum delectum nō expectato fine coctionis cum cocto crudum etiam attrahere deberent; quod in sano, & optime constituto uiuente non contingit: ut propterea credendum sit nihil in uenas mesæreiat trahi, nisi absoluta coctione ingestorum omniū. sed neq; his opprimitur Peripati dogma: in primis enim siue demus uenas attrahere, siue dicamus attrahere partes, ac membra solida per uenas: illud obseruamus partibus, ac venis licet non insit uis cognoscendi coctum a crudo, inesse tamen uim attrahēdi cum delectu coctum relicto crudo; an ne oportet ferrum cognoscere a magnete, paleam ab electro, quæ duo ab ijs cū delectu trahuntur, ceteris ferro, & paleæ commistis non attractis? Hoc etiam in plantis compertissimum habeas: nam aliæ in alijs locis nascuntur, ita ut quædam certis in regionibus ideo non superuiuant, quia humus non scateat certo, ac peculiari succo, ex quo nutriri valeant: non aliunde

Partibus insiti vis attrahendi cum delectu sine cognitione.

... solis est thurea virga Sabæis.

Quum ergo plantæ, quibus nulla uis inest cognoscendi, non omnem succum promiscue de terra sibi in alimentum hauriant, sed cum delectu trahant naturæ suæ familiare, quouis alio relicto: sane quia uenæ non obtinent uim cognoscendi coctum a crudo, ipsis propterea neganda non est facultas attrahendi cum delectu coctum omisso crudo. Amplius partes corporis nostri solidæ per uenas e uentre sugunt, & attrahere student citra cognitionem, solo instinctu naturæ, non quodlibet, quod in uentre sit, sed humidum, seu alimentum sibi simile, ac familiare, quo alantur, ea ratione qua maior flamma candelæ flammulam ad se rapere, candelam que restinguere dicitur Aristoteli: quum igitur alimentum crudum dissimile sit nutriendo corpori, cui coctum idem simile est, ut monet Aristoteles, & ratio persuadet: quippe alimentum dissimile est alendo corpori ob excrementa, quæ non sunt apta uerti in naturam uiuentis: quum autem excrementis scateat alimentum crudum, careat coctum: quando excrementa per coctionem ab alimento segregantur: propterea fit ut alimentum crudum contrarium sit, dissimileque nutriendo corpori, coctum uero eidem simile est: Quum igitur attractio alimenti fiat ratione similitudinis, seu quum de ventre per uenas membra non attrahant, nisi quod sibi domesticum est, ac familiare: certe quoque non expectato fine coctionis citra cognitionem cocti a crudo, cum delectu tamen at trahent uenæ mesæreri de uentre cibum coctū intacto crudo. Vlterius etiam esto (disputationis gratia) uenas attrahere posse sine delectu, necessario tamen coctum de uentre sugent relicto crudo, tum quia retinens facultas muneri suo uacat uniuerso coctionis tempore, nec dimittit nisi coctum, retinet autem concoquendum: tum etiam quia mesæraica uasa quū sint angustissima, per ea transitus non est crudo alimento, cui coctionis opere detracta nondum fuerint excrementa crassa: peruia tamen sunt alimento coctione a sordibus crassioribus defæcato.

Partes ut ventre alimētum sugant.

1. Probl. 57.58.

Alimētū crudū dissimile est alendo corpori.

2. De an. t.49.

Retinens facultas muneri suo exercet in cruda.

Vt folia, flores, fructus, & semina plantarum partes vere non sint, sed excrementa potius. Cap. LXXIII.

IN eodem capite paullo post asserendo semina, fructus, flores, atque frondes esse plantarum excrementa coctionis ministerio ab alimentis segregata, non leuem ansam contradicendi dedimus ingeniosis, quibus oppositum videatur suadere admirandus Præceptor perspicuis verbis connumerans inter plantarum partes instrumentales folia, & fructus; & cum Aristotele ratio conspirare videtur, quia excrementorum non est communis forma cum animato, sed anima solum est actus corporis viuentis, & partium suarum, non autem excrementorum; quum ergo eadem anima viuant plantæ, plantarumque folia, flores, & fructus; hæc omnia iccirco inter plantarum partes connumeranda, non inter excrementa: Deinde vero actiones viuentis solis partibus attribuuntur, non excrementis; quum itaque folia, flores, fructusque nutriantur, & semina germinent; quis ea neget esse plantarum partes? quis iure asserat excrementa? Verum & hæc solui possunt. Ad primum obiectum ante omnia dicere possumus quæ ab Aristotele ibi afferuntur, tāquam rudia eidem Aristoteli paullo infra respui, & propterea nobis non officere: quibus viceuersa multum fauent ea, quæ alibi Aristoteles, & post Aristotelē Theophrastus asseuerat semina plantarum, & animalium esse excrementa, folia vero, flores, & fructus non esse plantarum partes, quod obseruat etiam Doctissimus Costeus. Deinde vero dicimus partium alias esse integrantes, ac proprie partes, vt quibus quomodocunque ablatis totum reddatur mutilum; alias autem perficientes, minusque proprie partes, ac verius opera quam partes; quibus ablatis totum minus quidem perfectum redditur, non tamen mutilum; hę possunt esse excrementa eius generis, quæ vtilia nuncupantur, quoniam eorum fit aliquis vsus in viuente; quare nobis asseuerantibus folia, flores, fructus, & semina non esse partes plantarum proprie, ac integrales, sed excrementa vtilia, non obstat Aristoteles in-

Li.3.c.8.

2. De an t.6.

Tex.11.

1. De gen anī.t.18.

1. De stir natu.c.6.

Partium duo genera.

Partium integrali m. & perficienti: disferimen.

Excremēta vtilia.

inquiens hæc eadem esse instrumenta, & plantarum partes; nam ipse intelligit de partibus secundi generis. Ad secundum concedentes eadem anima viuere plantas, plantarumque flores, frondes, fructus, & semina; negamus excrementorum potissime vtilium non esse communem animam cum toto viuente; nam certo *Excrementa vtilia commune animã habere cũ toto viuête.* scimus molam in vtero feminæ, & oua viuere, nutriri, & augeri beneficio eiusdem animæ, qua viuit, alitur, augeturq; femina molam, & ouũ in vtero gerens; quum liquido constet molam, & ouum non esse partem feminę, in cuius vtero degit, sed excrementum: Ad probationem concedimus animam esse actum corporis totius, & suarum partium solummodo; sed *Anima est petis partium, ... perfectiuo.* obseruamus conuenire animam non solum partibus proprie dictis, & integralibus: verum etiam partibus perfectiuis, ac minus proprie dictis: cuiusmodi sunt semina, oua, flores, folia, & fructus in plantis, quæ omnia dicuntur etiam plantarum excrementa vtilia. Ad tertium consimiliter damus actiones vitæ conuenire solis partibus; sed notamus partes, quibus actiones vitæ conueniunt, esse tum integrales, tum perficientes, quæ item excrementa vtilia dicũtur: *Semen haud esse partem integralem.* nemo etenim asserat semen animalis esse partem integralem, omnibus asserentibus actionem generãdi sobolem seminis esse propriam; quod excrementum vtile esse ostendit Aristoteles. *1. De gen. an. c. 18.* Sed & excrementis etiam alendo ineptis inesse vitæ actionem, aut saltem vsum aliquem norunt Medici, quibus tum alimenti distributio in vniuersum corpus fit beneficio ichorosi *Excrementorũ vsus.* excrementi, cui exituro demum per vrinas nomen inditum fuit vehiculi alimentorum; tum portio melancholiæ de splene in stomachum repens appetentiam excitat: tum bilis de fellea vesica fluens ad intestina sollicitat expultricem facultatem ad egerendas fæces: Immo vero flores, & frondes esse excrementa coctionis: quæ *Vide li. 3. c. 69.* fit in plantis), apertissime obseruare liceat ex Aristotele alicubi scribente, flos e subtili materia *2. De plã. c. 2.* tantum est, quum concoctio incipit, & ideo fructum in plantis præcedit, vt ostendimus; indidem caussam quoque docuimus, ob quam plantæ folia prius producant quam fructus. *Cur flos in plantis fructum præcedat.* Illud enim cuique apertum est partium verarum originem nõ esse ex materia semicocta: neque omnino ex puro excremento; sed ex alimento plene cocto esse partium præexistentium nutricationem, & augumentum; ex eo autem, quod initio coctionis ab alimento segregatur, non partes veras, sed excrementa vtilia constitui: quum *Partium or. o. alimentũ, & augumentum vnde fit.* prima partium constitutio in plantis fit e corpulentia seminis, vt fuse alibi disputauimus. Vere itaque folia, flores, fructus, & semina partes *De or. (an.) hom.* plantarum non sunt, sed excrementa vtilia, siue prouentus, & opera, Græcis ἀποτελέσματα nuncupata.

Vt ex eo, quod oua, & semina citra nutricatum viuant, colligere possimus perfecta quoque animalia vitam posse traducere absque alimentorum vsu. Cap. LXXIV.

Accusat medicus nostræ tempestatis eos amentiæ, ac impudentiæ, qui comparare audeant in alimonię necessitate hominem tot membris munitum, tot facultatibus ornatum, tam affabre a natura compactum cũ ouis, & seminibus impolitæ satis, & indistinctæ substantiæ, arbitrantes si oua, & semina diu viuere queunt absque eo quod alantur, idipsum hominibus euenire posse: cui doleo virum eruditissimum assentiri asserentem sumere argumentum a brutorum, plantarumque ieiunio ad hominum abstinentiam, ridiculum videri; quia simili argumento probari posset hominẽ volare, ac diu sub aquis viuere, quod multis brutorum conuenit. *De vita. Li. 3. c. 14.* Quum ego vnus ex eorum numero sim, qui hac notantur culpa, nam & alibi, & superius ex eo quod oua, semina, bruta, & plantæ diu viuere valent sine alendi functione, colligere me posse putaui nec hominibus consimiliter ad vitam absolute necessariam esse nutricationem, sed posse incolumes ab ea feriari diutius; mea interest obiectioni allatæ satisfacere. Quaquidem in re dum considero ex Aristotelis etiam obseruatione nutriendi functionem prodire tum plantis minimo artificio cõstructis, tum quoque brutis, & hominibus artificiosissima structura fabrefactis ab vna vegetante anima; *1. Mag. mor. c. 5. 2. De an. t. 34.* nutriendi vero necessitatem esse apud eundem Aristotelem ad vnum augumentum, a quo perinde vacare possunt homines, bruta, plantæ, oua, & semina; *Vnde, insit nutricatio plantis, & animalibus.* non audeo sane dicere imprudentis, & amentis esse in necessitate nutricationis comparare hominem, etsi tam affabre is a natura fuerit compactus, tot membris munitus, tot demum facultatibus exornatus, cum ouis, & seminibus, quorum impolita, & indistincta sunt corpora; *Nutriẽdi necessitas ad quid. 3. De an. t. 59.* timerem enim ita dicere, ac opinari eius esse, qui parum Philosophiæ, minusque habeat Dialecticæ; ex harum namque disciplinarum principijs habetur, homines, animalia bruta, stirpes, oua, & semina, in eo quod vegetabilia sunt, esse vnius generis vniuoci, eodemque modo vegetalem animam participare tãquam formam essentialem, qua simpliciter constituũtur in esse viuentis, quod monet Aristoteles, *Vegetabilia omnia vt sit vnius generis vniuoci.* atque pari ratione sese habere ad nutriendi functionem, ac necessitatem; quum nutricatio sit functio vegetantis animæ, necessariaque sit viuenti ad augumentum: *1. De an. t. 16.* Quare si vegetabilium vni non repugnat in eo quod vegetale est, absque nutricatu viuere; nec alteri cuius propositorum vegetantium repugnaturum: si profecto animal, & inter animalia homo nobilioris naturæ est quam sint oua, & semina; talis ipse est, nõ qua vegetans est; *Homo qua vegetans est nobilior ouo, ac semine.* namque in vtero sub forma embrij vegetans est, dum sine vllo instrumentorum ornatu, ante aduentum rationalis animæ

mæ vegetans est homo futurus: sed quatenus est homo completus, ac omnino propter participationem animæ nobilioris, rationalis appellatur, quæ ex se alimento non indiget, nec vitur; quum ad vegetalem animæ partem alimentum etiam in homine pertinere, non ad sentientem, non ad rationalem apertissime statuat Aristoteles, dum inquit, Animæ portio, qua alimur, altrix appellata quum sit, solius animati proprium est ali. Quod si animatorum caussa est anima, atque animæ talium partium nulla alendi fuerit caussa, quales sunt rationalis, vel irascibilis, vel concupiscibilis sed alia quædam præter has, & ei nullum magis peculiare possumus nomen quam alentis accommodare. Homini vero, brutisque organorum multitudinē, & structuræ ornatum, facultatumque pluralitatem ōn incutere necessitatem alimenti; illud aperte docet, quod ante organizationem alitur embrium, quin & ouum antequam excludatur, & semen plantæ adhærens; aluntur autem hæc tunc necessario ad incrementum: hoc etiam priuilegio caret natura maior nobilitas, vt nutricatum necessario postulet; quid enim non aluntur cælestia viuentia, quæ terrenis longe sunt nobiliora? immo quamobrem non alitur mundus ipse totus, ad cuius similitudinem homo paruus mundus appellatur? obtinet enim mundus longe maius artificium in suis partibus, partes longe nobiliores, ac multo plures facultates quam habeat homo. Sed acutissimi viri ratio a volatu, & vrinatu brutorum desumpta corruit, si rei naturam spectes; in ijs enim hominem cum bruto, ac planta operationibus conuenire par est, cum quibus conuenit in caussis tum præcipuis, tum instrumentalibus talium operationum: sane homo non volat, quia caret alis, quibus a natura si præditus esset, nihilominus quam aquila volaret: sub aquis non degit, quia calorem non habet qui sine respiratione diu seruari possit: nisi etiā dicamus hoc non esse absolute verum, nam vt hirundines Germaniæ hyemem sub aquis degunt, ita & homini sine respiratione diu sub aquis viuere licere, vt licet etiam in aere sat non omni; sed cui non opus est cordis refrigerio: At in nutricatione s natura conuenit prorsus homo cum brutis & plantis, & in anima vegetali, & in calore natiuo, humidoque radicali; vt ijs nutricationem intermittere valentibus, belle possit homo ab eodem munere ociari. Non ergo amentis, aut imprudentis est, aut ridiculum sed Physiologi, sed Dialecticam tenentis, sed certum ex eo quod oua, & semina possunt diu sine alendi functione viuere, colligere hoc ipsum de homine, quamuis hic affabre sit a natura compactus, multis & membris munitus & facultatibus instructus ad ouorum, ac seminum differentiam.

Homo cur sit non indiget alimento, ratione animæ.

3. De an. t. 34.

3. Magn. mor. c. 3.

Vt facultas alens possit a nutriendi functione ociari. Cap. LXXV.

Amplius, atque illustrius profecto illud est, quod a doctissimo Fernelio affertur aduersus ea, quæ supra posuimus differētes facultatem alentem posse a nutriendi munere feriari diutius viuente superstite, atque incolumi: Animans (inquit) omne quod vitam degit, necesse est quodammodo nutriri, siue firma id, siue ægra sit valetudine; nunquam enim ocio perfruitur illa vis altrix, vt quam plane naturalem esse constat. Quæ vt a subtilissimo viro acutissime proponuntur, ita maximum habent momentum in proposito; adeo tamen efficacia non sunt, vt antea communitam sententiam euertant; siquidem concessa consequentia, negatur quod in antecedente ponitur, nimirum nūquam ocio perfrui vim altricem; ad confirmationem ex eo petitam, quod vis alens sit mere naturalis, concesso antecedente, negatur consequentia; vere quidem facultas altrix, & omnino anima vegetans est mere naturalis, hoc est, vt vult vir egregius agens citra cognitionē ad instar naturæ, quæ in gradu infimo rudis, & ignara bene vbique operatur more cæcorum, qui sola consuetudine recte per vicos, & anfractus viarum incedunt non aberrantes, licet revera non agat natura per consuetudinem, vt insinuat alicubi Aristoteles; hoc autem inest vegetanti animæ ad sentientis, & rationalis discrimen, quæ cum cognitione operantur: Quare concedimus viro solertissimo, & vniuersæ Medicorum scholæ vim alendi esse facultatem naturalem; at negamus proinde fieri vt perpetuo, se[illegible] frequenter, ac incessanter operetur, nec vnquam fruatur ocio; hoc enim proprium est facultatis mere naturalis infra sortem animæ sentientis, vt citra cognitionem operetur, non vt semper, & incessanter agat: quod si poni vir exquisitus aduersus ea, quæ tum ratio tum etiam comprobat experimentum: ratio quidem, quia quum agentia quoque sic mere naturalia vbique agant propter finem: sane quando finē assequuta fuerint, ea protinus ociari necesse est: quid magis naturale est quam igni sursum ascendere, terræ deorsum descendere? quum autem non semper sine ocio ignis ascendat, terra descendat: sed sistatur ignis supra regionem aeris, terra vero quiescat in centro; profecto vis altrix ex eo quod est agens mere naturale, non est dicenda perpetuo nutricationi vacare; sed assequuta finem, cuius gratia nutrit, dicenda est posse ab hoc munere ociari: & certe finis nutricationis sit augumentum, quod monet Aristoteles, vel (demus etiam disputationi) restauratio deperditi: porro vt liquido constat augumentum animatorum certis definiri limitibus, quos transgredi non liceat; sic dudum ostēdimus fieri posse vt non absumatur ea substantia corporis animati, quæ indigere dicitur instauratione per alimentum. Alia quoque ratio est, quia mere naturale agēs, etsi vt propositum

De an. facul. c. 3.

Ei 3. c. 37

Natura vt rudis bene operetur.

Natura non agit per cōsuetud. nem.

2. ethi. c. 3

Vis alēdi est merē naturalis

Facultatis mere naturalis quod proprium sit.

Agentia naturalia sēper agere propter finē.

3. De an. t. 59.

Augmentum animatorum certis terminis coerceri

2. De an. t. 40. 41.

finem assequatur, ex se irrequiete operari posset: quia tamen plerunque in suo munere obeūdo potest impediri, siue quia desit illi aliquid eorum, sine quibus officio suo fungi non valet, siue aliam quamuis ob caussam prohibeatur ne peragat quod aggressum fuerat: propterea fit vt agens inere naturale, si non sponte, saltem violentia cogatur actionem suam intermittere: sic ignis ascendens, terraq; descendēs in medio itinere sæpius ab impedimento coguntur motum suum naturalem interrumpere. Vnde etiam pa tet quibus experimentis comprobetur verum non esse agentia naturalia necessario sic agere, vt nequeant simpliciter a sua functione ociari, siue sponte, siue coacta; proindeque non constare nec animans omne quoad vitam degit, ne cessario nutriri, siue firma id, siue ægra sit valetudine: nec ocio nunquam perfrui uim alentem ex eo, quod illa sit facultas mere naturalis. Huc ea pertinent, quæ supra notauimus ex Plinio, Theophrasto, & Aristotele de lignis, quæ longissimo tēporis interuallo a terra eruta non aliunde tum ullum alimenti genus sibi haurientia, & fere sicca uetustate nimia, demum regerminasse comperta sunt; ac proinde sine ullo alimento, ac nutricatu diuturnam uitam egisse; quibus obseruationibus nonnulla etiam nunc addere licet exempla nobilissima; primumque sit oliua illa, quam in totum ambustam reuixisse testatur Plinius; hinc etenim manifestum fit oleæ lignum quauis æui senectute siccatum extra terram repullulare potuisse, ac sine altione vlla diutissime viuere potuisse. Ceterum haud minus est, quod a Pausania scribitur in Corinthiacis (referente, consentienteq; Dalechāpio in annotationibus Plinianis) nimirum Clauam Herculis ex oleastro actis radicibus regerminauisse: profecto quum plurimis annis ea vsus fuerit Hercules, & maxima temporis intercesserit intercapedo ab Herculis obitu ad Pausaniæ sæculum; oleastri illius truncum longissima serie annorum extra humum, ac citra vllam nutricationem vixisse necesse est; germinare siquidem nequit quod actu nō viuit Aristoteli. Huic simile illud est, quod de Romuli hasta legitur, quæ in monte Palatino terræ impacta iactis radicibus frondes pullulauit præter expectationem; Quam historiam Plutarchus in vita Romuli plene describit inquiens, *Romulus habitabat ad pulchri littoris, quos vocant gradus circa descensum ex Palatio in circum maximum; quo loco referunt sacram cornum fuisse, & fabulam attexūt, exercentem se Romulum torsisse ex Auentino lanceam, cuius erat corneum hastile: alte defixam cuspidem conuellere quum multi niterentur, neminem valuisse: last iuientem autem, quæ lignum erat amplexa, humum ramos & stipitem corni eximia germinasse proceritate: eam posteri vt rem sanctissimam magna religione venerantes muro cinxerunt. Quæ si cui vila esset minus frondescere vel virescere, sed marcescere, & exarescere, id clamore ille illico signi ficabat obuijs quibusque; qui sicut ad restinguĕdum incend ium aquam conclamabant, simul concursus fiebat, vndique vasa plena eo aqua portantium. Caio autem Cæsare gradus instaurante, quum opifices tellurem adhærentem arbori circumfoderent imprudentes, plane corruperunt radices, ac contabuit arbor.* Hæc Plutarchus, Qua de re itidē pulchre P. Naso

> *Vtque Palatinus hærentem collibus olim*
> *Cum subito vidit frondescere Romulus hastam,*
> *Quæ radice noua, non ferro stabat adacto,*
> *Et iam non telum, sed lenti viminis arbor*
> *Non expectatas dabat admirantibus vmbras.*

ea enim ex corno mascula fuisse perhibetur, cuius lignum sine medulla, duritie validissimum, firmissimum, atque adeo viuacissimum, & ad germen fundendum maxime pronum, vt oleastri, & oleæ materia Dioscoride, Theophrasto, ac Plinio autoribus. Neque prætereundum est in proposito Florum, ac Liuium summos historicos adeo rare Sulpitium viceconsulem e Macedonia litteras Romam misisse, in quibus erat Lauri ramum exortam in puppi nauis; potuit enim puppis e ligno Lauri germinare, vt olim cardines oleæ. Quæ omnia, etsi vulgo ad portenta, & miracula referantur, habent nihilo minus caussam naturalem quam diximus; quēadmodum etiam obseruat Theophrastus, cuius sententiam proposuimus antea. Hæc igitur apertissimam cuique fidem faciunt ligna extra solum fere arida multum ad temporis interuallum viuere sine alimento; atque adeo animam nutritiuam, facultatem que alentem posse diu a nutriendi functione o[c]iari.

Cur materia corporis nostri per alimentum semper non debeat innouari, vt censet Albertus. Cap. LXXVI.

MAgnus Albertus postea nonnulla protulit, quæ negocium facessant superiori placito, quo scripsimus viuentia posse nutriendi operationem intermittere, habita quoque ratione corporis nutriendi; scribit enim suo stilo vir grauissimus, *sicut in respirantibus diu tentus aer non efficitur vt sit ad operationē respirationis: ita etiam in animatis materia diu tenta duratur, & efficitur inhabilis ad vitæ organicæ operationes propter quod restaurari, & innouari oportet; testantur autem hoc animalia duræ testæ, quæ per abiectionem testæ renouantur secundum materiam, forma, & specie remanente eadem; signant etiam hoc aues per mutationem plumarum exteriorum, quod abiectio, & deperditio, & restauratio interioris materiæ est signum deperditionis, & renouationis: propter quod etiam id quod restaurant, debilius, & ignobilius efficitur propter extraneitatē, eo quod ab extrinseco assumitur; ideo per multum tempus durescunt corpora, & rigescunt, & infrigidatur in eis calidum, & non est in eis nisi extraneū, & aqueum humidum non nutriens, sed phlegma viscosum, sicut est in corporibus senum. propter quod rugantur pelles eorum propter frigus contrahens, & inspissans, & siccā inducens, & arescere faciens.*

Hæc

Marginal notes (left): Agens naturale vt non agat necessario. — Li. 3 c. 7. — Li. 17 ca. 25. Oliua mirum. — Claua Herculis ex oleastro. Oleastri mirum. — 2. de gen. t. 38.

Marginal notes (right): Romuli hasta mirum. — 15. metamor. — Lib. 1 ca. 135. — Li. 5 hist. c. 6. — Li. 16 ca. 25. 26. & 40. & 3 c. — 5. De cau. plan. c. 4. — 1. de morte c. 4. — Li. 3 cap. 18.

Aer si diu retineatur cur ineptus respirationi.

Hæc ille. Quæ vt ingeniosa sunt, ita nos ad intimam rei naturę contemplationem conuocant; Et quidem aer inspiratione attractus, si diu intra corpus retineatur, ineptus, & inutilis efficitur officio respirationis duplici de caussa; vna est, quia ideo aptus respirationi aer esse dicitur, quia temperare valeat interni caloris æstum, id quod efficit frigiditate; etsi enim aer absolu-

Aer ut frigidus sit natura sua.

te sit calidus, adeo tamen exili calore pollet, vt ad præcordia comparatus frigidi rationem habeat: quemadmodum autem ex ambiente nuper ingressus aer ad viscera frigiditatem illam præcordijs affert, qua ipsorum calor intensus remittatur; ita longa mora, & diuturna statione aeris intra corpus amissa frigiditate pristina (facillime namque alteratur ob substantiæ raritatem, & natiuarum qualitatum infirmitatē) nouam caliditatem, eamque intensam induit,

Aer cur facillime alteretur.

qua calori augendo est potius quam minuendo: Altera est, quia repletur aer stationarius in præcordijs post inspirationem multa calidiorum fuliginum manu, quibus supercalefactus aer ineptus est temperando calori. Sed nostri corporis materia, & substantia solidarum partium nihil tale patitur, vt vetustate simpliciter, nisi

Substātia corporis vetustate nō fit inepta vitæ officijs nec ideo renouari debet.

renouetur, efficiatur inepta vitæ operationibus, vt accipit vir eximius: Quod enim affertur corporis substantiam in dies magis exsiccari, & indurari, vltro quidem fatemur; sed & illud obseruamus adeo sensim hæc fieri, vt non nisi longissimo temporis interuallo ad eam siccitatē, ac duritiem perducantur membra, quibus inepta reddantur ad vitæ munia; immo vero potius interire viuentia, quam ob siccitatem, ac duritiē substantiæ vitæ officijs vacare nequeant; siquidem amplam satis obtinet latitudinem mollities, & humiditas, quæ sufficiant partibus viuentium ad obeundas vitæ operationes, vt necessario non sit innouanda materia corporis ob hāc rationem alimentorum vsu. Deinde vero ab-

Partium duritiem non impedire absolute munia vitæ.

solute falsum est exsiccationem, ac duritiem partium impedire munia vitæ; non ne in plantis materia impense dura, & sicca est citra impedimentum functionum vitæ? nonne ossa durissima, & siccissima in animalibus aluntur, & augentur, quæ inter opera vitæ maiorē ceteris ne-

Opera vitæ magis necessaria quæ sint.

cessitatē habent? Quare ad argumentū negatur proportio, & analogia inspirati aeris ad substātiam solidarum partiū; ille namq; diuturna mora, si nō renouetur, supercalefactus, & fuliginibus repletus refrigerando calori efficitur ineptus; hæc aūt vetustate adeo non desiccatur, ac induratur, vt nisi alimētis iugiter innouetur, ad vitæ operationes inepta reddatur; nā aer cito a calore viscerū, & a fuliginibus supra modū inca-

Aer cur facile supra modū incalescat.

lescit tū quia substātia eius tenuis facile alteratur: tū quia natura eius ad calorem propensa; tū quia calor internus, a quo afficitur, vehemēs est circa pręcordia: membra vero non nisi post longissimam temporis intercapedinem, ac omnino post mortem animalis eam siccitatē, ac duritiem contrahunt ab interno calore consumēte humidum, qua inepta sint vitæ muneribus; nam & cadauera senties nec duriora, nec sicciora multis viuentibus; ratio est propositi discriminis opposita; nimirum tum quia substantia partium est solida, & densa, quæ actioni caloris resistit longe diutius quam aer; tum quia natura partis viuentis propensa est ad humidum, & siccitatem respuit; quum vita calido, & humido nitatur; tum quia calor agens in substantiam solidarum partium eam non habet vehemētiam, quam habet agens in aerem inspiratum. Ad pri-

Cur testacea renouentur sex.

mam confirmationem a signo ducto ex animalibus testaceis, quæ per abiectionem corticis renouantur, dicimus his renouari quidem corticem, quippe qui vetustate tum nimium siccescens inuius est excrementosis halitibus, qui assidue per insensilem transpirationem effluunt e corpore animalis, alioqui non exeuntes morbosam dispositionem, ac perniciem viuenti allaturi; ceterum cortex materia illa non est, quæ

Testa non est pars, nec alitur in animante.

Testę ori go.

pars sit essentialis animantis, & alimentis reficiatur; at illi origo ex excrementis est nutriendo ineptis, quæ sensim iuxta positione coeunt, & conglomerantur in testam: longe autem alia ratio est de materia viuente, quæ non quidem alimentis renouatur, quia vetus inepta esset ad munia vitæ; sed solum (si hoc dandum sit disputationi) alimentis instauratur, nimirum quum assidue a calore, alijsque de causis absumatur, quod dissipatum est, alimonia resarcitur; atque

Viuentis materia nūquam eadē, forma semper eadem.

ita iugiter fluente materia viuentis, eadem forma semper incolumis toto vitæ curriculo permanet: cuius discriminis illud est signum euidētissimum, quod animalia vnica vice totam exuunt testam, & pellem, vt serpentes; non autem totam, vel etiam sensibilem vnquam par-

1. De gen. c. 34. & sequens.

tem substantiæ interioris ob vetustatem ineptæ vitæ functionibus abijciunt renouandam. Ad alteram confirmationem petitam ex auibus, quæ plumas excutiunt, negamus abiectionem plumarum esse indicium renouationis materiæ interioris; & ratio negationis eadem est, quæ nuper allata est de abiectione testę, ac pellis; plumę namque sunt e materia excrementosa, quę diuturnitate temporis actione caloris tum externi, tum quoque interni, alijsque multis de caussis extrinsecus occursātibus adeo ex-

Cur plumæ auib. decidant.

siccatur, vt quæ ad earum radices tandem confluit humiditas vel exsiccata nequeat illas cuti lentore suo agglutinare, vel tāta nō sit vt eas nimium graues firmare valeat; qua etiam ratione ceruis & cornua cadunt, vbi ad certam magnitudinem per iuxtapositionem nouæ materiei excreuerint, quæ antea minus grauia firma

Cur ceruis cornua cadant.

continebantur glutine ad radices: at materia corporis viuentis, quæ animata est, & & alimento fruitur, hoc non patitur, vt vetustate concidat, atque abijciatur, quia sit vitæ officijs inepta; sed si nimis cito caloris vi absumatur, natura satagit, non quidem renouare vetustam ineptam, sed alimēto resarcire collapsam, alioquin vitæ functionibus aptam. Immo & illud communi iam opinione receptum videtur, tandiū vitam perdurare, quandiu certa portio

Quandiu viuat animal. primigenij humoris in partibus solidis cōtinetur, ita vt tunc vltimo senio intereant animalia naturaliter, quando vniuersa massa humoris illius consumpta fuerit, quæ a primis exordijs in vtero matris fetui contigerit, & corpus iam totam substantiam ex alimentis habuerit; tantū abest vt recipiendum sit oportere, ac vtile esse materiam pristinam alimentis renouare: oportet quidem in consumptæ locum nouam substituere, non autem opus est, neque vtile veterem abijcere, nouamque recipere. Sed hæc restauratio vt habet locum in ijs, quorum humor substantificus cito consumitur, ita simpliciter in omni viuente locum non habet; quum plura esse possint animata, quibus humor ille adeo non absumatur, vt refectionis indigeat, multoque minus renouationis, quæ non nisi excrementitijs partibus congruit, vti sunt plumę, cornua, testæ, atque id generis alia. Sed & procul a vulgo ex nostris principijs aptius fortasse dicemus vbi nimis cito absumitur substantia partium, tunc alimentis naturam satagere, nec renouare vetustam, nec restaurare collapsam, sed auocare caloris vim a residua, quæ semper apta est vitæ muneribus.

In his, qui diu a nutriend' munere ociantur, frustrà non esse ventriculum, iecur, & alia membra nutricatui dicata.

Cap. LXXVII.

Ceterum & contra idem placitum, quo decreuimus corpori nihil officere diuturnam nutricationis intermissionem, acriter ex Plutarcho instat vir eruditus; ille namque ad calcem Symposij aduersum nos hæc protulisse videtur, *Itaque proscripta, sublataque nutriendi functione frustra corpus animo fuerit circundatum; plurima siquidem eius, & præcipue partes ita sunt facta, vt instrumenta sint nutritionis; lingua videlicet, dentes, stomachus, iecur; quorum nihil vel frustra, vel ad alios comparatum est vsus. Igitur alimento qui non opus habet, ne corpore quidem is indiget, quod nihil est aliud quam ipsum seipso opus non habere; nemo enim nostrum sine corpore est.* Argumentum sane arduum, sed tamen haud tale, quod rei naturam intime intuenti solui non possit. In primis enim hoc in loco nihil nobis imponit Plutarchi autoritas, qui mox sub persona Solonis aduersus obiectam nobis inštantiam disputat. Deinde vero negamus absolute sublata nutricatione frustra nobis datū iri corpus; id enim supponit corpus nobis a natura concessum non nisi ut aleremur, quod quā a vero longe absit non est curalia ratione patefiat, quam in medium productus ouis, atque seminibus tum animalium, tum etiam plantarū; quibus a natura & concessum est corpus, & interdictum munus alendi se se. Deinceps nihilo firmius est quod in negati dogmatis confirmationem affertur, nempe multas corporis partes, easque præcipuas esse organa nutritionis, linguam scilicet, dentes, ventriculum, hepar; quorum nihil uel frustra, uel ad alios usus sit comparatum; etenim primo inficias imus harum partium nullum alium esse vsum præterquam nutricationis celebratio; siquidem nobis dentes ad sermonis articulationem mire deseruiunt, lingua ad sermonē absolute, ut uel huic vsui deseruientes frustra non sint, etiamsi nunquam nutricatui deseruiant. Quod autem pertinet ad stomachum, & iecur, quamuis nulli alteri usui quam nutricatui a natura animalibus cōcedantur, haud tamen oportet alı, quibus a natura tribuuntur; siquidem pari ratione oporteret mulos, & mulas generare sobolem, quum illis testiculos, his autem vterum, instrumenta uni procreationi destinata natura concesserit; idipsum esto iudicium de oculis subcute talparum generi donatis, ut ait Aristoteles: Quum itaque oculi solius usus gratia dati sint animalibus a natura, vt testes, ac vterus propter sobolis procreationem; quemadmodum possunt talpę a videndi munere ociari, & muli, mulæque ab officio procreandi; sic profecto possunt homines absque nutriendi functione viuere, licet plura in se habeant nutricationis organa. Vlterius autem negare liceat hæc instrumenta homini ad solū nutricatum data esse a natura; data sunt enim ad corporis integritatem, & conformationem congruentem humanæ speciei; quod illis satis est ne frustra esse dicantur, etsi nullo alio munere fungantur: sic fane vterus, testesque mulino generi, oculique talpis frustra non sunt, quia ad corporis integritatem, figuramque, & constitutionem propriæ speciei a natura constructi fuere in ijs animalibus, si non ad aliquam functionem obeundam, vt in ceteris animalibus, quæ in talium partium participatione cum ipsis communicant. Postremo frustra ad summum essent hominibus hæ partes nutricatui destinatæ a natura, si nunquam toto vitæ curriculo huiusmodi munere fungerentur; non autem si determinatam temporis, ac vitæ partem ab officio tali feriarentur; haud enim frustra testes insunt pueris, & vterus ad annum duodecimum, vetenibus vltra septuagesimum, vel octogesimum, quo tempore multos annos sine vlla sobolis procreatione degunt; & id quia certo alio tempore talium organorum opera obeunt: sic certe abstinentes nostri non tota sui vita, sed longo suæ vitæ spacio ab alendi functione vacare possunt absque eo quod illis a natura frustra concessæ fuerint partes nutricatui destinatæ: Immo vero quum & multi homines cælibem vitam viuentes nunquam soboli operam nauent, etsi habeant vteros, ac testes, aliaque instrumenta generationi dicata; cur habentes ventriculū, iecur, & alia nutricationis organa, non poterunt pariter a nutriendi munere feriari, absque eo quod frustra illis ea organa inesse dicantur? Addere liceat (quod nuperrime tetigimus) singulos homines aliquando in vita debere nutricationis officio fungi, nempe a prima sui constitutione pusilli sunt fetus omnes, indigentque

3. De vn. c. vlt.

1. hist. c. 9. & 2. de an. f. 131.

Ne frustra insit vterus, testes que mulis, & oculi talpis.

3. de an. c. 59.

que alimento, quo iustam corporis magnitudinem consequantur ad reliqua vitæ munia obeũda necessariam; quare in hunc finem illis a natura data instrumenta nutriendi frustra non sunt, si aliquando ijs vtuntur ad suum finem consequendum. Non ergo quia homines habeant linguam, dentes, ventriculum, iecur, intestina, & alia instrumenta nutricationis, propterea non possunt ab alendi functione diutius ociari, quod ex Plutarcho nobis obijcit vir acutissimus.

Vt ratione caloris animal functionem alendi diu intermittere valeat.
Cap. LXXVIII.

Li.1.c.39 Lacessit quoque nos vir celeberrimus, qui posuerimus hominem posse diutius a nutriendi munere vacare citra vitę discrimẽ, habita etiam ratione interni, primigenij que caloris; obijcit autem & rationem, & Aristotelem, qui non vno in loco videatur apertissime nobis refragari. *Vita* (inquit) *se habet ad instar flammæ, at flamma, nisi continenter reficiatur, extinguitur: propterea dicendum nutricationem ad duo posse referri, vel ad insiti caloris tanquam flammæ regenerationem: ac ita est necesse viuentia semper nutriri: vel ad solidarum partium restaurationem, quam neque etiam in sanis putandum est esse continuam a principio vitæ vsque in finem: Hæc autem solutio elicitur ex Aristotele alicubi scribente alimentum non sumentia animalia, & plantas perire: consumit enim vt maior flamma minorem, sic naturale calidum materiam: & alibi decernente calidum naturale continenter fieri, & propterea continenter egere alimento, quo reficiatur, alioquin extingueretur: Vnde conspicue patet Aristotelem continuam nutricationem retulisse ad calidum vitale: insuper & apparet ratio necessitatis continuæ nutricationis.* *De longi. & breu. vit. c.3.* *De iuu. et sen. ad finem.* Hæc vir insignis. Quæ tamen nos de proposita sententia non deijciunt. Ad primam siquidem rationem concedentes vitam se habere ad instar flammæ, seu potius ad instar lucis, quæ flamma nitatur; quippe vita calore non est, licet calore nitatur, vt fuse alias ostendimus; negamus absolute flammam extingui, nisi continenter reficiatur, vt qui videamus aliter euenire tum in ijs ignibus, qui vniuersam combustibilem materiam comprehendentes diutius perdurantem flammam gerunt; tum etiam in lucernis illis admirabilibus, quæ in sepulchris vetustissimis post multas annorum decades repertæ fuere ardentes, de quibus peculiarem tractationem Deo summo bene fauente inulgabimus: Quum itaque flamma diu seruari valeat in ardente materia citra refectionem ex accessione iugi nouę materiei, quia ignis aut non absumat, aut minimum absumat humidi sibi subiecti; sane vita sine alimento diu seruari potest incolumis, quia nitatur eo calore, cui vel minime, vel minimum consumenti humidum substantificum nihil sit opus alimentorum, vt latius explicatum est in superioribus. *Vitam se habere ad inst ar flammæ, ac lucis.* *2. De mi... c. 10. 12.* *Flammã non extingui, etsi continenter non reficiatur.* *Lib.3.* Ad secundum egregij viri placitum concedentes ad solidarum partium restaurationem non oportere viuentia continue nutriri a principio vitæ vsque in finem; infitiamur iugem, ac perennem esse oportere tota vita nutricationem ad insiti caloris tanquam flammę generationem; primum enim calor insitus non regeneratur, sed influens; alioquin regenerari possent partes spermaticæ, nerui, ossa, venæ, cartilagines, & aliæ amputatæ; quod experimento reluctari nullus Medicus ignorat. *Calor insitus non regeneratur, sed influens.* Deinde vero alimentorum vsus, ac finis est, non ad regenerandum calorem insitum, sed ad auocandam eius vim a celeri consumptione humidi substantifici; vel etiam si mauis cum vulgo (vt hoc disputationi demus) ad regenerandum humidum nouum in locum eius quod consumptum fuit a calore, caussisque alijs substantiam nostram depascentibus. Deinceps calor insitus, qui flammæ rationem habet in viuente corpore, nihil est aliud quam essentia, vel temperamentum, vel apex temperamenti solidarum partium; quare necesse est, dum restaurantur solidæ partes alimento, eodem simul refici, ac regenerari calorem insitum: si ergo, vt bene sentit vir egregius, ad solidarum partium instaurationem haud opus est nutricationem esse continuam, etiam in sano animali; profecto id ipsum dicere oportet de nutricatu; quatenus etiam refertur ad insiti caloris tanquam flammæ regenerationem. *Calor insitus quid sit.* Ad primum placitum Aristotelis asserentis, alimentum non sumentia animalia, & plantas perire, quia naturale calidum consumat materiam, sicut maior flamma minorem; respondemus Aristotelem non determinare tempus, intra quod tum viuentia nutrimentum non sumentia pereant, tum calor naturalis consumat subiectam sibi materiam: quare vt absolute verum est animalia, & plantas, si alimentum non assumant, denique interituras, quia deinum natiuus calor materiam humidam vitæ necessariam consumet; ita plane verum non est mortem imminere plantis, & animalibus quibusque ineuitabilẽ si non cito, & frequenter cibum assumant, si nõ continenter alantur; namque nil prohibet adeo commensuratum esse posse ad multum tempus calorem humori, vt hic ab eo vel nihil absumatur, vel non adeo vt continuæ restaurationis indigeat; quæ fuse superius. Ad aliud Aristotelis dogma dicimus eo loci Aristotelem ad amussim non scribere calidum naturale continenter fieri, & propterea continenter indigere alimento, ex quo reficiatur, alioquin extingueretur, vt ait vir egregius; sed Aristotelis verba esse huiusmodi, Accidit autem ambas propter idem fieri corruptiones (scilicet marcorem, & extinctionem ignis) deficiente enim alimento; non potente calido accipere alimentum, corruptio fit ignis; contrarium enim cessare faciens concoctionem, prohibet nutriri. *Lib.3.* *De iuue. & sen. a.3.* Quandoque autem marcescere accidit, quum amplior congregatur calor, propterea quod non respirat, neque infrigidatur; cito enim & sic consumit

ali-

alimentum, quum multus congregatur calor, & præuenit consumere, antequam adsit exhalatio & pacuus interpositis. Ignis autem perseuerat semper fiens, & fluens, sicut fluuius; sed latet propter velocitatem. Quibus verbis formaliter agit Aristoteles, non de calore naturali viuentium, vt supponit vir doctissimus; sed de flamma ignis, cui alimenti loco dicitur esse materia illa combustibilis, in qua est; qua ignis nutriri dicitur metaphorice, dum eam in ignem conuertit; sic plane calor innatus non alitur proprie, sed metaphorice ali dicitur, quia consumit humidum radicale, quod est substantia solidarum partium; consumit inquam ipsum vertendo in igneam exhalationem illam fuliginis nomine donatam, quę tum per expirationē, tum quoq; per insensibilē transpirationē effluit e corpore. Quum itaq; calor insitus agat in materiam, in qua est, ea ratione tanquam in alimentum, quia ipsam conuertit in calidam, igneamque naturam: Quum autem materia hæc, in qua calor est, & agit, eam conuertendo in ignem, qui occulte diffluit e corpore viuentis, nulla sit alia, quam substantia solidarum partium vulgo humiditas radicalis appellata; plane iam constat eo in loco Aristotelem de vero alimento non agere; quippe solæ partes solidæ vere nutriuntur conuertentes in sui substantiam permanentem familiare sibi alimentum e sanguinis massa attractum: calor autem natiuus tanquam ignea qualitas in temperamēto dum vertit humidum radicale in ignem, illud in semetipsum non conuertit, sed in portionem ignis noui sibi congeneri, propterea vere illo non alitur: quoniam vero nouus hic ignis, in quem consumitur, seu commutatur humidum radicale, nobis sensu non percipitur distinctus ab igne natiuo generante, quemadmodum etiam in ardente flamma ob celeritatem permutationis latet posterius genitæ flammæ distinctio a priori corrupta; propterea sic & flammā ali combustili, & calorem insitum humore substantifico dicere vulgo consueuimus, accipientes sensu pro vno & eodem igne permanente illum, qui reuera multiplex est, & in continuo fluxu: Quia ergo nos loquimur de vera nutricatione, qua sanguis vertitur in substantiam solidarum partium; profecto dum statuimus calori non opus esse assidua nutriendi functione, sed posse incolumi calore homines diu a vera nutricatione ociari, reclamantem non habemus Aristotelem citato loco asserentem igni, & calori necessarium esse alimentum, ex quo iugiter oriatur; nam ideo nos dicimus posse diutius veram nutricationem intermitti, quia humidum radicale possit esse satis ex se citra externi, aut interni pabuli ministerium, ad continendum calorem, quamuis assidue calor humidum depascatur, ilseque nutriatur ea ratione, qua ignis, & calor apud Aristotelem nutricari dicitur, nimirum metaphorice, & secundum vulgus: Caloris enim, & ignis hæc nutricatio eadem non est, qua de agimus, vniuersi viuentis altio; quod supponit vir insignis; sed potius viuentis exolutio, destructioque, seu ad interitum via; dum enim calor humidum depascitur, ipsum vertendo in igneas fuligines, vna solidarum partium materiam consumit, & viuentis naturam destruit; quum nutricatio ad viuentis conseruationem Aristotele doctore instituta sit.

Ignis semper fit, & fluit sicut fluuius.

Ignis nutriri dicitur metaphorice.

Calor natiuus cum humido radicali vere non alatur.

Cur flamma dicatur ali cōbustibili, & calor humore.

2. De an. t.40.

Caloris nutricatio est potius viuentis destructio.

2. De an. t.47.

Vt piper, pyrethrum, sinapi, thapsiaque sit homine calidior. Cap. LXXIX.

IN eodem vero capite placitum aliud, quo constituisse videmur homines calorem habere infra eum gradum, qui contigit a natura sinapi, piperi, pyrethro, alijsque plantis id generis, contradicentem habemus doctissimum Ioubertum, qui alicubi disputat hominem esse quouis medicamento, & pipere ipso, pyrethro, ac sinapi longe calidiorem, tum quia sensu ipso, qui circa proprium obiectum decipi non potest, percipimus corpora hominum actu calida, & longe calidiora pipere, sinapi, alioue quouis medicamenti, ac plantarum genere; tum quia sola viuentium animalia a seipsis mobilia sunt; plantæ namque statariæ; at mobilitatem calor efficit: cui viro non parum hac in re suffragari videtur Aristoteles inquiens honorabiliora animalium plurem assequuta esse caliditatem, quia & animam adepta sunt honorabiliorem; digniorem autem animam contigisse animalibus quam plantis; vt propterea nos pipere, pyrethro, sinapi, alijsque tum plantis, tum medicamentis omnibus calidiores dicendi simus. Sed hæc licet acuta sint, positionem tamen nostram non demoliuntur. Ad primum etenim concedentes sensum circa propria obiecta certum esse iudicem, nec decipi; obseruamus in quolibet misto calorem esse duplicem, alter est forma essentialis ignis, seu quarta qualitas in temperamento, qui calor virtualis appellatur; siue in habitu: hunc sensus non pertingit, sed mens, quia forma est substantialis: sensus autem sola percipit accidentia exteriora: alter verò calor est qualitas accidentalis, quæ a calore habituali veluti propria quædam passio, & omnino veluti effectus a causa proficiscitur: hic est calor actualis, & sensibilis: inter huiusmodi calores illud in viuentibus potissimum discrimen est, quod calor in habitu est necessarium animæ instrumentum ad obeundas quascunque vitæ cum vegetalis, tum etiam sentientis operationes, vt recte monuit Aristoteles: & calor actualis non est absolute necessarius ad quælibet vitæ munia: plantæ siquidem, quæ aluntur, augentur, & sobolem procreant, calore actuali, ac sensibili non affluunt: quin & manus hominis hieme algens, atque rigens, actuque frigida consuetas vitæ operationes obit, alitur, augetur, sentit, ac mouetur: Dum ergo comparatur homo cum pipere, pyrethro, sinapi, & huiusmodi alijs in calore, vel agitur de calore habituali, vel de actuali: si de habituali, tunc falso dicitur sensu percipi maiorem calorem in homine quā

Lib. 2. cap. 80. & li. 3 c. 19.

1. Parad. 1. de cad.

De respir. c.13.

Cur animalia honorabiliora sint calidiora.

In misto calor duplex.

Sensus sola percipit accidentia exteriora.

Caloris habitualis, & actualis discrimen.

Calor qui necessariū sit animæ instrumentū ad vitæ officia.

2. De an. t.56.

De sen. & sens. c. 4. 3. Probl. 26.

Calor qui non est necessarius ad omnia vitæ munia.

in

in pipere, ac sinapi, & alijs id generis; nã sensus habitualem calorem, qui est de genere substantiæ, non attingit: sin autem de actuali, vltro fatemur & nos hominem calidiorem esse pipere; sed in superioribus dicentes piper calidiorem naturam sortiri quam sit humana, loquebamur de caliditate habituali, quæ veluti quarta qualitas in temperamento depascitur humidum substantificum. Ad eandem obiectionem secundo admonemus ad hoc vt sensus non decipiatur circa proprium obiectum, oportere debitã adesse distãtiam inter obiectum, & organum sensus, atque etiam medium esse aptum, per quod ab obiecto traijciatur species, idolumque sensile ad organum sensus; quum autem pro diuersitate specierum varia esse debeat dispositio medij, atque distantiæ; namque vt in visione certum est aliqua videri medio non exactissime illuminato, & in maiori distãtia; & alia contra non cerni medio non illustrissimo, & in minori interuallo; ita prorsus in tactu, cui adnata cutis, & caro medium est Aristotele autore, species sensibilis caloris humani per mediam cutim erassiusculam manus sentitur a tactu intra carnem occluso, per quod medium non potest sentiri calor piperis, & sinapi, non quia calor istorum sit mitior, ac imbecillior calore humano, sed quia non adest debita distantia, neque medium est apparatum, neque species sensibilis caloris piperis, pyrethri, ac sinapi ab obiecto fertur vsque ad sensorium tactus in manu, qui sub cute intra carnem latet Aristoteli: Haud sane adest debita distantia, sed maior quam par esset, quia quemadmodum in odoribus, qui nituntur maiori, & crassiori exhalatione, ij per maiorem aeris intercapedinem huiusmodi vehiculo feruntur; ita & in qua litatibus tangibilibus calor is, qui densiori, & copiosiori vapore nititur, a remotiori loco per ampliorem medij altitudinem sensum excitat ad sui cognitionem; quia ergo calor humanus multo, densoque vapore nixus halat è corpore; propterea manus altam cutem, & carnem permeans vsque ad intimum tactus sensorium integer traijcitur: at species sensilis caloris piperis, pyrethri, ac sinapis longe pauciori, longeque tenuiori exhalatione tanquam vehiculo nixa cito fatiscit adeo vt non possit altitudinem cutis manuum permeare ad intimum sensorium; cuius illud est signum euidentissimum, quod piperis, pyrethri, sinapique puluis subtilissimus melle exceptus, manuique impactus, ab humore mellis per poros cutis ad carnem traiectus calore suo inflammationem promouet; quam sane nõ procreat calor vnius manus additus calori alterius, cui diutius imposita detineatur. Quare calor piperis, & pyrethri manu haud percipitur, etsi acrior sit calore nostro, quem manu percipit, quia non adest conueniens distantia inter obiectum, & sensum: Neque vero medium est apparatum, quia medium, per quod a pipere species caloris ad tactus organum in manu traijci debet, triplex est corpus, nimirum externa cutis piperis, & sinapi, ac pyrethri; calor enim horum qualitas est interior; pellis crassa manus, & caro sub pelle, in qua neruus inest, qui est organum tactus soli dum, & a prædominio terreum, licet non procul a mediocritate; quæ omnia non vno in loco declarat Aristoteles: sane piperis, & sinapi externa cutis densior est quam quæ peruia esse possit exhalationi quantumuis tenui, quæ vehiculum speciei caloris esse dicitur: quo nomine ore detentum piper integro cortice non vrit, fractum in frustula minime calefacit, ac longe magis quam digitus in eodem ore detentus: at calor animalis a tactu in manu facile percipitur, quia cutis extrinsecus ambiens corpus animalis ad instar cribri peruia est si pilis densioribus, multo sane magis vaporibus, quibus tanquam vehiculo nixa fertur species caloris exiẽs extra obiectum tactile: sed ceteris paribus fracto cortice piperis, ac sinapi, & pyrethri, vt liber sit exitus vehiculo speciei tactilis, impositisque horum frustulis, vel admotis pulueribus linguæ, vbi cutis tenuissima est, vel etiam carni excoriatæ; profecto longe maiorem caliditatem sentiet tactus ex his, quam si super eandem partem ponatur digitus, vel quæuis alia pars animalis: argumentum certissimum longe acriorem calorem inesse piperi, sinapi, ac pyrethro, quam humano corpori. Ad obiectionem itaque, dum dicitur tactum non decipi circa proprium obiectum: caloremque esse propriũ tactus obiectum; ac proinde quum tactui calidiores simus quam piper, eo vere nos esse calidiores; concedentes calorem esse proprium obiectum tactus, dicimus sensum non decipi circa proprij obiecti notitiam, dummodo adsit moderata distãtia; medium sit aptum, per quod traijciatur species sensilis ab obiecto ad organum: secus vero sensum vbique decipi: modo in comparatione piperis, & corporis nostri ad tactum in manu, fallitur sensus in cognitione, iudicioque de calore piperis, non decipitur in cognoscendo calore nostro: quia calor humanus ad manum se habet in debita distantia, & per medium dispositum suam speciem traijcit; sed calor piperis caret dispositione medij, per quod suam speciem demittere valeat ad sensum, simul & nimium distat ab organo sensus, vt eius species fatiscente, ac deficiente vehiculo in medio fatiscat, & oblitteretur prius quam ad organum sensus perueniat; quæ omnia nuper explicauimus. Ad secundam oppositionem primo concedentes animalibus multo plures operationes quam plantis contigisse, insuper & motum ab interno principio, quin & functiones animalium motu perfici, & animalia esse mobiliora plantis, quæ statariæ sunt: negamus mobilitatem animalibus esse a calore: nam simpliciter mobilitas illis inest ab anima cognoscẽte: quippe motus est ad prosequendum bonum, & ad fugiẽdum noxium; illud autem persequi, hoc effugi non potest, nisi cognoscatur esse: quamobrem plantæ non mouentur, quia vi

Ne sensus decipiantur, quib. opus sit.

1. De an. c. 115. & seq.

Cur tactu sẽtiamus calorẽ hominis, nõ piperis.

1. De an. c. 116. 2. De par. c. 10.

Organum tactus q̄ & quale sit Aristoteli.

2. De ani c. 11. 1. 115. 116. de sen & sens. c. 2. 2. De par. c. 10.

Cur ore detentum piper integrum non vrat, fractũ vrat.

Sẽsus quãdo non decipiatur.

mobilitas animalibus nõ est a calore.

Finis motus animalium.

Cur plantæ non mouentur.

cognitrice non pollent; qua quum polleant animalia, ideo mouentur: in quo sane motu necessarius non est vsus caloris huius sensibilis, quod agimus, tum quia cælestia viuentia solum ab anima sua mouentur citra caloris vllius ministerium; tum quia pisces in mare plurimi exangues, nulloque sensibili calore præditi pernicissimo cientur motu; tum quia & hieme pedes, & manus euidentissime frigentes tactui mouemus ad libitum in omni functione, atque calentes. Deinde vero notamus mobilitatem esse effectum materialis principij; est enim habilitas, & potentia ad motum, seu etiam facilitas patiendi; at omnis potentia, & passiua qualitas a materia est, non a forma, & præsertim non a calore, qui qualitas, & forma est summe actiua; itaque animalia non magis quam plantę mobilia sunt; sed mouentur illa ab interno principio, quod est anima cognoscens, & appetens, vt acute demonstrat Aristoteles, non calor; alioquin & ignis multo plures actiones, magisque mobilis esset quam homo, quo est longe calidior. Deinceps vero dantes disputationi ad plures operationes obeundas, & ad maiorem mobilitatem pluri calore opus esse; animaduertimus calorem esse posse maiorem vel extensiue, quoad magnitudinem subiecti; vel intensiue, quoad gradum, & actiuitatem virtutis; si de intensione gradus, & actiuitate loquamur, falso dicitur ad plures actiones, & ad maiorem mobilitatem vehementiori calore opus esse; ita enim animal quodlibet, cui multo plures operationes insunt, maiorq; mobilitas quam igni, qui & sursum mobilis est solum, & pernicissimis animalibus velocitate cedit, oporteret inquam vnumquodque animal intensiorem habere calorem quam obtineat ignis, quod quis vnquam imaginabitur? sin autem de caloris extensione loquamur, vt gratis concedimus animalibus maiorem caloris copiam quā pyrethro, piperi, ac sinapi, sic admonemus nos in superiorib. piperi, sinapi, ac pyrethro tribuisse acriorē, vehementioremque calorem quam homini, non autem vberiorem. Ad vltimam vero difficultatem ex Aristotele allatam primo respondemus considerari posse hominis calorem tum absolute in toto corpore, tum etiam in aliqua parte determinata; si sermo sit de calore hominis in parte certa, vt puta in corde, vtique fatemur & nos hominis calorem superare calorem piperis; nā cordis ventriculi, sinister potissimum, ob copiā igneorum spirituum intromissum digitum vrit Galeni obseruatione longe maiore incendio quam a pipere lingua afficiatur: quo de calore agit Aristoteles loco citato, vbi scribit animalia honoratiorem animam adepta plus caloris sortita esse; siquidem illo de calore agit, quo primum anima corpori nectitur, quique respiratio ne temperatur; hic autem solus est cordis calor, qui respiratione refrigeratur, & primum in generatione animalis animam corpori nectit; quando Aristoteli pars omnium prima cor constituatur, & animetur: at nos antea non loquebamur de solo calore cordis, sed de vniuerso totius corporis calore, quem ibi non considerat Aristoteles. Deinde calor bifariam contemplari potest, nimirum & quoad copiam, & quo ad virtutis vehementiam; sane Aristoteles asserens animalia honoratiorem animam adepta plurem assequuta esse caliditatem, de caloris copia, & vbertate loquitur; quare nobis non reclamat, qui superius agentes de caloris vigore statuimus piper, sinapi, ac pyrethrum acriori caliditate pollere, quam homines; namque non pugnantia dicimus Aristoteli; sic enim minima ignis fauilla vehementiorem obtinet caliditatem quam nos, quum vrat, & ienium maximè afficiat super manum cadens; at eadem quam nos minorem caliditatem obtinet; quippe ad mistionem illam, quæ propria est corporis viuentis, & hominis, constituendam non sufficit cum alijs elementis vnitam scintillam ignis cōuenire. Ita ergo non ab re nobis antea constitutum est piperi, sinapi, ac pyrethro maiorem, hoc est acriorem, intensioremque calorem inesse quam nobis.

Motui absolute non est necessarius calor.

mobilitas & effectus materialis principij.

mobilitas quid sit.

Omnis potentia & passiua qualitas a materia est.

animalia non esse mobiliora plantis.

3. de an. t.48. & seq. ad sq.

Calor bifariam magnus.

Ad plures actiones & maiorē mobilitatem maior calor intensiue opus non est.

animalia piperi esse extensiue calidiora.

Calor hominis vt acrior calore piperis.

3. de par. & 2. de gen. an. cap.

Vt viuenti non repugnet nutricationem intermittere, siue vt animal possit absque nutricatu viuere, qua viuens est. Cap. LXXX.

TVm vero duobus alijs in dogmatibus vnica propositione refragari nobis videtur Aristoteles, quia statuerimus & inter animalia Chrysalidas, & Nymphas, Aureliasque vocatas totam vitam sine nutricatu viuere; & viuenti, qua viuens est, non repugnare nutriendi functionē intermittere ad multum tempus; quum Aristoteles in oppositum perspicuis verbis asseueret animalia omnia cibum desiderare. Ceterum hoc Aristotelis assertum priori quidem placito de Chrysalidarum, Nympharumque vita repugnare videtur apertius, quam secundo; sed reuera neutri repugnat: Non primo suo dogmati Aristoteles hoc nouissimo axiomate contradicit, quia statuens omnia cibū cupere animalia, loquitur de animalibus completis, atque perfectis; Nymphæ autem, Aureliæque non sunt animalia completa, sed imperfecta, vt oua, quæ in papilionem formari debent: quare vt oua fęcunda extra ouiparæ aluū, etsi anima sensitrice polleant, qua sunt in genere animalis, non tamen ideo cibum desiderant; ita nec Aureliæ, quæ esse animalia incompleta superius ex Aristotele demonstrantur. Minus sane refragatur hoc placitum alteri dogmati nostro, quo statuimus non repugnare viuenti diu nutricationem intermittere; nam esto animal quodcunque cibi percupidum, haud tamē id eo sensu protulit Aristoteles, vt velit animal omne semper indeficienter cibum appetere; hoc enim falsum esse docet experientia quotidiana, qua constat plerūque animalia cibum ad multam temporis intercapedinem non cupere, sed oblatum etiam respuere; at absolute vult Aristoteles naturam eam esse omnium animalium

Lib.3.c.4.

Lib.3.c.10.

2. de par. c. vltimo.

5. histor. c. 19.

3 De gen. an. c. 9.

lium noſtratium perfectorum, vt aliquando cibum deſiderent; id autem nihil ei refragatur, quod antea conſtituimus aſſerentes poſſe animal diu alendi functionem intermittere; nam ſi cum eo quod eſt functionem appetendi ad multum temporis intermittere, poteſt animal nihilominus abſolute ſtatui tale, quod cibum cupiat: multo ſane magis nutriendi functio, quæ ab appetitu re diſtinguitur, in eo animali ad multum tempus interponi poterit, quod vere dicatur abſolute cibum deſiderare; qui enim alendi munere priuantur ad multos menſes, & annos, cum hoc tamen antea cupiuere cibum, & poſterius demum reſtituta nutricatione cupient alimentum.

Nutricatio ab appetitu re diſtinguitur.

Vt fini nutricationis formaliter non obſtet eius operationis intermiſſio. Cap. LXXXI.

NIhilominus & in eo aberraſſe notamur, qui ſupra decreuerimus nutriendi operationem natura ſua poſſe diutius intermitti; quoniam de interna nutricationis natura, & omnino alimenti finis eſt vt conſeruet id, quod enutriri dicitur, inſtaurando quod ex eius ſubſtantia iugiter abſumitur; quum finis alimenti ſit conſeruatio viuentis apud Ariſtotelem, ita vt conſeruatio aſſidua viuentis fiat iugi nutricatione; quum autem vnumquodq; viuens conſeruationi ſuæ continenter ſtudere debeat, ipſum profecto ſemper nutriri oportet. Id tamen etiam tollitur obiectum intime perſpecta natura rei; primo enim ſimpliciter verũ non eſt de interna nutricationis natura eſſe vt conſeruet alendum inſtaurando deperditum; quia licet effectus quidam nutricationis ſit conſeruare viuens non tamen finis eſt illius, neque fit inſtaurando deperditum; non eſt quidem finis, quia vere finis proprius nutricationis eſt, vt alimento viuens acquirat iuſtam membrorum ſuorum magnitudinem: vltimus vero, vt acquiſita debita partium mole, ſemen prolificum emittat, quo generet ſibi ſimile; quæ nos docuit Ariſtoteles non vno in loco: quum autem incolumi vita poſſit animal augumentum, ſeminis generationem, & propagationem ſobolis intermittere; iam de natura nutricatus erit, qui ad hos fines dirigitur, viuenti animali diu intermitti valere; Non conſeruatur autem viuens nutricatione quoniam alimentis inſtauretur deperditum, ſed quia illis auocetur calor a celeri conſumptione humidi ſubſtantifici, qua de re fuſe diſputatum eſt antea. Deinde vero concedentes diſputationi de natura nutricatus eſſe, ſeu finem alimenti eſſe conſeruare viuens inſtaurãdo quod iugiter effluxit, negamus propterea debere vnumquodque viuens aſſidue nutriri; & ratio negationis eſt, quia veritati non conſentit aſſiduam conſeruationem fieri iugi nutricatione; ſiquidem quod inſtaurandum eſt vnica tranſmutatione diurni, ſeu ephemeri alimenti in ſubſtantiam viuentis, poteſt actione caloris diſſipari non niſi ſpacio plurium dierũ; nam eſto alimentum, quod nutriendi vnica functione hodierna tranſmutatur in ſubſtantiam corporis noſtri, pondo vt octo; quum tantundẽ ſubſtantiæ ſolidarum partium haud poſſit diſſipari niſi ſpacio multorum dierum; quippe facilius eſt conuertere alimentum in partes, quam reſoluere partium ſubſtantiam in halitus inſenſiles; quum inter habentia ſymbolum facilior ſit tranſitus; eſt autem longe minor diſtantia inter ſanguinem & membra corporis, quam inter denſam ſolidarum partium ſubſtantiam & halitus inſenſiles, in quos noſtrum corpus diſſipatur: Addo nutricationem eſſe operationem ſecundum naturam, cui peragendæ, ac obeundæ omnia ſunt propenſa, calor mutans, ſanguis commutandus, & partes in quas commutatio fieri debet: viciſſim vero conſumptionem partium a calore functionem eſſe præter naturam viuentis, & violentam, in qua & calor abſumat laceſſitus, & partes pro viribus reluctentur abſumenti calori: quum autem longe difficilior operatio inter eadem cum repugnantia patientis, quam citra omnem repugnãtiam; nulli iam non pateat ſolidiorem corporis ſubſtantiam pari pondo multo difficilius reſolui in halitus tenuiſſimos ab eodem calore, quam refici alimentis, proinde vero fit vt quod abſoluta vnica nutriendi functione, quod per eam corpori acceſſit vnica die, nutricatu intermiſſo illud idem ſufficiat ad tolerandam caloris tyrannidem, ac vim anteaquam abſumatur, ternis, quaternis & pluribus etiam diebus; Quare ad argumentum negare liceat iugem conſeruationem viuentis fieri debere aſſidua nutricatione. Deinceps neque verum eſt oportere viuentia ſingula iugiter ſtudere ſuæ conſeruationi; ſed verum eſt ea ſtudere iugi conſeruationi oportunis temporibus; at vero iugis conſeruatio eſſe poteſt cum intermiſſa, & iterata nutricatione ob rationẽ nuper allatam. Obſeruamus inſuper cauſſas conſeruantes duplici differentia cõtineri, alias eſſe conſeruantes ſimpliciter, quæ tunc ſolum conſeruant, quando præſentes adſunt, & actu operentur; ſic mundus ſuperior motu ſuo hunc noſtratem adeo conſeruat, vt ſi contingeret cæli motum intermitti, repente noſtratia cuncta deſtruerentur: alias vero cauſſas eſſe conſeruãtes vi functionis præteritæ, atque intermiſſæ, ſic ſal, fumus, & ignis, ac omnino calor carnes diu a putredine conſeruare dicitur: vbi enim ab his conſumpta fuerit nimia humiditas carniũ, quæ putredinem accerſere conſueuit, exſiccatæ carnes poſtea diutius conſeruantur nullam amplius a ſale, fumo, aut calore paſſionem ſuſtinentes; ceterum alendi functio eſt cauſſa conſeruatiua viuentium non primi generis, ſed poſterioris; quare non eſt ſimpliciter neceſſaria viuenti, ſed eo ſuperſtite intermitti poteſt. Sed & alicubi ſcribens Ariſtoteles *fieri non poſſe vt viuentia perfecta ſine cibo, vel ſeruentur, vel augeantur*, ea diſiunctione, ſeu hæſitatione inſinuat ſine alimento ſeruari quidem quoquopacto poſſe viuentia, ſed non augeri: quod & alibi aperit inquiens vim altricem eſſe viuentibus cauſſam auctionis.

Lib. 3. ca. 21. — *2. de an. t. 47.* — *Finis nutricatus.* — *2. de an. t. 47. 49. & 59.* — *cap. 66.* — *Facilius eſt calori alere, quã partes conſumere.* — *Difficilior operatio inter eadẽ repugnantia, quam propenſa.* — *Cauſſæ conſeruantes duplicis naturæ.* — *4. De par. c. 10.* — *1. De plã. c. 1.*

hoc frequentissimum est, vt ob subiectorum varias dispositiones ab omni axiomate communi aliquod excipere valeas raro aliter contingens. Deinde vero aliud est loqui de animalium specie, ac longe aliud de indiuiduis quibusdam; sane vt verum est nullam speciem animalium perfectorum, ac præsertim humanam plane carere alimentis; quod allatis locis Galenus asseuerat; ita non minus veritati consonum est quędam indiuidua exempta esse ab hac necessitate, ob rationes in superioribus adductas; quod nos antea cum Galeno ipso notauimus. Speciatim vero ad primam obiectionem dicimus assertorem illius dogmatis non esse Galenum, vt aperte constat ex iis, quæ profitetur in calce præcedentis capitis ille auctor, qui se Christianum esse fatetur, qualem nunquam fuisse Galenum neminem latet. Addere liceat non posse quidem viuum animal carere plane alimentis, posse tamen aliquot animalia iis carere diutius; nam carere plane, est tota vita carere ab ortu ad interitum; quod & nos ultro fatemur nulli animali perfecto conuenire; quippe natum animal augeri debet; incrementum autem nutricationē habet necessario adiunctam: sed hoc non tollit quominus adultum animal tum intra latitudinem sanitatis, tum præsertim morbo affectum diutius intermittere valeat alendi functionem. Ad secundam vero difficultatem, quia post omnem diligentiam locum hucusque nobis videre non licuit, respondemus vbicunque id asserat Galenus, eum loqui de vniuersa hominum natura, nos autem cum eodem Galeno ibi egisse antea de quibusdam indiuiduis hominum; at vero nihil repugnat multa necessaria esse toti speciei, quæ singulis indiuiduis necessaria non sunt, necessarium namque est hominum generi prolificum esse, ne deficiat species humana; cum hoc tamen haud pauci hominum steriles degunt; cur ergo cum eo, quod hominum eorundem generis, siue bene, siue male habeat, sine alimentis viuere non valet, aliqui determinate sine alimonia diu viuere nequeant? In essentialibus enim attributis id verum tantummodo est, quod toti speciei conuenit, illud idem singulis indiuiduis necessario congruere; sed in accidentalibus, cuiusmodi sunt generare, nutricari, & alia id generis, quod toti speciei necessarium est, haud ipsum haud protinus indiuiduis quibusque in ea specie contentis inesse debet.

Lo Medicina quæ omnes vniuersales vera vt plurimū.

De ven. eff. dig. & med. c. 5.

Necessaria toti speciei, nō necessaria singulis indiuiduis.

Vt verū sit predicata speciei conuenire indiuiduis.

Vt ex Plotini sententia nutricatio, iugis non esse debeat in corpore viuentis. Cap. LXXXIV.

Li. 3. c. 40

AVdiens a me vir doctus non improbari nutricationem intermitti posse diutius viuente animali, quod profiteretur hoc placitum Philosophis principibus comprobari, statim opposuit Plotinum, qui non vno in loco nobis reclamare videatur; *omnis vita (inquit) est actus, vel vita vilissima; actus inquam non quemadmodum agit ignis, sed ipsius actus, etiamsi nullus adsit sensus, motio quædam est minime temeraria. Proinde quum vegetalis, & augendi, nutriendique natura nusquam desit in corpore, nutriat vero sanguine, & sanguis nutritorius sit in venis, initiumque venarum, & sanguinis sit in iecore, vnde vis eiusmodi nititur, haud ab re hic concupiscens animæ portio a veteribus est collocata.* Ceterum neque in his Plotinum a nobis dissentire putamus: Quod enim primum dicitur omnis vita esse actus, vel vita vilissima, nempe vita vegetalis, multiplicem habet sensum, quia nomen actus potest significare tum essentialem formam, quæ dicitur actus primus; tum quoque ab huiusmodi forma prodeuntem operationem, quæ vocatur actus secundus, quemadmodum nos docuit Aristoteles alicubi: potestque sumi præterea vox actus &c. in casu recto, & in obliquo; quin etiam vita esse actus cum formaliter intelligi potest, tum etiam effectiuè, seu caussaliter, vt inquiunt scholæ; quare propositi dogmatis vnus sensus est, si legamus vocem actus in obliquo, vita omnis est ipsius actus: sed in primis id non cōgruit textui Plotini, qui sua lingua vtitur voce actus in recto inquiens πάσα δὲ ζωὴ ἐνέργεια, καὶ ἡ φαύλη. Deinde si legi posset in obliquo, nomine actus vel primus intelligendus esset, vel secundus; si primus, dum vita dicitur esse actus primi, hoc quidem assertum nec verum est, nec Plotino intentum; non sane verum, quia vita omnis non solius actus effectus est, qui forma, & anima vocatur, sed etiam corporis, & potentiæ apotelesma; qua de re fusius alibi disputauimus: neque Plotino intentum, quia de illo actu loquitur, quem vocat græce ἐνέργειαν, hic autem est actus secundus, non autem primus, quem patrio idiomate ἐντελέχειαν vocasset, non ἐνέργειαν: immo & hunc actum exemplo manifestans de actu secundo ignis aperte meminit inquiens; ἐνέργεια δὲ οὐχ ὡς τὸ πῦρ ἐνεργεῖ; hoc est, actus autem, non quemadmodum agit ignis: Quare vita dicitur esse operationis: refertur autem vita omnis ad suam operationem cum veluti ad suum finem, tum etiam veluti ad sui caussam effectricem, siquidem sunt sibi inuicem caussæ vita, & actus secundus; nam vita est caussa efficiens actus secundi; actus vero secundus est finalis caussa vitæ: at vero licet vitam esse vel caussam effectricem actus secundi, vel eius dem effectū, non ideo vitæ actum secundum iungi necessario nexu, vt nequeat vita consistere sine actu secundo per notabilem, etiam aliquod dignum temporis intercapedinem: multa enim physica tum agentia supersunt intermissa propria functione: non enim semper vt ita agunt, nec deinde per ascendit, terraque in proprio loco quiescit; tum alia quæque non semper ad finem suum mouentur, & actu properant, siue quia impediantur, siue quia finis ille ipsis non sit necessarius; ita igitur impe-

En. 4. li. 3. c. 23.

V ea vilissima quæ.

Actus nomen multiplex.

2. De an. t. 2. & 3.

Lib. de mica.

Vita omnis ad suā operationē quō se habeat.

Agentia physica nō omnia semper aguntur.

Non omnia sēper ad suū finem tendunt.

3. En. li. 2. c. 16.

ditus non ascendit, & in sua sphæra nihil habēs quod vrat, quidquam non accedit: eadem pla ne ratione vita vegetalis est nutricationis cum hoc ut possit diu a nutricatione vacare, queadmodum ignis est combustionis, qui nō semper comburit; licet in eo Plotinus actionem vegetantis vitæ ab actione ignis differre moneat, quod actio ignis sensilis est, actio verò vitæ vegetantis motio est insensilis; nimirum quia ignis functio nititur ea celeritate motus, quæ sensum non lateat; operatio autem vitæ vegetalis adeo sensim, lentoque motu editur, vt aciem sensus subterfugiat. Alter sensus est, si legatur nomen actus in casu recto, ut legendū constat ex græco textu, vita omnis est actus ipse: ac sane hic non est intelligendum de actu primo, tum quia id a vero abest, vt nuper ostendimus; tum quia id verba textus non recipiunt, interpretante Plotino vitam esse actum illum, qui & ἐνέργεια dicitur, & motio quædam est; actus autem primus motio non est, nec ἐνέργεια, sed ἐντελέχεια. sin autem id placeitum explicetur de actu secundo, sane vita non est actus secundus formaliter, vt fuse alibi demonstrauimus; sed est actus secundus vel caussaliter, vel effectiue, quia nimirum vita sit caussa efficiens operationis, vel effectus eiusdem veluti caussæ finalis; qui sensus & verus est, vt constat ex Aristotele non uno in loco: & a Plotino intentus asserente uitam esse actum ita ut actus ipsius uitæ sit motio quædam licet nullus adsit sensus, minime temeraria: hoc est uita etiam uilissima, nempe alens, adeo est actus, ut eius actus, qui est alere, & augere, licet nullus adsit sensus (contra quod nuper existimabat Vidius) actus inquit uitæ vegetantis est motio quædam minime temeraria, id est ad certum finem tendens, nimirum ad procreationem sobolis, ut monet Aristoteles, uel etiam ad conseruationem uiuentis, & hoc ad actus eius differentiam, qui prorius est ignis; namque vt monebat etiam Aristoteles ignis augumentum temere in infinitū abit quousque fuerit combustibile: natura uero constantium omnium in genere uiuentis terminus est, & ratio magnitudinis, & augumenti. Ceterum ex eo, qnod uita sit caussa, uel effectus operationis ueluti caussæ finalis, quis colligat uitam non posse ad certum tempus sua illa functione carere? certe hoc neque Plotinus asserit aperte, nec ex eo apte colligere possis. Quod autem secundo loco scribitur a Plotino uegetalem, & augendi, nutriendique naturam nusquā deesse in corpore, ac nutrire sanguine, uere scribitur, sed nulla ex parte nobis aduersatur asserentibus animam nutrientem posse ad multum temporis a sua functione ociari: nam & dum ociatur a suo munere anima uegetans nūquam deest in corpore, quia sui præsentia omnes corporis partes actuat, quum uniuerso corpori coextensa sit forma informans. Deinde nutriens anima nusquam deesse dicitur in corpore, quia nulla pars in corpore sit, quæ non alatur, & augeatur; quum Aristoteles decreto augeatur, & alatur uiuentis corpus secundum unamquamque corporis particulam sensibilem; at dum statuit Plotinus beneficio nutrientis, & augentis animæ singulas corporis particulas nutriri, & augeri (hoc enim sibi vult augendi, nutriendique naturam nusquam deesse in corpore) non propterea statuit partes necessario iugiter ali, & augeri: nam præterea quod de augumento euidentissime falsum dogma pronunciasset, particula, *nusquam*, tempus non designat, sed locum: loca uero in corpore sunt partes ipsæ. Consimiliter asserens Plotinus uegetalem facultatem, quæ nusquam deest in corpore, hoc est singulis corporis particulis inest, nutrire sanguine; non ideo ponit eam incessanter nutrire, ut putat uir egregius; sed solum vult eius animæ, quæ coextensa est toti corpori, officium esse nutrire sanguine; quod placitum nihil nobis officit asseuerantibus huiusmodi nutricationem ad multum temporis intermitti posse.

Li. de vi D. | 2. De an. t. 33. 36. 37. | 3. De an. t. 49. | Finis actus vitæ uegetalis. | 2. De an. t. 41. | 1. De gen. t. 35.

Vt effectui priuatiuo caussa positiua possit assignari, nosque id fecerimus in superioribus.

Cap. LXXXV.

IMpugnatur & illud placitum, quo superius longum ieiunium statuimus esse effectum æqualitatis, aut proportionis caloris natiui cū humido substantifico, quasi retulerimus effectū priuatiuum in caussam positiuam; est enim ieiunium hic apud nos mera priuatio alimenti, & nutricationis; æqualitas vero, & proportio caloris & humoris est quid positiuum obtinens naturam; quum tamen effectui semper sit assignanda caussa ex eodem ordine, illique in omnibus proportione respondens, vel ex Aristotelis decreto & in Logicis, & in Physicis. Quam oppositionem tollas etiam multifariam, intime spectata rei natura; in primis enim quum caussarum, quæ vni, & eidem effectui assignari possunt, aliæ sint immediatæ, ac proximæ; aliæ mediatæ, paulloque remotiores; si ex Aristotelis decreto seruanda est in omnibus proportio caussæ cum effectu, id locum habet solum in caussis proximis, & immediatis, non item in remotis, vt inducenti cuilibet passim apertum fieri potest in omni rerum genere: Quæ quum ita sint immerito increpamur, quasi superius effectui priuatiuo assignauerimus caussam positiuam; namque abstinentiæ, quæ dicitur esse priuatio nutricationis duplicem caussam subordinatam dedimus, alteram proximam, & immediatam, quam diximus esse absentiam finis, cuius gratia fieri debeat nutricatio; alteram vero paullo remotiorem, & mediatam, nimirum caloris natiui, & humoris substantifici æqualitatem,

Li. 3. c. 42 & seq. | 2. Post. t. 12. | 2. Phy. t. 38. | Caussarū differentia. | Caussa cū effectu proportio quando seruatur.

tem, aut proportionem; siquidem ab huiusmodi æqualitate, ac proportione caloris, & humoris interni ostendimus tolli finem alendi, necessitatemque nutricationis; quibus sublatis tolli quoque alẽdi functionem, abstinentiamque produci: Quare priuatiuo effectui priuatiuam caussam immediatam dedimus, positiuam autem mediatam. Deinde vero & illud absolute negãdum est, non posse priuatiuo effectui caussam positiuam assignari, caussam accipio immediatam; hoc enim passim efficit Aristoteles, suadet ratio, comprobat experimentum: Aristoteli natura, quæ positiuum quid est, definitur esse caussa motus, & quietis immediata; quum motus qua potentiam includit, priuationis sit particeps; quippe omnis potentia cum priuatione est: quies autem ipsa definiatur Aristoteli esse priuatio. Ratio etiam suadet omnem priuationem a caussa positiua proficisci, tum quia secus priuationis esset priuatio; tum quia vnumquodque cõtrarium positiuum valentius destruendo suum contrariũ caussa est immediata corruptionis, quæ priuatiuum est quoddam. Experimento constat multos effectus priuationis naturam habentes proxime a caussa positiua prodire; sic vmbra ex opaco in lumine; ita eclipsis ex interpositione; ita cæcitas ex vehementissimo, fulgentissimoque lumine, ita mortes, & corruptiones omnes naturaliũ substantiarum cum viuentium, tum vita carentium ab agente positiuo immediate pendere videmus: vt proinde nulli dubium esse debeat priuatiuo effectui positiuam caussam assignari posse, nec vicissim; quum videamus Aristoteli passim connumerari priuationem inter principia rerum naturalium, quæ substantiæ sunt, positiuaque natura constant; quin & decerni appetitum a priuatione prodire, seu potius constitui, dum ponit priuationem esse caussam quare materia formam desideret; & quare forma, quæ semetipsa priuari non potest, seipsam non possit appetere; atque appetitum formaliter esse rei absentis, qua indigeat appetens, desiderium: Inter caussas itaque, & effectus non requiritur necessario conuenientia in esse positiuo, ac priuatiuo; vt obijcitur. Ad oppositionem ex Aristotele scribente oportere caussam proportione suo effectui correspondere; dicimus id non habere locum in omnibus attributis caussarum, & effectuum, ac speciatim in eo, quod est esse positiuũ, & priuatiuum; sed solum in illis, de quibus agit Aristoteles, vbi hanc proportionis necessitatem ponit; & sane loca duo sunt de proposito in Aristotele, alter est in Logicis, vbi præcipitur effectui caussam assignandam esse proportionatam secundum tempus, ita vt effectui existenti caussa existẽs tribuatur; effectui qui fit, caussa quæ fiat, facto facta; futuro futura, nulla prorsum mentione facta de positiuo, & priuatiuo; alter est in Physicis, vbi scribitur effectuum in genere caussas esse genericas, singularium singulares, possibilium possibiles, actu existentium actu existentes, nulla item facta mentione priuatiuorum, aut positiuorum; & merito, quia promiscue positiuorũ effectuum possunt esse caussæ priuatiuæ: ac vicissim priuatiuorum positiuæ.

Priuatiuo effectui assignari posse caussã positiuam. — *2. Phys. 3.* — *Motus particeps vt sit priuationis.* — *3. Phy. t. 15.* — *Opus potẽtia cũ priuatione est.* — *8. Phy. t. 7.* — *Oĩs priuatio est a caussa positiua.* — *Positiuo effectui caussam priuatiuã assignari.* — *1. Phy. t. 66, 69, 75 &.* — *12. Meta. t. 22.* — *1. Phy. t. 81.* — *Appetitus quid.* — *In quibus caussa & effectus proportione sibi respondere debeant.* — *2. Post. t. 12.* — *2. Phy. t. 38.*

Vt mors viuentibus conueniat secundum naturam, seu quomodo interitus viuentibus sit naturalis. Cap. LXXXVI.

ET in eo lapsi videmur Clarissimo viro, quod statuimus antea viuentia cuncta sub cœlo naturam per se adeo mortalem adepta esse, vt ipsis præter naturam sit ex internis principijs nunquam interire; quum multa sint, quæ demõstrent mortem, & corruptionem simpliciter nõ esse naturalem, nec vllo pacto secundum naturã ei, quod corrumpitur. In primis quidem omnia secundum naturam appetunt esse; quum igitur corruptio, & mors sit mutatio, & via ad non esse; nulli plane conueniet secundum naturam. Deinde si corruptio, & mors alicui naturalis esset, necessario esset secundum naturam vel agenti; & hoc non, quia eius formæ contrariatur, eiusque actioni obsistit: vel fini; & hoc minus, quia reluctando actioni agentis, impedit consequutionem finis, nempe nouæ formæ productionem: vel ipsi materiei: & hoc minime, quia eam spoliat perfectione propria, quæ forma est: vel formæ, vel tandem composito; neque horum vllum dici potest, quia vtrumque destruit corruptio: non ergo vlla ex parte naturalis dicẽda est mors, atque corruptio: Cui quidem sententiæ aperte suffragari videtur Aristoteles inquiens senectutem, & decrementum, & omnia, quæ ad interitum ducunt, esse præter naturam: quanto magis igitur ipsemet interitus? Adiungit vltimo loco vir egregius corruptionem esse priuationem, priuationem vero esse formæ contrariam, & proinde præter naturam, quæ formam semper intendit. Hæc difficultatem quidem pariunt, sed non eam, a qua non possimus euadere vicissim opinantes corruptionem, & mortem viuenti esse naturalem, vt in superioribus exposuimus. Ad primam ergo dubitationem ante omnia distinguenda est illa positio, cuncta naturaliter appetunt esse: quum enim esse multiplex sit: nam aliud est esse huius rei, aliud alterius: rursus aliud est esse æternum, aliud non æternum, primo vt concedimus cuncta appetere suum esse proprium: ita negamus aliquid appetere esse alienum: quum igitur corruptibilium esse sit per se, ac suapte natura finitum, & limitatum; propterea corruptibilia singula naturaliter appetendo sui esse, sui etiam corruptionem naturaliter appetunt: Qui enim appetitus nobis inest immortalitatis, vt notat alicubi Aristoteles, appetitus non est naturalis, sed voluntarius, & animalis. Deinde vero distinguendum est illud idem placitum alia in re, nimirum quia naturalia possunt appetere esse tum semper, tum determinato tempore suæ naturæ congruo; sane vt concedimus

Li. 3. c. 56. — *2. Cal. t. 37.* — *Cũcta naturaliter vt appetant esse.* — *Nihil appetit esse alienum.* — *Quo caduca sui corruptionẽ appetant per se.* — *3 Eth. c. 2.*

dimus naturalia ſingula appetere eſſe tempore congruo ſuæ naturæ; ita negamus corruptibilia naturaliter appetere eſse perpetuum: fruſtra enim illis incuteret natura hunc appetitum, quē nunquam explere poſsent; quum tamen vel Ariſtoteli Deus, & natura nihil fruſtra faciant. Sed & illud caute accipiendum eſt (vt id obiter adnotemus) corruptionem, & mortem eſse viam ad nō eſse; nam eſse tum generatim, tum etiam ſpeciatim accipi poteſt: ſane vt concedimus corruptionem eſse viam ad non eſse hoc peculiare; ita negamus eam eſſe viam ad non eſſe ſimpliciter; ſiquidem vbique corruptio vnius eſt generatio alterius in Peripato. Ad ſecundā obiectionē plane infitiamur omnia mēbra aſsūpti exiſtimātes mortem, & corruptionē eſſe naturalē ratione finis, materiæ, formæ, cōpoſiti, & efficientis; ratione quidē finis corruptionē eſſe quid naturale aſſequi vel ex Platone poſſumus; Bono (inquit) neceſſe eſt ſemper aliquid eſſe cōtrarium, quod malū dicitur; mala aūt quum apud Deos locum habere nequeant; naturam mortalem, regionēque inferiorē neceſſario circundant: ſic dicendū nobis eſt naturalia multas habere perfectiones; his aūt aliquid contrarium eſt; quod quum in ſuperis eſſe nequeat, neceſſario hic apud nos perſiſtit: quum autem naturæ finis ſit ipſa naturaliū perfectio, & forma; quumque natura talem perfectionem ſimpliciter aſſequi nequeat ſine ſuo contrario, quod eſt corruptio; fateri iam opus eſt corruptionem eſſe quid naturale ratione finis: Quod autem adducitur in oppoſitum, ſoluitur negando corruptionem reluctari actioni agētis, atque hac ratione finis conſequutionem impedire, quæ eſt formæ nouæ procreatio; nam quomodo corruptio actioni agentis reluctabitur, quum ſit ipſamet agentis operatio, & finis conſequutio, nouæque formæ procreatio? ſane idem numero agens eadem numero actione corrumpit veterem formam, ſubſtantiamque, ac nouam generat; vt corruptio præcedentis ſit re idē cum generatione ſubſequentis naturæ; vel ad minus id ſine quo generans ſuo fine potiri non poteſt: quare non obſiſtit actioni agentis corruptio. Ratione materiæ quoque mors, & corruptio dicenda eſt naturalis; quoniam materiæ natura indifferens per ſe quum ſit ad habēdam, & non habendam hanc vel illam formam; quæ quidem indifferentia illi naturalis eſt; quatenus materia poteſt non habere formam hanc, quam habet, huius eiuſdem formæ non eſſe, atque corruptio dicenda eſt materiei naturalis: Quod opponitur corruptionem ſpoliare materiam perfectione ſua, bifariam tollitur, & primo quia verum non opponitur; tunc enim ſolum ſpoliatur quid perfectione ſua, quando priuatur eo, quo diutius perfrui deberet: aut quando nihil in locum ſublati ab auferente naneiſcitur; ſecus enim non dicitur ſpoliari dignitate Prætor qui annua prętura egregie functus nouo Pręetori magiſtratum reddens ad priuatam vitam redit; neque priuatur officio Logicę Lector, qui ad Philoſophiam interpretandam tranſit: ſic ergo materia corruptibilium formas non in perpetuum retinendas induit; ſed ad ſtatutum tempus; quo finiente ſi corruptionis miniſterio eiuſmodi formas exuit, ijs a corruptione præter naturam ſpoliari non dicitur; ſed potius eas ſponte naturæ beneficio corruptionis deponere dicenda eſt: Quinimmo etiam eas commutare in alias nouas opere corruptionis conſtituenda eſt; quando vbique corruptio vnius eſt generatio alterius: Quare abſolute verum non eſt a corruptione priuari materiam perfectione ſua. Deinde vero etſi demus corruptione tolli perfectionem ſuam a materia; quum tamen illa perfectio non ſit de natura materiæ; ſed quid extra materiæ naturam, quæ conſiſtit vniuerſa in propoſita nuper indifferentia ad habendam, & non habendam formam; propterea corruptio etiam ſpoliando materiam perfectione ſua, materiei non eſt præter naturam, ſed naturalis; quum id efficiendo ipſam conſeruet in illa indifferentia. Inſuper & formæ ipſi corruptio eſt naturalis, non ſolum formæ, quæ noua conſurgit, ſed etiam illi, quæ vetus occidit; nam formæ omnes ortui, & interitui obnoxiæ quum hoc habeant naturale, vt non ſint perpetuæ, ſed habeant vim finitam, & naturam certis temporis limitatam terminis; quando corrumpuntur, tunc ſubeunt terminum ſui vigoris, quod ſibi naturale eſt; quare corruptio nihil formæ per eam cadenti admolitur præter naturam, ſed congruentem naturæ ſuę terminum imponit, adeo vt nihilominus formæ occidenti ſit naturalis corruptio, quam orientigeneratio; quippe vtraque terminat ipſum eſſe formæ, generatio quidem initio, corruptio autem fine: Ad obiectionem igitur concedentes corruptione formam perimi, negamus proinde corruptionem formæ occumbenti non eſſe naturalem, ſed præter naturam; ratio negationis nuper explicata eſt. Compoſito etiam corruptio naturalis eſt ob eandem cauſſam penitus, quam nouiſſime de forma propoſuimus: Quod affertur in oppoſitum, eadem ratione ſoluitur; niſi etiam addere velimus ad maiorem propoſiti euidentiam ex Ariſtotele corruptionem compoſito, & formæ aduenire poſſe tum ante terminum temporis naturæ ſuæ conſentaneum; tum quoque in termino illius temporis; profecto corruptio ante illum terminum ab extrinſeco eſt, ac violento agente; quo nomine dici poteſt præter naturam; quod nos & hic, & ſuperius libenter concedimus viro diſertiſſimo; at vero ſi agat de corruptione generatim, ſeu ſpeciatim de illa, quæ in termino temporis congruo naturæ compoſiti, & formæ accidit, eam dicimus ab internis naturæ principijs proficiſci, & eſſe ſecūdum naturam eius, quod interit, nulloque modo præter naturam. Demum naturalis etiam erit agenti corruptio; quippe agens per ſe, ac naturaliter agendo corrumpere poteſt, immo etiam inten-

dit

Corruptibilia naturaliter non appetere ſēper eſſe. — *1. Cel. t. 32.* — *Corruptio vt ſit via ad nō eſſe* — *1. De gen. t. 17. & ſeq.* — *Corruptio vt ſit naturalis ratione finis* — *In Theæteto.* — *Naturæ finis quid.* — *Corruptio non reluctatur actioni agētis.* — *Corruptio eſt id ſine quo generans ſuo fine potiri nequit.* — *Corruptio naturalis eſt ratione materiæ.* — *Materia vt ſit indifferens.* — *Corruptio nō ſpoliat materiā perfectione ſua.* — *Corruptio eſt naturalis formæ tū nouæ, tū veteri.* — *Corruptio naturalis eſt toties poſito corruptibili.* — *5. Phy. t. 56.57.* — *Corruptio vt formæ, compoſitoq; ſit præter naturam.* — *Corruptio vt ſit naturalis agenti.*

Agens intentaliter corrumpere.

dit aliquam formam, aliquamve ſubſtantiam compoſitam, nempe illis tribuendo meram, ac terminum ſuæ naturæ, quod aliquando innuit Ariſtoteles horum omnium finem dicens eſſe marcorem: Nec refugium eſt corruptionem ab agente naturaliter intendi per accidens; nam agens natura in corruptione ſimul eſt generans, & corrumpens; quando corruptio vnius re ipſa eſt generatio alterius: quippe idem agens eadem numero functione in eandem materiam eodem tempore corrumpit priſtinam ſubſtantiam, & nouam generat, nempe ignis ſimul & ſemel deſtruit lignum, & flammam procreat: ſi plane corruptio referatur ad agens qua corrumpẽs eſt, nulli dubium quin ſit illi naturalis, ab eoque per ſe primo intendatur, ac nullo pacto per accidens: ſin autem eadem corruptio formaliter ad agens referatur quatenus eſt generans, neque tunc vere dicas generans nouam ſubſtantiã per accidens corrumpere veterem; nam generatiuũ quum nouam gignere nequeat niſi corrumpendo veterem, profecto per ſe veterem corrumpit vt nouam procreet; quare agenti, ſeu generanti corruptio eſt quoquopacto vt diſpoſitio, & medium conſequendi finem intentum: qua ergo ratione dixerit nemo agens diſponere materiam per accidens, quam noua forma exornare per ſe intendit: quaue ratione Alexandro quum finis eſt a natura, ea etiam quæ ad finem conducunt eſſe a natura placuit: eadem plane ratione aſſerendum eſt corruptionem veteris generãti nouum ſuppoſitum eſſe intentam per ſe, ac naturalem, non autem per accidens, neque præter naturam. Bene verum eſt finem, ſcilicet nouæ ſubſtãtiæ generationem ab agente quatenus eſt generans per ſe primo intendi, corruptionem autem veteris ab eodem intendi gratia finis, non tamẽ per accidens; forraſſe per aliud, ſiue per ſe non primo, at ſecundario; nihilominus tamen ſemper ſecundum naturam, non præter naturam dicendam eſſe corruptionem generanti; cuius ea natura eſt, vt nequicquam noui generet, niſi vetus corrumpendo. Amplius etiam dato diſputationi corruptionem a natura, ſeu ab agente, ac omnino a generante intendi per accidens; negamus propterea generanti corruptionem eſſe præter naturam, non autem naturalem; falſum eſt enim omne per accidens eſſe præter naturã, nihilque naturale eſſe per accidens: Alioqui corrumpenti formaliter generare competeret per accidens haud minus quam generãti corrumpere; an ne ideo generatio dicetur illi præter naturam? minime gentium: quis enim dicet flammæ ortum, nouique ignis generationem præter naturam eſſe, ac non naturalem igni comburenti ligna quatenus comburens eſt, atque corrumpens? ſed non ne vrere, quod eſt corrumpere, Ariſtoteli dicitur eſſe naturale igni vt agenti? Ita ergo agenti naturalis eſt corruptio: Ad oppoſitionem pleno ſtatim ore negamus corruptionẽ eſſe contrariam formæ agentis, eiuſque actioni

4. Meteo. c. 1.

Agens naturaliter ac per ſe corruptionem intendere.

Agens nõ diſponit per accidens materiã, quam per ſe vult exornare forma.

4. Quæ. nat. Quũ finis eſt a natura, & quæ ad finem.

Non omne per accidẽs eſt præter naturam.

8. Phy. t. 32.

reſiſtere; nam corruptio eſt operatio ipſamet prodiens ſecundum naturam a forma agentis; quis non videt combuſtionem, quæ corruptio eſt ligni, non obſiſtere actioni agentis ignis, nec eius formæ repugnare? imo vero quis non videt combuſtionem eſſe ipſammet actionẽ ignis tum comburentis ligna, tum generantis flammas, prodeuntem naturaliter ab ignis forma? porro contraria eſt formæ ignis, non corruptio ligni, quæ actio eſt ignis, ſed forma ligni, quæ priuatio eſt, ac reluctatur quandiu poteſt actioni corrumpentis ignis pro ſui tutela. Ad tertiam oppoſitionem primo vni loco Ariſtoteli opponimus alia quamplura, in quibus apertiſſime noſtrum placitum comprobetur; nam alicubi ſtatuit morbum, ſenectutem, decrementum, & ipſammet corruptionem, ac mortem, quæ violenta non ſit, eſſe plane ſecundum naturam, non autem præter naturam, & hoc ad lationis diſcrimen, quæ poteſt eſſe tum ſecundum naturam, tum etiam præter naturam: alibi conſimiliter ait generationem, & corruptionem eſſe a natura, & ſecundum naturam: Et alio in loco generationi naturali oppoſita eſſe dicitur corruptio, quæ ſecundum naturam; & ſenectus, ariditas, & omnis ſecundum naturam corruptio dicitur eſſe via ad putredinem, ſiue marcorem. Deinde vero ſpeciatim ad obiectum dicimus ſenectutẽ, decrementum, corruptionemque, & huiuſmodi omnes impotentias, quę ſubcęleſtibus animalibus contingunt, bifariam conſiderari poſſe, nimirum generatim, & particulatim in hoc, & in illo ſuppoſito; quod ait Ariſtoteles alijs verbis diſtinguens corruptionem ſimpliciter a corruptione hac; rurſus particulatim in hoc, & in illo ſuppoſito ſortiuntur duas alias contemplationes, nimirum prout omnes prouenire poſſunt ſubiectis vel ab extrinſeco agente violento ante ſtatutum tempus a natura; vel ab interno principio ſecundum naturam agente in termino tẽporis congruo; quam diſtinctionem tum iampridem poſuit Ariſtoteles inter corruptiones ſeorſum, atque etiam inter generationes, illas & generationes, & corruptiones dicens ſecundum naturam, & fatales, quæ ab interno principio pendent in tempore opportuno; illas vero præter naturam, & non fatales, quæ ab externo agẽte violentiam inferente, & ante conſentaneum tempus: tum poſt Ariſtotelem illuſtrauit M. Cato apud Tullium inquiens, Quid eſt autem tam ſecundum naturam quam ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus aduerſante, & repugnante natura: itaque adoleſcentes ſic mihi mori videntur, vt quum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur; ſenes autem ſicut quum ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur: & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur, ſi matura, & cocta, decidũt; ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: Quemadmodum igitur corruptiones, & impotentiæ naturali tempore prouenientes ab

Morbus, corruptio, & mors vt ſit ſecũdum naturã ex Ari.

5. Phy. t. 56. 57.

1. De gen. t. 1.

2. De gen. t. 57.

4. Meteor. t. 2.

5. Phy. t. 56. 57.

Corruptiones fatales Ariſtotel.

Lib. de ſenect.

Senes mori ſecũdũ naturam, adoleſcentes aduerſante natura.

portio, & æqualitas prædictæ; eæ tamen haud semper diuturno tempore durant; quoniam ab extrinsecus occurſantibus sæpenumero turbantur: quod fuse ostendimus antea, vbi de caussis terminantibus ieiunium loqueremur.

Li.4.c.67. & seq.

Vt alimentorum indigentia insit viuenti quatenus mistum est. Cap. LXXXVIII.

Li.3.c.63. REpræhendunt nos alij quia constituerimus animata nostratia indigere alimentis quia sint corpora mista, & omnino in alimenti necessitate viuentia cum mistis inanimatis cōparauerimus existimantes qua ratione mista inanimata diu seruantur in esse citra vllū alimentorum vsum, eadem ratione posse viuentia itidem longo tempore sine nutricatione degere; quum tamen clarissimis viris longe alia videatur esse ratio mistorum anima carentium, & animatorum in proposito; *nam mista viuentia (inquiunt) non possunt non ali, quia obtinent in se animam, cuius actio est ipsamet nutricatio; non viuentia vero non aluntur, quia non habent animam, sine qua non potest esse nutricatio.* Verum & hæc effugere, vel etiam retundere possumus tela in nos iacta: siquidem nos antea non comparauimus mista inanimata viuentibus in eo, quod est posse, vel non posse nutriri, seu debere, vel non debere ali; quod nobis obijcitur: sed in eo solum, quod est posse diu sine alendi munere in suo esse conseruari; quod non euertit obiectio: longe namque aliud est quidpiam nō nutriri, & aliud absque nutricatu diu consistere citra corruptionem; certe hoc habent mista nonuiuentia vt nutriri nequeant, quia non habent animam: cuius actio est nutriendi munus: at vero vt sine nutricatu diutius consistant, seu sine auocatione caloris interni a consumptione humidi substantifici, seu si maius sine restauratione humoris substantifici, hoc aliunde non habere possunt, quam vel ex eo, quod calor in illis humorem non dissipet, atque ideo humor sui refectione non indigeat; vel ex eo, quod humor in ipsis adeo proportionatus calori existat, vt lente admodum afficiatur, & proinde quamuis assidue a calore dissoluatur, sufficiat nihilominus ad calorem, & ignē continendum ceu formam in misto, & in proprio temperamento per longam temporis intercapedinem: Qua quidem in re nulla ratio est cur non possint inanimatis mistis viuentia nostratia æquiparari, vt antea fecimus.

Cur abstinentes ob æqualitatem virium caloris & humoris interni moriantur, seu non semper totam vitam degant in ieiunio, sed plerunque redeant ad ciborum vsum.
Cap. LXXXIX.

Li.3.c.61. NEgocium & illud multis facessit, quod abstinentiæ diuturnæ caussam esse diximus æqualitatem virium caloris & humoris interni, ob quam humor a calore non cōsumitur, & idcirco non ineuitabilis necessitatem alendi; *si enim (aiunt) calor ita humori potest æquipollere viribus in homine, vt neque calor humorem absumat, neque humor calorem suffocet, aut extinguat, proculdubio si violente ab externo gladio non occidantur, nullus ijs hominibus inesse debebit metus interitus, vel etiam naturalis ab interno principio; immo neque vnquam fieri posse videtur vt procedente tempore ad intermissum redeant alimentorum vsum sublato fine, cuius gratia nutriebantur; quorum vtrumque a vero abesse docet experimentum.* Ab hoc nodo etiam extricabimur penitius introspecta natura rei; vbi enim calor humori viribus æquipolleat, non ideo euitatur mors naturalis ab interno principio, vt primo dubitatur; quia etsi neque calor humorem absumat, neque humor ex se calorem suffocet, vel extinguat, nihilominus iugi, & longa pugna sensim ambo adeo fatiscunt, vt demum simul vterque corruat; sic duo athletæ, duoque milites pari vigore diuturno, & assiduo certamine sensim labantes demū concidunt citra vllius victoriam, quod fuse dudum explicauimus: at fatiscentibus vtrisque vitæ principijs in ea pugna viribus æqualibus haud minus moritur viuens, & morte naturali, quam dum dispari virtute vel calor humorem consumit, vel humor calorem extinguit: Quare abstinentes ob æqualitatem virium caloris, & humoris interni haud minus interitui obnoxij sunt, quam ceteri, quamuis neque gladio, neque vllo violentiam inferente perimantur. Deinde vero illud animaduertendum est, ex quo soluitur vtraque difficultas, nempe humoris interni substantiam non solum a calore natiuo dissipari posse, caloremque natiuum haud solum ab humore extingui, ac suffocari; quod supponit obiectio; verum etiam vtrumque simul, & seorsum labefactari, & corrumpi consueuisse ab extrinsecus occurſantibus; ab humoribus, alijsque rebus intra corpus enascentibus; a vehementioribus corporis, animique motibus; quo nomine fit (nisi ob aliquam maiorem violentiam id prius accidat) vt processu temporis demum vel immi nuta virtute caloris infra vim humoris, ille postmodum humido excedente suffocetur; quod ijs accidit, qui a nimia pinguedine intereunt suffocati ad instar Islandici pecoris, quod in ea regione adeo læto pabulo abundare dicitur, vt coloni coacti sint illud a pascuis depellere, ne ab aruina suffocetur, creditur autem Islādia esse veterum vltima Thylæ: vel refracta contumacia humoris, ipse vires amittat, ideoque cedat viribus caloris, qui exinde humorem necessario consumat; vnde egeant prius abstinentes alimento iterum, quo impediatur quoquopacto cita humidi consumptio, auocando calorem ab humido radicali ad alimentare; quod alimentum aliquando quidem assumentes nutricationem intermissam reuouant, vt de puella Spirensi testantur viri doctissimi, quæ supra tres annos quum ieiunasset, cæpit postea comedere, & ita cibis

Calore, ac humore uirib. æqualib., vt posfit mors obrepere ab interno principio.

Li.3.c.73.

Humor internus haud solū a calore natiuo dissipatur.

Mira pascua Thyle insulæ.

cibis assueta non paucos menses superuixit; consimiliter de alia testatus est Rondeletius, quæ quum ieiunans peruenisset ad decimum ætatis annum, ab hinc cibis assueta, grãdisque facta, & nupta felicem prolem longæua propagauit; id quod in alijs etiam obseruatum est non paucis: cæterum plerunque accidit abstinentibus, vt post intermissum multo tempore alimentorum vsum, redeuntes ad esculenta ea ingesta digerere nequeant, quia membra coctionibus dicata, quum tandiu ab officio suo desueuerint, iam talem habitum contraxere, vt apta non sint amplius ad pristinas operationes; quamobrem fame pereunt, ac moriuntur euolante calore ad suum locum naturalem, ad quem ab humido, quod consumpsit, iam non amplius impeditur ascendere, vt pote dissoluto eo vinculo, quo anima corpori adnectebatur, & quo vita innitebatur. Non itaque timeant viri Clarissimi ab æqualitate virium caloris, & humoris interni aut mortalis vitæ perpetuitatem, aut nutricationis omissæ perpetuam intermissionem.

Vt agentia secundum virtutem æqualia inuicem agant. Cap. XC.

Li. 3. c. 73. Quod olim explicauimus, calorem &. humorem internum, etsi viribus polleant æqualibus, nihilominus tamen inuicem assidue pugnare, placitum dicunt viri doctissimi repugnans decreto Aristotelis alicubi scribentis 1. Meteo. *elementa æqualia virtute non fieri ex se inuicem*. Cui obiectioni occurrere liceat primũ animaduertendo huiusmodi non esse dogma peripatetici, sed ab Aristotele tanquam axioma veterum promulgatum, quo dato, & non concesso per fiduciariam reprobationem illorum principale placitum euertit; quum enim paullo supra demonstrasset Aristoteles inter elementa opus esse dari proportionem quandam magnitudinis, quia videmus, dum terræ portio in aquam vertitur, & aqua in aerem, aerque in ignem, ac vicissim, vbique seruari debitam proportionem, quæ in partibus obseruata plane demonstrat rem consimiliter se habere in totis, perinde ac si totum aliquod elementum ex alio toto fieret: quia videbat veteres huic rationi posse occurrere dicentes elementa esse prima rerum principia, quæ non fiunt ex se inuicem, æqualia tamen sunt secundum virtutem; subdit Aristoteles nihil referre si quis dicat elementa non fieri ex seinuicem, æqualia tamen virtute esse; quia ex eo, quod ponunt esse viribus æqualia, necessario eadem constituunt proportionata secundum magnitudinem: nam virtus magnitudinem sequitur; quare nihilominus ex virtutis æqualitate demonstrari possunt elementa esse quoad molem proportionata, ac si concedatur nobis ea ex seinuicem fieri: Vnde liquido constat Aristotelem non ex proprio penu dogma hoc eruere, sed e veteribus afferre; ipsoue nec approbato, nec improbato, suã sententiam contra veteres confirmare: infirmũ ergo inde sumitur argumentum. Deinde vero ex propria sententia loquatur ibi Aristoteles, falso dicitur eum decernere elementa æqualia secundum virtutem non fieri ex seinuicem; loquitur enim ex suppositione, non asseueranter, differt autem nihil neque si quis dicat non fieri hęc ex seinuicem, æqualia tamen virtute esse. Præterea non ideo habetur bisce verbis elementa non fieri ex seinuicem, quia sint æqualia, sed habere duas conditiones disparatas, vt ex seinuicem nõ fiant, & sint æqualia virtute: quod nihil nobis officit. Demum longe aliud est duo æqualia secundum virtutem inuicem pugnare simpliciter, & aliud est eadem ita pugnare, vt alterum vincat, & in sui naturam conuertat reliquum, vel illud quomodocunque corrumpat: sane superius nos de pugna egimus citra victoriam vllius, dum certamen posuimus inter æqualia secundũ virtutem: & vere si duo æquis viribus polleant, poterunt adinuicem pugnare, sed alterius non erit supra reliquum victoria, verum vtrumque tandem fatiscens corruet aut destructum, aut in tertiam quandam naturam commutatum: ex allato autem loco Aristotelis hoc habeas solummodo (si tantum disputationi dandum sit) æqualia quæcunque sunt secundum virtutem, ea non posse fieri ex seinuicem, quod est cum victoria vnius de altero: siquidem nulla ratio est in virtutis æqualitate cur potius aqua in terram, quam terra in aquam commutetur. Simpliciter igitur pugna, & actio est inter æqualia secundũ virtutem, non quidem ea, qua vnum ex altero fiat, siue qua vnum destruat alterum, sed ea, qua mutuo se se labefactent, ac vtraque tandem intereant, siue in vnum tertium, siue in duo diuersa conuertantur.

Aristotelis locus illustratur.

Virtus magnitudinem sequitur in elementis

Vt ex Galeno substantia corporis, & omnino humidum substantificum dissipetur a calore natiuo, non solum ab adscititio exercitatio cum Cardano. Cap. XCI.

Inter caussas terminantes longum ieiunium superius cõnumerauimus calorem natiuum consumentem humidum substantificum, dissoluentemque substantiam corporis in halitus insensiles: Qua in re contradicentem habemus Cardanum Clarissimum virum, qui fuse disputat humorem substantificum, substantiamque corporis viuentis non a calore natiuo, sed ab adscititio solum dissipari; suumque dogma & veterum autoritate, & rationibus confirmare studet, in primis quidem autoritate Galeni, quẽ ait alicubi calori natiuo adscripsisse munus educendi e corpore superfluitates, adscititio vero materiam omnem siue inutilem, siue vtilem: & alibi apertissime profiteri calorem insitum, naturalemque suum subiectum omnino conseruare, neque vllo modo ei aduersari, interitumve machinari: sed a quo genita sunt calido, ab eo-dem

Li. 2. cap. 130. & 154.
Li. 2. c. 75.
1. De sanit. tuen. c. 17
1. Aphor. 15.
De mar. c. 3.

dem augeri animalia, & gubernari: alioque in *11. Meth. c.8.* loco definire putredinem esse mutationem totius substantiæ putrescentis corporis ad corruptelam a calido externo; & addere, non enim iam a proprio calore quicquam corrumpitur: contra vero vnumquodque & augetur, & roboratur, & sanum est, & viuit, & entium quodli- *4. Te simpl. c. 14.* bet a proprio calore rectum, sicuti quidem, & ipsa animalium corpora: & demum aliquando etiam tradere ita comparatum esse, vt quælibet res in sua natura a calore proprio seruetur: corrumpatur autem ab externa immoderatione, caloris scilicet alieni, aut frigoris abundantia. Ce- *De vtil. resp. c.3.* terum ob hæc veterem nos exuere sententiam non cogimur: in primis enim generatim Galenus alibi profitetur euidentissime animalium substantiam ab insito calore dissipari. Deinde *Calor innatus bifariã spectari põt.* vero quum calor innatus tum absolute considerari possit, tum etiam in comparatione ad externum, & adscititium: sane quemadmodum aduētitius calor non auget, non viuificat animalia, sed vicissim semper exoluit, ac dissipat viuētium corpora, quæ a natiuo calore præcipue gubernātur, & conseruantur; ita calor natiuus in comparatione ad adscititium dici põt impune a Gale- *Idẽ calor vt simul tueatur, & destruat corpus.* no esse conseruator substantiæ viuentis, adscititius vero destructor: sed absolute loquendo ipse idem calor innatus, qui vt animę instrumentum corpora nostra tuetur, & auget: vt qualitas quędam ex primis quatuor temperamentum constituentibus humorem sibi adiunctum iugiter consumens corpora nostra dissipat assidue, vbi humori virtute præualeat, Galeno haud contradi- *1. Aphor. 15.* cente vllo in loco. At speciatim ad primam obiectionem ex Galeno asserente caloris insiti esse inutilem materiam, & excrementa extrudere, adscititij vero promiscue omnem materiam, *Calor naturalis duo significat.* siue vtilem, siue inutilem: respondemus nomine caloris naturalis duo significari posse, nimirum vel vniuersum misti temperamentum, in quo sunt quidem cum calore omnes aliæ qualitates *Calor est totum temperamentum.* primæ, sed quia ceteras calor veluti materiam forma continet, Aristotele autore; ideo a nobiliori parte denominatione facta, quia vnũquodque est id, quod in eo est summum, eidem Aristo- *2. De ge. t. 50.* teli; totum temperamentum calor appellatur: vel etiam caloris nomine intelligimus quartam qualitatem in temperamento a frigiditate, sicci- *Vnũquodque est id quod in eo est summum.* tate, humiditateque distinctam: Porro supra nos asseuerantes calorem natiuum consumere humidum substantificum, per calorem non intelleximus totum temperementum, sed quartam *10. aphic. c.10.* qualitatem in temperamento a reliquis tribus distinctam: Galenus autem loco citato nobis nõ obstat inquiens calorem naturalem superfluitates expellere; circunfusum vero, & adscititium non modo superfluitates, sed æqualiter omnia euacuare, materias inutiles, & eas etiam, quæ in corpore secundum naturam continentur, simul dissoluentem per insensibilem difflationem; siquidem caloris natiui nomine significat vniuersum temperamentum, vt quid a sui parte præcipua distinctum; quod statim ipse manifestat cum insinuans hanc distributionem caloris natiui in totum temperamentum, & temperamenti partem præcipuam; tum quoque calorem hunc excrementorum propulsatorem appellans e sentētia Hippocratis animalium naturam: sane per animalium naturam nihil aliud quam animam intelligit, cuius essentiam in temperamento cõsistere non negauit Galenus, qui nunc asseuerãs occultam difflationem, per quam simul vtilia, & inutilia exeunte corpore, a calore innato fieri; quidpiam aliud per calorem innatum significat ab eo, quod nuper eodem nomine appella- *De mar. c.3.* tum dixerat solum excrementorum exclusioni inuigilare. Ad secundam oppositionem consimiliter dicimus natiui caloris nomine ibi Gale- *Temperamẽti munera.* no significari vniuersum temperamentum, cuius munera sunt conseruare subiectum sibi corpus, ipsumque augere, & gubernare, nullaque ratione illi aduersari, aut interitum machinari; nos autem superius nomine caloris insiti quartam qualitatem ab igne inditam temperamento, quæ vi huc deorsum in misto retenta humorem sibi obsistentem, impedimentumque ad ascendendum afferentem dissipat, vna corporis substantiam dissoluens: quare de diuersis rebus agentes, etsi contraria illi attributa cõcedimus, quibus nomen idem assignamus, inter nos tamē haud repugnamus. Sed Galenum ibi caloris innati nomine totum temperamentum intelligere inde constat aperte, quod eundem calorem ibidem appellat naturæ nomine. Addo eun- *1. De sub da vals 2.* dem Galenum eo in loco ex Hippocrate concedere a calore natiuo consumi substantificum humorem ea ratione, quam ait retulisse alibi, vbi *11. Met. c.8.* scribit calorem insitum excitare fluorem totius substantiæ animalis; quod intelligit de quarta qualitate in temperamento, vt nos etiam supra. Ad tertiam oppositionem non alia ratione occurrendum putamus, nimirum calor natiuus, qui res eadem est cum toto temperamento, regit, conseruat, viuificat, auget, roborat vnumquodque animal; nihilque a proprio temperamento corrumpitur: verum calor natiuus, qui quarta qualitas est a tribus alijs primis distincta, & pars præcipua temperamenti, non reclamante Galeno vere a nobis antea constituitur autor interitus naturalis, & caloris substantifici destructor, & necessitatis alimentorum inuector, vbi viribus humorem superet; seu potius dicamus eo loci Galenum de calore natiuo agere non absolute, sed in comparatione ad alienum; ostensurus ergo quo differat calor innatus ab aduentitio, hunc dixit destruere corporis substantiam, eum vero ipsam tueri; nam in hoc differunt abinuicem; licet calor natiuus absolute quoque depascatur substantiam viuentis; quod nos alibi cũ Galeno professi fuimus; non tamen calor aduentitius corporis naturam fouet. Ad quartam difficultatem non secus respondeas quam vel asseue-

ran-

rando Galenum ibi comparare calidum internum, cũque moderatum cum immoderata qualitate exteriori; seu caliditas ea sit, seu frigiditas: cui nos vltro assentimur dicentes ab externa immoderatione quamlibet rem dissolui, & corrumpi; ab interno autem calore, præsertim moderato cuiuslibet rei naturam conseruari: sed nos in superioribus absque vllo respectu de interno calore absolute tractauimus, eoque viribus vltra mediocritatem exertis supra facultatem humoris, dum eius actione humorem absumi, & substantiam nostram dissipari monuimus; Vel etiã dicendo per calorem loco citato Galenum de toto temperamento agere, cuius est veluti formæ proprium munus conseruare vniuscuiusque substantiam; nos autem caloris nomine quartam qualitatem, ac omnino vnicam totius temperamenti particulam intelleximus, dum antea scripsimus caloris valentioris actione humidũ substantificum absumi. Quare de alio calore agens, diuersa, oppositaue illi munia tribuens non contradicit nobis Galenus in locis adductis.

Vt Aristoteli calor internus absumat humidum substantificum. Cap. XCII.

2. de gen. a. 3.

GAleno adiungere se putat vir egregius Aristotelem in hac sui sententia sociũ, dũ inquit, *Ad hæc Aristoteles natiuum ab externo calore longo interuallo disiungit; immo triplicis caloris distincti mentionem facit, τοῦ πυρὸς, τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ζώων, ignis, solis, animalium; ignis calor nihil generat; solis, animaliumque calor ortus autor, qui etiam diuersi sunt.* Quæ tamen nos non turbant; ex hoc enim Aristotelis placito vere nil aliud habeas, quam calorem ignis, solis, & animalium distingui ab inuicem; at vero non ita distingui, vt calori animalium accepta referri nequeãt ea, quæ ab ignis calore prodeunt, sed vicissim vt calor igneus ea efficere nequeat, quæ calor solis, & animalium præstare potest; nimirum quia calor solis, & animalium complet, peragitque ortum; seu generationem viuentium, quam calor ignis efficere non valet; quippe ad viuentis constitutionem calore opus est moderationem habente, atque humiditati coniuncto, sine qua est igneus calor, non solis, non animalium; calor enim solis est qualitas in aere genita, seu adaucta caliditas ob multiplicationem radiorum solis in reflexione; aeri vero calor inest semper cum humore coniunctus; quippe aeris natura humore nititur: Quin etiam damus tres calores propositos distingui ab inuicem subiecto, & gradu; nam calor ignis vrgentissimus est omnium, mitior solaris, mitissimus animalium; ceterum propterea non tollitur quin animalium calor ea effi iat in nobis, quæ calor solis, & ignis, nempe quin substantiam nostri corporis absumat, quam ignis ambiens, & calor dissipare consueuit; siquidem adeo infirmis viribus non est vbique animaliũ calor, qui nequeat humidum substantificum dissoluere; nouimus enim experimento quorum temperamentum calidius est, & habitus biliosus in latitudine sanitatis, eorum corpora esse graciliora, perinde atque quorum vita est in sole, & apud ignem assidua, vt nautarum, regionemque calidiorem incolentium, & fabrorum ferrariorum in officina iugiter operantium. Quod autem adijcit Cardanus *si calor noster nos exsiccaret, qui plurimo calore abundarent, breuiori tempore victuros; quod falsum est apud Galenum laudantem exercitium ad caloris incrementum;* soluitur etiam; plurimo calore abundantes plurimo quoque humido referti sunt, quod caloris actionem diu sustinens vitam producere potest; si calor sit mitis; si vero acrior, eo cito consumitur humidum, & vita extinguitur; nec tali calore præditis, quales bilioso temperamento præditi sunt, vsquam laudat Galenus exercitium; sed quibus multa excrementa insunt calorem suffocantia, & debilitantia mitem, seu moderati vigoris.

Cur calor ignis non generet uiuentia.

Calor solis quid sit.

Aeri calor humidus. Calor ignis, solis, & animalium ut differant.

Vt ex rei natura non colligatur a calore natiuo non absumi humidum substantificum, & primo quia calor sit animæ instrumentum. Cap. XCIII.

AVtoritatibus adnectit vir solertissimus rationes, & has numero plures ipse aperte commemorat; quæ omnes diligenter expendendæ veniunt seorsum ad propositi pleniorem intelligentiam, & claritatem. *Calor naturalis* (inquit) *in corpore viuentis quodcunque agit, id ipsum tanquam animæ instrumentum operatur: quod notauit Aristoteles libro de spiratione admonẽs animam igne omnia efficere, ac operari: quum itaque anima quod summo artificio caloris naturalis opera primum construxit, corpus nostrum semper exinde tueatur, nunquam demoliri, ac destruere aggrediatur; profecto calor innatus ille non potest esse, a quo substantia viuentis exterminetur, ac dissoluatur.* Cui obiectioni respondemus primo concedentes animam nullo vnquam tempore in eius corporis perniciem conspirare, quod ab initio caloris natiui ministerio interueniente construxerit: negamus quodcunque agit calor natiuus in nobis, id efficere semper velut animæ instrumentum; nanque vt omnia, quæcunque in corpore fiunt ab interno principio, calorem habent effectorẽ; ita non in omnibus operibus obeundis calor subit vices instrumenti, quo anima vtatur ad operandum: quãdoquidem in corpore nostro, quod simul est mistum ex elementis, & viuens, duo functionum genera inueniuntur; aliæ sunt operationes vitæ, nempe nutriri, augeri, procreare sobolem, sentire, moueri, & alia id generis viuentium propria efficere; aliæ vero sunt operationes misti, seu viuentis vt mistum est, vt sensim consumi, & in elementa dissolui, & siquæ sint huiusmodi: proculdubio in vitæ operationibus obeundis calor vbique subit vices instrumenti, quo anima vtatur ad operandum; id quod sibi vult;

Quodcunque agit calor natiuus in nobis, id non efficit vt instrumentum animæ.

In corpore nostro duo functionũ genera inueniri.

Vult Aristoteles loco citato scribens Animam igne,hoc est,natiuo calore cuncta operari: quoniam vitæ operationes omnes ab anima prodeunt velut ab agente primario, itaque a calore natiuo haud nisi tanquam ab animæ instrumento:at vero in operationibus conuenientibus viuenti quatenus est mistum nullum ius agentis obtinet anima: sed fiunt hæ omnes a calore, vt est quædam qualitas elementaris, quæ non gubernetur in illis functionibus ab anima: quare absolute falsum est calorem in nobis omnia operari gubernatum ab anima: quippe nullius animæ opera a semetipso veluti agens principale, quatenus est quarta qualitas in temperamento calor natiuus humidum substantificum depascitur,& substantiam corporis absumit. Deinde vero caloris natiui nomine vel totum temperamẽtum significamus, vel in temperamẽto quartam qualitatem ceteras veluti forma continentem: si temperamentum accipias,de hoc egit Aristoteles inquiens animam igne omnia operari, non autem nos vbi statuimus natiuum calorem corporis substantiam depopulari;sin autem loquaris de quarta qualitate in temperamento,illi nos quidem adscripsimus vim destructoriam corporis,sed Aristoteles non dedit rationem instrumẽti,quo vtatur anima ubique ad operandum; vtitur enim anima toto temperamento, non una simplici qualitate.

Vitæ operationes vt pdeũt a calore natiuo.

Quæ opera viuẽtis nõ pendeant ab anima.

Vt calor non ideo dicatur non consumere humidum quia in misto elementa non sint in actu secundo, & qualitatibus refractis,subditisque forma tuenti compositum. *Cap. XCIIII.*

Adijcit vir insignis *elementa in misto esse non in actu secundo,quippe quorum qualitates refracta sunt,& subdita forma tuenti compositum;propterea que ab igne intimo in mistis adiūctum sibi humidum non posse consumi:elementa vero in misto non esse in actu secunde clare testatur Aristoteles inde colligens propterea combustibile ab interno igne non comburi, & sensibile sensitiuo congenitum non sentiri.* Cui argumento negamus elementa in mistis non esse in actu secundo vlla ratione; nam & humor deorsum calorem continet, alioqui sursum euolaturum:& siccum humorem terminat, alioqui diffluxurum: aliæque multæ fiunt inter elementa in misto actiones, quæ omnes sunt de genere actus secundi, vt præsertim refractiones mutuæ contrariarum qualitatum: Ad negati dogmatis priorem confirmationem concedentes nos in misto qualitates refractas esse, dicimus tamen primo refractionem hanc semper fieri, & esse de genere actus secundi: quũ enim qualitates hæ,quæ refranguntur,sint potissimum actuales,& accidentariæ illæ affectiones, quę ab essentialibus elementorum formis iugiter prodeunt,vt risibilitas a rationalitate: sane vt in sui origine integris viribus sunt, ita enascentes in ipso limine ortus contrariam sibi qualitatem offendunt in misto,a qua hebetantur singulæ; continenter autem fit huiusmodi refractio in misto, quia non possunt ab essentia elementi non prodire continue propriæ illius affectiones, quæ in misto,vbi sunt omnium elementorum essentiæ, semper sunt refractæ,nunquam excedentes qualitates. Deinde vero dicimus vires elementorum in misto refractas esse tales vt inuicem quoque agere possint: non enim solius extremi,ac summi agentis,sed etiam remissi,atque refracti sunt actiones propriæ in contrarium. Ad secundam confirmationem primo quod asseritur formas, seu qualitates elementorum in misto subditas esse formæ tuenti compositum, dicimus id ea ratione verum esse, quia forma illis qualitatibus vti potest velut instrumentis ad obeundas proprias functiones: sed hoc non impedit quominus eædem qualitates postea inter se pugnent, & Valentior alteram exterminet; sic Imperatori tuenti totum exercitum subditi sunt omnes milites, attamen inter eorum aliquot exorta dissensione, Vel inuito, reclamanteque Imperatore, sæpenumero potentior aduersarium interimit: Deinde qualitates in misto subditæ quum sint formæ tuenti compositum in eo,quod eius mandata exequuntur,operibusque illius inseruiunt veluti famulæ; tamen in hoc illi subditæ non sunt, vt se inuicem pugnent,& pugnando altera cadat, vnde mistum dissoluatur; sic intestina militum dissidia pugnam aliquando suscitant, quæ totum exercitum perdat. Ad postremam confirmationem ex Aristotele respondemus elementorum multiplicem esse functionem; siquidem ignis calefacit omnia,comburit aliqua,tenuat alia, sensum lacessit, consumit humorem, exsiccat corpora, & alia multa peragit; idipsum proportionabiliter dicas de aliorum elementorum singulo: sed vt hæ operationes variæ sunt,ignis,qui agit in quantum calidus Aristoteli, non omnia hæc munia efficit pari gradu caloris; nam ad comburendum, & flammas suscitandas longe maioribus viribus, acriorique calore indiget, quam ad sensum vellicandum, excitandumque ad opus; sed & ad mouendum sensum longe adhuc maiori calore opus habet quam ad consumendum humorem; siquidem sensus tactus, quum organum habeat in mediocritate omniũ primarum qualitatum constitutum,non percipit nisi qualitates excedentes,vt monet Aristoteles: Quare ignis in misto vires remissas habens ob contrarij admistionem, non potest comburere, nec sensum lacessere; vt propterea bene scripserit Aristoteles respectu harum operationum ignem in mistis esse in potentia, non in actu secundo; & propterea combustibile ab interno sibi igne non comburi, & sensitiuum ab interno sibi igne non attici; sed vtrumque ab externo vehementiori perpeti; ceterum nusquã negat Aristoteles ignem in misto esse in actu

2. de an. t. 52.

Elementa in misto esse ĩ actu secundo quęquopacto.

Actiones sunt etiã virtutis refracta.

Qualitates elemẽtorum in misto subdita vt sint forma tuenti cõpositum.

Locus Arist. obscurus explicatur.

De sen. & sens. c. 4.

2. de an t. 118.

2. de an. t. 52.

secun-

secundo respectu eius operationis, qua consumit humidum sibi subiectum; ad hanc enim operationem obeundam quum indigeat minori calore quam ad comburendum, aut sensum tactus ad negocium promouendũ: ideo ille ignis, qui combustibili intimus ipsum non comburit, eius humidum tamen assidue depascitur: & ille ignis, qui sensi tuo intimus ab eo non percipitur tactu, eius humorem pariter consumit: & omnino ille ignis, qui quoad combustionem, & sensationem promouendam in actu vires non habet efficaces, vires efficaces obtinet ad consumendum sensim humidum sibi subiectum: ita sensim sine sensu aetas senescit, quia latenter assidue humor a calore consumitur in viuente.

Vt calor insitus non ideo non consumat partium substantiam, quia sit earum forma.
Cap. XCV.

Insuper (inquit vir eximius) nulla forma, siue substantiae sit, siue accidentis, agere potest in subiectum; quod informat; efficiens enim caussa externa est, & semper nouae formae procreationem intendit in alienam materiam; atqui natiuus calor est partium, quas regit, forma; ergo in illas neutiquam aget; quamobrem earum substantiam non depopulabitur. Cui quidem rationi primum concedentes calorem natiuum esse formam partiũ, quas regit; negamus nullam formam, siue substantialem, siue accidentalem, agere in materiam, quam informat; siquidem omnis forma suam materiam perficit, & actuat; quod est agere: anima corpus, cuius est forma, mouet, & auget; quin & Aristoteles apertissime sancit materiã se habere ad formam vt passiuum ad actiuum. Ad probationem, qua dicitur caussam effectricem, esse externam, si per externam intelligas distinctam loco, et subiecto, id probatione indiget; nam & aperte Aristoteles demonstrat animam esse caussam effectricem augmenti, nutricatus, & sensuum in eodem animali; & fuse nos alibi ex Aristotele ostendimus animam embrij sibi apparare materiam, & organizare corpus: & nemo negauerit hominem semetipsam mouere in ambulatione: at si per externam significes caussam diuersae naturae, & quoquopacto contrariae; vt damus effectricem esse caussam externam, seu extra naturam patientis: ita non ambigimus caloris natiui aliam esse naturam a natura partium, quas veluti forma continet, & a natura humoris, quem depascitur assidue. Postea vero caloris nomine si totum temperamentum intelligat vir clarissimus, ei nos vltro concedimus ipsum esse formam partium, quas regit, nimirum formam subiecti vt misti: & ab ipso nõ putamus partium substantiam destrui, sed perfici: at si caloris voce partem praecipuam temperamenti, nimirum quartam ex primis qualitatibus temperamentum constituentibus, secundum se significet, non putamus eam

Formam agere in suã materiam.

1. Phy. t. 55.56.

Caussa efficiens vt sit externa.

2. De an. t. 36.37.

De ge. an.

esse formam partium, & speciatim humoris radicalis appellati: sed cõtrarium quid ipsi humori, ac proinde tale, quod suapte natura illius interitum cupiat, & curet, veluti rei sibi obsistentis ad ascendendum: & sane calor hic ignea est misti portio, seu igneae portionis qualitas, quae ceteris dum praeualet, ipsis ignis naturam, & omnino formam nouam, ceu alienae materiae imprimere tentat: Nos autem superius, dum substantiam viuentis a natiuo calore consumi posse posuimus, de hoc postremo egimus, qui pars temperamenti existens ab humore impeditur, ne ascendat sursum, quo inhiat, quique non est forma humoris, nec totius substantiae viuentis, sed solum portionis igneae in misto: at obiectio est de toto temperamento, quod vere forma est substantiae viuentis, quatenus est in genere misti.

Calor insitus nõ est forma humoris radicalis.

Vt calori haud neganda sit actio in humorem, quia in viuente functiones sint animae, vel totius animati. Cap. XCVI.

AMplius vero (subdit vir doctissimus) actiones sunt ab anima, vel a tota composita substantia; non igitur calori humoris consumptionem, substantiaeque nostrae fluorem assignare merito possis, vt efficienti. Ad quam obiectionem concedentes primum actiones omnes esse animae, seu compositi totius, negamus easdem non posse quoque ad calorem veluti ad effectricem caussam referri: namque agentia sunt trium generũ: agens, quo primo agitur, est anima; quo secundario, ac velut instrumento agitur, est calor natiuus: agens absolutum, siue completum, totaleque nuncupatum, & adaequatum, & omnino agens quod, est ipsum compositum: quae omnia fuse nos docuit Aristoteles non vno in loco: Qua ergo ratione esse dicitur aliqua operatio compositi, & animae, quia haec est eius principium quo primo, illud vero est agens absolutum quod eam perficit: eadem ratione referre poteris in calorem actiones, quaecunque ab eo proficiscuntur, vel tanquam ab instrumento: sic ab insito calore concoqui alimenta, digeri excrementa, & nutricationem obiri monet Aristoteles. Deinde vero negamus actiones omnes, quae in viuentibus eduntur, esse animae, compositique totius substantiae functiones, vt efficientis: nam de actionibus vitae, cuiusmodi sunt nutriri, augeri, generare, sentire, a seipso moueri, & si quae sint aliae viuenti, qua viuens est, conuenientes, hoc quidem verum est esse animae, atque compositi, vt caussae efficientis effectus: at de actionibus vitam non respicientibus per se primo, sed conuenientibus viuenti prout est in genere misti, inter quas est substantiae fluor, & humidi substantifici tacita consumptio, nequaquam id verum est, quod sint actiones animae, aut viuentis totius, vt efficientis: sed sunt actiones caloris interni depascentis humidum, & omnino actionis portionis igneae in misto reliqua elementa destruere

Agentia trium generum, agens quo primo, quo secundo agitur & quod agit, seu adaequatum.

1. De an. t. 64.

2. De an. t. 24. &

Actiones viuentis ... esse ... posita.

destruere tentantis, ſiue vt ea omnia conuertat in ſui naturam, ſiue vt ſibi obſtantia ad aſcendendum de medio tollat; hæc enim duo ſemper admolitur ignis, vt ſui actiuitate maxima quaſi animal voraciſſimum cuncta deuorans nitatur obuiam ſibi occurrantia quæcunque in ignem conuertere; ac ſui natura quæ ſibi obſtant ad aſcendendum impedimenta destruat.

Et ſi calor humorem abſumere dicatur, non ideo euerti naturæ leges. Cap. XCIII.

TVm vero (ſubdit vir inſignis) *ſi calor, qui eſt animæ inſtrumentum, animal perderet, cuius gubernatio animæ committitur: profecto, vt in adagio eſt, currus bouem traheret, ac miniſter inuito hero herilem domum dirueret, omninoque naturæ leges euerterentur.* Ad quam oppoſitionem primū dicimus eam niti falſo ſuppoſito, calorem ſcilicet, qui ſubſtantiam viuentis depopulatur, eſſe animæ inſtrumentum: nam calor animæ deſeruiens vt inſtrumentum eſt vniuerſum partis cuiuslibet temperamentum: calor vero ſubſtantiā corporis conſumens eſt portio ignea miſti, ſeu portionis igneæ qualitas, quæ vna eſt e partibus temperamenti: Immo & ſi alias hæc eadem qualitas animæ organum eſt, in hac certe operatione, qua corpus abſumit, ab anima non gubernatur, ſed ſponte ſua humidum conſumere tentat: nihil autem inconueniens eſt eandem numero qualitatem in eodem tempore ſimul & animæ inſeruire ad actiones vitæ obeundas, & ſponte ſua citra opus animæ obire munia miſti. Deinde vero neganda eſt conſequentia, non enim ſi calor deſeruiens animæ corporis ſubſtantiam diſſipet, ideo currus bouem traheret, neque ſeruus domum destrueret inuito domino, neque lex vlla naturæ peruerteretur: quum enim corpus viuens ſit miſtum, quumque corporis vt viuentis dominium ſit penes animam, vt miſti penes calorem, qui obtinet vicem formæ in miſto: quum etiam diſſolutio corporis, conſumptioque humidi ſubstantifici ſit paſſio viuentis qua miſtum eſt, non præciſe qua viuens eſt: plane ſi calor humidum conſumpſerit citra intentionem animę, non ſeruus herilem domum destruet inuito domino, ſed herus propriam domum euertet non cooperante, vel ad ſummum non conſentiente hoſpite peregrino: eſt enim anima veluti peregrina hoſpes in miſto: quum illius domicilium ſit in viuente corpore qua viuens eſt. Quamuis etiam reuera calor humidum conſumens non destruat proprium domicilium, ſed impedimentum ſibi obſtans ad aſcendendum euertere geſtiat ſecundum naturæ leges, quæ ſunt contraria corrumpere, obſtantia de medio tollere, naturam ſibi conſimilem ex aliena materia procreare: quę omnia efficit calor inſitus conſumendo humidum radicale, quo calor impeditur aſcēdere; humidi enim conſumptio a calore eſt eius commutatio in igneam naturam.

Cōſūptio radicalis humoris eſt paſſio viuentis vt miſti.

Anima ē velut hoſpes aduena in miſto.

Calor humorē abſumēs nō deſtruit proprium domiciliū.

Naturæ leges.

Humidi conſūptio a calore ē verſio in ignem.

Calor deſtruendo humidum ipſe cum ſemetipſo non pugnat. Cap. XCVIII.

PRæterea (inquit vir acutus) *huius calamitatis effectorem eſſe calidum natiuum exiſtimare non decet, quum ſecus ipſe idem ſecum pugnaret: nā quod noſtrum corpus destruit, calorem quoque natura lem exterminat, qui corporis noſtri pars eſt, ac forma.* Cui quidem rationi primo reſpondemus calorem inſitum deſtruendo humidum ſubſtantificum, & diſſipando ſubſtantiam corporis, non ſemetipſum corrumpere, ſed perficere, adaugere, ac exoluere ſe inde vbi violenter tenebatur: ſiquidem ignea miſti portio, & calor, qui vna eſt ex qualitatibus in temperamento, dum alias partes elementares ſibi commiſtas deſtruit, corrumpit quidem naturam miſti: eam vero diſſoluendo ſeipſum perficit, quia vertit humidum, & ſubſtantiam corporis in fuligines igneas, quæ ſenſim ſine ſenſu e corpore noſtro diffluunt: Quin idem calor inſitus diſſoluto humido, quo vi detinebatur in corpore, ſurſum libere ſcandit ignis; ad confirmationem vero negatæ conſequentiæ concedentes diſſipata materia corporis noſtri, diſſolui calorem, qui eſt forma, negamus calorem illum, qui ſubſtantiam corporis depaſcitur, eſſe formam eiuſdem corporis: ſane miſti forma eſt vniuerſum temperamētum, quod ſubiectam ſibi ſubſtantiam complet, atque tuetur, non diſſipat, immo vero ad eius diſſolutionem, & ipſum proſternitur; at calor, qui ad ignem relatus pars eſt temperamenti, non eſt forma miſti, & proinde ad miſti diſſolutionem non cadit; ſed eſt forma portionis igneæ in miſto, & diſſipat miſtum conuertendo in naturam ſibi ſimilem adiuncta ſibi omnia elementa contraria; talique mutatione, ac miſti diſſolutione liber aſcendit calor, ac potius exoritur, quam intereat. Deinde ſi diſputationi demus calorem ſeque, remque publicam vitalem obſtinato iam animo perditum ire, atque adeo ad miſti deſtructionem diſſolui calorem hunc inſitum, qui humidum abſumit, & ſubſtantiam corporis exterminat (quod reuera tamen haud concedimus) non propterea calor ipſemet ſecum pugnabit; pugnat quidem calor cum humido, ipſumque veluti ſibi obſiſtens impedimentum de medio tollere conatur; ſin autem deſtruendo humidū miſti ſubſtantiam euertit, eamque diſſoluendo ſibi ſubiectum ſubtrahens interitum machinatur, id euenit per accidens, id quod flammę quoque contingere ſemper experimur; flamma enim non ſecum, ſed vbique pugnat cum materia combuſtibili, quæ ſibi eſt impedimento ad aſcendendum; ea vero conſumpta flamma & ipſa per accidens faticit: quod ergo flammæ contingit ſecundum naturæ decreta, cur abſurdum erit accidere calori noſtro interiori?

Vt calor insitus igneo proportione non respondeat, et ei respondens consumere possit humidum. Cap. XCIX.

D*Einceps* (adijcit vir egregius) *sicuti calor ignis proprius ignem nec absumit, nec perdit; sed fouet, & seruat; ita rationi consonum est viuentis naturam a suo proprio, naturalique calore foueri, atque seruari.* Ad quam obiectionem, si nomine ignis purum elementum sumpseris, concedentes calorem ignis subditam sibi substãtiam non perdere, sed fouere, atque perficere; negamus proportionem esse inter calorem insitum viuentis, & calorem ignis: quia calor in igne sibi adiunctam non habet materiam alienam, a qua impediatur ne sua munia possit obire; quare non opus est eum illam destruere, sed tenetur veluti forma suam materiam tueri, atque complere: At vero in corpore viuentis, & omnino in misto portio ignea sibi coniunctas habet alias partes ceterorum elementorum, a quibus impeditur ascendere eo, quo naturali propensione inhiat, quas tenetur euertere, vt suum finem cõsequi valeat: Ad probationem admonemus falso statui calorem insitum esse formam corporis misti: est quidem forma partis igneæ, quam tuetur in misto, at non aliarum partium, aereæ scilicet, aqueæ, ac terreæ, quas euertit, & cum earum euersione misti substantiam dissoluit. Sin autem ignis nomine nostratem hunc ignem, qui mistus est, accipias, plane concedentes analogiam, negamus calorem non destruere subiectam sibi materiam: videmus enim flammam depascere oleum, ligna, ceram, & omnia quæcunque combustibilia, & hoc non alia ratione quam quia pars ignea in huiuscemodi misto ceteris elemẽtis præualens ea ipsa destruit, quia sibi contraria, & impedientia ascensum ad æthera: quod idem dicimus de calore insito, qui est vna ex partibus temperamenti, non autem vniuersum temperamentum; a quo & nos vltro fatemur substantiam corporis tueri, non dissipari.

Calor insitus & ignis proportionẽ nõ habẽt.

Calorem innatum radicali humori adeo contrarium esse, vt ipsum consumere valeat. Cap. C.

P*Ræterea satis vrget vir acutissimus inquiens actionem quamlibet, præsertim destructoriam apud Aristotelem non nisi a contrario in contrarium prouenire: quum igitur calor humori nulla sit penitus ratione contrarius: non posse humorem vllo pacto a calore dissolui: Et sane calori cum humore nullam esse oppositionem inde patere, tum quia simul consistunt natura, certoque fœdere iunguntur, & sine vlla contentione in aere, in sanguine, ac mistis plerisque alys calor, & humor: quando ex aduerso contraria nusquam simul, ac speciatim sine pugna commorari nequeunt: tum quia calori frigiditas, humori siccitas aduersatur: quando vni vnum, haud plura opponi natura patiatur Aristotelis testimonio.* Ceterum neque his telis quantumuis acutis confoditur sententia nostra. In primis enim cum vniuerso Medicorum, & Philosophorum cætu ex Aristotele accipimus omnem actionẽ, ac potissimum illam, quæ quomodolibet in corruptionis genere collocatur necessario esse inter contraria; sed tamen ab ijsdem didicimus oppositionem inter agens & patiens haud semper esse positiuam, ac proprijssimam; verum frequenter agere inter se quæ communiori quodam vocabulo contraria dicuntur, non proprie; sic plane motus attritionis aerem corrumpit in ignem; sic humiditas aquæ feruentissimæ corrumpit calorem, & flammam ardentis pyræ; quum igitur haud minus opponatur humori naturali calor insitus, quam motus attritionis aeri, & humiditas aquæ feruentis flammarum caliditati: par est inter natiuum calorem, & humidum radicale repugnantiam eam reperiri, qua possit calor humidum consumere. Deinde vero euidens est natiui caloris cum humore sibi subdito repugnantia, qua ille hunc assidue corrumpere debet, nimirum caloris est sursum ascẽdere, quod notauit Aristoteles non vno in loco decernens calidum cuiusque animalium natum esse ad superiora ferri: contra humoris est non solum deorsum labi, sed vi etiam secum adiunctum sibi humorem ad centrum rapere: iure itaque veluti contrarium sibi destruere tentabit calor humorem, a quo impeditur ne sursum ascendat, sed vi deorsum trahitur, & continetur. Quin immo adeo ratum est apud omnes calori cum humore illam esse repugnantiam, qua possit humor a calore pati, vt reclamante nemine laudetur Aristoteles, qui comparans inter se primas qualitates elementares, caliditatem, & frigiditatem simpliciter actiuas dixerit, humiditatem vero, siccitatemque passiuas. Sed quando Aristotelem audimus, & experimento non reluctamur, non ne Aristoteles comprobans dictum experimentis aliquando statuit res calidas omnino, etiam humidas, vti est aqua, vim obtinere siccandi? non ne ipse idem alibi perspicuis verbis asserit naturale calidum primum concoctiuum consũmere materiam, in qua est, nempe radicalem humorem? recte itaque negamus calorem naturalem non esse contrarium humori natiuo. Ad priorem obiectionem primo dicimus contraria exquisite non posse quidem sponte simul consistere, at vi posse in vnum colligari; sic elementa omnia simul in misto sunt quantumuis contraria; cur ergo si calor humori contrarius sit, cum eo simul a natura colligari non poterit? Deinde cõtraria excedentia ea sunt, quæ simul consistere nequeunt: at quarum vires summæ non sunt, sed hebetatę, illa possunt simul in eodem perseuerare: modo calor insitus summas non habet vires, sed mites. Deinceps inficiamur in sanguine, alijsque mistis calorem cum humore sine pugna cõsistere, semper enim in

1. Phy. 9. 43. & alibi passim.

1. Cal. t. 10.

Cõtraria inter quæ fit actio, & pugna.

Caloris & humoris repugnantia qua sit.

13. Sect. prob. 6. de som. & vig. c. 4.

4. Meteo. c. 1.

24. Sect. probl. 14.

Caloris esse humidum consumere.

De long. & breu. vit. cap. 3 inf.

Cõtraria quæ simul consistãt quæ non.

Calor quã de humorem absumat.

in illis calor, vbi polleat viribus, humorem destruere studet, quo impeditur; ne sursum libere scandat, quo propensus est. Demum in aere concedimus calorem non consumere humiditatem, sed negamus inde colligi calorem viuentibus

Cur in aere calor nõ absumat humorẽ, ea viuẽtibus absumat.

insitum non esse itidem contrarium humori substantifico, & ipsum non depopulari; ratioque negationis duplex assignari potest ex natura rei; prima quidem quia non satis est contrarietas ad pugnam, sed necesse est contraria viribus pollere; quum igitur in aere calor sit imbecillimus, at que insensilis Aristotele autore, & sensu iudice;

1. physic. t. 64.

Contrarietas nõ sat est ad pugnam.

quamuis humori calor sit absolute, seu communiori quadam repugnantia cõtrarius, ob virium defectum humiditati aeris non est infensus, eamque non depascitur: sed si qua ratione calor aeris acuatur, protinus humorem depopulabitur; & aerem in igneam naturam commutabit: sic plane Galeno animalium natura frigidiorum naturalis calor, temperamentique portio ignea hiemali a frigore adeo vincitur vt propemodum extinguatur, nedum vires suas in humorem sibi subditum exerceat: ceterum calor natiuus in viuentibus, præsertimque in hominibus validus est, atque humoris vires longe superans, vt belle valeat humidum consumere, ad caloris in aere existentis differentiam. Altera vero ratio est, quia natura aeris magis in humore, quam in calore consistit, etiamsi vtriusque particeps existat: quod ab Aristotele receptum est omnibus: quocirca in aere humor non debet viribus calori cedere; at contrarium nullum nisi a præualente perpeti, & destrui potest: contra vero quum vita longe magis in calore, quam in humore contineatur, vt fuse alibi ostendimus; oportuit in viuentibus a natura calorem viribus pollere, simul & humori; quo factum est vt hic ab eo iugiter absumatur, quia contrarium pollens, & viribus superius haud potest in contrarij necem non inuigilare.

3. aphor. 15.

Aeris naturam in humore magis quam in calore.

2. de gen. t. 23.

Cur in aere calor nõ viribus in humore polleat.

2. lib. de vita.

Ad secundam oppositionem primo dicimus vni vnum aduersari propriissime sumpto nomine oppositionis; at communiori vocabulo vni plura esse contraria; sic vni calori proprie contraria est frigiditas, latius opponitur humiditas, densitas, crassities, & alia pleraque, in quæ potest calor vires suas exercere. Deinde vero adnotamus vni sub vna, & eadem ratione considerato, & in vnico genere, vnicum esse contrarium; at in pluribus generibus, variaque ratione acceptum diuersa sibi posse contraria parare: ita sane vni auaritiæ in eodẽ genere qualitatis vt vicio contraria est nõ prodigalitas, quæ itidẽ est vitium, sed liberalitas, quæ virtus est: eidem auaritię vt defectui cõtraria est prodigalitas vt excessus in eodẽ genere vitij. Non absimili ratione calori vt qualitati actiuæ aduersatur humiditas vt passiua, eidem vt disgreganti, & rarefacienti sensum, contraria est frigiditas congregans, & densans.

Vni ut plura possint esse contraria.

Cap. 57.

Neque obijcias a nobis superius constitutum fuisse calorem naturalem esse per se humidum, & humiditate acui, siccitate remitti; quum contraria cõtrarijs nõ intẽdãtur, sed remittãtur, quia ibi nomine caloris naturalis aggregatum, & concretum ex calore, & humido substantifico intelleximus; non autem calorem abstrahendo a subdito humore, atque omnino vt distinctum quid ab humore; quo sensu hic de calore loquimur. Deinde vero nunc statuentes calorem esse humoris destructorem, & contrarium, ijs non refragamur, quibus decreuimus calorem ab humore acui; nam humorem illum monuimus esse sanguinem: qui natura sua calidus est, naturalique suo calore præexistentem in partibus consimilem roborat, cui humiditate reluctatur. Deinceps calor intenditur humore, quia illum in sui naturam vertit: sic viuentis robus augetur alimentis, quæ vt contraria destruit; contraria sane non intenduntur contrarijs immutatis: sed si ea in sui naturam mutauerint, victoria uires uincentibus addit: ita sane calor humore intenditur, præter allatas rationes. Calor itaque naturalis humoris uiribus præpollens ipsius substantiam, ueluti sibi aduersantem quoquopacto consumere potest.

Calor si humiditate acuatur, bũo eam absumat.

Calorem insitum corporis substantiam dissoluere dicendum ne sit, quam antea construxerat, si humorem substantificum absumat. Cap. C I.

IAm vero (subdit uir peritissimus) *si deuastare animalis molem ad natiuam caliditatem pertineret, hocque esset eius ingenium naturaliter factũ, certe a principio tam admirabilem membrorum fabricam non construeret, sed in ipso operis exordio desisteret, & si quid foret inchoandum, non perficeret, sed labefactaret: quid? nec frustra aggrederetur.* Cui rationi M. Cato senior apud M. Tullium apertissime negat consequentiam, *sed* (inquit) *viuendi finis est optimus cum integra mente, certisque sensibus opus ipsa suum eadem, quæ coagmentauit, natura dissoluit: vt nauem, vel ædificium idem destruit facillime, qui construxit: sic hominem eadem optime, quæ conglutinauit, natura dissoluit; sic leges idem, qui condere, potest etiam auferre.* Deinde vero nos in Peripato statuentes ab insito calore, qui pars est, seu qualitas ignea temperamenti, molem corporis deuastari, mistique substantiam dissipari; fatemur ab hoc eodem calore constructam initio non fuisse corporis nostri fabricam, semperque huic fabricæ detrimentum prouenisse; nam verus autor constitutionis, & organizationis viuentium corporum est anima, & calor, qui alio nomine dicitur temperamentum: non autem pars temperamenti solum ignem referens; Vtitur sane anima in architectando corpore viuente natiui caloris opera, sed is calor innatus, qui est animæ instrumentum ad constituenda, & organizanda viuẽtium corpora, non est sola qualitas ignea, quæ pars est temperamenti: sed est totum, & integrũ temperamentum, quod semper ea fouet, seruatque corpora, nunquam uero demolitur, quæ ab initio construxit: at calor natiuus, qui pars est

Calor, qui corpus absumit, idẽ nõ est, qui prius ipsũ construxit.

Verus autor constitutionis viuẽtium.

ignea miſti,ſeu temperamenti, ſemper vel ab initio radicalem humorem, corporiſque ſubſtantiam deſtruere conatur, quam vere non conſtruxit.

Vt ab inſito calore corpus non deſtrui ex eo non colligatur,quod vegetiori calore,& hieme viuentia melius habeant: Cap. CII.

D*Enique* (affert vir eruditus) *ſi pernicies, exitiumque nobis a domeſtico, & non ab alieno impenderet calore: quo robuſtior ille domeſticus calor exiſteret, eo vberiorem ſubſtantiæ noſtræ fluorem concitaret: oblanguerent magis vires, macieque conficeremur: & ſane hiberno tempore hoc magis quam æſtiuo perpeteremur: ſed contra per hiemem valentiora corpora fiunt, carnibus,& pinguedini acceſſio,additamentumque ſuboritur. Quas ob res a calore externo, ceterisque cauſſis nos permutantibus ſubſtantiæ noſtræ euerſio proficiſcitur.* Qua quidem in obiectione primum nos adnotamus ſubſtantiam noſtram conſumi non a calore ſolo natiuo, ſed etiam ab extrinſecus occurſantibus quampluri-mis,præſertimque a caliditate ambientis: quare obiectio nos nequaquam vrget; ſed eos,qui ab inſito calore ſolo, non item ab externo aſſeuerant corpus noſtrum diſſipari; quocirca facile poſſumus argumentum tollere negato ſuppoſito. Deinde vero admonemus ceteris paribus, & niſi quid impediat,quo robuſtior eſt calor internus, eo magis corporis ſubſtantiam conſumi; at hieme calor intimus viuidior eſt, fateor; æſtate vero corpora magis conſumuntur; dic primum cetera non eſſe paria; nam hieme ſolus calor internus vacat diſsipando corpori; ſed æſtate calori natiuo, etiamſi remiſsiori, adjungitur exterior ambientis calor vrgentiſsimus; ex quorum ſocietate agens enaſcitur longe validius æſtate, quã hieme: dic ſecundo loco cetera non eſſe paria, & adeſſe impedimentum, quo minus hieme tabeſcant corpora quam æſtate, nempe quia hieme temperamenti virtus vigens eſt adeo, vt eius beneficio poſsit plus ſatis adiungi corpori ex alimentis quam illud ſit, quod a valido etiam calore, diſſoluitur: nanque diſſolutioni corporis obſiſtit ambientis frigiditas tum denſando meatus, per quos effluxio fieri debet; tum indurando membra; eaque diſſolutioni contumaciora efficiendo: contra æſtate languet virtus temperamenti diſſolutis ſpiritibus, aperti ſunt meatus, mollis, & laxa corporis ſubſtantia: quibus de cauſsis facile eſt vel ab imbecillo calore corpus multum diſſolui; difficile ab imbecillo temperamento multum refici: ſic ergo ab inſito calore humidum ſubſtantificum diſsipari, corporiſque ſubſtantiam diſſolui tuemur.

Subſtãtia noſtra nõ a ſolo calore natiuo conſumitur.

Cur æſtate corpora magis cõſumãtur, dum calor inſitus imbecillior.

Vt eadem eiuſdem rei poſſit eſſe cauſſa per ſe, ac per accidens. Cap. CIII.

NEque vero illud omnino placet viris doctiſſimis, quod agentes de cauſis terminãtibus longam abſtinentiam conſtituimus eundem calorem natiuum poſſe tum per ſe, tum quoque per accidens euertere proportionem, & æqualitatem illam, qua niti probauimus cauſſam diuturni ieiunij; quia non videtur fieri poſſe vt idem eiuſdem cauſſa ſit per ſe ſimul, ac per accidens; quum huiuſmodi cauſſæ coincidere nequeant, ſintque incompatibiles ad inuicem. Ceterum neque iſta nos de propoſita ſententia dimouent; quippe idem eiuſdem effectus cauſſa per ſe, ac per accidens ſimul eſſe nequit ſecundum eandem rationem; at quum eiuſdem poſſit eſſe diuerſa ratio agendi, nihil ſane prohibet eandem naturam eiuſdem effectus ſimul eſſe ſecundum variam rationem agendi cauſſam tum per ſe, tũ etiam per accidens: ſic apud Ariſtotelem idem Medicus agẽs in ſeipſũ ſibi ipſi ſanitatis eſt cauſſa per accidens, agens in alium ægrotum ſanitatis eſt cauſſa per ſe; Immo agens in ſeipſum, vt in ægrotantem; ſanitatis cauſſa eſt per ſe; agens in ſeipſum ægrotantem vt in Medicum, ſanitatis cauſſa eſt per accidens: ſic in propoſito calor internus labefactans vires humoris interioris per ſe deſtruit æqualitatem, ac proportionem virium, quæ ſibi cum eo intercedere dicitur; idem vero calor conſumens eiuſdem humoris ſubſtantiam, quia deſtructa ſubſtantia neceſſe eſt per accidens vires illius collabi, vel ex decreto Ariſtotelis, plane per accidens tollere dicitur eandem proportionem, & æqualitatem virium, quam cum eo habet, Præterea quum proportio, & æqualitas virium caloris, & humoris interni proxime nitatur iiſdem viribus, perinde ac ſuperficiei color, & omnino accidens quoduis immediato ſuo ſubiecto; plane calor idem quum poſſit vires humoris & diminuere, & funditus abolere; ſi eas quidem ſolum imminuat, tunc certe proportionem, & æqualitatem virium tollet per ſe primo; quoniam & æqualitas, & proportio conſiſtit in certa virium menſura; ſin autem eas radicitus extirpet; ſane tunc virium æqualitatem, ac proportionem deſtruet per accidens, ſiquidem illis ſubtrahendo ſubiectum immediatum, vires nempe ipſas, in quarum certa menſura, & gradu continetur proportio, & æqualitas propoſita. Quod autem obijcitur, cauſſas per ſe, ac per accidens nunquam coincidere, ac eſſe incompatibiles, id probationis indiget, quum nuper ex Ariſtotele adnotauerimus in Medico, qui numero idem cauſſa eſt ſanitatis per ſe quidem in alio ægrotante, per accidens vero in ſemetipſo; quin & in ſeipſo vt in ægrotante cauſſa eſt per ſe valetudinis, cuius cauſſa eſt per accidens in ſeipſo, vt in Medico: Adijcere poſſumus ignem eũdem comburentem ligna ſimul calore ſuo & per ſe

de-

Lib. 3. ca. 74. 75. 76

Idem vt eiuſdẽ ſit cauſſa per ſe ſimul, & per accidens.

2. phy. c. 3

c. de ſubſt.

destruere frigiditatem lignorum directe in illã agendo, vt in contrariam qualitatem, & per accidens eandem frigiditatem demoliri corrumpendo substantiam lignorum, cuius est accidens frigiditas; quemadmodum etenim idem agens simul dat formam, & omnia consequentia formam; ita idem corrumpens simul destruit per se primo suppositum, & per accidens omnia, quæcunque in eo insunt; quorum multa incolumi subiecto idem corrumpens per se primo demoliri potest: hac plane ratione calor vires humoris labefactare valet, eiusdem humoris incolumi, siue illibata, integraque substantia; quod est vires humoris immediate, directe, siue per se consumere, ac eneruare: Potest autem & idem calor vires humoris de medio tollere, humoris substantiã, qua vires innituntur, destruendo; quod est illas easdem per accidens abolere. Nihil ergo prohibet quominus vnum & idem agens simul esse valeat vnius & eiusdem effectus caussa tum per se, tum quoque per accidens; quod inconueniens esse reputabatur.

Effectum, cuius caussas quis nouit, cur non semper is idem ex arbitrio procreare valeat.

Cap. CIV.

OPeri huic nostro dum coronidem hic iam imponere meditaremur; interpellauit nos vltimo vir acutissimus asserens ad propositi nostri complementum, nostræque opinioni fidem comparandam deesse methodum instituere, qua possit homo quilibet ex arte, atque ad libitum abstinentiæ habitum induere, ac diu impune sine alimento viuere; siquidem quorum caussas perspeximus, exacteque dignouimus, ea nostra in potestate plane sita esse creduntur; nullumque certius est veræ disciplinæ argumentũ, quam res ipsas in effectu producere, quarum naturam, & caussas cognouisse, ac explicuisse profitemur: illudque satis mirari non posse se aiunt obijcientes, artem nos longioris abstinentię non docuisse, qui diuturni ieiunij originem, & caussas arbitramur dudum exposuisse. Ceterum & ab hoc nodo, altius inspecta rei natura non vnica ratione possumus expediri: illud enim, quo nititur obiectio, falsum est fundamentum, caussarum nempe dignotionem ad effectuum procreationem sufficere; in primis etenim qui Aristotelis obseruatione omnia cognoscere valemus, atque adeo rerum cunctarum caussas mente complecti, haud tamen cognitas quascunque caussas nostræ voluntati subditas habemus vt illas ex arbitrio ad suorum effectuum generationem, constitutionemque impellere, atque accõmodare possimus: nouimus certe cometarum, ventorum, grandinum, niuium, fulminum, & ceterorum in sublimi exorientium naturas, atque primordia ex Aristotele in sua Meteorologia; sed quia nostro iussui non obtemperant exhalationes de terra sursum latæ, nubes, caloris, ac frigoris in superno aere vires, propterea enumeratas admirabilium meteororum species ad libitũ producere non valemus: verum hoc superioris agentis est peculiare munus,

Caussarũ dignotio nõ sufficit ad effectus productionem.

3. De an. c. 4. 8. & 37.

Nemo potest omnia noscere.

Qui pluit in terras, tonitru qui fulmina torquet.

Deinde vero quamuis in nostra situm esset manu (varijs, ac opportunis e Medica facultate præsidijs mutuo acceptis) commemoratas diuturnioris abstinentiæ caussas, nimirum caloris, & humoris interni virium æqualitatem, commensurationemue, ad opus adducere, haud tamen propterea methodum diu abstinendi constituere, artemque vllam, qua diu quilibet sine alimento viueret instituere possemus; namque ad cuiuslibet effectus generationem haudquaquam satis est rei caussas effectrices promptas, & propriæ voluntati obtemperantes habere, sed oportet insuper nancisci, & cognoscere subiectum idoneum, in quo talia efficientia proprios effectus producere valeant; quod nos docuit Aristoteles alicubi decernens actiones, actusue actiuorum omnium necessario esse in patiente, eoque disposito; quum autem artis operatio sit circa singularia supposita; profecto in tanta hominum varietate non quilibet aptus erit induendis virium caloris & humoris interni æqualitati, aut proportioni, quæ constitutæ nobis sunt esse longioris caussæ ieiunij; quemadmodum nec Medico eandem ob rationem omnes ægritudines curare licet, qui omnium morborum rationes curatrices callens multos tamen tractat morbos insanabiles, quia plerumque subiectum non sortitur idoneum ad vim remediorum sustinendã, cui tolerandæ corpora robustiora sufficerent. Quo factum est etiam vt Medicus in cathedra disserens omnes infirmitates sanet, nulla excepta, qui curans in praxi plerasque reperit insanabiles; docens enim sibi fingit subiectum remedijs dispositum, curans plerunque incidit in ægrum præsidijs ineptum: & sane non alia de caussa quãuis Medicus omnes optime nouerit caussas curatrices podagræ, nihilominus tamen

2. De an. 24.

Agens nõ agit nisi in subiectũ dispositũ.

Artis operatio circa singularia est.

Medicus cur disserens, ac docens oẽs morbos sanet, nõ itẽ curans.

Soluere nodosam nescit Medicina podagram.

Adijciendum his etiam illud est, homini eos plane innotescere non posse, in quibus produci valeat, productaque conseruari caloris, & humoris virium æqualitas, & omnino caussa effectrix, conseruatrixque longioris ieiunij antea inuenta: vt hoc etiam nomine ars ieiunandi certa nobis constitui non valeat. Deinceps autem sunt hæc omnia nostri iuris, caussæ nimirum procreatrices, conseruatrices, susceptricesque diuturni ieiunij, sunt eadem nobis aperta, & ad operandum summe disposita; haud tamen proinde methodum abstinendi ex arte plane instituere valemus, quando neque cognita sunt homini, neque arte vlla nobis comparabilia media, quibus velut instrumentis debeat, possitque vnusquisque induere habitum æqualitatis, proportionisue virium caloris, & humoris interni, Vnde veluti a

pro-

proximis,& immediatis caussis abstinentię diuturnioris originem pendere nouimus. Ad extremum quotus quisque est hominum, sagaci quantumuis mente præditus, qui gradum æqualitatis, commensurationisue virium caloris, internique humoris cuique conuenientem agnoscere possit, cognitu tamen illis necessariũ, quicunque artem abstinendi ex ijs caussis velint constituere? Ieiunium diuturnum non est igitur ex eorum effectuum numero, quorum caussas quicunque nouerit, is illas ad suorum euentuum generationem reuocare, accommodare, atque impellere valeat. Ceterum & illud hic silentio præterire non debeo, me in hoc opere theoriam, non praxim abstinentiæ mihi proposuisse scopum; ac proinde consulto ab institutione artis ieiunandi supersedisse, quam alio volumine, iam mente conceptam, quin & aliqua ex parte papyro iniectam, Deo bene fauẽte persicere tentabimus: arbitramur etenim ex hactenus explicatis colligi posse methodum, qua quiuis hominum pro sui temperamenti conditione habitum abstinentię inducat ad multam temporis intercapedinem; studiosi meminerint naturas tantum ieiuniorum a nobis interim dici, nõ culturas; quamquam & colendi maxima in natura portio est. Non igitur minus vera est, minusque perfecta de diuturnæ abstinentiæ natura,& caussis allata nobis in superioribus theoria, quia ieiunandi artem instituere, atque huic volumini siue noluerimus, siue nequiuerimus attexere; quod vltimo nobis obijciebant viri clarissimi.

Peroratio totius operis. *Caput vltimum.*

ITa ergo de his, qui diu viuunt sine alimento, siue de caussis constituentibus, efficientibus, conseruantibus, terminantibus, ac distinguẽtibus diuturnam abstinentiam cum generatim, tum speciatim, consulto Clarissimorum virorum iudicio, ex rei natura dictum sit, dubitationibus cunctis grauioribus de medio sublatis. Quo quidem in opere nihil vnquam assertum esse volo, nisi quod Sacrosancti canones approbauerint, paratus semper S.R.E. parere; promptusque insuper firmioribus rationibus aliter suadentibus subscribere, a quocunque sapienti viro afferantur; & promulgatam sententiam in meliorem commutare, si meliorem videro: Sin autem proposita veritati consentiant, Deo summo gratiæ habeantur maximæ, cuius clementia hoc opus ad exitum perduxi.

Hac iuuet insudasse tenus, nunc vltima fessum
Accipiat, finemque meo det meta labori.

Iam etenim orationi finem imponere tempestiuum est, quam tanquam ex prato multis floribus variegato coronam quum texuerimus, Musis consecramus.

Finis Quarti libri, ac totius Operis.

Ego Frater Paulus Rocca Sacræ Theologiæ Doctor, Prouincialis Bohæmiæ, ac in Collegio Patauino Carmeli Regens Theologiæ accurate legi duos posteriores libros operis Perillustris, ac Excellentissimi Domini Fortunij Liceti, cui titulus est *De his, qui diu viuunt sine alimento*; nec in illis aliquid compertum habui vel a rectitudine fidei, vel a morum integritate absonum; quinimmo eos, ac priores ob doctrinæ candorem, subtilitatem, ac nouitatem impressione dignissimos existimaui. Datum in Carmelo Patauij sub die 18. Nouembris Anni 1611.

Idem Frater Paulus Rocca Prouincialis, ac Regens.

Qua stante attestatione Frater Zaccarias Inquisitor Paduæ concedit quod imprimantur, manu propria.

Imprimantur Octauius Liuellus pro Serenissima Republica Veneta.

FINIS.

